

Philol.

R
1704

II. d. 1077.

4-II A 5246

Contrariorum contraria sunt reduplicia.
5 aph. 19. In rebus rectis in acutis
lib. 1 c. 18. 2 de rat. lib. 9 c. 14. 1 acut.
gl. 43. 6 epid. pt. 5 aph. 7.

Hinc mors. sunt quidem
in spem contrariam
5 aph. 29.

Hippoc. 1 Epid. pt. 2
aphoris. 52.

Ars his tribus constat, morbo, ægro, & medico artis ministro. Ægri est in medico, morbo reluctari.

GALENI

OPERVM OMNIVM SECTIO SEPTIMA.

ILLVSTRIORES QVA'M VNQVAM antea prodeunt in lucem omnes hi Galeni libri.

Accesserunt enim his ex ueterum Græcorum exemplarium collatione adnotationes luculentissimæ singulis locis in margine appositæ.

BIBLIOTH: ACADEM: DORPAT:



VENETIIS. M D XLIIII.

Cum decreto Pont. Max. Regis Christianiss. nec non Senatus Veneti.

4-II A
5246
i52674812

INDEX EORVM QVAE IN HAC SEPtima sectione notatu digna continentur.

Abstinentia a cibo est in appetentia. 931.5
Abscessus per urinam purgati. 105.20
Abscessus in cruribus in pulmoni a facti. 231.15
Abscessus cita resolutio & eius causæ. 233.19
Abscessus frigidi tardius desinunt & minus retrocedunt, qui etiam hyeme fiunt. 268.38
Acutorum morboꝝ duplex genus. 162.1
Acuti morbi sine febre. 162.4 1003.23
Acuti morbi per imperfectas indicationes uarie transmutantur 162.15
Acuti morbi raro sine febre sunt. 832.4
Acutorum morborum duplex genus 931.34
Acutus & peracutus morbus 251.16.775.22
Acutorum morborum enumeratio. 481.23
Acutorum morborum natura cum ptisana conferenda, si recte danda sit. 497.21
Aceti mixtio in dolore pleuritidis sedando qualis esse debeat. 535.3
Acetum picrocholis magis q̃ melancholicis est ex usu. 627.20
Acetum neruis & mulieribus magis quam uiris aduersat. 628.10
Acutorum morborum non certæ sunt prædictiones. 831.27
Accessiones earũdem horam seruantes difficile habent iudicium. 941.2.32
Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. 839.36
Ad generationem quæ cõcurrere debeant 27.11
Ad quæ capita signa sunt reducenda. 884.14
Adolescentia omnium ætatũ optima & saluberrima. 896.27
Adolescentibus qui morbi accidant. 912.8
Aestate sanguis adhuc uiget & bilis accrescit. 48.19
Aetatum temperamẽta descripta. 103.9
Aetas temperatissima inter pueros & adultos constituit 104.33
Aequale siue leue excrementum secundum naturam & præter naturam 193.20
Aetatum breuis enumeratio. 263.18
Aetatũ termini minime præfiniri possunt. 266.6
Aetatis uigor inter trigesimũ & trigesimum quintum annum. 266.2
Aeruginosus humor quid indicet. 310.10
Aetas uigens non est ætas cõsistentiæ. 786.15
Aetas adolescentium a deci-

mo octauo anno ad uigesimum quintum pertingit. 992.20
Aestate qui morbi fiant. 900.2
Aestas senibus utilis. 896. 35
Aetas consistens media inter senectutem & iuuentutem. 783.21
Aequiuocationes semper animaduertendæ. 786.15
Aestiuæ quartanæ magna ex parte breues autumnales uero & hiemales longæ. 844. 20
Aestiui morbi omnes breues & salubres si uires ualidæ sint. 844.27
Aestate supra, infra uero hieme medicari oportet. 923.35
Aeris ambientis humiditas pituitam acceruat. 875.36
Aer crassos humores tanquam manus ex pectore elicit. 592.23
Affectio dum fit facile tollitur secus si facta fuerit. 358.8
Alij uires. 725.26
Alui fluoris causæ. 179.30. & à tergo.
Aluus per febres perpetuo liquida. 687.10
Alui excremētum optimum. 781.14
Aluī humectantur post multi sanguinis effusionem. 939.16
Aluus plus iusto humidior à quibus causis fiat. 833.32
Alui siccioris causæ. 835.9
Alimenti pars serosa & superfluitas fuliginosa. 890.12
Anginæ calidæ symptomata superuenientia. 682.30
Angina quæ est à materia colerica. 681.29
Angina & si pendeat à materia frigida curatur uenæ sectione medicamēto purgante & clysteribus. 680.19
Angina quæ ab humoribus crasis & uiscosis fit. 678. 36
Anginæ signa atq; eiusdem curatio. 679.1.680.1
Angina grauissima. 256.25
Angina minus grauis. 257.25
Angina omnium securissima. 258.3.387.20
Analogismus & epilogismus. 134.35
Anaxionis casus. 779.33
Ante missionem sanguinis aluus astricta clysmate est abluenda. 746.12
Angina & a materia pituitosa & à flaua bile ortum habet. 902.27
Antrax quid. 1068.35
Aphoristica sententia uim magnam paucis complectitur. 666.6
Aphorismus in primo prædictionum citatus si hiemens. 133.8
Aphoniæ causæ. 323.24
Apoplexia quid. 859.6
Apoplexiæ causæ ibidem 17
Apoplexiæ epilepsiæ & synco pæ cardiacæ commune sym ptoma est aphonia. 673.5
Aphorismus primus multis controuersiis quid sibi uelit in eo Hipp. 751.30
Aphoristica doctrina breui tempore longam docet artem. 755.10
Aphorismi primi expositiones multæ confutantur. 753.22
Aphorismi primi sentētia iuxta galenum. 755.24
Appetitus causa. 834.13
Appetitus canini causæ. 837.18
Apoplexiæ quando fiant. 1091.13
Ἀπαόρητα quid Hipp. 572.22
Aqua intercutem sicca. 927. 10
Aquilone prævalēte qui morbi fiant. 894.30
Aqua inter cutem ex inani parte. 179.21
Aqua inter cutem ex iecore. 180.20
Aqua inter cutem ex morbo acuto. 177.14.1070.14
Aquæ inter cutem communis genitura est diminuta sanguificatio. 178.30
Aqua mulsa minus sticuloſa quam uinum dulce 604. 30
Aqua mulsa quibus nocua. 606.30
Aquæ uaria exhibitio. 632. 35
Aqua in acutis morbis non exhibenda ob multa quæ affert incommoda. 630.1.628. 31
Aqua ut uires recreat. 612. 31
Aqua mulsa quando euitanda. 610.13
Aqua mulsa biliosa deiicit. 608.4
Aqua frigida large effusa tollit dolores. 1002.2
Aqua leuissima. ibidem. 20
Artifex maxime dissidet ab eo qui artis expers est. 246.27
Ars medica per similis uaticinationi. 488.29
Ars medica cur lōga dicatur. 752.3
Astringentibus cibis quando uti cogimur in morbis acutis. 500.18
Astmata. 908.13
Ascarides & lumbrici. 909. 5
A spontinis euacuationibus suatur animal, ab his uero quæ casus ratione fiunt nulla utilitas prouenit. 919. 31
A sanguinis sputo puris sputum. 1101.29
Atra bilis duplex & de eius generatione. 464.4.901. 33
Atrigesimo uel trigesimo gnto declinamus à calido ad frigidum. 263.32
Atra bilis & humor melancholicus. 933.20.935.20
Autumnus omnibus ætatibus malus minus tamen calidis & humidis. 897. 17

Autumnus tabidis malus. 877.20
Autumno morbi acutissimi & exitiales 876.34
Autumno in homine sanguis paucus bilis uero atra coaceruatur. 49.20
Aurium dolor. 255.11
Augendi cibi scopi. 512.34
Austro præualente qui morbi fiant. 873.12.894.30
Autumno qui morbi fiunt. 901.16
Accessionis differentiæ. 1038.9

BAlneū in plerisq; morbis confert. 634.29
Balnea domi non parabantur tempore Hipp. 635.4
Balnea abstersoria qualia esse debent. ibid.34.& a tergo.
Balnei uia breuis sit. 636.17
Balneo qui utitur taceat & nihil agat. 637.1
Balneum inutile quibus soluta est aluus atque multis ēt affectibus qui præter naturā sunt. 643.1
Balnei tempus congruum. 644.11.645.35
Balneum in febre ardenti cōmodum si a flaua bile sit cōtra si a salsa pituita. 646.6
Balnei aqua multiplici ratione est recuperanda. 638.6
Balnei usus uarius. 639.4
Balneum ubi quis nuper scripsit minime est ex usu. 640.29
Balneo administrato non statim sunt sumenda cibaria. 641.3
Balneum quibus morbis utile 641.23
Balbi a profluuio alui capiuntur. 1067.16
Bilis isatodis. 21.12
Bilis uitellina. 38.17
Bilis species. 43.16
Bilis porracea ubi generetur. 207.15
Bilis acrimonia cocta. 290.26
Biliosæ deiectiones synceræ & spumosæ male & quare. 322.22
Bilis utraq; ex sanguine generatur. 559.16
Bilis est concoctio quæ naturæ opere conficitur. 574.7
Bilis cruda. 554.36
Bilis cocta. 575.1
Bilis sincera & flaua & crassa. 597.12
Bilis cum aquosis humoribus permixta pallida est & liquidissima. ib.10
Bonum quid significet. 852.5
Bonum succum generantia q̄ dicantur. 1034.20
Bubulæ carnes. 729.5
Bulimos quid & eius causa & quomodo differt ab appetitu canino 837.24

CAusæ προηγουμεναι & προκαταρκτικαὶ. 64.20
Calculi cur in pueris generentur. 88.2
Calor puerorum. 103.21
Causæ exitialium signorum quæ in uultu apparent redditur a Galeno. 135.23.& a tergo.
Causæ externæ uires debilitātes. 119.32
Causi symptomata παθογνωμονικὰ & συνδρεύοντα. 654.16
Causi procreantia alia προηγούμενα alia προκαταρχοντα dicuntur. 654.19
Causa prima duplex. 209.2
Causæ q̄ concurrunt ad screationem. ibid.
Capitis dolor. 254.2.1051.19
Causa triplex cur morbi prorogantur. 261.13
Causus lætalis. 307.25
Causæ gignuntur aliquando in corpore quæ uirus & lætalia medicamenta fere sunt. 357.23
κατοκοι appellati. 391.36
Calumniosa apud uulgū ars medendi. 488.17
Caput post balnei administrationem diligenter exsiccandum. 640.8
Causus dictus. 650.10.651.26 661.11
Causus in una corporis parte erysipelas est. 651.32
Causus duobus modis nascitur. 632.3
Causi procatarticæ causæ. 653.1
Causi symptomata. 652.22 653.21
Causo laborantibus mulsa aquosa ad libitum exhibenda 655.21
Causo affecti purgandi lacte asinæ cocto. 656.36
Causo laborantes non sorbeant ante iudicationem. 657.27
Caprinæ carnes. 730.4
Causi iudicationes. 658.4 816.18
Causus citra iudicationem solutus reddit. 659.10
Causus nothus. 661.23
Causus exquisitus. ib.22
Causi nothi signa. 662.29.& infra.
Causi nothi iudicationes potius per abscessuum fiunt. 663.30
Causo laborantes ob iecur. 664.29
Causi radix ubi in iecore fuerit interdum sicca interdum liquida deiiciuntur. 664.30
Causa ob quam quis repente obmutescat est uenarum repletio. 672.30
Calidum immodicum quos morbos creat. 995.11
Carnes sanas habentibus helleborus periculosus. 930.22
Calida & humida sunt apta replere caput. 873.30
Causa ob quam bene ab initio cibati nihil proficiant. 851.20
Causa quæ nihil agit actura tñ est si relinquatur præseruatione tollitur. 839.13
Causa quæ incipit agere acturaq; est & præseruatione & curatione indiget. 830.16
Catalespeos causa. 814.24
Calida corpora & humida facilius resoluūtur q̄ calida & sicca. 788.20

Caloris aduentitii & innati ef fluxus. 787.7
Caloris substantia bene temperata. 787.5
Caloris innati substantia. 786.27
Calidum quid significet. 785.8
Carnes porcelli. 731.9
Casei usus malus. 726.25
Calidum quibus utile. 996.21. 998.26
Cancros occultos melius est non curare. 1071.17
Cancrorum duplex curatio ibidem.24
Celeriter atque uniuersim nutrientia & his contraria. 828.31
Cerebrum aptum natum est plurimam aggregare pituitam. 881.16
Cerebro præciso febris & bilis uomitus subsequitur. 1085.19
Cerebri concussi notæ. 1130. 34
Cerebrum uulneratum sæpe sanatum uidit Galenus. 1056.10
Cholera sicca. 733.6
Chloros quid græcis. 137.14. 192.16
Cholera humida. 731.1
Ciceris uires. 727.14
Ciborum uarietas concoctioni nocentissima & quare. 501.23
Cibi consueti facilius ferunt naturæ etiam si minus boni sint q̃ quibus uti non cõsueuerunt. 562.1
Circa sedem & pudenda putredines sæpe generantur & quare. 901
Clysteribus inter initia morbi uti debemus à purgatione abstinentes. 691.8
Corpus æque calidum & molle bonum. 183.14
Corpora similaria seu primogenea & instrumentaria. 4.31
Contra negantes uim purgatricem inesse pharmacis. 41.27
Colores pernitiosi & horum causæ. 137.10
Concoctio triplex. 175.20
Concoctio crassiorem reddit materiam, quæ concoquitur. 202.27
Coctio est substantiæ nutritiuæ secundum qualitatẽ mutatio. 692.8
Coctioni calidũ perpetuo opitulatur. 621.34
Coctionis uniuersalior significatus. 574.21
Cocta excrementa & cruda quæ dicantur. 574.6
Cosmos cur uniuersum dictũ sit. 247.33
Cosmos & acosmia. ibidem.
Concoctio excretio quædam est. 261.29.689.22
Conuulsio frequenter accidit pueris raro iuuenibus & quare. 271.30.& a tergo.
Coma quid. 288.3
Coma & cataphora synonima sunt. ibidem.12
Comatosus & uigilans à sanguine multo bili permixto interdum efficitur. 290.20
Comatis causæ. 404.12
Cõditiones corporis quatuor sunt. 573.19
Communitas partium bifariã accipitur. 581.20
Cordialgia. 966.29
Consueti facilius labores ferũt q̃ qui non sunt consueti. 685.6
Coxẽdicum dolores a quibus causis. 902.26
Conuulsiones tres numero. 961.30
Conuulsionis causæ. 961.33. 1072.35
Corpus non aliunde eueniat. 851
Conuulsio ex siccitate quare insanabilis 845.17
corpora non pura nutritione deteriora euadunt. 819.8
Corpora quomodo fiant fluida. 819.1
Conuulsio subita ex repletione necessario fit. 745.12
Corpora longo tempore extenuata lente reficere oportet breui uero breuiter. 816.18
Concocta medicanda nõ cruda nisi turgeant. 805.10
Cõcoctio fit in quiete & a motu interrumpitur. 692.10
Concoctionem quæ iuuant. 691.5.& a tergo.
Corporum dispositiones non causæ euidentes morbos faciunt. 743.2
Color humores arguit nisi forte cubent in profundum. 759.20
Concoctio si ante diem tertiũ appareat in septimo morbus iudicatur. 779.20
Coctiões & cruditates quæ indicant. 781.2
Coctiones sanguificationes & nutritiones hieme meliores fiunt. 791.33
Conuulsio a uulnere lethalis sæpe est. 987.8
Conuulsio aut singultus post fluxum sanguinis mala. 987.25
Conuulsio & singultum a purgatione malum. 988.2
Compositio ex calamentho menses tardantes accelerat. 1008.22
Conuulsio quid. 1073.5
Coxẽdicum malum ob tumores. 1092.25
Coxẽdicum malũ quo modo causticis sanãdum. 1093.13
Corruptio non omnis sanare potest neq; de facili. 1194. 27
Crudum humorem coctũ spe ciem puris præ se ferre. 889.13
Crudum humorem quibus signis a pure distinguatur. 910.1
Crassum fit & a calore & a frigore. 206.13
Crassi facilius intereunt q̃ qui graciles sunt & quare. 862.10
Cum eadem die modo calor modo frigus est morbos autumnales expectare oportet. 877.3
Cur ad aeris circumfusi constitutionem mutẽtur humores. 49.30 & a tergo.

Cum ad ægros introducimur quid obſeruandum. 304.8
Cur abſtinentes à cibo ſuſpenſa ſentiunt inteſtina. 560.18
Cum corporis affectio in contrariũ mutatur uictus quoq; mutationẽ ſuſtinent ægri, ſecus in ſanis. 564.34
Cur animalia quæ in latibulis degunt non egent alimento. 1132.20

De mixtione ſtoïcæ & pipateticæ opiniones. 19.18
Deambulatio qualis eſſe debeat ſumpta iudicatione à temporibus anni. 105.14
De tumoribus hypocondriorum. 168.10
Deiectio optima. 188.2.191.13.
Deiectio aquoſa candida aut crocea, aut ſpumãs. 191.16
Deiectio ſpumans quid indicet. 192.26
Deiectio mala. 193.1
Deiectio cruda à glutinoſa facta per cõſumptionem quibus ſignis diſtinguatur ibidem. 30
Deiectiones exitioſæ. 194.4
Deſipientia ex defectu. 1198.24.
Delirium mentio eris inſania eſt. 1198.30
Deſipientiæ cum riſu ſecuriores. 1088.15
Difficultatem urinæ & uena ſecta iuuat 1070.38
Difficultates inteſtinorum lõgæ cum febre & cibi faſtidio male. 1046.23
Deiectiones nigræ & diuerſorum colorum malæ. 933.12
Dentire incipientibus pueris qui morbi exiſtunt. 606.4
De dolore qui in iliis affligit. 195.14.
Deſtillatio pulmone affecto cauſa & ſignum malum. 214.12.
Decretorius dies ſeptimus & quartus 240.4
Decretorii dies ex circuitione, quiq; intercidere dicantur. 241.11.
Decretorii dies nõ integri poſſunt numerrari. 244.2.& in com.
Decretorii intercidẽtes obſeruati apud Hipp. à Gal. 269.26
Deiectiones albicantes & ſpumoſæ malæ. 360.18
Deiectiones bilioſæ quas offenſas inferant. 610.22
Deſtillationes & quæ ad pulmonem & quæ ad inferiores partes ſunt, appellantur. 883.38.
Defluxus cauſæ. 1132.16
Defectio animi in euacuatione qualis eſſe debeat. 807.16
Differentia inter elementum & principium antiquis ignota errandi occaſionem dedit. 18.3
Deductio uocabulorum in quibuſdam clara in quibuſdam uero contra ſe habet. 206.28
Dies decretorii. 239.32
Dies quartus & undecimus cõtemplabiles & indices dicti. 240.9.

Dierum enumeratio in morbis intermittentibus. 247.16
Differentia inter ſignum & indicium. 279.10
Dignotio morborum prænotio, & curatio ordine ſe ſubſequuntur. 478.14
Differẽtia iuter peſtem & epidemiam. 482.27
Diiudicatio multorum remediorum reuera difficilis eſt. 756.35
Difficultatis ſolutio, cur ſi hieme fit minor reſolutio ampliori tamen alimento indigent corpora. 793.29
Dies indices & contemplabiles. 843.1
Difficultates inteſtinorũ à pituita ſalſa in uentrem à capite defluente. 882.21
Difficultatis inteſtinorum excretiones. 939,7.1049.26
Dies ſextus difficulter indicat. 940.21
Difficultas ſpirandi & deliriũ in febre non intermittente. 959.4
Difficultatis urinæ cauſæ. 1122.5
Differentia inter fumum & ſuliginem. 1149.1
Doloris cauſa intemperies. 36.19
Dolor exoluit uires. 181.25
Documentum de urina nunquid per ſe affecta ſit uſtica an aliunde ueniat. 104.30
Dolori aſſiduo in pleuritide ſuccurrendum uel ſecta uena uel alui ſubductione ut res ipſa indicat. 519.5
Dolor quid. 529.30
Doloris cauſæ. 550.1
Dolor ex phlegmone intrinſeco fomentis ſi poteſt, mitigandus. 530.12
Dolorem in pleuritide ad claiculam pertingente interna cubiti uena ſecta & reuellit & citiſſime euacuat à parte affecta. 537.3
Dolor ſi infeſtet inferiores thoracis partes purgatione tollitur. 541.12
Dolor diſtinguit locum affectum. 977.15
Dolores hepatis à quibus cauſis. 1126.3
Dolor quo modo inflammationem excitet. 1019.10
Dolenti partem capitis poſteriorẽ uena frontis inciſa prodeſt. 1038.5
Doloris magnitudo conſideranda. 48.10
Dolores in lateribus ut ſunt contemplandi. 1047.33
Dolor grauans inflãmatis carnibus renum. 1048.12
Doloris & quantitas & qualitas dignoſcenda ibidem. 27
Doloris differentiæ a qualitate & quantitate ſumptæ. 1049.12
Dolores uehementes uel propter fletũ uel propter inflammationem oriuntur
Dolores oculorum uariis remediis ſanantur. 1064.7
Dolores oculorum ab acribus humoribus factis non pleno exiſtente corpore balneo ſanantur. 1010.15

Dolores oculorum uino soluti quales sunt. 1066.30
Dolores circa p̄cordia à multis causis esse possunt. 1074.18
Duo primi septenarii à se inuicem disiungūtur sequens uero copulatur. 240.12
Duobus morbis contrariis copularis illi succurrendū quod magis urget altero tamē nō neglecto. 797.18
Dysenteriæ cruētæ uerno tempore. 48.3
Dysenteriæ à flaua uel atra bile. 637.12
Dysenteria ab atra bile nō differt à cācro ulcerato. 937.19

EA prius semper sunt ingerenda quæ facilius corrumpūtur & subducuntur. 617.15
Ἐκφυσις intestinum. 560.21
Edulia experientia sunt iudicanda. 724.35
Elegans comparatio de herbis pululantibus, quam transfert morbis cognoscēdis nō nisi a perito medico. 286.23
Elementa cur dicta ex quo loco elicias expositionem de elemento traditam ab Arist. quinto meth. 4.15
Elementa penes quantitatem uel penes qualitatem. ibidem 20
Emplastrica medicamēta non imprudenter sunt oculis dolentibus applicanda. 1065.20
Enumeratio eorum quæ exterius accidunt. 261.20
Eousq; euacuandus sanguis in pleuritide donec uel rubidus uel niger appareat & quare. 540.30
Epidimii & pestiferi morbi raro accidunt frequentius uero σποραδικῶς. 483.12
Erui uires. 534.20
Erysipelas factum ex parte ali qua supra modum exsiccata. 651.21
Erysipelas ab exterioribus ad interiora uerti non bonum contra uero bonum. 1059.34
Euacuationes immodicæ non tutæ sicuti & repletiones. 761.2
Euacuationis quantitatē quæ indicant. 761.10
Euacuationes quæ non perficiuntur malæ & quare. 291.14
Euacuatio consueta retenta morbos plethoricos parit. 452.3
Euacuatio qualiscunque sit uasorum inanitio dicitur. 758.30
Euacuatio qualis esse debeat docet secundus apho. 758.36
Euacuatio quanta esse debeat tertius apho. ostendit. 761.6
Eunuchi possunt etiam podagra affici. 1063.6
Eunuchi neque podagra laborant nec calui fiunt. 1062.2
Euacuatio uniuersim facta & subita periculosa. 1061.20
Euacuatio proprie dicta apud Hipp. 827.6
Euacuatio per purgātia pharmaca ualde indigentibus & ex longo interuallo utilis. 890.5.& 10
Euacuatiōes quas medici moliuntur circa ægros. 920.9
Euacuationem præcedunt discretio & concoctio. 935.34. 936.27
Euacuationi quæ fit per hæmorrhoidas non esse assuescendam. 938.19
Exacta cognitio cuiusque rei non habetur iuxta Hipp. & Platonem absq; uniuersi cognitione 7.33.39.6
Exquisitum elementum mente potius cogitatur q̄ reuera sit. 54.6
Exemplum cuiusdam laborātis a causis extrinsecis. 140.11
Ex insomniis prænoscuntur pleuritici. 306.1
Ex faciendorum cognitione non ex causarum inuestigatione sanantur ægri. 485.10
Exemplum duorum pleuritide laborantium, ubi qua ratione sint alendi cognoscitur. 507
Ἔξις. 560.11
Excretio retenta quæ mala afferre soleat. 614.27
Ex urinis coniectandum quid in febribus futurum sit. 695.25
Experimentum cur periculosum. 752.12
Exteriora quæ dicantur. 757.32
Extremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt. 766.27
Ex tribus proximis principiis natura humana conflata est. 792.34
Excretiones quæ fiunt in principio morbi non fiunt naturæ ratione sed casus. 935.30
Ex multa potatione rigor & desipientia malum. 1097.27.

FAcultas alterandi quid in uentriculo quidue in iecore præstet. 175.20.178.32
Fauces exulceratæ. 256.16
Facultas attractoria trahit quod sibi opponitur. 651.15
Facilius est impleri potu q̄ cibis. 819.18
Famem thorexis soluit. 836.10
Fames corpora siccat. 1132.10
Fastidium cibi & deiectiones synceræ in morbo diuturno malum. 1097.10
Febres securissimæ, & quæ aliter se habent. 242.8
Febrium inordinatarum causæ. 264.31

Febris ardens. 320.34
Ferinæ desipientiæ. 325.19
Febris ardens hieme facta pernitiosa. 853.32
Febrem conuulsioni superuenire melius est, q̃ febri conuulsionem. 845.6
Febris quid. 497.23 797.5
Febris forma ignorata neque uictus ratio neque curatio recta instituenda donec cognoscatur. 696.29
Febres in morbis acutis accidẽs est inseparabile. 767.30
Febres typhodes. 772.30
Febres quartanæ æstate breues autumno longæ sunt. 774.6
Febres senibus non similiter sunt acutæ atq; reliquis ætatibus. 790.13
Febres acutæ in senibus periculosæ. 790.22
Febris tertiana exquisita septimis circuitibus iudicatur. 962.24
Febris accidens. 1117.32
Febris morbus. 1118
Febrium differentiæ ibidem. 3
Fex sanguinis tractu temporis fit bilis nigra exquisita. 933.25
Febres intermittentes & non intermittentes. 954.22
Febres cur longæ sint. 955.10
Febribus longis tubercula uel dolores subsequuntur. 915.15
Febres ex inguium tumoribus omnes malæ præter diarias. 960.33
Febris cum sudore si non deficiat longa futura est. 961.8
Febris tertiana ab ardente in quo differat. 962.72
Febres ephemeræ balneo curãtur 1117.20
Febres humidæ quæ dicantur quæ siccæ. 1145.29
Febrium enumeratio 1159.5
Finis medicinæ est curatio reliquæ uero partes sunt propter curationem. 478.15
Finita purgatione sorbitio est exhibenda consueta minor. 545
Fluente aluo sanguinem non detrahes. 746.4
Fœtus mares in dextris fœminæ in sinistris concipiuntur. 1025.55
Fœtus cur emittitur ubi decẽ menses præteriere 1009.25
Fomentorum uires. 530.15
Fomentis si dolor non tollitur corpus totum est euacuãdum ibidem. 28
Fomenta probatissima. 551.8
Fomentorum tria genera. 531.15
Fotu qui periculo omni uacat in internis inflãmationibus est utendum. 532.29
Fomẽtorum primum genus. 533.20. & in fra.
Fomentorum secundum genus. 534.4. 535.13
Fomentorum tertium genus. 535.16
Fomẽtis si nihil proficias nõ ulterius his procedendum. 536.6
Fœtus imbecilli aut firmi signa. 1017.20
Fomentum dolorem emollit & aliam fluxionem parat. 1066.6
Frequentes in pleuriticis permutationes cõuulsionem indicant. 326.11
Frigidi sudores quid indicẽt. 951.19
Frigidum immodicum quos morbos pariat. 995.6
Frigidum quibus partibus inimicum ibidem. 20.997.8
Frigidi utilitates & mala. 1001.5
Frigida admouenda circa partes unde fluit sanguis. 1000.34
Frigiditatis partium extremorum causæ. 1107.1

Glande est utẽdum ubi uirtus est imbecilla. 526.10
Glutinosa sputa non nisi à uehementer abstergẽtibus educuntur. 605.31
Grauedo quid medicis. 213.35
Grauedo, de stillatio, atq; sternutamentum pulmone affecto mala. 214.30
Grauata à multitudine natura nimis q̃ est sæpe euacuat. 460.17
Grauior noxa est ægris quæ ob erratum in uigore continguam ea quæ fit inter initia morbi. 507.31
Gurgulio quando cum periculo secatur & quando tuto. 260.2
Gurgulio subducta prius aluo secandus. 260.20

Habitus bonus simpliciter dictus. 761.17
Habitus athletarum ibidem. 14
Habitus immoderati licet bonisint soluendi tamen sunt. 702.1
Hæmorrhoides atra bile uexatos & renum uitia soluit. 1051.31
Hæmorrhoides diuturnæ nõ sunt ex toto sanandæ. 1052.9
Hæmorrhoides uarices & melancholiam tollunt. 1058.18
Hepate ualde inflammato singultus fiunt. 1024.16
Hectica febris. 224.28
Helleborus niger & peplion summe commendantur ab Hipp. 541.22
Herpetes ulcera. 1078.26
Hieme uictus ratio qualis esse debeat. 98.25
Hippocratis doctrina quã ex arte tradita. 413.17
Hieme qui morbi fiant. 413.17
Hieme qui morbi fiãt. 903.19
Hieme meliores sunt actiones naturæ. 794.30
Hieme omnia in animali bene administrantur. 794.26
Hippocratis sentẽtiæ licet ut semper ueræ enũtientur magna tamẽ ex parte uere reperiuntur. 1092.13
Humo unũ concretione præter quatuor elementa. 19.10
Hominem ex uno cõstare ele-

mento quorumdam sententia. 16.18
Hominem ex uno cõstare humore medicorum quorumdam opinio. 19.30
Hordeaceus potus. 634.17
Homonymia duplex. 660.33
Hordei aqua 713.10
Humores quo modo ex quatuor elementis cõstãt. 33.10
Humoribus consumptis mors accidit. 43.30.44.23
Humores per excellentiam tales. 55.4
Humiditas pueri licet plus iusto sit non tamen exsiccanda. 105.31
Humor tenuis ex inflammatione resudat. 215.17
Humores facientes abscessum interdum retrocedunt. 233.22
Humores calidiores tenuioresq; paratissimi sunt ad excretionẽ frigidi uero & crassi inepti admodũ sunt ideoq; indigent concoctione. 261.25
Humeraria uena partes, quæ in collo sunt & capite magis, & uelocius euacuat & quare. 538.24
Humida substantia innati caloris affinis & quare. 788.12
Humor melancholicus de facili in atram bilem conuerti tur. 1089.37
Humores crassi in pulmone contenti per ea quæ habent moderatam humiditatẽ debent expurgari. 593.33
Humores uiscidi per humida & acida detergi debent ex pulmonibus. 596.1
Humiditas non cibus sed cibi uehiculum. 613.10
Humidum remedium ad reparandas uires optimum. 819.24
Humores quando ad suam naturam reddi possunt exemplo uini ostendit. 827.30
Humores in aliqua parte firmati non sunt mouendi. 919.9
Humectantur corpora plurimo alimento atq; quiete. 919.1
Humor qui generatur in aliqua parte corporis propter alterius usum illius partis dicitur esse superfluitas. 1010.25
Hypercrisis. 241
Hypocondrii distẽtio quæ fit a siccitate, & quæ accidit propter phlegmonẽ distinguenda. 583.21

Διὰ τοῦ uerbum quid ,græcis significet. 98.3
Idiotæ nequeũt distingue re bonos medicos a malis. 483.20.& a tergo.
Iecur afficitur aut p̃ p̃ se aut per consensum. 179.1
Iecur non solum sua ipsius excrementa, sed totius corporis demittit in uentrem. 189.6
Iecinoris infirmitas epithematis roboratur. 359.19
Iecinore uel uentre phlegmone affectis non perpetuo adest

adest febris acuta. 364.8
Ieiunium & longam inediam & paucum cibum significat. 784.14
Ilia saluberrima & quæ contra se habent. 165.8. & a tergo.
Ileos quid. 1076.15
Ileos est passio tenuium intestinorum. ibidem.
Ilei causæ. 1076.20.1099.20
Imbecilli ob dolorem & morbi acumen interdum uacuatione potius q̃ repletione indigent. 588.6
Immoderati excessus uel ægritudines sunt uel generationes ægritudinum. 815.12
In febribus intermittentibus accessiones non dies ad iudicationem sunt obseruandi. 953.17
In febribus circa uentriculum fortis æstus & dolor malum. 966.24
In libro de natura humana multa artis hippocraticæ fũdamenta reperiuntur. 7.15. 8.3.10.2
Inquietatio quid sit. 153.18
Incẽdia siue inflammationes thoracis. ibi.2
Inflammatio & durus & dolẽs tumor appellatur ab Hippo. 168.23
Inflammationes interdum ad putredinem interdũ ad suppurationem finiuntur. 169.18
Insanis corporibus sem p̃ robur conseruare uel augere tentamus. 764.21
In ægris rare robur augere studemus. 764.ibidem.27
In morbis acutis semper uictus tenuis est instituendus & quare. ibidem.30
In principio morbi impossibile est naturã bene euacuare. 935.33
In siccitatibus febres acutæ sunt & alii morbi persimiles. 575.24
Inchoantibus morbus mouendum si uidetur. 840.10
Indicium uelocis nutritionis. 829.4
In profluuiis alui mutationes excrementorum iuuant nisi ad praua mutatio fiat. 821.16
In uehementibus doloribus sanguis mittendus ad animi defectionem si mitti expediat. 808.10
In accessionibus tria considerãda. 773.12
In accessionibus a cibo abstinere oportet. 770.30
In quarta medicamentũ exhibet Gal. 716.10
In ægris uocis priuatio a quibus causis fieri possit. 673.16
Initium suppurationis quibus signis cognoscatur. 122.10. & 31.223.8
In morbis acutis urinarum interceptiones ex refrigeratione pessimæ. 356.4
In hypocondriis plures sunt sitæ partes & quare. 363.36
In augurandi arte celebres. 490.29
In uictus ratione instituenda

medium ſemper eligendum iuxta Hipp. ſententiam. 509.14
In acutis morbis tutius eſt uenam ſecare q̃ purganti pharmaco uti. 543.10
Interſtinguendum a prudenti medico nũquid æger præ dolore deficiat an ob multã factam euacuationem. 582.16
In morbi uigore aliquãdo nutrire cogimur. 770.5
ἡ τροφ. 855.30
Iudicatoria ſigna ſi in diebus iudicatoriis fiant bona. 949.25
Iudicatio unde dicta. 239.15
Iudicatio per ſomnum profundum obſeruata aliquando in pueris. 239.28
Iudicatoria nõ iudicantia mala. 373.32
Iudicium eſſe difficile argumento probatur. 752.20
Iudicationis perfectæ conditiones. 804.2
Iudicatio quid 820.33
Iudicatio quo modo fiat. 820.35
Iuuenum ætas quinta ſeptima na terminatur. 914.3

καιρὸς quid Hipp. 619.18

LAtus ſuppuratum quibus ſignis cognoſcitur. 223.12
Lac aſinæ leuiter purgat. 734.30
Laſſitudines ſpontaneæ narrant morbos. 815.17
Laſſitudinum triplex genus. 815.16
Labores cibum antecedant. 823.11
Lauitates inteſtinorum a quibus cauſis fiant. 902.15. 915.23.927.32.1042.7
Lapis propria paſſio puerorum qui proximi ſunt pubertati. 908.31
Læuitatis inteſtinorum definitio. 927.31.1041.14
Lac in quibuſdam aceſcit in quibuſdam euaporat. 1033.1
Lac duplicem habet alterationem. 1032.27
Lac quibus dandum & quibus non. 1032.19
Lachrimæ ſpontaneæ & non ſpontaneæ. 959.31
Lac neque grauidæ neque illi quæ pepererit ſuperueniens ſignificat illis menſes deficiſſe. 1010.18
Lænitates inteſtinorũ ex Eraſiſtrato. 1044.1
Lentoris cauſæ. 193.24
Lethargi cauſæ. 289.15
Legumina omnia flatuoſa. 727.1
Lentis facultas. 727.31
Lentores circa dentes in febribus eas fieri fortes oſtẽdunt. 960.11
Letale alui profluuium in tabe. 994.21
Leucophlegmatia. 1141.20
Lethargicæ paſſionis cauſa. 814.20
Liber de elementis citatus a Galeno. 182.15
Liber de elementis non plene omnia continet theoremata Hippo. ibidem. 19
Literæ dictæ elementa & quare. 41.& infra.
Liber de natura humana ſpurius falſo creditus. 6.1
Lingua quæ ſit immodicæ ſic citatis nota. 295.23
Liber de morbis falſo Hippo. aſcribitur. 569.10
Lini ſemen ex aqua aut oleo hypocondrio inflãmato applicandum. 693.15
Lippitudines ſiccæ. 883.6
Logica ſpeculatio quæ dicatur. 485.5
Loca conferentia euacuationi. 804.23
Loci & ſecundæ uteri a quibuſdam dicuntur. 1007.15
Locus ex Platone de ſterilitate & fecunditate ab obſtetricibus dignoſcenda. 1029.27
Longitudo morbi ex quibus deprehenditur. 1133.28
Lumbrici elminthes. 588.35
Lumbrici rotundi & lati. 909.22

MAteriam primam ens & omne appellat Meliſſus. 17.28
Manus & pedes frigidi calidis exiſtentibus uiſceribus malum. 182.15
μανίας quid & quid φρενῖτις. 287.13
Malorum reliquiæ recidiuas facere conſueuerunt. 820.5
Menonii libri de medica congregatione ariſtoteli falſo aſcripti. 15.24
Methodus indagandæ alicuius rei natura a Platone deſcripta & Hipp. uſurpata. 59.10 & a tergo.
Medicum uti debere prouidẽtia. 122.10.& quare. Gal. in com.
Melius ſi opus eſt inter initia ſorbitiões exhibere quàm in ſequentibus diebus. 546.12
Medicamento purgante morborum inter initia non tutoutimur. 671.34.& a tergo.
Medicũ cauſas manifeſtas conſiderat. 697.7
Medicus quæ obſeruare debet. 698.11
Medicinis purgantibus morborum inter initia non temere uti debemus. 808.36
Menſis appellatus ab antiquis. 244.16
Melancholica ecſtaſis. 315.26
Menſura mittendi ſanguinem in pleuritide. 541.3
Menſura medicamenti ea eſt tuta quæ in pluribus experta eſt mediocriter euacuare. 543.20

Medicus perspicaci debet esse sensu. 367.2
Melicratum crassos humores pertusses elicit. 596.3
Melicratum quibus sit ex usu & quibus noceat. 603.32
Melle delectantur uiscera. 606.36
Melicratū ex hissopo in morbis acutis propinat Gal. ut tenaces humores attenuet. 809.36
Menstrua non eunt multis de causis unde etiam uarius curandi modus. 1004.9
Menstrua uel plura uel pauciora morbos pariunt. 1022.14
Menstruorum parcitas unde fiat. 1023.10
Menstrua copiosiora q̄ oportet à quibus causis pendeant. 1023.1
Menses cohibentur cucurbitula q̄ maxima ad mammas admota. 1016.29
Mēses decolores à quibus causis. 1008.30
Menses decolores purgatione sanantur. ibidem.28
Medicamenta menstrua prouocantia. ibidem.14
Morbi definitio. 64.1
Morbi causæ. 67.1
Morbi publicæ crassantis causæ. ibidem.30
Morbi qui faciles quiue difficiles solutu sint sumpta iudicatione à partibus affectis. 69.33
Morbo consistente uis animalis est imbecillior reliquæ uero ualidiores. 850.8
Morbus regius ante septimū cum rigore factus bonū contra uero malum. 718.32
Morbi in quibus est mittendus sanguis ad animi usq; defectum. 807.31
Morbi ab euacuatione facti & qui fiunt. 838.22
Morbi continui acuties non ꝑtransit quatuordecim dies. 842.8.& 17.
Morbi uigor quantum ad casus spectat summum tempus est. 767.15
Morbi à causa manifesta tuti. 90.26
Morbi calidiores per excretiouem iudicantur. 262.2
Morbi regii causæ. 314.12
Morbi πορκ'δες dicti. 482.22
Morbi endimii. ibid.34.4
Morbi endimii in libro de aqs aere describuntur ab Hippo. 483.16
Morbi πορα'δες tractantur in libro de uictus ratione. 483.14
Morbi epidimici in epidimiis docentur ab Hipp. 483.15
Morbi sicci qui dicantur, & quam uictus rationem requirunt. 506.10
Morborum catalogus qui primum sanguinis ægent missione deinde purganti pharmaco. 669.7
Morbi qui fiunt ex repletione inanitio sanat secus si facti sint non amplius ipsa existēte. 838.1
Morbi acuti qui habēt motus inæquales. 842.18

Morbus crudissimus. 779.15
Mores uarii consequentes diuersos humores. 55.33
Morbi qui inueterascūt & per mensium circuitus fiunt contrario anni tempore terminantur. 57.16
Morbi comitiales. 990.2
Morbi peracuti primam statim accessionem uehementissimam habent & reliquas per diem tertium. 950.32
Morbi seuum ad mortem usq; ipsos committantur. 857.20. 858.1
Morbi comitiales mutatione ætatis temporum locorū & uictuum soluuntur. 863.1
Morbi comitialis & apoplexiæ eadem causa. 863.9
Morbi qui post pubertatē aut menstruorum eruptionē nō finiuntur ad longum tēpus perdurant 912.8
Morbus qui in diebus imparibus inuadit breuior est q̄ qui in paribus habet accessiones. 951.1
Musculi crotaphitæ. 136.21
Mundi descriptio 247.36
Multæ quæstiones ambiguæ in philosophia. 485.20
Mulsa q̄ feliciter in peracutis morbis exhibetur modo id in tempore fiat. 612.3
Mulsa cruda & cocta. 614.1
Mulsa exploratur num grauida sit mulier. 1012.19
Mingendi difficultas. 1121.36
Natura quid significet. 2.5
Natura humores aggreditur ut malos à bonis separet. 689.20
Natura indiget externo auxilio in concoquendis cibis & quale illud esse debeat. 692.13
Natura animalium iuxta Hippo. est ipsum calidum. 794.10
Naturæ motum quando sequi conueniat & quando repellere. 805.5
Natura post concoctiones humores discernit atque expellit. 805.30
Natura apti ad tabem. 886.7
Neruorum contractionis causæ. 958.30
Nomen frumenti latius acceptum. 496.26
Non exhibendam ptisanā nisi prius aluum euacues. 413.32
Nubecula in urina proprie dicta. 197.28
Nubecula in urina quæ dicatur ab Hippo. 100.13
Nullus est liber Hippo. de peste utpote de qua in epidimiis simul egit. 483.17
Nullus uehemens motus cum abstinentia imperandus. 823.14
Nullam plenitudinem dissoluit hiemens. 886.15
Nuper natis puerulis qui morbi accidunt. 904.20

OBscuræ enuntiationes nihil docent. 316.22
Obseruanda sunt omnia quæ in ægro reperiuntur, singula tamen seorsum discutienda. 398.10
Ociosi duplici plenitudine laborant. 65.30
Oedema quid Hipp. quidue recentioribus. 168.17
Osse ægrotãte caro liuida malum. 1095.35
Oleum propinatum acria lenit uentremq; subducit. 734.18
Omne nimium naturæ inimicum. 867.3
Omnes morbi diuturni frigidi sunt. 857.13
Omnes indicationes nutriendi ad duas reducuntur. 800.30
Omissa in libro de elementis in commentario de natura humana referuntur. 2.1
Omne uinũ uires roborat. 596
Omnis immodica intẽderies operationes exoluit. 834.33
Omnes morbi in omnibus tẽporibus fiunt. 897.30
Omnes prauas excretiones si bene exeunt ad bonum terminari, si male ad malum. 956.35
Omnium excretionũ causæ. 1041.35
Optimus artifex qui dicatur. 493.15
Orthopnœa affectis indigent sanguinis missione nisi pus collectum fuerit 671.16
Orthopnœa sicca. 671.16
Orthopnœa uarios sequitur morbos. 388.21
Ore amaro existente uomere confert & uentrem subluere. 656.26
Ordo temporum se subinde consequentium. 889.5
Oximeli in affectibus pulmonis cur acrius esse debeat. 694.23
Oximeli qua hora porrigendum. 626.13
Oximeli flatum discutit & uiri nas mouet & intestina abradit. 623.7.& 20
Oximelis mediocris commoda. 622.20
Oximeli mediocre uiscera sua uiter expurgat. 623
Oximeli acre quando exhibẽdum 621.10
Oximeli acre cur tepidũ quando exhibendum. 621.30
Oximelis acris usus in crudis morbis noxius. 621.1
Oximeli uocatum. 618.19
Oximeli tusses irritat. 605.20
Oximel affectis neruis & utero noxium. 511.11
Oximel hieme calidum æstate frigidum in inflammationibus intrinsecis propinandum. 504.23.& 506.1
Oximel ad uiscosorum humorum absterſionem commode exhibetur. 596.5

PArenchyma. 5.12
Partes inanæ dictæ. 178.21
Paraplegia. 439.12.468.30
παρ' ἔρρον ἔρρον ποιεῖσθαι. 478.24
Panis chondrus & ptisana in acutis morbis pro alimento exhibentur. 496.27
Papaueris succus mandragoræ atq; hyosciami & substantia & uiribus nobis sunt aduersa. 544.18
Panis syncomistos seu autopyros confusaneus scilicet dictus. 563.34.& a tergo.
Particulare tempus cibi administrandi. 686.4
Partis imbecillitas non est sufficiens causa ad generãdam passionem. 1062.15
Pedes nigrescunt duplici de causa. 186.15
Pestis epidemia pernitiosa. 482.32
Perturbatio uentriculi ex uariis cibis oritur. 501.1
Permutatio uictus qualis debet esse in ægris. 588.20
Perspicuitas orationis præcipua uirtus. 663.24
Peripneumoniæ eclegmata. 718.2
Per tumorem & inflationem idem prisci intelligebant. 945.32
Philosophorum de natura libri. 3.27
φρενῖτις καὶ φρενιτίζειν. 287.9. &.14
Phrenitidis causæ. 289.13
Phrenitis lethargo copulata. ibidem.20
Phrenitici βραχυπνοια. 319.11
Phrenitidis signa. 297.3
Phrenitidis signa methodo scrutantur. 300.33
Phrenitica ualde trementia. 309.9
Phreniticis alba deiectio mala. 313.25
Phagadenæ ulcera. 1078.28
Phtoa siue phtisis. 1102.9
Pituita puri similis quandoq; apparet. 38.27
Pituita hieme redundat. 46.22
Pituita in prima ciborum trãsmutatione necessarium habet ortum 56.1
Pituita excrementum semicocti alimenti. 146.20
Pisces saxatiles in declinatione pleuritidis conceduntur ubi mulsam & ptisanam fastidierit æger. 511.6
Picrocholi difficilius ferunt abstinentiam q̃ pituitosi. 357.8.558.33
Pituita ex quibus generetur. 559.14
Pituita liuida. 1168.12
Pituita quæ a capite in pulmones defluxit fit puri similis. 1109.15

Platonis uerba de naturæ cuiusque inquisitione ex phædro.3.1.7.33.59.10
Plenitudo duplex. 64.10
Plenitudo est causa præcedēs. ibidem.3
Pleuriticus leditur si ante euacuationē uinum mulsam & oximeli assumat. 500.25
Platonis uerba ex philebo. 1151.16
Plethoria non semper sanguinis missione curanda. 667.31
Pleuriticorū curatio. 713.20. 715.16
Plurimæ passiões puerulis iudicantur. 911.6
Podagricorū inflammatio nō excedit spacium quadraginta dierum nisi error interueniat. 1084.27
Podagricorum nerui & chordæ dolent non etiam inflammantur, sed ceteræ partes pedis. 1084.15
Podagra corripiuntur quibus crura natura sunt imbecilla. 1062.11
Podagricis quæ nocēt quæue prosunt. ibidem.20
Podagra hæreditarius morbus. 1063.13
Podagricorum fluxio quæ loca prius occupet. 1084.9
Prandere non assuetos si prandant læduntur. 550.30
Prædicturo morbos peculiariter uagantes aeris conditio est spectanda. 277.20
Pro ætate tempore & habitu corporis est uictus ratio instituenda. 105.6
Prædictionis prima utilitas. 122.32
Prædictionis secunda utilitas. 123.27
Prædictionis tertia utilitas. 124.5
Prouidentia quid quidue prouidere. 125.10
Prouidentiæ signa q̄ petuntur à uultu ægri. 133.4. & infra.
Principii nomen trifariam acceptum. 144.5.290.1
Præceptum Hippo. ꝙ omnia signa in agro considerētur. 256.24
Præceptum Gale. studendum esse in primis officiis artis medicinalis deinde ad reliqua transeundum. 281.18
Præsentio & prædictio ut inter se distinguātur & in quo conueniant contra Herophilum. 285.10 & 25
Principii significata. 777.9
Prima secunda & tertia septimana & quæ deinceps subsequuntnr quo modo copulantur. 843.10
Præceptum in curatione obseruandum. 1006.10
Ptisana quando exhibenda. 502.26
Ptisana quo modo exhibenda. 504.18
Ptisanæ mensura. 505.13
Ptisana statim sorbēda assumpto pharmaco & quare. 544.7
Ptisanæ uires. 495.7
Ptisana & tactu & facultate læuis. 498.16

Ptisana quibus utilis quibus ve cremor. 503.13
Puerorum uires quæ firmæ quæue infirmæ habentur. 272.11
Purulenti qui supersunt quiue pereunt. 227.20
Purulenti. 217.31
Pus in thoracis partibus contentum quibus signis cognoscatur tardius ne an citius extiturus sit. 226.20
Purulenti parum expuunt licet infesta illis sit tussis. 225.10
Purulentis cur genæ rubeant & ungues curuantur. 225.17
Pustulæ quo modo generentur. 226.8
Purgantium medicamentorū natura hominibus contraria & lethalis. 544.15
Puris coctio quæ dicatur. 574.14
Purgationis tempus idoneū. 685.30.690.30
Pulsus in capite caliditatis signa sunt. 689.12
Purgare cur nō expediat quibus cruda est materia ratio epilogistica. 691.30
Purgationes coctionibus aduersantur causa redditur analogistica. 692.26
Puerorum temperatura. 788.1
Puer est calidior ætate uigente calore natiuo licet uincatur caliditate aduentitia. 788.14
Puer podagra non laborat ante usum uenereorū. 1063.30
Purgatio uitiosis humoribus debetur. 1082.6. & 17
Purgatione utentes nonnulli statim nonnulli postea sitiūt & quare. 932.10
Pus ex sanguine ortum habet. 364.11
Puris generatio est à duobus caloribus. ibidem.18
Pus dum conficitur quare febres & dolores augentur. 864.20
Purgandi qui sunt superius quiue inferius. 924.30.925.6.28
Purgatio quiete sistitur sicuti motu excitatur. 930.8
Pueros copiosiori alimēto indigere q̄ reliquas ætates ratione probatur. 789.7
Pubertas pertingit uigesimū quintum annum. 990.27
πωροπιΐα. 35.15

Quies quo modo humectare dicatur. 929.25
Quid contineat primus liber de natura humana. 6.10
Quid in secūdo libro agatur. ibidem.13
Quod si homo esset unū neutiquam doleret ratio Hippo. 21.18
Quid dicatur secundum legē quidue Secundum naturam. 25.27
Quare quædam mulieres nō concipiunt. 28.13
Quatuor elemēta esse omniū naturam iuxta Hipp. 32.16
Quod quatuor humores sint

hominis elementa Hippo. 40.18
Quod homo non constet ex solo sanguine. 42.19
Quare ex uno constare humore nonnulli homines existimarunt. 63.35
Quod pituita non solum in uentriculo sed etiam in iecore & uenis generetur patet ex Galeno. 51.22
Quod in hieme plurima gignatur pituita licet uentres natura tunc temporis calidissimi sint. 51.16
Quadratum corpus. 102.13
Qua arte distinguēdum nunquid affectio sit a causa exteriori aut interiori. 143.16
Quo modo oporteat cubare ægrum. 150.11
Quod cubare in uentrem malum sit. 154.24
Quam malum sit stridere dentibus. 155.21
Quare natiuus calor non permeat ad extremas partes. 182.25
Quatenus studendum nominibus. 207.10
Quibus signis cognoscantur purulenti. 224.5
Quæ obseruanda ut præscia-mus quonam uertatur morbus. 245.26. & a tergo.
Quartana febris ex fece sanguinis constat. 264.18
Quæ recte scribantur. 299.13
Qui sunt inepti ad purgationes. 809.16
Qui sit Scopus artis medicæ. 477.5
Quare uulgus nescíat distinguere bonos medicos a malis, & cur sæpe hallucinetur. 484.16
Quare noua excogitent nonnulli medici omissis ueterū præceptis. 493.33
Quod concoqui potest concoquendum quod uero exustum est euacuandum. 498.1
Quare medicaminibus admisceantur aromata. 542.11
Quonam pacto absque sorbitiōe regere ægros oporteat. 545.34
Quæ eueniant iis qui bis cibum capere consueuerunt et semel comedunt. 554.5
Qui cænam omittit cauere debet ne in prādio copiosiora assumat. 556.24
Qua in re bonus medicus a minus bono distinguitur. 566.28
Quibus ptisana aut potus solus aut cremor ptisanæ sint exhibenda. 644.19
Quies potior iactatione in febribus. 695.1
Quatenus sunt explorādi animi hominum aliquam artē percepturi opinio Platonis. 754.20
Quæ recte a natura fiūt etiam medicus debet imitari. 759.1
Quæ superfluunt in corpore euacuanda sunt. 759.11
Quanto ualidior est natiuus calor tanto insensibilis magis est diflatio. 794.16
Quæ iudicantur aut iudicata sunt integre neque mouere neque nouare aliquid oportet. 802.34
Que non integre iudicantur supplere non conuenit. 803.10. & 33
Quæ non iudicantur ea oportet ducere. 804.19
Quæstio de calore natiuo. 1144.36

RAtio qua astruitur ex solo sanguine gigni fœtus. 43.4
Ratio instituendi uictus quantitatem. 896.34
Raro turgēt humores in principiis. 810.3. 865.11
Raucedines & grauedines in ualde senibus coctionem nō admittunt. 857.27
Ratio instituendi modum cibandi. 898.27
Ratio uictus unde sumenda. 799.10
Ratio uictus a temporibus anni sumpta qualis esse debeat. 800.2
Recidiua quando expetatur. 260.28
Repletio causa continens nō est. 63.33
Replēda qua ratione sunt corpora exinanita. 65.9
Respiratio & perspiratio. 100.13
Refrigerationes in rigore quæ non recalescunt malæ. 372.27
Remedia licet longo tempore a uiro erudito sint reperienda inuenta tamen certiora sunt ꝙ plurimæ philosophorum sententiæ. 485.30
Repletio duplex. 824.5
Repentinæ mortis prænotio unde petenda. 858.12
Regius morbus ante septimū malus. 964.35
Regii morbi causæ. 965.4. 966.27
Regius morbus in septimo uel nono, uel quartodecimo die superueniens bonum nī si dextrum ilium obdurauerit. 966.3
Refrigerata non sunt calefacienda si sanguis fluat aut fluxurus est. 996.29
Renum & uesicæ uitia in senioribus difficulter sanātur. 1049.35
Rigor qui aliquam antecedat euacuationem bonus qui uero eam subsequitur non bonus. 425.27
Rigor non deficiente febre & in corpore debili letale est. 956.2
Rigoris causa. 962.14. 965.25
Rigore a febre ardente habito si superueniat solutio. 962.11
Rigores ex lumbis incipiunt & quare. 1038.20
Ructus acidus in læuitatibus intestinorum qui prius non erat bonum. 1041.10
Ructus acidi causæ. 1043.8

SAnguis bifariam dictus. 42.26

Sanguineorum animaliū quatuor humores sunt elementa. 34.22
Sanguinis missio quando conuenit & quando est euitanda. 1121.15
Sanitas & ægritudo ex duplici humorum temperamento conflatur. 35.18
Sanguis humidus uel crassus supra modum. 38.25
Sanguis naturæ familiarissimus. 45.10
Sanguis uere accrescit & pituita adhuc pollet. 47.14
Sanguinis fluor utplurimum in prima septimana contingit. 170.20
Sanguineæ & pituitosæ ægrotationes minus male quam quæ ex flaua bile uel atra cōstant. 211.15
Sanguis à supnis partibus qualiscunq; fuerit malum. 937.28
Sanguis de marisicis profusus melancholicas passiones sanat. 938.20
Sanguis si sponte & subito mingatur a renibus uenula rupta significatur. 981.10
Sanguis si a muliere euomatur sistitur si menstrua superuenerint. 1006.4
Sanguini fluori interdum refrigerantia nocent. 460.17
Sāguis a propria cauitate emissus impossibile est ut sanguis permaneat. 1057.33
Sāguinis uaria mutatio ubi locum naturalem mutauit. 1058.10
Sanguis ex uigiliis redditur biliosior. 1103.30
Screatio bona. 208.11
Screationis difficilis causæ. ibidem. 21. 209.13
Screatio permixta uel non p̄mixta bili. 210.1. & 16
Sanguis è naribus defluens utriusq; manus secta uena sistitur. 460 25
Screatio spumans & eius causa. 212.9
Screatio mala quæ non sedat dolorem. 216.27
Screatio biliosa in suppuratis mala. 218.10
Scopus cibandi communis & sanis & languentibus. 508.28
Sermo de elementis debet esse medicinæ ex usu. 10.20. & 30. 12.30
Semina ut generent indigent externo humore atq; calore. 26.24
Sensu & demonstratione controuersiæ in artibus iudicantur. 55.1
Sedimentum paucum morbū biliosum esse significat. 107.18
Senes respectu diuersorum & humidi & sicci dicuntur. 103.34
Sentio & præsentio. 127.31
Sedimentum candidum leue & æquale bonum. 196.1
Sedimentum copiosum crudi tatem arguit. 197.15
Similarium partiū natura cognoscenda per indicationes morbos curaturo. 5.14

Signa exitialia quæ petuntur ab oculis. 144.26
Signa exitialia ab ulceribus sumpta. 157.22
Signa a respiratione petita. ibidem.
Signa a uirtutibus animalibus accepta. 883.29
Signa bonæ & prauæ deiectionis. 189.20. & 30
Signa futuri abscessus. 228.22. 230.27
Simplex nomen quid significet. 243.14
Signa futuræ uomitionis. 267.15
Signa fluoris sanguinis è narī bus. 270.25
Signa ὁμοιομερῶν. 292.1
Signa diuersi generis ibidem. 27
Signa pathognomonica. 303.23
Signa omnia obseruanda in prædictionibus rite fidis se cus in cognoscendis morbis. 303.26
Siccitates uigiliæ causa sicuti humiditas contraria facit. 305.10
Signa sanguinis redundantis in superioribus thoracis partibus qui phlegmonem excitet. 540.15
Sinceræ deiectiones. 1097.19. 1105.21
Si omentum excidat necessario putrescit. 1091.28
Singultus quid. 1073.17
Singultus quando fit. 1073.25
Si mulier non concipit quibus explorandum num sua causa sterilis sit. 1024.22
Si profundæ partes urantur in febribus continuis cute refrigerata letale. 958.13
Si sanguinem aut pus mingatur renum uel uesicæ inflammationem significat. 977.20
Signa ubi diruptum est uas aliquod & ubi est apertum. 981.14
Siti immodicæ a quacunque causa proueniat etiam noctu est succurrendum. 1003.26
Signum mulierem masculum uel feminam concepisse. 1012.35
Somnum ex natura & consuetudine. 187.2
Somnus longus quandoque soluit morbum. 371.10
Sophistæ quare ænigmatica affectent. 396.1
Somnus & uigilia quid possunt efficere. 590.25
Somni in febribus semper nocerent eo p̄ materia ad uiscera fluit nisi coctionis utilitas adesset. 908.12
Somnus in principio accessionum nocet. 811.22
Sōnus in declinatione aut in fine augmenti utilis 812.17
Somnus & uigiliæ quo modo fiant. 813.27
Somnns & uigiliæ immoderatæ utraq; mala. 814.7
Somnus puerulis secūdum naturam. 905.5
Sporadici morbi & epidemici. 6.15
Spirationes dolente uel inflāmato thorace quales. 160.35

Spiratio facilis in acutis morbis spem magnam affert. ibidem. 14
Spumæ causæ. 212.10
Spumosa excrementa a quibus causis. 1108.28
Spumæ causæ duæ. 860.24
Sputũ tabidorũ si male oleat & capilli decidant letale. 992.34
Spumosus sanguis è pulmone. 993.24
Sphacelare ossa idẽ est quod corrumpere. 1123.3
Sphacelos gãgræna idẽ sunt. ibidem. 24
Stilatio è naribus comatosis & phreniticis pernitiosa & quare. 286.4.291.10
Struma est adenum pasio. 910.10
Strangulatio quid. 945.5
Strangulationis causæ. 945.13
Stillicidii urinæ causæ. 1023. 30.1.122.3. uel stupor quod. 988.35
Sternutatio singultum ex repletione soluit. 1052.34
Suffusio in qua oculi parte eueniat. 139.10
Sudor optimus qualis. 163.11
Sudor pessimus. ibidem
Suppuratio tumorum ilii quæ bona & quæ mala sit. 173.20
Sudor in purulentis quare accidat. 225.8
Surditatis causæ. 333.14
Sudor multus in acutis morbis malus. 363.24
Sudor non iudicatorius quid indicet. 411.1
Sudor qui contingit in somno. 432.14
Sudor in capite uel thorace malum. 446.34
Surditas repentina a bile potest fieri. 939.31
Sudor qua parte corporis est ibi morbum significat. 952.27
Sudor multus ex somno factus quid indicet. 953.20
Suffitus aromatum muliebria ducit licet non semper his uti conueniat. 1004.2
Sudor calidus uel frigidus in toto morbi tempore quid significet. 954.14
Surditas sanguine aut alui fluore tollitur. 964.2
Suppurati ex morbo laterali. 991.20
Suppurati proprie dicti quo modo adurendi. 1061.1. 1119.20 20
Suppuratio duobus de causis non innotescit. 1074 30
Superãte natura omnia æqualiter unita sunt. 1111.24
Superfluæ corporis humiditates necessarium est euacuare. 1134
Sternutamenti causæ. 1124.1
Stillicidium urinæ. 1121.30. 1122.3
Stupefacientia nõ temere oculis dolentibus admouenda. 1063.18
Symptomata manifesta quæ uires deiiciunt. 580.19
Symptomata quæ ob paruam uictus rationem solent consequi. 572.34
Symptomata quæ inter initia morbi contingunt letalia. 578.15
συκωτα'. 607.30

TAbidi ex morbo laterali. 994.27
Tẽperatura frigida & humida æstate q̃ hieme melius se habet contra calida & sicca. 871.26
Temporũ mutationes pariũt morbos & insignes in ipsis temporibus alterationes. 869.10
Terram omnium fuisse matrẽ & alumnam iuxta Hesiodũ. 39.27
Tenesmi causæ quæ utplurimum accidit. 337.24
Temperaturæ quæ iuuantur a similibus & quæ a contrariis. 872.22
Temperatura calida & humida modice ex temporũ mutationibus iuuatur & leditur. 821.32
πε'κμαρσις & τεκμη'ριον. 477 14
Tempus opportunum alendi ægros. 527.30
Tempora quo ad symptomata & concoctionem morbi in affectibus thoracis concurrunt. 645.14.30
Tempora quo ad cõcoctionẽ & symptomata esse diuersa apparet. 645.22
Temperamenti latitudo. 1141.17
Thessalus Hippocratis filius. 7.22
Theophrastus edidit librum de naturalium philosophorum opinionibus. 15.18
Thorax uenter superior ab antiquis dictus. 739.8
Theorema præcipiens ea curanda quæ magis urgent illi anteponendũ quod dicit cõtrariorum contraria esse remedia. 996.36
Totius corporis temperaturas cõsequitur mentis læsio. 336.33
Tonsillæ. 907.19
Tres morborum differentiæ a temporibus sumptæ. 162.25
Trãsfusiones humorum quo modo fiant. 328.17
Tres medicinæ partes. 480.21
Tragus appellatus ex zea fit. 496.35
Transitus ab uno ad alterum debet fieri paulatim. 867.4
Transire ad aliud præter rationem etiam si nõ succedat quod secũdum rationem fit non debemus & quare. 867.24.& in com.
Tumor subter umbilicum raro in pus conuertitur. 172.24
Tumores a quibusdam importune secti ut qui crederent pus esse collectum, cum tamen spiritus uel trombi, uel humiditas uiscosa inibi esset 620.10
Turgere quid. 805.16.919.16. 909.1
Tumorum differentia triplex. 945.34
Tusses siccæ. 960.23

Tumores omnes præter natu
ram οἰδήματα Hipp. dicun
tur. 1035.15
Tumores duri uel molles.
1037.30
Tuberculum quid. 1198.8
Typhomania quid. 289.30
Typhodes & helodes febres
in summo humidæ.

VAriæ dispositiões sem
per diuturniores.
933.15
Vbi dolor uexat oximeli exhi
bendum. 304.23
Vbi æger sufficere potest mi
nus adiectioni intendendum
quin potius subtrahere sæpe
numero omnia expedit.
568.8
Vbi fames laborandum est.
822.27
Vbi cibus præter naturã pus
ingestus est, hic morbum fa
cit. 823.30
Vbi fauces ægrotant, aut tuber
cula nascuntur excretiones
sunt inspiciendæ, & quare.
821.25
Vehmens morbus a qualitate
disuarietur. 666.28
Velocissimæ mortes & tardis
simæ. 581.15
Vena quæuis secta corpus uni
uersum euacuat licet non ita
celeriter, neque eodem mo
do. 540.6
Vena si non appareat quæ es
set secanda, ea incidenda est,
quæ sit conspicua. 539.26
Vena caua iecoraria dicta.
76.30
Vena axillaris thoracis partes
præsentem euacuat, idq; fa
cit cito. 538.26
Vena interna cubiti commo
de secatur, ubi phlegmone
facta sit, & occupet per eos
thoracis præsertim inibi re
dundante sanguine 540.10
Vena interna in acutissimis
morbis secanda, utq; a parti
bus principalibus euacuet.
673.27. 675.22. 677.34
Venarum anathome ab incer
to authore falso descripta.
74.3. & infra
Venæ sectio & purgatio uere
ineunda si futuro morbo re
sistere uelimus. 1081.33
Venæ sectio commune auxi
lium dispositionum ii ex ple
nitudine fiunt. 1082.16
Vẽtriculus paruus & magnus.
560.14
Venter superior et inferior ua
rie acceptus a ueteribus.
739.8
Ver habita diuersorum ratio
ne modo calidum & humi
dum, modo temperatum di
citur. 47.27
Ver saluberrimum & minime
exitiale. 876.35
Verbum statim terminũ qua
tuor dierum significat apud
Hippocratem. 777.19
Verbum παράμπαν usurpatum
ab Hippocrate, quem habeat
sensum. 11.26
Verba lyia aduersus Platonẽ.
1160.33
Vere moderata seruanda est
diæta. 99.22

Vere qualis debeat esse uictus
ratio priuatorum. 100.17
Vehemens morbus a qualita
te desumitur. 666.28
Verno tẽpore qui morbi fiãt.
898.4
Vertigo quid. 531.8
Vel propter uirium imbecilli
tatem uel propter adauctam
necessitatem omnes muscu
li thoracis mouẽtur. 859.27
Vertigo morbus commitialis
& apoplexia morbi inter se
affines. 859.27
Victus nomine modo cibus &
potus modo sex res non na
turales significantur. 67.4
Victus ratio in morbis popula
riter inuadentibus qualis op
tima. 68.22
Victus ratio quæ in æstate ser
uanda. 101.71
Victus ratio ab habitu corpo
ris sumpta. ibidem. 32
Victus ratio ab ætate accepta.
102.34
Victus ratio senibus congrua.
104.13
Victus ratio in infantibus con
grua. 114.22
Victus ratio mulieribus opti
ma. 115.13
Vires ex triplici pendent ori
gine 884.7
Vigilia non minus exoluit uir
tutem q̃ sensibiles euacuatio
nes 308.31
Vinum & mulsa magis hume
ctant q̃ ptisana 106.4. & 30
Vigentis pleuridis notæ
515.15
Victus ratio quæ sanos ledit
multomagis ægris est perni
tiosa 548.20
Vitioso cibo cõsueto tutius est
uti q̃ inconsueto licet melio
ri 549.26
Victus ratio permutanda cũ
apparent signa cõcoctionis
565.27
Victus instituendi ratio a qui
bus sumatur ibidem. 30
Victus forma in ægris permu
tanda idq; ratione instituta.
567.9
victus forma non temere fa
ciundum 573.17
Vires infirmæ ob manifestas
causas 580.29
vires imbecillæ rdditæ ob oc
cultas causas 581.2
Victus plenior non conceden
dus nisi apparuerint signa
cõcoctionis aut aliquod sym
ptoma urgeat 588.23
Vinorum differentiæ quinque
genere 591.17
Vinum potens & imbecillum
quid possint 592.2
Vinum potens uinosum dictũ
contra imbecillum aquosum
592.6
Vinorum sexta differentia ad
uentitia est 592.14
Vinorum differentiæ quæ per
se quæue per accidens iuuãt
aut lædunt. 592.32
Vinum dulce licet per intesti
na facile descendat lienosis
tamen epaticis & picrocoli
s noxium est. 593.16
Vinum aquosum modice strin
git. 593.27
Vina dulcia 594.9

Vini aquosi uires 594.1
Vini dulcis uires ibidem.22
Vinum dulce pectori & pulmoni idoteum 595.17
Viscidi humores per tusses nõ expurgantur 595.23
Vinum dulce ad expuitionem idoneum quod tamen non nisi coctis morbis est exhibendum 596.6
Vinum album uinosum. 698.10
Vinum dulce continuo sit nigrum oportet 601.13
Vinum qualitatibus constans contrariis 601.18
Vinum meratius intestina iuuat dulcius uero superiora 602.12
Vinum oligophorum & polygophoron 614.25
Vinum tethalassomenon 651.6
Victus tenuis in extremo 764.16
Victus tenuis 764.18
Victus plenus ibidem 24
Victus ratio triplex genere, quæ uires auget, quæ quadantenus exoluit & quæ conseruat 764.33
Victus tenuis atque exquisitus in morbis longis periculosus 764.3
Victus tenuis non temere imperandus ægrotãtibus ob errata quæ grauiora semper sunt q̃ in paulo pleniori 775.26
Victus tenuissimus in uigore morbi cur cõueniat. 767.29. & a tergo
victus tenuissimus quãdo cõueniat 769.16
victus ratio & curatio in morbis salubribus adhibenda, in salubribus prognostica satis sunt 769.9
Victus humidus febricitantibus omnibus confert 796.30
Vinum præ omnibus celeriter atque uniuersim nutrit 829.14
Vinum ante cibum sumptum multorum malorum causa. 836.31
Vini potus caninam appetentiam soluit 836.27
Via inuestigandi omnes temporum constitutiones 887.26
Vinum conuulsiones parit sicuti etiam soluit 988.26
Viri semen fœcundum uel sterile quo modo deprehendatur. 1029.10
Viscera inflammata calorem per modum cucurbitulæ ad se trahunt quo fit ut extrema refrigerentur 1095.6
Vlcere cruris laborans minus fatigabitur si primis diebus ambulet q̃ si insequentibus 584.21
Vlcus magnum & insigne 588 10
Vlcera in corpore aqua intercute affecto ægre sanantur 1050.24
Vlcera annua ossis abscisione sanantur 2078.7
Vlceris diuturni causæ ibidem. 14

Vnde res ortæ sunt eodem abeunt 33.35
Vnum etsi desit elementum reliqua omnia intereant necesse est 53.3
Vnctio in balneo 636.27
Vnctionis tempus. ibidem.28
Vnica tantum consuetudo periculosa quare ad inconsueta migrandum 866.26
Vomitus frequens, & uarius malus 368.12
Vomitus irritandi ratio. 110.11.111.15
Vomitio utilissima 105.26
Vox clangosa 320.20
Voluulus maleolens 467.24
Vomitus alui profluuium soluit 1053.25
Vomitus sanguinis quibus curatur 1114.20
Vrinæ picrocolæ 361.14
Vrina quæ iudicat futurũ abscessum 203.2
Vrina exitiosa in mulieribus uiris & pueris 202.12
Vrina in febribus spectanda. 198.5
Vrinæ sedimenta pernitiosa. ibidem.33
Vrinæ sedimẽtũ equale quod dicatur. 199.24
Vrina cruda 100.25
Vrina exitiosa. 101.23.781.8
Vrina optima 366.33
Vrina pinguis quid indicet 203.30
Vrina in inflammatione uesicæ quæ bona sit 236.31
Vrinæ fermentatæ. 379.25
Vrinæ stillicidia a quibus causis fiant 1893.30.894.1
Vrinarum acritudines a quibus intemperaturis fiant. ibidem.33
Vrinæ perturbatæ quales sunt iumentorum. 920.23
Vrina habens nubeculam rubeam. 971.25
Vrinæ albæ & perspicuæ in delirantibus malæ 875.31
Vrinarii meatus utplurimum his exulcerantur qui habent lapidem in renibus. 927.12
Vrina quæ habet ueluti capillos longos a qua causa pendeat. 978 23
Vrina crassa existente si carunculæ paruæ appareat a renibus sunt 978.5
Vrina aut uenas, aut renes, aut uesicam male uel bene se habere indicat. 980.21
Vrina tenuis & furfurea uenas pati significat crassa uero & furfurea uesicam scabie laborare. 981.5
Vrina harenosa calculi signũ. 982.10
Vrinæ stillicidium. 1023.30
Vrinarum inæqualitas habet causam perturbationem. 1111.25
Vrinarum bullæ. ibidem.26
Vtero gerenti si capiatur a morbo acuto duplex imminet periculum 1005.16
Vtero gerenti si mittatur sanguis abortit. ibidem.29
Vtero gerenti si aluus supra modum fluat periculum est ne abortiat 1006.36
Vterinis molestari quid hippo. significet 1007.10

Vterina strāgulatio nihil aliud est q̄ defectus anhelitus. 1007.15
Vterinis uexatis aut ægre parentibus sternutatio bonum. 1007.7
Vtero gerenti si mammæ graciles repente fiant abortit. 1009.14
Vtero gerens si sine causa manifesta secūdo uel tertio mēse abortit uteri acetabula plena sunt mucore. 1014.14
Vteri os compressum cōmune signum & tumoris & cōceptionis. 1021.1
Vtero gerens quibus signis deprehenditur. 1025.34
Vteri qui fæcundi qui uero steriles sunt. 1026.13
Vteri sterilis causæ. 1027.15
Vteri fæcundi causæ. 1028.30
Vtero gerenti si tenesmus superueniat abortit. 1107.13
Vultus in quo exitialia signa uidentur raro inter initia apparet nisi in acutis morbis. 137.20
Vultus quibus non statim exitialis licet exitialia signa habeat. 137.33
Vultus immutatus a causis exterioribus. 138.5
Vulnera circumglabra mala. 1047.15
Vulnera quæ letalia sunt. 1055.

FINIS.

INDEX LIBRORVM QVI IN HAC PRIma parte septimæ sectionis continentur.

In lib. Hippocratis de natura humana libri duo. pag. 1
In lib. Hippocratis de ratione uictus salubris. pag. 97
In lib. prognosticorum Hippocratis libri tres. pag. 122
In lib. Hippocratis prorrheticos libri tres. pag. 285
In lib. Hippocratis de ratione uictus in morbis acutis libri quatuor. pag. 476
In libr. aphorismorum Hippocratis libri septem. pag. 751
Aduersus Lycum quod nihil delinquitur ab Hippocrate in aphorismo cuius principium est qui crescunt plurimum habent calidi innati. pag. 1143
Contra ea quæ in Hippocratis aphorismos obiecerat Iulianus. pag. 1172.

GALENI

IN LIBRVM HIPPOCRATIS de natura humana commentarius primus, Victore Trincauelio interprete.

COmmentarium de elementis ex sentẽtia Hippocratis olim amico cuidam peregre profiscẽti, illius coniiciens eruditionis facultatẽ, scripseram, atq; etiam tradideram: & proinde quęcunque illum probe tenere noueram, eorum inter operis illius initia neque memini, neque demonstrationes attuli, quod tamen alioqui facere consueueram, si quãdo esset mihi omnibus qui legere uoluissent, sermo communis instituendus. Sed quum mox (nescio quo modo) commentarium id in multorum manus incidisset, statueram alterum præterea non componere: quin & expositionem libri de natura hominis propterea distuli, quòd omnia quæ ibi continerentur, in eo iã ædito libello, cui titulus est elementis iuxta Hippocratẽ, manifesto essent monstrata. Verum quibusdã amicis nostris nuper à me huius etiam Hippocratici operis expositionem ut haberent efflagitantibus, nec, ut in priori illo egeram, earum modo sententiarum, quæ huic decreto necessariæ sunt, sed subinde omnium: Ideo statim in huiusce expositionis exordio ea in primis explicabo, quę in initiis libri de elementis secundum Hippocratẽ à me fuerant

Occasio huius cõmentarij.

omissa: quũ sanè amicũ illũ ea nõ ignorare intelligerem. Itaq; inter prima quæ à nobis referenda sunt, id erit: quid hoc uocabulũ, natura, significet, unde suam nonnulli ex priscis illis philosophis qui physici, hoc est naturales, dicti sunt, appellationem traxere. Cur uero hoc ego protulerim, maxime apertum fiet, si eorum monumenta, quæ de natura ab ipsis inscripta sunt, legerimus. Videntur enim primam eam substantiam, qualisnam sit exposuisse, quam ingenitam atque perpetuam affirmant, quamq; esse omnibus quæ generantur & intereunt corporibus subiectam, & præterea quæ generabilibus ac interituris quibuslibet ex ipsorum propria ratione insunt: quibus equidem cognitis, cætera quæ particulatim substantiæ unicuique, non per peculiarem aliquam ipsorum rationem accidunt, consecutione quadam noscuntur. In hunc igitur modum perfecta erit naturę rei uniuscuiusque doctrina. Vnde consueuere mortales, quotiescunque quispiam unum ex his quæ rei alicui insunt, uel duo etiam explicauerit, affirmare aliquid de rei illius natura fuisse expositum: id qđ poeta quoque obseruasse uidetur ita inquiens.

Sic ait à Maia genitus, medicamen & offert Euulsum terra, naturamq; edocet eius. mox subdit:
Radix nigra erat, flos lacti concolor ipsi. Sic etiam qui de herbis uel in uniuersum de plãtis scripsere, earum sensilem naturam docent, dum exponunt qualis harum unaquæq; sit tangenti, qualis etiam gustanti, aut inspicienti, aut olfacienti: & quas præterea uires habeat, quũ uel interne in corpus ingeritur, uel externe adhibetur. his etenim sensilis cuiusque rei natura constat. Antiquior tamen est & prior ea naturæ acceptio, de qua & ego prius locutus sum, & Plato esse sciendam illi consuluit, qui methodo rem quampiam uoluerit disquirere.

Physici.

Natura.

Consuetudo dicendi, quod nã significet, docet.

Plato, de natura.

ex Phædro eadem 1° methodi cap. 2.

sed & ipsa equidem illius uerba hic ascribam. Putas ne igitur naturam animæ quantum ipsa ratio poscit, absque ipsa uniuersi natura posse intelligi? sed si aliqua Hippocrati uni ex Asclepiadis fides est adhibenda, nec corporis etiam poterit sine hac methodo. Recte ò amice ait. Operæpretium attamen fuerit, ut præter Hippocratem rationem hanc examinemus, & num illa consonet, cõsideremus. Assentio. Sed quid tandem Hippocrates dicit, atque ipsa etiam recta ratio, non ne sic? De rei cuiuscunque natura, cuius uel nos uolumus scientiam aut artem assequi, uel etiam alios docere, id primum inquirendum est, simplex ne illud sit, aut potius multiplex: & si multiplex fuerit, mox inspiciendum est quam habeat naturalem facultatem, ut in alterum agat, & in quod: quam præterea ut ab altero patiatur & à quo. Si plures uero species habuerit: illis enumeratis, idipsum quod in uno diximus, singillatim in illis omnibus erit inuestigãdum, quam inquam habeat naturam ut ipsum agat, quam ut ab alio patiatur. Nempe hæc tibi est Platonis sententia ex Phædro deprompta, quæ & quid nomen naturæ significat, & quo pacto eius substantia methodo sit disquirenda, exponit. Hoc idem etiam inuenias, si, quæ de natura inscripta sunt, uolumina omnia perlegas priscorũ philosophorum, Parmenidis, Empedoclis, Melissi, Alcmęonis, Heracliti. Porrò ex illis nonnulli nõ modo unum, sed multos etiam huiusce argumẽti libros edidere: alii longe etiam plures. idipsum & Epicurus factitauit. Nã & ille, quẽadmodũ & cæteri omnes, ab ea inquisitione exorditur: unum ne sit & simplex id cuius naturam inuenire instituimus, an uero ex aliquibus simplicibus illo prioribus cõpositum: q̃ mox ii qui priscis illis succesſere, elemẽta nominare cõsueuerũt. In quẽ modũ grãma-

Methodus inquirendi naturas.

De natura plures scripsere.

Elementa.

tici ꝓfitẽtur quatuor & uiginti esse uocis elemẽta, hoc est simplices & primas particulas, quæ nõ ita amplius in alias, ut syllabæ, diuidi queant. si nanq; ab hac syllaba, stra, elementum primum demas, s, inquam: reliquum tibi, tra, erit, quod & ipsum syllaba permanet. à quo, tra, deinde si, t, primam eius literã detrahas, adhuc quippiã ex ea relinquetur, quod item diuidi poterit, ra, nimirum. a, uero sicut & plures alias literas nunq̃ diuides ita, ut possis ostendere ipsum ex duplici, aut triplici sono constare. Sed unicus est atque indiuiduus eius sonus: nõ quidẽ simpliciter secundum quantitatem, uerum, ut tum nos alias, tũ ẽt alii philosophi plures monstrarunt, solummodo secundum speciem: Sic quoque illi qui quatuor ea, ignem aerem, terram, & aquam, esse aiunt elementa corporum quæ generantur & intereunt: ob id illa scientiæ naturalis principia statuunt, & figillatim amplius in plures species secari nequeant. Prima siquidem minimorum corporum notio est penes quantitatem: Altera uero (ut in elementis uocis monstratum est) penes qualitatem. Et naturales quidem philosophi inter se discrepant. quidam enim corporum quæ generantur & intereunt: minimas quantitate particulas elementa ponũt: alii uero qualitate. Verum de significatione huius nominis, elemẽtum, in primo libro de medicis nominibus, ut in quinto de significatu nominis, natura, plenius differuimus. At in præsenti non amplius de appellationibus significationibusve sermo est à nobis instituẽdus, sed de rebus ipsis. ex quibus sanè minimis, an secundum quantitatem, an potius secundum qualitatem generabilium corporum, quæ nos cum Aristotele similaria uocamus, sit prima compositio. Mox uero ex his altera fit compositio, eorum, quæ instrumentalia appellamus, ueluti sunt manus,

tibiæ, oculi, lingua, pulmones, cor, iecur, lien, renes, uentriculus, uterus, & id genus alia. Horum et enim instrumẽtorum natura ex primis illis & similaribus, quæ Plato primogenea solitus est nominare, coagmentatur. De horum uero differentia in alio quidem libro à nobis est habitus sermo: clarioris attamen doctrinæ gratia, nunc quoque id ipsum per capita repetemus. Nempe similare est os, cartilago, ligamentum: est præterea similaris membrana, adeps, & caro, tam ea quæ fibris musculorum adhæret, quæ & ipsæ similares sunt, quàm illa quæ in uisceribus est, quam Erasistratus parenchyma solet appellare, quasi adfusionem dicas. Nos autem statim ab initio illius operis, quo insinuauimus, qualisnam sit uera medendi methodus, ostendi fieri nõ posse, ut qs recte ꝓ indicationes similaribus corporibus medeatur, nisi teneat prius, an eorum unumquodque simplex sit, an uero ex pluribus constitutũ, itemq; num ea per se tota temperata sint, uel se solummodo contingant. Monstrauimus præterea nonnullos medicos, in quibus ego posuerim Erasistratum, ex parte tantum dimidia esse dogmaticos, qui quidem morbos partium instrumentalium ex ratione curent: similarium uero, aut nequaquam, aut empiricorũ more. immo eorum quamplures quænam sit differentia inter morbos instrumentalium particularum, & eos qui in similaribus habent ortum, minime norunt: quemadmodum neque eorum utrorumque numerum. Vos uero ò amici in nostris commentariis unum habetis de morborum differentiis, & alterum insuper nec exiguum de remediis, cui titulus est, medendi methodus. Sed tũ hæc, tum etiam multa alia exposcunt sermonem illum, qui de natura nostri corporis habetur, is in hoc nunc nobis proposito opere continetur. Vn

de mirum est profectò fuisse quosdam, qui librum de natura humana iudicauerint excludendum esse à legitimis libris Hippocratis, & inter nothos (ut ipsi uocant) reponendum: decepti quippe sunt ex his, quæ in eo conficta & illi apposita fuere: de quibus in hisce commentariis abunde loquemur. Nunc uero satis fuerit explicasse, quæcunq; in parte legitima, & illegitima contenta sint: quæ ad uerbum ita se habét. Prima huiusce uoluminis pars quæ primo libro comprehenditur, ad ducentos & quadraginta uersus accedit: in ea demonstratur animantium corpora ex calido, frigido, humido, & ficco esse conflata, & præterea humorum natura explicatur. Quæ uero hanc excipit, multiplex est. eius enim prior particula morbos discernit quos sporadicos gręci appellarũt (nos uagos possumus dicere) ab epidemicis, quasi popularibus dixeris ac pestilentibus, & præterea communi quadam ratione utriusq; propriam curationem insinuat: altera ab hac uenarum dissectionem transigit. mox uaria est de morbis doctrina. post quam sequitur uictus salubris ad priuatos homines delegatus. postea modus aperitur, quo homines qui crassiori sunt habitu, attenuari possint, uel illi qui graciles sunt, carne repleri: cui parti annexa sunt q̃dam ad uomitum attinentia præcepta. postea habetur breuis quædã descriptio uictus infantium, deinde mulierum, & tertio eorum qui exercitantur. postremo addita quædam pars est, quæ non transcendit decem uersus: ea uero est de morbis cerebri, casu quodam, uel potius temere ibi interposita. Manifestum itaque est uniuersum hoc uolumen ex multis esse coagmentatum & constructum, ad sexcentos ferè uersus, aut paulo minus protensum. Huius primus liber, in quo tum de elementis, tum de humoribus agitur, usquequaq;

Hippocraticæ arti, congruens est: quemadmodum & secundus, qui populares uel epidemicos morbos à uagis distinguit. At pars ea quæ uenarum dissectionem aperit, manifesto quidem ab aliis interiecta est, nec boni quippiam cõtinet, utpote quæ ab apparentibus, dissentit, & cum his quæ in secundo epidemiorum libro habentur, pugnat. Eorum autem quæ sequuntur nonnulla interposita fuere, de quibus cum ad illarum expositionem peruenerimus, exacte tractabimus. Alia merentur, ut eorum aliqua habeatur ratio: quippe quæ breuibus quidem, sed recte exposita sunt, & cum arte Hippocratis cõsentiunt, sicuti & ea, quæ de uictu salubri scripta sunt. Is uniuersus igitur liber ex his constat. Pars eius prima totius Hippocraticæ artis quasi fundamenta comprehendit. Vnde me nõ parum eos admirari professus sum, qui eam ab Hippocratis sententia esse alienã censuerunt. Nam illorum quamplures, qui artis Hippocraticæ gnari sunt, in legitimis illam proculdubio ponunt, arbitranturq; commentarium hunc magni illius fuisse Hippocratis. Aliqui tamen Polybo ascribunt illius tum discipulo, tum etiam in docendis discipulis successori. qui nunquam ulla ex parte decreta Hippocratis in aliquo suorum librorum immutasse uisus est: quemadmodũ nec Thessalus illius filius, uir & ipse admirabilis: is tamen in patria non est, ut Polybus, diu moratus: Archelao etenim Macedoniæ regi adhæsit. Sic igitur alii ferè omnes medici, ut testati sumus, paucis quibusdã exceptis sensere librum de natura humana fuisse Hippocratis. Sed & Plato illũ recognouit, qui præscriptam pauloante sententiam in Phædro
» literis mandauit, eius initium est: Putas ne igitur
» animæ naturam, quantum ipsa ratio poscit, intelligi posse absque uniuersi natura? sed si Hippocrati

uni ex Asclepiadis est aliqua adhibenda fides, ne-
que de corpore etiam poterit sine hac metho-
do. Porrò operæpretium fecissent qui ita te-
mere garriunt, si hæc legissent: & præterea recte
perpendissent, in quonam Hippocratis libro me-
thodus hæc, quam sic Plato approbat, tradita
sit. neq; n. in alio id inuenias, nisi in eo qui est de na
tura hominis, quem præ manibus habemus. De-
inde etiam alia quæcunq; Plato prosequutus est,
quæ nos quoque tum in libro de elementis iuxta
sententiam, Hippocratis docuimus, tum etiam in
præsentiarum posteaq; sic uobis uisum est, docturi
nihilominus accedimus. Exponere autem huius
libri dictiones statim aggrediar, ubi sermoni huic
id præterea addidero: Quum liber, quem olim de
elementis secundum Hippocratem conscripserã,
in multorum manus excidisset, & eruditis omni-
bus probaretur: pauci quidam & rudes, nullam
unquam (quanuis id etiam maxime conati sint)
ex his quæ ibidem scriptæ habebantur, euertere
demonstrationem ualentes, præ inuidia discrucia-
ti, hoc sibi tandem satis fore ad illas calumniãdas
duxere, si hoc ipsum opus fuisse Hippocratis ab-
nuissent. Sed esto, non sit Hippocratis: non sit etiã
Polybi. immo si uelint, fingamus quoque nullum
unquam fuisse æditum commentarium de natura
hominis, cuius institutum sit monstrare ꝙ ex cali-
do & frigido, humido & sicco nostra corpora cõ
stituta sint. etenim si illis & hoc condonemus: ad-
huc tamen Hippocraticum est decretum, nostra
corpora ex his esse conflata. Quippe ꝙ in quam
maxime illius legitimis libris, nedum morborum
differentias ex consecutione ad hæc principia po
nere, uerum & curandi modos inde excogitasse
uidetur. Morbi enim inter se calido, frigido, hu-
mido, & sicco, differunt. Curantur autem si calen-

tia refrigerentur, siccentur humida, itemq; si frigi-
da calefiant, sicca humectentur. Insuper etiam ante
hæc ipsa naturas hominum, has quidem calidas
illas uero frigidas, alias humidas, alias siccas exi-
stimat. Ætates quoque pariter & regiones eodem
modo inter se differre arbitratur: quum tamẽ nec
Erasistratus unquam, nec alius quispiã, qui calorẽ
non esse natura insitum, sed aduentitium putarit,
ex his quicq; emulgauerit. Sic ẽt particulatim cę-
tera omnia refert Hippocrates ad hæc principia,
quæ nũquam obseruat Erasistratus. & proinde nõ
nulla opera naturalia absq; ulla prorsus expositio
ne reliquit: quod nos monstrauimus in cõmenta-
riis de naturalibus facultatibus. Sed quoniã ii qui
optima quæq; criminantur, nobis obiiciunt sermo
nis prolixitatem, aiuntq; nos quodcunq; aliud po
tius q̃ commentaria scribere. statui hãc quoq; eo-
rum amouere calumniam, scripto, peculiariter alio
libro, quo ostendam me illam eandem tenere sen
tentiam, quam Hippocrates tum in libro de natu-
ra humana literis mandauit, tum etiam in aliis suis
commentariis. Porrò rursum noui ꝙ inuidi, in
omnibus quæ à me demonstrata fuere, cauent q-
dem ne ea quæ omnibus probantur, ipsi criminen
tur, mox tamen nonnulla quæ cum illis com-
munionem habent, theoremata damnant: ita nunc
etiam facturi sint. Assentiẽt enim in libris suis Hip
pocratem scopis elementaribus uti, calido, frigi-
do, sicco, & humido, ut tamen postea nõ recte ip-
sum sentire dicant. At ubi demonstratum fuerit
nostra ex his coagmentari corpora: subinde nega
bunt Hippocratem id sensisse. ꝙ neque librum de
natura hominis Hippocratis unquam fuerit. Iam
ergo quemadmodum illi nunquam desinunt pere-
peram agere: ita & nos meminerimus, semper il-
los ea monere quæ in unoquoque libro à nobis

propoſita ſunt: ne, quum à nobis monſtratum fue
rit Hippocratem in omnibus ſuis commentariis
illa ſuę artis iecisſe fundamẽta, quæ in ſcientia hac
continentur, quæ eſt de repertis elementis: id ipſi
ſtatim deferentes, horum ueritatem reuocent in
quæſtionem. Neque ſi de eorum ueritate fuerit
inſtituta inquiſitio, moxq; id demonſtrauerimus:
confugiant ad diſquirendum num ea fuerit illius
ſententia. Sed ſeorſum diſcutiant, an ſermo de ele
mentis inſtitutus uerus ſit: ſecrſum uero an hæc
Hippocrates elementa poſuerit. Vnde quum hæ
duæ ſint quæſtiones: prima tũ in libro de elemen
tis iuxta Hippocratis ſententiam diſcutiatur, tum
uero in hoc qui nunc nobis in manibus eſt. Iis au
tem qui iudicio non carent, abunde uidetur illum
ſemper conſecutione quadam eadem ſtatuiſſe ele
menta, atque etiam hunc nobis nunc propoſitum
librum ſcripſiſſe.

I.

(De natura ea ingredia, quæ ad artem conferũt.

QVICVNQVE eos cõſueuerunt audire, qui
procul ab eo de natura humana loquũtur, quod
ad medicinam attinet: illos non expedit hunc
audire ſermonem. Neque enim dixerim homi
nem omnino eſſe aerem, neq; ignem, neq; aquã,
neque terram, neq; aliud quippiam, quod in ho
mine unicum eſſe non appareat. Ego uero eos q
hæc dicere uoluerint, dimitto.

†In ant. exemplaribus hæc non habẽtur, & forſan rectius, ſi ſequentia ad tẽdamus.

Quantum ad hanc uerborum ſeriem ſpectat, ui
debitur forſitan non poſſe ita aperte ſenſus autho
ris haberi: Eos enim increpat, qui ſermonem de
natura humana longius proferũt q̃ medicinæ uſui
ſit. Poterit autem quis cogitare eos longius pro
ferre, quicunq; ignem, aerem, aquã, & terrã aiunt
eſſe hominis elemẽta, †niſi ipſa commiſceant. Ita
illos quoque qui unum quodpiam ex iſtis elemẽ

tum ſtatuunt. Et quo ad id quidem quod in prõ
ptu magis eſt, primoq; intuitu uidetur, in priorem
ſententiam inclinamus: ſed ſi rem exactius perpen
damus, alteri potius adhærebimus. Nam perpe
ram ſane poſtulauerit aliquis ab his qui arbitran
tur corpora noſtra ex aqua, & aere, & igne, & terra
inuicem contemperatis eſſe conflata: † ut excreta
hæc in nobis oſtendant, aquam nimirum, uel ignẽ,
uel terram, uel aerem: qui ſi deinde id non oſten
dant, eos cõuictos uelit pronuntiare. Simile enim
id eſſet, ac ſi exigas in medicamento tetrapharma
co ſinceram tibi ceram oſtẽdi, uel piccm, uel ſeuũ,
uel reſinã: quod ſi nõ oſtẽdatur, nolis etiam conce
dere illud ex iſtis fuiſſe compoſitum. Vbi enim ea
quatuor temperari ſimul affirmamus, nullum eoꝝ
ſincerum permanere inſinuamus. Quanuis ergo
propoſita dictio in utranq; poſſit ſentẽtiam trahi:
ea tamen quæ ab authore mox dicenda ſunt, ſecũ
dam aſtruere uidentur. Immo & in hac quoque
parte (ſiquis diligenter aduertat) ubi ait, Neque
hominem eſſe aerem omnino, non enim ibi aſſe
rit q̃ aer penitus in nobis non ſit: ſed q̃ non ſit aer
omnino, ſicuti neque ignis, aut aqua, aut terra.
ex hac uero uoce, omnino, ſignificatur q̃ nõ ex to
to, nõ autem q̃ nullo modo. nam neq; res ipſa de
qua loquimur, per eã dictionem ὅλως τὸ παμπαν,
id eſt non omnino, prorſus negatur, ſed de perfe
cto & ſincero aliquid illi detrahitur. Atq; & Poeta
uoce hac παμπαν. i. omnino, in eo uidetur ſignifi
cato uſus, quũ hæc protulit. Omnino noluit ipſe
Pro troiæ muris ſic gentem perdere achiuum.
Item & Hippocrates ipſe, ubi ait: Acutorum mor
borum non omnino certæ ſunt prædictiones neq;
ſalutis, neque mortis. Poeta ſiquidem Iouem mo
quit in gratiam Thetidis uelle quidẽ multam in
ferre græcis perniciem, non ita tamen, ut illos pe

Elementa ſeparatim oſtendi nõ poſſe.

†In impſſ. legitur κ̃ſ̃ viꝺ aliꝺi tamẽ ε̃ſ̃ſ viꝺ legimus.

παμπαν. Plat. in Tim. 481.

Aph. 19 inſ. lib. 5. 17.

nitus tollat. Item Hippocrates multas uult præ-
dictiones esse firmas (quem ad modum in libro
commentariorum in præsagia exposuimus) non
autem omnes, & ita melius est locum hunc intelli-
gere. quod itidē in his quæ sequuntur, ostenditur:
Hippocratem nimirum illis non assentiri, qui asse-
uerant solum aerem esse humani corporis elemē-
tum, similiter nec qui solam terram, uel aquam, uel
aerem. quippe quum nequaquam unum tantū ex
his, sed hæc omnia sint elementa. Vnde & uox
illa, quæ in fine istius orationis apposita est, ut q̄
anceps in eo ambiguitatis genere sit, quod à diui-
sione & compositione habet occasionem, rectius
diuisim legetur, ubi ipse ait: ὃ τ' ἄλλο οὐδὲν, ὅτι μὴ
φανερόν ἐστιν ἓν ἐὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, id est neq; aliud
quippiam quod non in homine unicum esse ap-
pareat: ubi illud ἓν ἐὸν nequaquam (ut illi putāt, q̄
priori inseruiunt expositioni) una est oratiōis pars.
eā inquam, quam alii græci duabus syllabis profe-
runt, ἐνὸν, Iones uero tribus ἐνεὸν: sed duæ potius
sunt orationis partes, quarum prior unica syllaba
constat, ut quando numerando dicimus, ἐν, id est
unum, duo tria: altera uero ea est, quā nos quidem
dicimus, ὄν, id est ens, ut ita dicam: sed Iones dua-
bus syllabis ἐὸν proferunt. Mox enim in sequenti-
bus demonstrabitur, Hippocratem non his aduer-
sari, qui arbitrantur quodcunque horum quatuor
elementorum nostro comprehendi corpore: sed
illis, qui unum ex his solum putant esse hominis
naturam. At dicet aliquis, quonam pacto procul
ab eo quod ad medicinam ꝑtinet, hic sermo pro-
greditur? quo statuunt nonnulli unum quodpiam
ex his elementis esse naturam hominis? Quoniā,
sicuti paulo post dicet ipse, ex hac opinione sequi-
tur, nusquam hominem doliturum. Quod ut ali-
quis etiam concedat: statim consequens erit, unicū

Non vnū
[illegible]
[illegible]
cōiuncta.

ἓν ἐὸν

Quomodo
alij medicis
longius ab
arte disce-
dant in
hac disputatione.

fore remedium. Videmus autem reperiri qui do-
leant, itemq; uario curari modo, quare falsa planè
ea est. Sed iam sigillatim ea inspiciamus, quæ sub-
inde in subscriptis uerbis continentur, quo mo-
do ille probauerit. Neque enim dixerim hominē
esse omnino aerem, neque aquam, neque terram,
neque aliud quippiam quod in homine unicū esse
appareat. Ego uero eos qui hæc dicere uoluerint
dimitto. Artemidorus cognomento Capito Hip-
pocratis libros ædidit, q̄ æditio nō modo Adria-
no imperatori probata est: sed ab aliis quamplu-
rimis nunc etiam summo studio conquiritur, ut ēt
illa quæ est Dioscoridis, qui istius fuit contēpera-
neus. Plura itaq; uterq; correxit, ueteresq; immu-
tauit scripturas, quas tamen solas agnoscunt Hip-
pocraticorum librorꝝ expositores. Et Capito præ-
ter alias multas, hanc quoque nunc propositam
immutauit, atq; in hunc modum scripsit. Neque
enim in totū (ipse gręce τὸ πᾶν dixit) hominē
esse aerem dixerim, neque ignem, neque aquam.
Quum enim nusquam antiquioris alicuius autho-
ris librum repererit, in quo scriptum sit terram so-
lam esse elemētum, ut ne apud peripateticos qui-
dem uiros, qui alioqui huic disciplinæ diligētissi-
me operam nauarunt, aliquid de hac ipsa opinio-
ne relatum reperiatur: audacius hāc ipsam dictio-
nem immutauit. At satius fuerat eis succensere,
qui nimis anxie inquirūt, cuius nam ea fuerit opi-
nio, ꝙ terra sola sit elementum. Siquidem hoc ab-
simile non est, ac si quis quęreret quisnam is fuerit
qui uolebat, manum luxatam supinā ligari, quiq;
ille, qui calcaneum ligari secus præcipiebat, quàm
uoluerit Hippocrates: item quis, qui clauiculā, &
qui præterea fracturas cum ulcere iunctas in ipso
non ligabat ulcere, sed utrinque: aut quis ille sit,
qui humeri articulum inurens, crustas non qua

In græco
disiungūtur.

Artemido-
rus Capito.

Dioscorides.

οὔτε γὰρ τὸ
πᾶν ἀέρα
λέγω.

Antiqui terrā
solā nō po-
suerūt Ele-
mentum.

De errorũ authorib. nõ satis constare.

parte opportunum est excitabat: aut qui illi erant, quos taxat ubi de spina agit. Multa nanque eius generis in libro de fracturis atq; articulis ab Hippocrate literis mandata sunt, nunc quidem contra unum, aliàs uero cõtra plures medicos aberrãtes: sicuti & in libro de uictu acutorum morborum medicos multos dãnans sic ferè scripsit: Multos noui medicos, qui contra quàm res exposcat, faciunt. quippe qui inter morborum initia, posteaquã homines fame cruciauerint duos uel tres, uel plures etiam dies, sorbitiones potumq; offerunt. Itaque ostendant nobis expositores, qui fuerint qui huiusmodi uictum instituerint, quive qui putauerint hominem solam esse pituitam, aut qui flauam bilem, & qui atram. subinde enim in hoc ipso de natura humana libro fuisse quosdã ait, q ita senserint. Quare melius egissent expositores si dixissent quòd forsitan ii omnes ne scripserint quidem suas has opiniones. fieri tamẽ etiã potuit ut scripserint quidem. eorꝝ tamẽ monimenta non extent: quod multis de causis potuit euenisse. nam uel ꝙ nullos habuerint doctrinæ suæ successores, uel ꝙ eorum quidam dũ uiuerent, libros edere noluerint. post obitum uero, quum unum uel alterum tantum exẽplar reliquerint, facile periere. Potuit etiam hoc esse, ꝙ tãdẽ cõmẽtaria interciderint, qa nullo habita sint in pretio. Sed & inuidi sæpe ueterꝝ authorꝝ opera, aut abscondunt, aut delent: quod ob id agunt, ut possint ea sibi uendicare, quæ in illis conscripta fuerant. Vel quid mirum est, ꝙ huiuscemodi ineptæ opiniones interierint, quum apud Athenienses aliqui reperti sint poetæ tum comici, tum tragici, q magno cũ applausu in certamẽ descenderint, quorum nullæ fabulæ superstites sunt. Sed ut cæteras præteream causas, duarum tantum quæ nuper Romæ cõtigerunt, meminerim. Sępe tẽpla

Monimenta veterũ interierũt.

Poëtarꝝ scripta intercidunt.

incendio absumpta, sæpe terræmotu, aut alia decausa occasionem præstitisse ut libri quamplurimi perierint. Non igitur se recte Capito gessit, quum ausus est antiquam inuertere scripturam, neque id præterea addidit, potuisse primum librarium aberrasse, alterumq; pro altero scripsisse. Et male etiam expositores quidam de Xenophane mentiti sunt, inter quos est Sabinus, q his ipsis uerbis scripsit. Neque enim dixerim hominem esse omnino aerem, ut Anaximenes, neque aquam, ut Thales, neque terram, ut alicubi Xenophanes. Nullibi enim Xenophanem inuenias hæc ita promulgasse. Sed & ex suis met uerbis aperte deprehenditur Sabinus mẽtiri, nõ ex ignorantia deceptus, alioqui enim librum nominasset, ubi hæc ille pronunciauit. Nunc uero sic ipse scripsit: aut terrã, ut alicubi Xenophanes. Theophrastus præterea, si ea esset Xenophanis opinio, in compendio naturalium opinionum id scripsisset. Porrò potes tu, si harum reꝝ historia delectaris, libros Theophrasti qbus ille naturales opiniones redegit in cõpẽdiũ, legere. Quemadmodum si tibi cordi esset cognoscere priscorũ medicorum opiniones: libros de medica congregatione inscriptos, Aristoteliq; ascriptos, à Menone tamen eius discipulo (ut creditur) conditos, unde & nonnulli Menonios eos appellant, habes quos possis legere. Constat. n. ꝙ Menon ille, cõquisitis diligenter libris omnibus ueterꝝ medicorꝝ, qui eo tẽpore superstites adhuc erant, inde eorꝝ collegerit opiniones. nã quorꝝ nõ amplius extabant, uel si extarent, nõ dũ tamẽ, ut uideri potuerint, editi fuissent, eorꝝ ille opiniões descripsisse non poterat. In hisce igitur libris nunquam reperias ne ab uno quidem dictum, quòd bilis flaua, uel nigra, uel etiam pituita sit naturæ

Sabinus de Xenophane mentitur.

Theophrasti cõpendiũ nãliũ q̃ct.

Menon Aristotelicꝰ.

hominis elementum. Fuerunt attamen multi Hippocrate etiam posteriores, qui uisi sunt putasse in nobis solum esse sanguinem, ita ut noster etiã primus sit ex illo ortus, atque etiam incrementum in utero, ac mox quoque editorum in lucem absolutio. Verum Hippocrates sic paulo post scripsit, ac si aliqui fuerint qui putauerint & bilem & pituitam esse hominem, qui id nunquam scripsisset, nisi extitissent suis illis tẽporibus, uel forsitan prioribus, qui sic essent arbitrati.

II.

MIHI VERO qui hæc aiunt, non recte sentire uidentur. eadem enim sententia utuntur omnes, uerum non eadem dicunt: sed mox eundem inferunt sentẽtiæ illius epilogum. Nam quod est, unum esse dicunt, & id & unum esse & omne: nominibus uero deinde discrepant. hic enim aerem esse ait hoc unum & omne, ille aquam, alius uero terram, & eorum unusquisque suæ rationi testimonia & coniecturas inducit, quæ tamen nihili sunt. Quòd autem in eadem uersantur sententia, nec tamen eadem dicant, manifesto indicat illos ea ipsa ignorare. Quod facile cognoscas, si eorum interfueris contentionibus. nam ipsis disputantibus, nunquam ter subinde homo idem ratione superior euadet: sed modo hic uincit, modo ille, ille inquam cui lingua fluxibilior contigerit ad turbam. Atqui par erat, ut qui profitetur se de rebus aliquid recte nouisse, rationem eam afferat, quæ semp superior sit, si re uera illa nouit, & si recte pronuntiat. At uero hi homines uidentur mihi se ipsos suismet uerbis, quibus in suis rationibus utuntur, demoliri præimperitia: & præterea Melissi rationem constituere. Sed de his satis.

Quasi

†Quasi illos alloquatur, qui norunt quæ illi dicant, qui unum statuunt elementum, ita hũc habet sermonem. Etenim qui ignem esse elementum dicunt, ex hoc densato coactoq; & compresso cætera fieri uolunt, ita ut si ille parum densetur, in aerẽ transeat: si magis, in aquam: si plurimum & absolute, in terram. Pari etiam ratione qui aquam & qui aerem & qui terram, pro eo q uel densentur uel fundantur, alia gigni affirmant. aiunt enim aquam si densescat, uerti in terram, si fundatur, in aerem: sicuti & aer ipse quum densatur, in aquam: quum funditur, in ignem. Sic igitur ex mutua inter hæc quatuor transmutatione eorum ratio deprompta est, qui quodcunq; unum elementum statuunt. Et proinde ipsos eadem uti sententia affirmat, non tamen eadem dicere. Itaque aperte eos in hoc uniuerso sermone insectatur, qui ex his quatuor elementis, unum quippiam tantummodo esse putant hominem: quos etiam aberrare autumat. Quum enim nihil demonstrent, summe †improbabilis est eorum ratio. Nam neq; hominem esse unum tantum modo ex his quatuor conficiunt, & præterea Melissi rationem erigunt, qui & ipse opinatus est idipsum esse unum, quanuis nõ unum ex his quatuor, aerem inquam & terram, aquam & ignem. Videtur autem uir hic unam excogitasse communem substãtiam omnibus his quatuor subiectam, & interitus & generationis expertem, quam mox posteriores materiam appellarũt: nec potuisse posthea distincte hoc ipsum monstrare. Porrò hanc ipsam substãtiam, ens & omne nominat. sed is neque etiam sermo uerus est: quum nec unicum & solum sit (ut credidit Melissus) eorum corporũ quæ generationi & interitui sunt obnoxia, principium. ad id enim quatuor accedunt qualitates, frigus summum, & siccitas, calor, & humiditas: ut

† In impſ. habeſ. ὡ̃ς πρὸς ἑτέρους. alibi tamẽ legiſ ὡ̃ς πρὸς ἑαυτούς. quaſi præuiderit.

† In ant. legiſ ἀπεθανοῦ nõ πεπαυσθ.

tamen hæ minime sint uel alterius cuiuspiam rei, uel etiam naturæ ipsius hominis elementa, sed potius principia. Hæc sanè apud ueteres, qui nunquã intelligentia assequi potuere quænam inter principium & elementum sit differentia, confundebantur: quum possint ipsa quoque principia elementi nomine appellari. Atqui hæ duæ res sunt, quæ planè inter se mutuo discrepant: quippe ꝙ altera quidem sit minima totius particula, altera uero id, in quod intelligentia hanc ipsam minimam particulam diuidas. Neque enim unquam ipsum ignẽ diuides in duo corpora, è quibus illum esse contemperatum possis ostendere, sicuti neqꝫ terram, neque ignem, neque aerem. cogitare tamen potes alteram illius esse substantiam, quod transmutatur: alteram uero, eius esse transmutationem. idem .n. non est quod transmutatur, & transmutatio, quæ in eo fit. Subiectum siquidem est quod transmutatur: transmutatio, uero uicissitudine qualitatum fit. Etenim, quum in illo summus oboritur calor, ignis gignitur: quemadmodum aqua, quum summum fuerit assecutum frigus. Eadem etiam ratione terra fit, quum subiectum id, quod ex sua quidem natura omni qualitate uacuum est, omnem in se siccitatem absqꝫ ullo calore receperit: aqua uero, quum humiditatem. Nam non parua extitit quæstio de primo frigido, quæ tamen nihil nobis nunc usui est, quum nihil ad medicæ artis opera cõducat. Nobis nimirum utile est ut inquiramus, corpus hominis unum ne sit simplexqꝫ, an potius ex quatuor simplicibus concretum. Quod tum Platonis sententia nos monuit, tum uero in medẽdi methodo statim à primis libris nos etiam docuimus. Sed de hoc posterius iterum dicendum erit. Nunc ad memoriam reuocabimus, ꝙ in hac nobis proposita oratione non eos oppugnamus

qui aiunt quatuor hęc esse hominem: sed illos, qui unum ex his quatuor simplicibus illum esse statuunt. Longe igitur melius legetur in prima illa oratione, si illud ἕ"νεδ'ν in prolatione, prima aspirata syllaba pronuntietur. Hippocrates etenim demonstrat non unum esse sed plura, q̃ hominis naturam constituant. non autem ꝙ nullum ex his quatuor sincerum in corpore sit: quum neque id principes huius opinionis asserant, sed potius ꝙ sit unũ qd præter ea quatuor, qd̃ tamen ex illis concretũ sit. Quem ad modum & medicamentum quod tetrapharmacum appellatur, neque cera est, neque pix, neque resina, neque seuum: sed aliud quippiã unum præter hæc ipsa, quod ex illis omnibus simul temperatis compositum est. Rursus hæc etiã opinio bipartita est. Quidam enim solas quatuor qualitates per se totas inuicem temperari, alii uero & substantias promulgarunt. Primæ opinioni præsunt peripatetici, Stoici uero secundæ. Immo & Empedocles ante hos arbitratus est compositorum corporum naturam ex quatuor elemẽtis & eis quidem immutabilibus constitui, mutuo ita inter se mistis illis primis, ut si ærugo, chalcitis, cadmia, atqꝫ misy exquisite læuigata, & in puluerẽ redacta sic commisceantur, ut nullum eorũ possit seorsum & absqꝫ altero pertractari.

III.

PORRO EX medicis quidã sunt, qui asserunt hominem esse sanguinem: alii bilem, nonnulli pituitam.

In priori parte philosophos refellit, qui uel solum ignem, uel aquam, uel aerem esse arbitrantur nostri corporis naturam: nunc autem ad medicos conuersus, ostendit hos non secus ac illos errore detineri: hos inquam, quicunque aut solum san-

guinem putant esse hominem, aut bilem, aut pituitam. Iam igitur conspicue definitū est id, quod in principe huius libri parte ambiguū uidebatur: nempe ꝙ non eos insectetur, qui quatuor ponunt elementa, sed illos semper qui unum aliquod ex illis, & id solum. Verum hoc in loco quādam medicorum opinionem, Melissi opinioni respondentem prætermisit, qui dicant hominem esse quippiam unum, quod dum mutatur, fit quodcunque illorum, quorum est habita mentio.

IIII.

EVNDEM VERO & isti omnes epilogum faciunt. Eorum enim unusquisq; idipsum unū esse ait, quodcunque ipsi nominare uoluerint: atque etiam ꝙ istud sic unum existens coactum à calido, frigido, humido, & sicco, mutata forma & facultate, dulce fiat & amarum, & album, & nigrū, & cuiuscunq; alterius generis. Sed mihi hæc nō uidentur sic se habere. †Itaq; plurimi talia, atque etiam alia his proxima pronuntiant. 1

†Hæc in antiquissimo exemplari græ. reperimus.

Medicos quoque inquit, quicunque unum tantummodo secundum naturam humorem esse affirmarunt, eundem tum inter se, tum cum philosophis facere epilogum. demonstrant quippe hunc ipsum unum humorem, quem unusquisque eorū ponit, in alios mutari. At uero quæ quisq; ut suā astruat opinionem, assumit, nequaquam probat quenquam ex his quatuor humoribus esse secundum naturam, sed alium potius pro his, his ipsis antiquiorem, è cuius mutatione hi gignūtur. Nullum tamen huiusmodi decretum potest in medica contemplatione constitui, quod Melissi sententiæ in naturali scientia respondeat. Iam ergo ubi hi aiunt id unum coactū à calido & frigido transmutari, & dulce fieri amarumq; & album & nigr:

nullum ex his quatuor insinuare uidētur. Sic ergo istis opponit illud nō fore secundum naturam, sed quippiam aliud quod in hæc uertitur. Porrò rationi consentaneum est, in præsenti dulce appellasse sanguinem: amaram uero, flauam bilem: albam, pituitam: nigram, atram bilem, in quæ illud unum à calido & frigido adactum transmutatur. Quod uero circa istius sententiæ finem additum est, & cuiuscunque alterius generis, †uirus indicat, quod in morbis grauibus suboritur. Consp icitur præterea nonnunquam & æruginosa, & fusca bilis, quam ab Isatide herba, cuius succi colorem refert, isatodem appellant: & rursus rubra quædam, & porraceæ: item & aliæ quæ nomine carent, & id maxime ubi morbus sit ex putredine.

†ὑγρῶν

ἰώδεις ? χολὴ ξανθὴ ἡ ὠχρώδης

V.

Gal. de consu. artis. cap. 8.

EGO VERO statuo ꝙ si homo unum esset: neutiquam doleret. Nam neque foret propter quod doleret, quum unum esset. ꝙ si etiā doleat, erit necesse & remedium esse unum.

Rationes illas quas afferunt, qui hominem putant esse unum, non modo nihil demonstrare, uerum & esse improbabiles ostendens, impugnauit. Nunc uero istorum etiam ipsorum qui existimāt hominem esse unum, opinionem euertit. Nam nec idem est productam rationem refellere, & opinionem tanquam nō ueram increpare. fieri etenim potest ut ipsa quidem opinio uera sit, quæ tamen ab aliquibus non recte defendatur, ut nō propter ea illa, sed magis hi qui eā tuentur, sint redarguēdi. Itaq; in præsentia, illorum rationibus omissis, eam ipsam opinionem solum & per se insectatur, ratione tum ualidissima tum etiam breuissima. Homo nanque, si unum esset, nequaquam doleret. Diximus rationem nihilo minus eos etiam

parte opportunum est excitabat: aut qui illi erant, quos taxat ubi de spina agit. Multa nanque eius generis in libro de fracturis atq; articulis ab Hippocrate literis mandata sunt, nunc quidem contra unum, aliàs uero cōtra plures medicos aberrātes: sicuti & in libro de uictu acutorum morborum medicos multos dānans sic ferè scripsit: Multos noui medicos, qui contra quàm res exposcat, faciunt. quippe qui inter morborum initia, posteaquā homines fame cruciauerint duos uel tres, uel plures etiam dies, sorbitiones potumq; offerunt. Itaque ostendant nobis expositores, qui fuerint qui huiusmodi uictum instituerint, quive qui putauerint hominem solam esse pituitam, aut qui flauam bilem, & qui atram. subinde enim in hoc ipso de natura humana libro fuisse quosdā ait, q ita senserint. Quare melius egissent expositores si dixissent quòd forsitan ii omnes ne scripserint quidem suas has opiniones. fieri tamē etiā potuit ut scripserint quidem. eoꝝ tamē monimenta non extent: quod multis de causis potuit euenisse. nam uel ꝙ nullos habuerint doctrinæ suæ successores, uel ꝙ eorum quidam dū uiuerent, libros edere noluerint. post obitum uero, quum unum uel alterum tantum exēplar reliquerint, facile periere. Potuit etiam hoc esse, ꝙ tādē cōmētaria interciderint, qa nullo habita sint in pretio. Sed & inuidi sæpe ueteꝝ authoꝝ opera, aut abscondunt, aut delent: quod ob id agunt, ut possint ea sibi uendicare, quæ in illis conscripta fuerant. Vel quid mirum est, ꝙ huiuscemodi ineptæ opiniones interierint, quum apud Athenienses aliqui reperti sint poetæ tum comici, tum tragici, q magno cū applausu in certamē descenderint, quorum nullæ fabulæ superstites sunt. Sed ut cæteras præteream causas, duarum tantum quæ nuper Romæ cōtigerunt, meminerim. Sępe tēpla

De errorū authorib. nō satis constare.

Monimenta veterū interierūt.

Poëtarū scripta intercidunt.

incendio absumpta, sæpe terræmotu, aut alia de causa occasionem præstitisse ut libri quamplurimi perierint. Non igitur se recte Capito gessit, quum ausus est antiquam inuertere scripturam, neque id præterea addidit, potuisse primum librarium aberrasse, alterumq; pro altero scripsisse. Et male etiam expositores quidam de Xenophane mentiti sunt, inter quos est Sabinus, q his ipsis uerbis scripsit. Neque enim dixerim hominem esse omnino aerem, ut Anaximenes, neque aquam, ut Thales, neque terram, ut alicubi Xenophanes. Nullibi enim Xenophanem inuenias hæc ita promulgasse. Sed & ex suis met uerbis aperte deprehenditur Sabinus mētiri, nō ex ignorantia deceptus, alioqui enim librum nominasset, ubi hæc ille pronunciauit. Nunc uero sic ipse scripsit: aut terrā, ut alicubi Xenophanes. Theophrastus præterea, si ea esset Xenophanis opinio, in compendio naturalium opinionum id scripsisset. Porrò potes tu, si harum reꝝ historia delectaris, libros Theophrasti qbus ille naturales opiniones redegit in cōpēdiū, legere. Quemadmodum si tibi cordi esset cognoscere priscorū medicorum opiniones: libros de medica congregatione inscriptos, Aristoteliq; ascriptos, à Menone tamen eius discipulo (ut creditur) conditos, unde & nonnulli Menonios eos appellant, habes quos possis legere. Constat. n. ꝙ Menon ille, cōquisitis diligenter libris omnibus ueteꝝ medicoꝝ, qui eo tēpore superstites adhuc erant, inde eoꝝ collegerit opiniones. nā quoꝝ nō amplius extabant, uel si extarent, nōdū tamē, ut uideri potuerint, editi fuissent, eoꝝ ille opiniōes descripsisse non poterat. In hisce igitur libris nunquam reperias ne ab uno quidem dictum, quòd bilis flaua, uel nigra, uel etiam pituita sit naturæ

Sabinus de Xenophane mentitur.

Theophrasti cōpendiū nālium q̄ct.

Menon Aristotelicꝰ.

hominis elementum. Fuerunt attamen multi Hippocrate etiam posteriores, qui uisi sunt putasse in nobis solum esse sanguinem, ita ut noster etiã primus sit ex illo ortus, atque etiam incrementum in utero, ac mox quoque editorum in lucem absolutio. Verum Hippocrates sic paulo post scripsit, ac si aliqui fuerint qui putauerint & bilem & pituitam esse hominem. qui id nunquam scripsisset, nisi extitissent suis illis tẽporibus, uel forsitan prioribus, qui sic essent arbitrati.

II.

MIHI VERO qui hæc aiunt, non recte sentire uidentur. eadem enim sententia utuntur omnes, uerum non eadem dicunt: sed mox eundem inferunt sententiæ illius epilogum. Nam quod est, unum esse dicunt, & id & unum esse & omne: nominibus uero deinde discrepant. hic enim aerem esse ait hoc unum & omne, ille aquam, alius uero terram, & eorum unusquisque suæ rationi testimonia & coniecturas inducit, quæ tamen nihili sunt. Quòd autem in eadem uersantur sententia, nec tamen eadem dicant, manifesto indicat illos ea ipsa ignorare. Quod facile cognoscas, si eorum interfueris contentionibus. nam ipsis disputantibus, nunquam ter subinde homo idem ratione superior euadet: sed modo hic uincit, modo ille, ille inquam cui lingua fluxibilior contigerit ad turbam. Atqui par erat, ut qui profitetur se de rebus aliquid recte nouisse, rationem eam afferat, quæ semp superior sit, si re uera illa nouit, & si recte pronuntiat. At uero hi homines uidentur mihi se ipsos suismet uerbis, quibus in suis rationibus utuntur, demoliri præimperitia: & præterea Melissi rationem constituere. Sed de his satis.

Quasi

†Quasi illos alloquatur, qui norunt quæ illi dicant, qui unum statuunt elementum, ita huic habet sermonem. Etenim qui ignem esse elementum dicunt, ex hoc densato coactoq; & compresso cætera fieri uolunt, ita ut si ille parum densetur, in aerẽ transeat: si magis, in aquam: si plurimum & absolute, in terram. Pari etiam ratione qui aquam & qui aerem & qui terram, pro eo q uel densentur uel fundantur, alia gigni affirmant. aiunt enim aquam si densescat, uerti in terram, si fundatur, in aerem: sicuti & aer ipse quum densatur, in aquam: quum funditur, in ignem. Sic igitur ex mutua inter hæc quatuor transmutatione eorum ratio deprompta est, qui quodcunq unum elementum statuunt. Et proinde ipsos eadem uti sententia affirmat, non tamen eadem dicere. Itaque aperte eos in hoc uniuerso sermone insectatur, qui ex his quatuor elementis, unum quippiam tantummodo esse putant hominem: quos etiam aberrare autumat. Quum enim nihil demonstrent, summe †improbabilis est eorum ratio. Nam neq; hominem esse unum tantum modo ex his quatuor conficiunt, & præterea Melissi rationem erigunt, qui & ipse opinatus est idipsum esse unum, quanuis nõ unum ex his quatuor, aerem inquam & terram, aquam & ignem. Videtur autem uir hic unam excogitasse communem substãtiam omnibus his quatuor subiectam, & interitus & generationis expertem, quam mox posteriores materiam appellarũt: nec potuisse postea distincte hoc ipsum monstrare. Porrò hanc ipsam substãtiam, ens & omne nominat. sed is neque etiam sermo uerus est: quum nec unicum & solum sit (ut credidit Melissus) eorum corporũ quæ generationi & interitui sunt obnoxia, principium. ad id enim quatuor accedunt qualitates, frigus summum, & siccitas, calor, & humiditas: ut

†In impſ. habet. ὡ's

πρὸ's ει'ο'τας. alibi tamẽ legit ὡ's πρὸ ει'ο'ω's. i. quasi præuiderit.

†In ant. legit ἀ'πῖθανος nõ πα'νυ'.

Melissus

Materia.

τὸ ἓν καὶ τὸ πᾶν.

Sectio septima. b

Vnũ nõ est principiũ.

tamen hæ minime sint uel alterius cuiusp iam rei, uel etiam naturæ ipsius hominis elementa, sed potius principia. Hæc sanè apud ueteres, qui nunquã intelligentia assequi potuere quænam inter principium & elementum sit differentia, confundebantur: quum posſint ipsa quoque principia elementi nomine appellari. Atqui hæ duæ res sunt, quæ planè inter se mutuo discrepant: quippe q̃ altera quidem sit minima totius particula, altera uero id, in quod intelligentia hanc ipsam minimam particulam diuidas. Neque enim unquam ipsum ignẽ diuides in duo corpora, è quibus illum esse contemperatum possis ostendere, sicuti neq̃ terram, neque ignem, neque aerem. cogitare tamen potes alteram illius esse substantiam, quod transmutatur: alteram uero, eius esse transmutationem. idem .n. non est quod transmutatur, & transmutatio, quæ in eo fit. Subiectum siquidem est quod transmutatur: transmutatio, uero uicissitudine qualitatum fit. Etenim, quum in illo summus oboritur calor, ignis gignitur: quemadmodum aqua, quum summum fuerit assecutum frigus. Eadem etiam ratione terra fit, quum subiectum id, quod ex sua quidem natura omni qualitate uacuum est, omnem in se siccitatem absq̃ ullo calore receperit: aqua uero, quum humiditatem. Nam non parua extitit quæstio de primo frigido, quæ tamen nihil nobis nunc usui est, quum nihil ad medicæ artis opera cõducat. Nobis nimirum utile est ut inquiramus, corpus hominis unum ne sit simplexq̃, an potius ex quatuor simplicibus concretum. Quod tum Platonis sententia nos monuit, tum uero in medẽdi methodo statim à primis libris nos etiam docuimus. Sed de hoc posterius iterum dicendum erit. Nunc ad memoriam reuocabimus, q̃ in hac nobis proposita oratione non eos oppugnamus

qui aiunt quatuor hæc esse hominem: sed illos, qui unum ex his quatuor simplicibus illum esse statuunt. Longe igitur melius legetur in prima illa oratione, si illud ἔνεσιν in prolatione, prima aspirata syllaba pronuntietur. Hippocrates etenim demonstrat non unum esse sed plura, q̃ hominis naturam constituant. non autem q̃ nullum ex his quatuor sincerum in corpore sit: quum neque id principes huius opinionis asserant, sed potius q̃ sit unũ qd præter ea quatuor, qđ tamen ex illis concretũ sit. Quem ad modum & medicamentum quod tetrapharmacum appellatur, neque cera est, neque pix, neque resina, neque seuum: sed aliud quippiã unum præter hæc ipsa, quod ex illis omnibus simul temperatis compositum est. Rursus hæc etiã opinio bipartita est. Quidam enim solas quatuor qualitates per se totas inuicem temperari, alii uero & substantias promulgarunt. Primæ opinioni præsunt peripatetici, Stoici uero secundæ. Immo & Empedocles ante hos arbitratus est compositorum corporum naturam ex quatuor elemẽtis & eis quidem immutabilibus constitui, mutuo ita inter se mistis illis primis, ut si ærugo, chalcitis, cadmia, atq̃ misy exquisite læuigata, & in puluerẽ redacta sic commisceantur, ut nullum corũ possit seorsum & absq̃ altero pertractari.

III.

PORRO EX medicis quidã sunt, qui asserunt hominem esse sanguinem: alii bilem, nonnulli pituitam.

In priori parte philosophos refellit, qui uel solum ignem, uel aquam, uel aerem esse arbitrantur nostri corporis naturam: nunc autem ad medicos conuersus, ostendit hos non secus ac illos errore detineri: hos inquam, quicunque aut solum san-

guinem putant esse hominem, aut bilem, aut pituitam. Iam igitur conspicue definitū est id, quod in principe huius libri parte ambiguū uidebatur: nempe q̄ non eos insectetur, qui quatuor ponunt elementa, sed illos semper qui unum aliquod ex illis, & id solum. Verum hoc in loco quādam medicorum opinionem, Melissi opinioni respondētem prætermisit, qui dicant hominem esse quippiam unum, quod dum mutatur, fit quodcunque illorum, quorum est habita mentio.

IIII.

EVNDEM VERO & isti omnes epilogum faciunt. Eorum enim unusquisq; idipsum unū esse ait, quodcunque ipsi nominare uoluerint: atque etiam q̄ istud sic unum existens coactum à calido, frigido, humido, & sicco, mutata forma & facultate, dulce fiat & amarum, & album, & nigrū, & cuiuscunq; alterius generis. Sed mihi hæc nō uidentur sic se habere. † Itaq; plurimi talia, atque etiam alia his proxima pronuntiant. ‖

† Hæc in antiquissimo exemplari græ. reperimus.

Medicos quoque inquit, quicunque unum tantummodo secundum naturam humorem esse affirmarunt, eundem tum inter se, tum cum philosophis facere epilogum. demonstrant quippe hunc ipsum unum humorem, quem unusquisque eorū ponit, in alios mutari. At uero quæ quisq; ut suā astruat opinionem, assumit, nequaquam probat quenquam ex his quatuor humoribus esse secundum naturam, sed alium potius pro his, his ipsis antiquiorem, è cuius mutatione hi gignūtur. Nullum tamen huiusmodi decretum potest in medica contemplatione constitui, quod Melissi sententiæ in naturali scientia respondeat. Iam ergo ubi hi aiunt id unum coactū à calido & frigido transmutari, & dulce fieri amarumq; & album & nigr:

nullum ex his quatuor insinuare uidētur. Sic ergo istis opponit illud nō fore secundum naturam, sed quippiam aliud quod in hæc uertitur. Porrò rationi consentaneum est, in præsenti dulce appellasse sanguinem: amaram uero, flauam bilem: albam, pituitam: nigram, atram bilem, in quæ illud unum à calido & frigido adactum transmutatur. Quod uero circa istius sententiæ finem additum est, & cuiuscunque alterius generis, † uirus indicat, quod in morbis grauibus suboritur. Conspicitur præterea nonnunquam & æruginosa, & fusca bilis, quam absatide herba, cuius succi colorem refert, isatodem appellant: & rursus rubra quædam, & porracea: item & aliæ quæ nomine carent, & id maxime ubi morbus sit ex putredine.

† τι χωρίον.

ἰώδους ? ἰσάτιδος ἰώδους

V.

Gal. de comp. artis. cap. 8.

EGO VERO statuo q̄ si homo unum esset: neutiquam doleret. Nam neque foret propter quod doleret, quum unum esset. q̄ si etiā doleat, erit necesse & remedium esse unum.

Rationes illas quas afferunt, qui hominem putant esse unum, non modo nihil demonstrare, uerum & esse improbabiles ostendens, impugnauit. Nunc uero istorum etiam ipsorum qui existimāt hominem esse unum, opinionem euertit. Nam nec idem est productam rationem refellere, & opinionem tanquam nō ueram increpare. fieri etenim potest ut ipsa quidem opinio uera sit, quæ tamen ab aliquibus non recte defendatur, ut nō propterea illa, sed magis hi qui eā tuentur, sint redarguēdi. Itaq; in præsentia, illorum rationibus omissis, eam ipsam opinionem solum & per se insectatur, ratione tum ualidissima tum etiam breuissima. Homo nanque, si unum esset, nequaquam doleret. Diximus rationem nihilo minus eos etiam

conuincere, qui individua, quiq; incõpacta, & qui minima statuunt elementa. quippe quum iuxta horum quoque sententiam unum sit specie id quod uere est. Porrò sic primum illud corpus, quod cuiuscunque generationis atque interitus est expers appellant. Ab eo siquidem cætera omnia, ex illius scilicet compositione, suum habent ortum. Inde enim illa istorum opinio suboritur, quæ generationem nostrum in quadam eorum sempiternorũ corporum compositione statuit: quem ad modũ hæc Hippocratica, cui mox Aristoteles Stoiciq; subscripsere, in quatuor elementorum temperatura. Quòd uero nunquam, si elementum unũ simplexq; esset, corpus inde constitutum doleret, id argumento esse dicit, q̃ nullum præterea aliud reliquum esset, quod in ipsum agere posset. Nequit enim fieri, ut id unum corpus, ipsum à se ipso possit pati. Sed si quis præterea concedat, illud dolitum, ex se nimirum patiens: statim sequetur curationem illius simplicem fore. nam multiplex nequit esse curandi ratio, in quo minime multa sunt.

VI.

NVNC VERO multa: nam multa in corpore habentur, quæ ubi à se mutuo præter naturam calfiant refrigerenturve, siccentur, aut humectẽtur, gignũt morbos: Vnde multæ sunt morborum species, & multiplex quoq; eorum curatio.

In priori quidem dictione, eos qui hominem asseuerant esse quid unum, quod perinde est, ac si dicant unum esse elementum ex quo ipse cõstituitur, ex his absurdis quibus istorum opinio obnoxia est, redarguit. nequaquã enim doleremus: quippe q̃d nihil aliud præterea esset quod id unũ posset afficere. Deinde uero id si concedatur: tunc simplex erit, non uaria eius curatio. In hac autem nobis in præsenti proposita dictione recensuit ea q̃ ipse mox ostendet esse, è quibus cætera omnia primum gignantur. Ea sunt, calidum, frigidum, humidum, & siccum. quæ si fuerint simul moderate cõtemperata, sanum erit animal. Vbi uero se mutuo calefecerint, infrigidauerint, exiccauerint, & humectauerint: dolores suapte natura excitant, qui non unica deinde ratione curantur. Eorum etenim nõnulli refrigeratis particulis dolentibus, alii illis calefactis, aut humectatis, aut exiccatis tolluntur. de quibus plenius egimus in libris de simplicium medicamentorum facultatibus, & in libris præterea methodi medendi. Non erit tamen ab re, si aliqua hic etiam breuiter exposuerimus. Manifestam sanè habet indicationem, nos ex calido, frigido, humido, & sicco, & dolere & curari. Quis enim est, qui non nouerit quòd dolor suboritur, ubi quis uehementi hieme domo exeat? quis etiam ualido æstu ob sitim non doleat? uel qui dum nimis potu repleatur? At sitis nobis siccescentibus fit: nimia uero repletio in oppositum affectum perducit. Inflammationes quoque, ac omnes tandem præter naturam, dolorificosq; tumores nonnunquam influxus in aliquam partem exuberantis humoris, nonnunquam humores aut calidiores aut frigidiores quàm ratio naturæ poscat, pariunt. Atqui & corporum, quæ nimio sint humore repleta, curatio per euacuationem absoluitur: eorum uero quæ supra naturæ modum exiccantur, per rerum humectantium administrationem. Sic quę pre gelu dolent, si calfiant: q̃ calore immoderato, si refrigerentur. Monstrauimus autem & omnia medicamenta calefaciendo, uel refrigerando uel humectando, uel exiccando agere. Hæ. quippe sunt primæ qualitates, quæ ut in libro de elementis secundum Hippocratem docuimus, corporum sunt

Principia rerũ

tum effectrices tum alteratrices. Has aliæ omnes sequuntur tã q̃ ad gustum attinent, quarũ nomina sunt astrictio, austeritas, acerbitas, amaritudo, salsedo, acrimonia, acor, dulcedo, unctuositas: quàm ét quæ ad colores, ut albedo, nigredo, rubor, & reliqua eiusce generis: & quæ ad tactum, ut durities, mollities, friabilitas, lentor. Sed quæ olfactum afficiunt æquali ferè numero constant cum gustatoriis, speciatim tamen nomine carent. nam ea differentia quæ penes bene uel male olere attenditur, recte quidem differentia existimabitur: uerum dicere possumus quòd multas consequatur species. Porrò hæc sunt summa huius orationis capita: quorum alia in libro de elementis secundum Hippocratem, alia in commentariis de simplicibus medicamentis demonstrata sunt. Multi tamen demonstrationes quidem addiscere negligunt: his uero, quorum ignari sunt, prompte aduersantur: contra quàm faciunt disciplinæ ueritatisq̃ studiosi, qui demonstrationes omni cum diligentia addiscunt, aliis uero contradicere negligunt.

VII.

EGO VERO æquum esse censeo, ut is, qui asserit hominem solum sanguinem, nec quicquam aliud esse, ostendat illum nequaquam formam commutare, aut fieri omnimodum, sed quodam anni tempore, aut ætatis ipsius hominis, quo solus in homine sanguis inesse appareat. Nam alio qui consentaneum est tempus aliquod esse, quo illud in se unum esse appareat. Eadem quoque ego illis opposuerim, qui pituitam aiunt, aut bilẽ hominem esse.

Nunc quoque illis cõtrarius est, qui hominem unum esse aiunt, quod usque ab initio dicebamus illius fuisse institutum. Primumq̃ illos reprehen-

dit, qui ipsum esse sanguinem dixere. Nam̃ si natura solus in corpore sanguis haberetur, oportebat in primis (inqt ipse) ut homines qui integra essent ualetudine, solum in corpore sanguinem seorsum a bile uel pituita continerent. Et si etiam illis concedatur quandoque & bilem atque pituitam continere, mox aliquam unam reperiri ætatem, aut tẽpus aliquod anni, quo sanguis solus absque succis aliis in corpore inueniretur. Eodem pacto eos redarguit, qui uel bilem affirmauerint esse hominem, uel pituitam: quod idem est ac solum id esse secundum naturam. putãt siquidem ex hoc ipsum humore primum habuisse ortum.

VIII.

EGO QVIPPE quęcunque secundum legem, & secundum naturam esse hominem dixero, illa ostendam semper eadem esse pariter in iuuene, & in sene, frigidiori anni tempore, & calidiori: cõiecturas præterea afferam, & causas insinuabo propter quas ex necessitate quodlibet eorum in corpore increscit ac contabescit.

Pollicetur se monstraturum, semper ea quæ ab ipso ponuntur, elementa in corpore contineri, per ætates omnes, ac etiam per omnia tẽpora, & præterea quum augetur & contabescit, hoc est quum decrescit. Secundum legem uero est id, quod in hominũ opinione & existimatione est. mos enim priscis illis fuit sic loqui: sed secundum naturam, id quod est secundum ipsam rerum ueritatem.

IX.

PRIMVM itaque necesse est, ut eius generatio nõ sit ex uno. Quo modo enim quod unum est poterit aliud gignere, nisi alicui commisceatur?

Semp̃ sanè Hippocrates ea sectatur, quę euidẽ-

tia ſunt:unde nunc etiam ait,nihil poſſe ex uno fieri abſque ope alicuius alterius externi,quod & ipſum cum eo moderatione temperamenti conueniat.Et equidem neſcio quo unquam modo illorum philoſophorum,qui naturales appellãtur, aliqui auſi ſint opinionẽ adeo abſurdam promulgare,ut naturalem cõtemplationem penitus euertat.Qui nanque uniuerſum unum eſſe ait,omnem ea ratione generationem aufert:quoniam ſi unum eſt quod genitũ eſt,id neque prius erat,neque paulopoſt futurum eſt.Nam neque Thales,neq; Meliſſus, neque Heraclitus erant antea,aut nunc ſunt. Num igitur quiſpiam uere dicat uiros hos non fuiſſe:aut fuere quidem,& eorum quilibet annis uixit pluribus: ſed quo tempore uiuebant non erãt? aut concedemus illos eo tempore fuiſſe,ut tamẽ poſtea dum erant,eos non fuiſſe dicamus?Porrò ſiquis eos eſſe fateatur,fatebitur & factos fuiſſe. Quo modo uero platanus,lapis,& leo, quæ ortum habent & interitum,quõdam non erant?Q d ſi generatio rei eſt quæ antea non erat:eam eſſe neceſſe eſt ex ſubiecta quadam ſubſtantia.Hanc autem uidemus ipſam per ſe ſolam minime poſſe generare.Nempe aliquo externo tum humore, tum calore & eo moderato,ut aliquid inde generetur, egent plantarum ſemina.Quia ſi ſemẽ ea eſſet natura,ut ſolum poſſet generare,nulloq; externo indigeret: ne minimo qdẽ tpe ſtaret quin generaret, immo ſtatim germinaret.At uero ſæpiſſime quã plura ſemina non menſes modo,ſed & annos perdurare uidemus:quippe quòd à ſeipſis tantum nõ habent ut generent,ſed externo egent auxilio.id quod non ex ſimplici prouenit contactu,ſed potius ex ui quadã, quæ introrſum p totũ id, quod tangitur impertitur.ſiquidẽ ſemẽ,dũ generatio fit, in arboribus & herbis,atque etiã plantis per totũ

uidetur alterationis fieri particeps,atque adeo lõge etiam magis hoc in animantibus apparet:quũ neque ex ſolo mare,neque ex femina,niſi ea commiſceantur,fieri quicquam poſsit.

X.

DEINDE, NISI ea miſceantur, quæ eiuſdem ſint ordinis,quæq; eadem ui prædita ſint, neque generabunt,neque ea unquam abſoluentur, quæ cum nobis eadem ſint.

Non modo fieri non poſſe ait,ut quicquam ex uno gignatur:uerum nec etiam ex duobus niſi ea eiuſdem fuerint ordinis,id eſt niſi ſubſtantiæ affinitatem habeant.Quod in animalium genere diuerſorum generatione manifeſto fieri uidemus:ut in equis & aſinis ,atque etiam in uulpibus & canibus.Ex horum enim mixtione animal gignitur, quaſi ex utriſque mixtum.Quę uero naturam habent plurimum diſſentientẽ, nunquam poterunt, quantumlibet commiſceantur,generare aliquid. Porrò huius libri expoſitores ea quę in fine huius contextus adiecta ſunt,tanquam aperta prętereũt, Neque ea unquam abſoluentur,quæ ſint cum nobis eadem:quum tamen obſcura ſint,uel quòd per peram ſit ab authore interpretatum,uel quòd illi qui tranſcripſerunt,aberrauerint.Hoc autem mihi uidetur uoluiſſe inſinuare. Niſi animal qđ miſcetur alterũ alteri ſimilis fuerit ſpeciei(quod ipſe naturæ quandã communionem appellat)neque ea unquam gigni poterunt, quæ cum nobis eadem ſint:hoc eſt nunquam ex eo congreſſu gigni poterit animal ſuis genitoribus ſimile. Sed fortaſſe neque dictio hæc ſe in hunc modum habebat. Neque ea unquam abſoluentur quæ cum nobis eadem ſint.

XI.

†In ant. non ita legitur ὡς πάλιν εἰ μή, sed sic incipit εἰ γάρ μή.

†ITEM NISI calidum cum frigido, & siccum cum humido mediocriter mutuo & æqualiter se habuerint, sed alterum altero plurimum præualeat, ualidius nimirum imbecilliori: nulla unquã generatio fieri poterit.

Dixerat prius nullam generationem absolui posse, quæ prolifica sit, nisi eorum congressus fiat, quæ sunt ordinis eiusdem: ut tamen nec eorum etiam coitus, quæ eiusdem sunt ordinis, semper generet. Ipse uero in aphorismis rationem hanc exquisite prosequutus est, ubi ait. Quæcunque uteros frigidos habent & densos, non concipiunt: & quæcunque humentes uteros habent, non concipiunt, genitura siquidem extinguitur: ac etiam quæ siccos magis & adurentes. nam alimenti inopia semen corrumpitur. Qui uero temperiem inter hęc utraque mediocrem obtinent, fœcundi euadunt. Hoc sermone docet quibus de causis mulieres infœcundæ reddantur. Insinuat præterea & id qđ hoc ipsum consequtur, de quo tũ nos alibi, tum alii multi ante nos scripsere, Platoq; indicauit, quũ inqt non esse artis exiguæ, ut qs norit uiros atq; mulieres temperamento inter se ad liberos procreandos apto, copulare. Eadem etenim quæ ipse de uteri temperie retulit, de seminis quoque temperamento intelligenda sunt. Nam & id nonnunquã frigidius est uel humidius quàm par sit, quandoq; siccius uel calidius. Est autem sicciori utero humidius semen conuenientius, humidiori uero siccius: quemadmodum & calidiori frigidius, frigidiori calidius. Sed de his plenius in libro de liberorũ procreatione diximus. Ad præsens autem hoc satis sit nouisse, ꝙ nequeat ex uno quicquã gigni uel etiam ex duobus pluribusve, si ea absque ulla

mutua naturæ affinitate coeant quodq; præterea idipsum nunquam sine temperamenti, quod ex illis coeuntibus conflatum sit, moderatione gigni queat.

XII.

QVARE QVO unquam pacto rationi consentaneum esse potest, ut aliqd ex uno fiat: quando ne ex pluribus quidẽ, nisi bene inter se quod ad temperamentum attinet, illa se habeant, gignatur.

Huius dictionis nonnulla quidem sanè iam ex superioribus patent. Verum & meminisse nominis illius oportet, quod in ea prolatum est, temperamenti inquam, quod ipse κρᾶσιν dixit: Primus enim Hippocrates omnium quos nouerimus, elementa contemperari, sicuti etiam paulo antea à nobis monstratum est, pronuntiauit, atq; hac ratione ab Empedocle dissentit. nã & ille ex eisdẽ elementis uoluit tum nos, tum alia etiam corpora gigni quæ terram incolunt: ex quibus Hippocrates, illis tamen non mutuo contemperatis, sed potius per minimas portiones iuxta se positis ac contigentibus. In commentario autem de elementis secundum Hippocratem, ubi de omnibus ferè opinionibus naturalium philosophorũ, quæ de primis fuerint elementis meminimus, monstrauimus ꝙ easdem hæc opinio patitur reprehensiones, quas illæ, quæ uolunt corpus sensile ex primis corporibus impatibilibus & sensus expertibus fieri.

XIII.

NECESSE IGITVR est, quum talis sit, ut aliorum omnium, ita etiam hominis natura: hominẽ non esse unum, sed unumquodq; eorum, quæ quippiam ad generationem cõferant, talem ali-

quam habere uim in corpore, qualem etiam contulit.

Præfatus Hippocrates ꝙ nisi calidum cum frigido,& siccum cum humido mediocriter fuerint contemperata,generationes corporum generabilium fieri nequeunt: porrò nunc palàm non modo hominum corpus,sed & cæterorum omnium quæ generationis & interitus participant,ex eisdē gigni autumat. Omnia siquidem ex calido, frigido,humido,& sicco ortum habuere, & proinde hæc sint communia omnium elementa. At naturæ hominis propria,sunt sanguis,pituita, bilis flaua, & nigra. quanuis nec ista etiam quis recte propria dixerit: quippe quæ omnibus animantibus sanguineis communia sint. Sanè manifestum est ꝙ istorū unumquodq; ex primis illis quatuor cōstant,quæ nos ex ipsis qualitatibus sumpta appellatione,dicimus humidum, frigidum, siccum & calidum. Propria uero substātiæ eorum nomina sunt,ignis, aqua,aer,& terra. Apertum etenim est,ꝙ elementa qualitatibus simplicibus mixturæq; expertibus nuncupationem sortiuntur. Summus nanq; calor quum igni insit,ut humiditas aeri,frigus aquæ,terræ uero summa cū dēsitate & frigore siccitas: quonā igitur modo adduci potuere ut putarent ab Hippocrate poni humidum,siccum,frigidum, & calidum esse elementa,eo quòd in homine apparent: ignem uero,aerem,& aquā minime admisisse, propterea ꝙ ex his in humano corpore nullū consp iciatur? intelligentia id minime assequentes, ꝙ quæ circa corpus apparent ad ea etiam quæ apparent† quem ad modum corpora * calida,frigida,sicca & humida.* Quis ergo hæc audeat affirmare esse communia omnium corporum elementa? nemo sanè si uel parum sit eruditus,quum dicat Hippocrates: Necesse igitur est quum talis sit ut aliarum omnium, ita hominis natura. Quare nequaquā arbitrari oportet Hippocratem ea nunc quæ in humano corpore conspiciuntur, calida nimirum, frigida, sicca, & humida: sed quatuor elementa, quæ summis ac impermixtis qualitatibus prædita sunt: qbus simul contemperatis,cætera intermedia gignūtur & hæc non quidem proprie calida, frigida, sicca, & humida appellantur nisi ex dominatione. Quòd si hæc ipsa iam contemperata statuerimus: ignoro profectò quidnam nobis dicendum relinquatur. At sequenti oratione euidentius suam exponit sententiam,ad quam iam transeundum est.

Aliqua in omnibus q̄ uiderim exemplaribus desiderantur non parū facientia ad integrā huius loci sentētiā reliqui uero interpretes somniarunt potius quàm uerā Gal. sentētiam ex uerbis eius potuerint affer.

XIIII.

RVRSVS ETIAM necesse est,ut, intereunte humano corpore,unumquodq; ad suam redeat naturam,humidum ad humidum, siccum ad siccum,calidum ad calidum, & frigidū ad frigidū.

Homine(ait)mortem obeunte,unūquodq; prędictorum elementorū excretū ad suā ipsius redire naturā,quæ ipse calidū uocat,frigidū,humidū, & siccū,nunq; afferens sanguinē ad mūdi sanguinem, pituitam ad pituitam,bilem ad bilem,arteriam ad arteriam,carnem ad carnem,uenam ad uenam,neruumq; ad neruum reuerti: sed quod in his habetur calidum,frigidum,humidum,& siccum in cōmunia omnium abire elemēta. Neruus siquidem ex calido,frigido,humido,& sicco,ipsis nimirum elementis,non autem ex alio unquam neruo cōponitur: quem ad modum neque uena ex alia uena. quando ne cogitari quidem potest, ꝙ hæc mutuo per tota contemperentur, caro scilicet & uena, osq; & arteria, & aliæ præterea parriculæ. At ipse calidum, frigidum, humidum,&

ficcum, si eorum meminerimus, quæ paulo superius sunt exposita, mutuo per tota contemperari sensit. Et proinde non illæ calidæ, frigidæ, humidæ, & siccæ particulæ, q aperte in corpore humano cõspiciuntur, sunt elemẽta naturæ humanę: sed ea potius, quæ has constituunt & gignunt. Ea uero sunt aqua, ignis, aer, & terra. de quibus in libris de elementis iuxta Hippocratem disseruimus.

XV.

HVIVSCEMODI autem est & animalium, atque etiam cæterorum omnium natura.

Non modo hominis, inquit, huiuscemodi est, uerum & aliorum omnium natura, nempe ex calido frigido, humido, sicco summis atque simplicibus contemperata. quæ enim sunt in medio sita, suum ex his temperamentum assecuta sunt. hoc siquidem cogitatione capi nequit, ut dicamus quę in medio sunt, temperiem suam habere ex his quæ in medio sunt: id quod se affirmare minime animaduertunt qui nostram naturam ex his humidis, siccis, calidis, & frigidis, quæ in nostro inspiciuntur corpore, constitui aiunt. Sed & id etiam ab omni intellectu remotius est, ut cæterorum animantium stirpiumq; naturam ex his constare dicamus. Hippocrates etenim aperte in hac orationis serie promulgauit hãc esse & omnium aliorum naturã. quid uero ad hoc illi dicturi sint, equidem nescio. Porrò fici semine in terram iniecto, si ingens inde arbor enascitur, absurdum est dicere aliunde quã ex terra & aqua tantam illi accessisse substantiã. At uero terra sua ipsius ratione summe frigida est, quũ tamẽ ficus plurimũ, quo uiuit, calorem habeat: proindeq; quamtumlibet refrigeretur in ualida hieme, non tamen emoritur. Vnde manifesto constat non modo ex terra & aqua fici corpus constitutum,

Elementa in rebus insunt.

constitutum, uerum, & igneę naturę esse, particeps atque etiam aereæ, ut patet: quando eius lignum non solum terra, sed & aqua conspicue leuius sit. Ex his ergo quatuor ficus composita est. q si hæc, nempe & eius fructus, & cæteri præterea fructus omnes. At triticum, ordeum, faba, & reliqua frugũ semina sunt fructuum partes: quare erunt & illa ex his quatuor coagmentata, terra inquam, igne, aqua, & aere. humores uero q in nobis sunt, quum ex fructuum stirpiumq; esu gignantur, habebunt & illi primum sui ortus initium ab aqua, aere, terra, & igne. Veꝝ & idipsum in libro de elemẽtis secundum Hippocratem demonstratum est. Iam igitur ad aliam partem transire erit opportunum.

XVI.

ATQVE OMNIA eodem oriuntur modo, eodemq; intereunt.

Neq; si qs uaticinatus esset, fore quosdã homines, qui illũ adeo obaudirent, toties idipsum dogma ab illo fuisset repetitũ, quoties fecit Hippocrates, non homines tantum, sed omnia, inquiens, eodem oriri atque etiam interire modo: è quatuor nimirum, ut dictum est, elementis, non autem ex illis particulis calidis, frigidis, humidis, & siccis, quæ in corpore sunt. Reperiuntur attamen nonnulli adeo literarum grecarum ignari, ut existiment calidum id frigidumq; & humidum & siccum, quæ in humano sunt corpore, ac sensibus percipiuntur, esse communia generationis elementa.

XVII.

EX HIS ETENIM omnibus, quæ à nobis exposita sunt, ipsorum natura constat, atque etiam iuxta ea quæ diximus, in idipsum desinunt. Vnde igitur orta sunt, eò abeunt.

Sectio septima.

In eodē decreto pſiſtit, q̄ oīum natura ex quatuor iā dictis conſtet, ac in eadem deſinat. Nam inquit, unde conſtitutum unūquodq̄ eſt, ꝯ quoq̄ abit: ad communia uidelicet mundi elementa, terram, aquam, aerem, & ignem. Hippocratis igitur ſententia omnino haud intelligunt, neque etiam id quod ipſe inter initia dixit, Neque enim dixerim hominem eſſe penitus aerem, neque aquam, neq̄ ignem, neq̄ terram: quum illud πάμπαν, pro nulla ex parte exponunt. Apparet etenim Hippocratem nequaquam negaſſe communia omnium elementa in humano haberi corpore, ſed eos accuſaſſe, q̄ unū tantūmodo ex ipſis ponere uoluerint.

XVIII.

CORPVS AVTEM hominis ſanguinem in ſeipſo continet, pituitamq̄, & bilem duplicem, flauam ac atram. Et hæc eſt ſua ipſi natura: atque ob hæc tum dolet tum ſanum eſt.

Poſtea quàm finem fecit ſermoni, qui de communibus elementis habendus erat: in hac nunc nobis propoſita orationis ſerie, ad elementa ſanguineorum animalium, in quibus eſt etiam homo, tranſit, ſtatuens nos ex ſanguine ortum habere pituitaq̄ & bile duplici, flaua & atra: & ab eiſdem quoque ꝯ in uita omnino permaneamus, & tandē ꝯ hæc ipſa ſint uniuerſa hominis natura. Humores ſiquidem in ſolidis continentur membris: Solida uero, in prima fœtus formatione ab his conſtituuntur. omnes nanque particulæ ſuam ex ſanguine mēſtruo generationē habēt, & illo qdē nequaquā ſincero ſanguine, utpote qui duplicē bilē, atq̄ pituitā ſecū habeat. nā & hoc ipſe paulopoſt monſtrabit. & ex his quoque in nobis ſuboritur, ut & doleamus, ualeamusq̄, atq̄ ægrotemus. fiunt hęc eo quo ipſo ſequenti parte explicabit modo.

Humores

Solida membra.

XIX.

SANVM IGITVR in primis eſt, quum hæc mediocriter tū uiribus tū multitudine mutuo inter ſeſe habuerint, præſertim ſi commixta fuerint.

Ex omnium tam philoſophorum, q̄ medicorum, qui exacte dogmatici ſint, ſententia, elemētorum moderatio ſanitatem parit. At uero quū duplex genere ſit apud eos, qui rationali ſectæ inſeruiunt, elementorum ratio: aliis ſiquidem uolentibus, compoſitorum corporum generationes, primis corporibus tantummodo iuxta poſitis ac ſimul complicatis fieri: aliis eorū temperatura. priores itaq̄ moderationē in meatuū conſtitutione ponūt, ipſi græce πορο ποιεῖν dixere. Alii uero ex proba elemētorū tēperaturā nos bene ualere autumāt. Porrò huius opinionis princeps fuit Hippocrates. At uero quum duplex ſit ea moderatio, altera penes uires eorum quæ temperantur, altera penes ſubſtantiæ quantitatem: Hippocrates meminit utriusque dum ait, tum uiribus, tum multitudine. Quod autē in extrema huius dictionis parte dictū eſt, Præſertim uero ſi commixta fuerint: exactā inſinuat eorū p totū tēperaturam. In eo.n. corporis ſtatu, qui omni prorſus culpa uacat, nō modo elemētorū moderatio, uerū & eorūdē tēperies p ipſa tota ad unguē abſoluitur. At in deterioribus corporū tēperaturis nil uetat humores in unoquopiā mēbro quādoq̄ nō equaliter, nec ſimiliter, nec per totum inuicem temperari. Verum enimuero ubi nondum conſpicue læditur functio, culpata quidem ſanitas eſt, nondum adhuc tamen morbus.

Duplex elementorū ratio.

Moderatio duplex

Gal. de atra bil. cap. 5.

XX.

DOLET autem quum horum quodpiam aut minus aut amplius fuerit, uel ab aliis ſeorſum conſtiterit, nec omnibus ſit contemperatum.

Vt in ſanitate exquiſitam illam moderationem in quantitate & uiribus ac etiam in temperie per tota illa ſtatuit: ita quoque in morbo his contraria ponit, minus ſiquidem plusve ad ſubſtantiæ tum quantitatem tum uim referens: id uero, ꝙ cum cæteris temperata non ſint, in intemperiem, aut temperaturæ inæqualitatem, aut quomodocunq; uoluerit quis hoc nominare.

XXII.

NECESSE ENIM eſt ubi horum quicquam p ſe & ab aliis excretum conſtiterit, non modo locum unde exierit morboſum reddi, uerum & eum ubi ſteterit influxeritq; & impactum fuerit dolore tentari laboreq;.

Quoties ex humoribus quatuor aliquis per ſe ſolus in aliqua† fuerit receptus particula ab aliis ſecretus, nec totus ſit per totos illos contemperatus, dolet animal, intemperie iam occupante particulam utranq;, & unde delatus eſt, & in quam ét migrauit. id uero in primis euenit in illis humoribus, qui ualidas habent uires. hi ſiquidem non ſolum multitudine particulam in quam declinarunt aggrauantes, ſed & qualitate dolorem inferunt, quum excalfaciant, ac refrigerent inſigniter.

† τὴν σχητὴν legitur in ant. l. τὴν σχητὴν in impreſſis cod.

XXIII.

NIMIRVM VBI horum quid è corpore defluxerit plus eo quod ſupernatat, euacuatio dolorem excitat.

Intelligendum eſt hoc loco, quod ſupernatat dictum eſſe pro eo quod ſuperfluit. ꝙ ſi quis hoc nolit admittere, putandum erit ſupernatans poſuiſſe pro eo quod aliis temperatum non eſt: nam utrumq; horum probabile eſt.

XXIII.

RVRSVSq; ſi intro euacuetur, ſedemq; mutet & ab aliis ſecernatur, erit neceſſarium ut duplicem, ſicuti iam dictum eſt, dolorem inferat, & unde egreſſus eſt, & ubi redundat.

Quòd hoc ſuperius dictum ſit, ipſe etiam teſtatur, ubi ait. Sicuti iam dictum eſt. illa nanque quæ pauloante hanc deſcripta eſt ſententia, ab iſta uerbis tantum, non poteſtate differt, ubi ſic ait: Neceſſe enim eſt ubi horum quodpiam per ſe, atque ab aliis ſeorſum conſtiterit, non modo locum unde exierit, morboſum reddi, uerum & eum ubi ſteterit, atque etiam influxerit, & impactum fuerit, dolore & labore tentari. At uero quia pollicitus eſt ipſe ſe oſtenſurum ea quæ dicit eſſe hominem, ſemper eadem eſſe, tam ſecundum legem q̃ ſecundũ naturam: per legem quidem hominum inſinuans opinionem, quam de his habent: naturam autem, ipſam rerum ueritatẽ: ideo ſequentia attendamus, ut uideamus, num id quod ab huius operis initio promiſerat, nunc præſtet.

XXIIII.

AFFIRMO AVTEM ſanguinem eſſe, & pituitam, & bilem tum flauam, tum atrã: horumq; nomina primũ ex lege fuiſſe diſtincta aſſeuero, nulliq; ipſorum idem inditum eſſe nomen. Mox uero & ſecundum naturam ſpecies eſſe diuerſas uſque adeo, ut pituita minime ſit ſanguini ſimilis, neque ſanguis bili, neq; bilis pituitæ. Nam quo modo hæc poterunt inter ſe mutuo eſſe ſimilia? quæ neque ex inſpectis coloribus ſimilia eſſe uideantur, nec etiam ſi manibus tractẽtur, utpote quæ nec ſimiliter calida ſint, nec ſimiliter frigida, nec humida, nec ſicca.

Et apertus est uniuersus is sermo, atque etiam quod instituerat, demonstrat. Hac etenim parte quatuor esse in corpore humores a se mutuo differentes ostendit. in sequentibus uero q̄ nō unū eorū, sed omnes sint secundū naturam. In hac autē nunc nobis proposita oratione, humores ait mutuo inter se colore, cōsistētia, calore, frigoreq; differre: id quod liquido apparet. Offendet forsitā aliquos, q̄ humor ab humore siccitate differat, utpote q̄ omnes humidi sint. At nō minus negent etiam isti eos humiditate differre. Quia si cōcesserint alium esse alio humidiorē: coget eos necessitas fateri, illū qui minus humidus sit, talē esse ex mixtura sicci elementi, quod in omnibus humoribus manifesto uidemus. Nā sæpe flaua bilis plurimum humida redditur, quo tempore non amplius flauum, sed pallidum colorem refert: sæpenumero etiam eò crassescit, ut oui uitellum imitetur, unde & à nonnullis illi uitellinæ nomen inditum est. Iam uero & bilis atra semper est crassior q̄ sit flaua, & pallida, quæ & ipsa non parū huius diuersitatis, quæ est secundū magis & minus, est particeps: sicut & sanguis, quippe qui adeo interdum humidus efficitur, ut fluat, interdum affatim crassus est. Sed & pituitam in hoc cum his ipsis humoribus rationem eādem habere uidemus. mutato enim crassitudinis & tenuitatis modo, quandoq; aquosa est, quandoq; ita crassa, ut puri assimiletur. Id uero humoribus cōtingit, quia non sunt re uera elementa, sicuti sunt aqua, terra, aer, & ignis: sed quisq; ipsorū ex quatuor illis, alio in alio uincente, suum, ut sæpius dictum est, ortum habet.

XXIIII.

QVVM ITAQVE tātum inter se tum forma, tum uiribus distent, necessum est unum non esse: nisi ignis & aqua unum sint.

Quanuis absurda sit hæc istorum sententia, qui hominem esse unum arbitrantur: uidetur tamen Hippocrates serio illos impugnare, ob id forsitan q̄ per id temporis essent uiri aliqui clari, qui eam defenderent opinionem. Nunc autem, quum plurima antiquorum uirorū scripta interciderint, par est ut lōge minus incolumia sint ea illorum decreta quæ literis nunquā fuere mandata. fuere.n. multi qui nullos unquā cōmentarios ediderint, in quibus est Socrates, & Pythagoras, atq; etiam nostris his tēporibus Quintus, celebris medicus. Præterea uero & hoc quāmaxime credibile est, multos fuisse uiros illustres dū uiuerent, q̄ ubi interiere, secū unà etiā decretorum suorum authoritas periit: quādo & Platonis, cuius habemus tot conscripta uolumina, eius discipuli alia quædā præter ea quæ literis sunt tradita, fuisse decreta referūt, quæ nullis fuere literis obsignata. Itaq; ut fidē discipulis prædicātibus fuisse illius decreta quædā non scripta, adhibemus: sic etiā Hippocrati adhibenda est, quū ait quosdā extitisse, qui dicerent solā terrā esse cōmune omnium elementū: hominis autē bilem, uel pituitam. Porrò nōnullos etiā hoc tempore noui, quorū scripta uel iam unà cū eis interiere, uel paulopost sunt interitura: quod & illi euenit, qui dixit terram omnium fuisse tū matrem & alumnam, tū originem & elementum, utpote quæ cælū quoq; (ut author est Hesiodus) genuerit, & omnia insuper animalia, quæ in ea degunt. Sed quidā ex Archigenis sectatoribus uir sanè non admodum improbus, persuasum sibi habebat, neq; in inspirando spiritum introduci, neq; in expirando egredi. Alius etiam uolebat pituitam esse primū, & elementarē humorem. Tādem itaq; finē inquirēdorū nominū eorū, qui primi absurdas has opiniones promulgarūt, faciamus. Quòd.n. Thales prīnūtiauerit

ſolam aquam eſſe elementum,&ſi ex ipſius ſcrip-
tis oſtendere nequeamus:id tamen omnes habent
pro confeſſo.

XXXVI.

QVOD VERO ea omnia haud unum ſint, ſed
ſuam quodcunq; eorum habeat tum facultatem
tum naturam,inde facile perdiſcas: Quia ſi ho-
mini medicamentum quod pituitam educit,offe
ras,ille pituitam tibi reiiciet.at ſi medicamentum
dederis quod bilem cieat, bilem euomet. Pari
modo atram purgabit bilem, quum ei medica-
mentum,quod bilem atram uacuet, exhibueris.
Sin autẽ in aliqua corporis parte uulnus infliga-
tur,ſanguis inde illi effluet. Quæ omnia tibi tota
die atq; etiam nocte,hieme,ac æſtate tandiu fa-
ciet,quandiu facultatem attrahendi ac uicisſim
reddendi ſpiritum habuerit, & quoad aliquo ho
rum,quę cognata ſunt,priuetur. At cognata ſunt,
quæ diximus. quo.n. pacto cognata nõ ſint?quũ
hoc primum compertum ſit,hominem donec ui
xerit in ſeipſo ea omnia continere: deinde ex ho
mine genitum eſſe,cui inſint hæc omnia: inſuper
ab homine ſua habuiſſe alimenta, qui ea omnia
habuerit,quæ diximus,quæq; monſtrauimus.

Aperte pariter ac uere ab Hippocrate in ſupe-
riori orationis contextu demonſtratum eſt,homi-
nem omnia in ſe habere,biles,pituitam & ſangui-
nem. Nunc autem præter id,hoc etiam oſtendit,
ex naturæ inſtituto ita factum eſſe, & non, ut non
nulli dicunt,ex eis unum. Verum cæteræquidem
iſtorum opiniones,qui unicum tantum humorem
ex natura in corpore haberi autumant, improbari
Facile poſſunt:at eorum ſententia, qui ſanguinem
ſtatuunt,non ita facile contemnenda eſt,immo nõ
leui erit opus certamine,ut illa deiiciatur. Sed tẽ-

pus eſt ut ad eam nos accedamus,ut tamen initiũ
ab his faciamus quæ ab ipſo ſuperius dicta ſunt,
quæ ſic habent: Ego uero æquum eſſe cenſeo ut
qui aſſerit hominem ſolum ſanguinem, nec quic-
quam aliud eſſe,oſtendat illum nequaquam for-
mam mutantem,aut fieri omnimodũ alio quodã
anni tempore,uel ætatis hominis,quo homo ap-
pareat unus ac ſolus eſſe ſanguis. Nam alioquin
conſentaneum eſt,aliquod eſſe tempus, quo illud
in ſeipſo unum eſſe appareat. Si itaque huic ſer-
moni id addideris,quod in hac quæ à nobis nunc
exponitur parte demõſtratum eſt, undequaq; de-
cretum Hippocratis abſolutum reddes. Hic nanq;
oſtẽditur nullum anni tempus,aut ætatis,tale eſſe,
ut in eo oſtendere quis poſsit, hominem aliorum
humorum non eſſe participem. Et per ipſas præ-
terea purgationes.quoniam ſi medicamentum,qđ
uim habeat bilem uel pituitam ducendi, cuipiam
dederis,ſanè uidebis ab eo id uacuari, cuius eua-
cuandi ei facultas à natura indita eſt, utpote quod
nullum tempus ſit,quo non omnes in corpore hu
mores contineantur. Huic rationi occurrunt non-
nulli,qui negant purgatorium medicamentum è
corpore peculiarem ſibi humorem detrahere,im-
mo illum in eam formam tranſmutare,quæ illi na
tura inſita eſt. Sed q̃ falſa ſit hæc horum ſententia,
nos in eo commentario,cui titulus eſt De medica
mentorum purgantium facultate,patefecimus:ta-
men hic quoque loco exempli unum ex his affe-
ramus,quæ ibi explicata ſunt. Sæpe etenim,in ipſis
artis operibus eos conuictos inſpexiſtis,qui aſſen-
tiri nolunt humorem uacuatum à purgante medi
camento attrahi. Nam qui aqua tenentur inter cu-
tem,quæ aſcites appellatur,hauſto medicamento
ui aquam educendi prædito, multam excernunt
aquoſam humiditatem,ut eis inde uenter detume-

scat. Quòd siquis dare his uoluerit medicamentũ bilem uel atram uel flauam cientem, & modicum quid illius humoris educetur, & præterea nõ modo uenter non resident, sed in maiorem etiam tumorem attolletur. Contra uero laborantibus regio morbo ex iecinoris obstructione euenisse uidistis. Referato enim prius eo uiscere ex medicamentis id agendi facultate præditis, si subinde detur medicamen bilem expurgans, excretio plurima redundantis humoris fit, atq; affectus ille confestim delitescit. Nec præterea uos latet similiter atq; in his, in illis factum fuisse, quibus aut pituita molesta erat, aut bilis atra. nam et plurimum noxii humoris uacuatum est, & laborantes non parũ eo incommodo leuati sunt. Itaq; si talia a purgatoriis medicamentis trahuntur, atq; medicamenta omni ætate, ac omni tempore purgant: in humano sanè corpore perpetuo quatuor reperiuntur humores. Nam, sicut paulo ante diximus, consentaneum profecto esset, ut uel unum saltem anni, uel ætatis tempus ipsius hominis uideremus, quo solus haberetur sanguis, si tanquam uera esset eorum recipienda sententia, qui statuunt unum sanguinem esse hominis naturam: quod perinde est, ac dicere omnia eius membra ex illo fuisse conflata, & ex solo sanguine usquequaque ali. Quum uero sanguis dicatur bifariam: alius quidem, quem uel secta uena uel uulnere inflicto profluere uidemus, qui & utriusque bilis, ut ostendimus, & pituitæ particeps est: alius purus & integer, & cuiusque mixturæ alterius humoris expers: porrò ex sanguine priore significatu fœtum formari fortasse uerum est: nõ ita tamen uerum est, quòd ex eo iuxta alterum significatum. neque enim is solus unquam in pregnãtibus gignitur. Cur autẽ, fortasse, in sermone adiecerim, nequaquam uos fugere puto. In cõmentariis siquidem de semine monstrauimus plures nostri corporis partes ex semine gigni, quum solæ carnosæ ex sanguine efformentur. Quoniã uero exigua est seminis in uterum iniecti moles: nutrimẽtũ ac incremẽtũ illi ex sanguine accedit. ob id ergo põt aliqs dicere, parũ abesse, quin partes ex sanguine uniuersæ formentur. Quo autẽ & semen suũ à sanguine ortum habet, eo & qui affirmauerit ex sanguine fœtum gigni, non uidebitur mentiri: ut tamen non ex sincero quidem sanguine & aliis humoribus uacuo, sed ex eo potius, qui sanguis per excellentiam dicitur. Is itaque est uniuersæ huius orationis sensus. Vt autem ad particularia accedamus, oium primũ id monuisse par erit, in usu esse nõ apud medicos solũ, sed omnes etiã græcos, ut bilẽ absq; adiectione dicant quoties flauã, aut pallidam indicare uolunt. Sed pauloantea diximus, ambo hæc nomina eandem humoris speciem significare, sola intercedente humiditatis ac siccitatis differentia. Reliquas uero biles omnes non absque aliquo adiuncto proferunt, æruginosam appellantes, aut atram, aut rubram, aut porraceam. Secundo uero loco hoc etiam aduertendum in hac parte est, ubi ait: Quandiu facultatem attrahendi, ac uicissim reddendi spiritum habuerit. Clarum enim est ipsum sentire, aerem intro inspirari ex tractu membrorum quę spiritus instrumenta sunt, expirari uero, dum ea illum reddunt. Tertio item, quum inquit, Quoad aliquo eorum quæ cognata sunt, priuetur. Nam uult, animali nedum sanguine, sed pituita quoque aut bile tam atra quàm flaua priuato mors immineat.

XXXVII

QVI VERO unũ esse hominẽ autumãt, in hác mihi sententiam iccirco deuenisse uidentur,

eorum, qui ſumptis medicamẽtis ex immodicis purgationibus periere, alios pituitã reieciſſe uiderunt, alios bilem. Vnde quod quiſq; eorum in purgatione uomẽdo interiiſſe intuitus eſt, id etiã eſſe hominẽ exiſtimauit. Nec qui ſanguinem hominẽ eſſe autumant aliunde adducti ſunt, niſi qa iugulatis hominibus ſanguinẽ profluere cernentes, id eſſe homini animã arbitrabantur. huiuſcemodi teſtimoniis hi omnes in ſuis utuntur ſermonibus.

Qui uero (ait ipſe) q̃ unum ſit homo autumant, quaſi plures hi fuerint qui hoc dicant, nec unus tantum. Vnde autem iſti qui ex elementis quatuor unum putant poſſe eſſe ſatis ad hominẽ gignẽdum, ad hoc per ſuaſi ſint, ipſe expoſuit Hippocrates. Porrò hæc quanuis, ut dixi, nobis abſurda, illis tamen ueriſimilia uiſa ſunt. quippe qui dũ in immodicis uacuationibus alius alium, alio atq; alio humore excreto uitam profudiſſe inſpexiſſent, illum unum humorem eſſe homini naturam arbitrati ſunt.

XXVIII.

ATQVI PRIMVM quidem nullus unquam ex immoderatis purgatiõibus mortuus eſt, cui ſola fuerit bilis expurgata. immo epoto medicamẽto cui facultas ſit bilem ciendi, primum bilem uomitu eiiciunt, mox pituitam, deinde ab ipſa bile atram etiam bilem euomunt ui coacti, poſtremo uero ſanguinem purum reiectant.

Hic rurſum græcorum uſum aperte inſinuat, qui ſæpe bilem ſine aliqua adiectione flauam appellant: atram uero nunquam abſque adiunctione. Et ſanè totius huius dictionis ſenſus patet: Nullũ unquam uno tantum excreto humore emori ait,

quin alii unà cum eo ſemper effundantur.

XXVIII.

ID IPSVM & illi patiuntur, qui medicamenta aſſumunt, quæ pituitam uacuant. Nam primum pituitam uomunt, poſtea flauam bilem, tertio atram, demum uero ſanguinem purum, in quo moriuntur.

Ab eo euacuato humore qui medicamento familiaris eſt, primus ſubinde ille conſequitur qui præ aliis facilior eſt ad eductionem: quem deinde excipit, qui ſecundum in hoc ordinem obtinet: omnium poſtremus ſanguis, utpote qui maxime ſit naturæ familiaris: de quo id audacter pronuntiauerim, q̃ quantumlibet ipſe ſolus non ſit homini natura, ſupra tamen alios omnes familiariſſimus eſt.

XXX.

VT ENIM medicamentum fuerit corpus ingreſſum: id quod ſibi maxime omnium quæ in corpore ſunt, ex natura eſt, agit: mox uero reliqua trahit purgatq;. In quem modum ſtirpes & ſemina poſtquam in terram iacta fuerint, attrahit unumquodq; quicquid in terra repererit, quod ei naturali affinitate congruit. (At uero terræ ineſt acidum, dulce, amarum, ſalſum, & omnimodũ. primum itaque illius plurimum attrahit, quod natura maxime ſibi proximum eſt: ſubinde autem alia.) Sic & medicamẽta in corpore faciunt. Nã quæcunq; uim habent ut bilẽ detrahant, primũ ſincerisſimam bilem expurgant, inde eam mixtã: ſed & quæ pituitam, primum eam ſincerisſimã, poſtmodum commixtam cient. Iugulatis quoq; ſanguis primum erumpit qui & calidisſimus & rubentisſimus eſt, poſtea pituitoſior & bilioſior effluit.

Aperta est hæc oratio. ipse etenim testimoniis propositam sententiam confirmat, qua dixit: Medicamentum, ubi corpus ingressum fuerit, humorem in primis attrahere qui sibi affinis sit, postea & alios. Sed & plantarum meminisse oportet, quas item ait ipse attrahere unamquanq; id quod sibi natura maxime congruens est. Contineri nanq; in terra acidum, dulce, amarũ, salsum, & omnimodũ. quo sanè modo & in homine acidum quidẽ atram bilem: amarum, flauam: dulce sanguinem: salsum uero, pituitam. aliqua etenim eiuscemodi est, sicut & alia acida, alia autem insigni aliqua qualitate caret. quo factum esse arbitror, ut extremæ orationi ipse addiderit illud, & omnimodũ: nempe quòd perspexerit non modo in pituita, uerum in aliis quoque humoribus plures haberi differentias. Nam ut acidum, dulce, amarum, salsumq;: ita acerbum, austerum, acreq; & pingue sunt inter humorum species, tam in animalibus q̃ in plantis, nec minus interra ea sunt, quæ istis ex proportione respondent.

XL. XXXI.

ET PITVITA quidem in homine augetur per hiemem, utpote quæ natura maxime cum hieme consentiat. est enim humorum omnium, quibus corpus præditum est, frigidissima. cuius rei id testimoniũ habeas, ꝙ si pituitam tetigeris sanguinemq; atque etiam bilem, pituitam omnium inuenies frigidissimam, tametsi ea uiscida quammaxime sit, uiq; maxima post atram bilem trahatur. at quæ ui cientur, à uiolentia coguntur incalescere. his tamen omnibus non obstantibus, pituita suapte natura frigidissima esse uidetur. At uero ꝙ hiems corpus pituita repleat, inde noueris: Hieme expuunt, atque per nares pituitosissima homines emungunt. sed & tumores albi hoc maxime tempore exoriuntur, & reliqui præterea morbi pituitosi.

Clara est oratio, & quæ lectorem potius exposcat, qui animum adhibeat, quàm expositorem, qui illam aperiat. Id tamen quod in ultima eius parte ascriptum est, Et reliqui morbi pituitosi: ex his quæ ab illo scripta sunt, hunc sensum habet, Hieme in primis albi excitantur tumores, & alii præterea morbi pituitosi hoc suboriuntur tempore. Porrò & febres ut æstate in uniuersum biliosiores sunt, ita hieme pituitosiores.

XLI. XXXII.

AT VERE pituita quidem in corpore adhuc pollet, & sanguis accrescit. frigora siquidem remittuntur, & aquæ accedunt, & proinde sanguis augetur, nempe ob imbres & calidiores dies. Ipsi enim ex anni temporibus hæc maxime sunt secundum naturam. Nam & humidum & calidum est, id quod his cognosces indiciis: vere ac æstate maxime dysenteriis homines arripiuntur, sanguisq; è naribus defluit, & sunt præterea calidissimi & rubicundissimi.

Huiusce etiam dictionis sensus apertus est. Nos tamen in primo libro de temperamentis dixi mus, præstare ut ver temperatum appellemus, non autem calidum & humidum, & qua etiam de causa adducti sint philosophorum & medicorum quidam, ut dicerent ipsum calidum & humidum esse. Comparatione enim temporum anni id aiunt esse calidum & humidum in generis ratione, quem ad modum in ipsis corporibus, animantia: utpote quum stirpibus comparantur. Ver autem autumno collatum, optimum est, & quasi id quod (ut ita dixerim) solum exquisite secundum

naturam sit, ei quod est prẽter naturam. Quòd autem vere sanguis exuberet, præter alia argumenta est hoc, ꝙ maxime eo tempore dysenteriæ illæ infestæ sunt, quæ cruentæ appellantur, non autem quæ ex bile intestina erodente ortum habent. Cruenta dysenteria. Porrò de hac cruenta dysenteria in quarto commentariorum in librum de articulis, egimus. ubi ostendimus hunc affectum frequentissime fieri, quum in uenis sanguinis copia multa affluerit, quem natura per uenas confertim excernit perinde, ac in mulieribus per uterum, in aliis uero per nares, aut marisscas, aut per uomitum. Veri autem ætatem addidit, tum ob dysenteriæ, tum ob ruboris cutis rationem. Suo enim calore sanguis vere genitus, ut cuitim rubicundam reddit: sic aliquibus per sedem excernitur. Sed & homines tangentibus tunc calidi apparent cum ex sanguine, tũ ex ambiente aere.

XLII. XXXIII.

ÆSTATE AVTEM sanguis adhuc uiget, & bilis in corpore assurgit, quæ ad autumnum usque protenditur. Autumno exiguus efficitur sanguis, ꝙ naturæ eius autumnus aduersetur. Bilis uero corpus æstate & autumno occupat. quod his indiciis cognosces, nimirum hoc anni tempore homines bilem spõte euomunt, & biliosiora medicamẽtis purgati deiiciunt. idipsum & febres indicãt & hominum colores. Est uero pituita æstate imbecillior. est enim tẽpus hoc naturæ illius aduersariũ, quippe quum calidum & siccum sit.

Æstate, præcipueq; inter eius initia sanguis exuberat, ut qui vere sit auctus, nec dum à calore ambientis aeris fuerit digestus. Augetur autem eo tempore bilis, quum præter naturã corpus excalfiat. Bilem hic item absq; coloris appositione, flauam inquam nominauit, qui atram nunquam sic absolute

absolute appellarit, sed semper apposito coloris nomine. Cætera uero quę particulatim in hac oratione habentur, attendentibus perspicua sunt.

XLIII. XXXIIII.

AVTVMNO SANGVIS in homine fit paucissimus. nam siccus est autumnus, & qui iam hominem refrigerare incipiat. Porrò atra bilis autumno plurima est, atque plurimum uiget.

Dictum est in superiori orationis serie sanguinẽ autumno paucum gigni, utpote quòd illi natura autumnus contrarius sit. At nos quo sit contrarius modo, iam edocuimus. Quia si sanguis perinde ac ver calidus & humidus est, & autũnus (ut ipse dixit) siccus est, & hominem iam refrigerare incipit: erit sanè autumnus ueri contrarius, humorẽq; sanguini contrarium exuberantem habebit, nempe siccum & frigidum, qui etiam merito huiusmodi redditus est ob id, quia æstate humores exusti sunt, & quod ex illis exustis residuum est, simul ac calor extinctus est, siccum ac frigidum euadit: frigidum quidem ob extinctum calorem: siccum uero ex eo ꝙ dum torreretur, uniuersus cõsumptus sit humor.

XLIIII. XXXV.

HIEME AVTEM inuadente, bilis refrigescens imminuitur: pituita uero rursum, & ex multis pluuiis, atque etiam ex longis augetur noctibus.

Humorem qui in singulis anni temporibus dominatur, illi tempori assimilari uult: & proinde frigida & humida appellatur pituita, quem ad modum & hiems: calidus & humidus sanguis, ut ver: bilem uero calidam & siccam, uti & æstatem, esse ait, ita atram bilem iuxta ac autumnum frigidam & siccam. Itaque ꝙ singuli humores illis quibus

dixit anni temporibus incrementum habeant, iam ipse exposuit: nunc uero causam refert ob quam in hieme excrescat pituita, ex multis ait pluuiis, longisq; noctibus: quasi dicas, propterea quia tempus id humidum & frigidum est. humidum siquidem esse ex pluribus indicatur pluuiis. frigidum uero, ex prolixioribus noctibus. Caloris enim, quo aer nos ambiens æstiuo tempore est affectus, sol in causa est tum ad uerticem nostrum propius accedens, tum etiam longiorem diem efficiens. Quemadmodum idem causa est frigoris per hiemem, dum obliquus & humilis, & breui tempore supra terram fertur. Sensit autem Hippocrates pro aeris circunfusi constitutione animantium corpora affici. quæ quidem siccantur in sicciori illius temperie: humectantur uero in humidiori: sic & in calidiori incalescunt, ut in frigidiori refrigerantur. Vnde si hiems humida & frigida est, consentaneum est, in ea pituitam, quæ item frigida & humida est, redundare. nam & id ipsum ab eo antea monstratum est. Huic ratio in aliis etiam anni temporibus consentiens esse uidetur. Æstate etenim flaua bilis dominatur, ut quæ facultate calida & sicca sit: Vere sanguis, humidus & calidus humor, nam & ipse ver item calidum dixit atque humidum: autumno atra bilis, quæ quum frigida & sicca sit, cum eo tempore congruit. Est attamen non leuis quæstio de veris temperatura, quo modo calidum & humidum dicatur. quod dum de eo agerem, monstraui satius esse ut temperatum dicatur: immo & sanguinem eadem ratione non esse calidum & humidum constat, sed temperatum. Porrò & alia præterea quæstio hac etiam longe maior, quam tamen omnes expositores huius libri preteriere, introduci potest de pituita, cuius natura frigida est & humida, quæq; hieme gignitur.

Vnde autem adductus fuerim, ut dicerem non esse leuem eam quæstionem, iam tibi exponam. Hippocrates nimirum in aphorismis ipsemet hæc tradit. Ventres hieme & uere natura calidissimi sunt, & somni longissimi. His temporibus plura sunt exhibenda alimenta: innatus enim calor tunc copiosus est, & proinde pluri opus est alimento, indicio autem sunt ætates & athletæ. Rursus etiam æstate & autumno cibos difficillime ferunt, hieme uero facillime, mox uere. Quòd si hæc sunt uera, nouimus autem pituitam humorem esse frigidum & humidum, nec ut sanguis temperatum: quo modo potest in hieme copiosior gigni? Nam conueniens utique erat, ut ex alimento exacte cõcocto sanguis magis q̃ pituita generaretur. Quænam igitur erit huiusce dubitationis solutio? Vt ego quidẽ reor, uentres hieme natiuo calore calidissimi sunt, hoc est temperatissimi: reliquæ attamen particulæ corporis hieme magis refrigescunt, immo nonnullis etiam uentriculus ipse, uel ex itinere, uel ex indumentorum penuria, uel ex uitæ studiis, uel ex alia quapiam simili re. Itaque aeris ambientis uniuersum frigus ad penitiores usque partes penetrat, ita ut in aliquibus (ut iam diximus) ad regionem secundum uentriculum pertingat. Vnde & si probe assumpti cibi in uentriculo conficiantur: non tamẽ in iecinore, dum in sanguinem mutantur, illius exq̃site cultum assequuntur, sed ab eo aliqua ex parte aberratur. Præterea longe etiam magis uenæ per uniuersum corpus dispartitæ, ut quæ refrigeratæ sint, nequeunt illum similiter transmutare. Ad id accedit ciborum copia hieme oblatorum, qui suis qualitatibus pituitosiores sunt. Multis enim leguminibus hieme uescuntur, & pane quoque amplius quàm cęteris tẽporibus, & similagine, & iis quæ rhyemata græce appellantur, oleribusq;, &

ſatiuis,& multis carnibus,quaꝝ aliq̃ manifeſto pituitoſę ſunt,ut ouillę:alię uero niſi,ꝓbe fuerint cõfectæ,ut ſuillæ,in primis ueroporcinæ.bulbis præterea,cochleis†& caſeo,& id genus aliis,q̃ ꝑ totã hiemẽ in uſu habẽt,ſuntq̃; parata ut in pituitã uertãtur.quin & nouum pleriq; uinũ bibunt,quod & ipſum pituitæ generandę aptum eſt.His igitur de cauſis hieme plurima excreſcit pituita.

Alibi legitur ὡ ὠ ἀ .i.& ouis

XLV.

ITAQVE HÆC omnia perpetuo in humano habentur corpore:quæ tamen pro ratione inſtãtis temporis particulatim & ex natura ſingula nunc augentur,nunc imminuuntur.

Omnia(inquit ipſe)prædicta,humores nimirũ quatuor,corpus humanum continet quoad uixerit:id enim Hippocrati,ſignificat perpetuo. Hæc ex temporum anni uicisſitudine creſcunt ac decreſcunt. Nam & illud,pro ratione inſtantis temporis,idipſum ei ſignificat,quod mutato & uerſo in aliud,quod ſubinde illud conſequitur. Quod uero augeri hæc & imminui ait particulatim & ſecũdum naturam:nonnulli ſic accipiunt,ac ſi illud ad corporis partes referendum ſit:alii uero,tanquam contrarium illi, quod eſt ſecundum naturam , ut eius ſermo in hunc ſe habeat modum: Humanum corpus ſemper quidẽ prædictos habet humores quatuor,ut tamen eos aut copioſiores aut pauciores pro anni partibus,& natura habeat. Quòd ſi id commutata oratione dicas:uerum iuxta ac utilem ſenſum habebit.Humorum enim copia pro anni temporibus,cum ille ſecundum naturam habuerit,euariat. Attamen penes totius anni partes, quanuis ille minime etiam ſecundum naturam habuerit,humores quantitate differunt. poteſt uero partes hic de anni temporibus intelligi.

XLVI.

PORRO VT annus uniuerſus omnium particeps eſt tam calidorum & frigidorum , quã humidorum & ſiccorum.Nam nihil ullo unquam tempore ſine his omnibus quæ in hoc mundo ſunt,conſiſtere poſſet : immo ſi uel unum quippiam deſit,cætera etiam omnia aboleantur,quia omnia eadem neceſſitate cõſtituta ſunt.mutuoq̃; ab ſe aluntur.

Quòd calidum,frigidum,humidum , & ſiccũ, non id quod per excellentiam ſic dicitur,atque ẽt intelligitur,uerum id quod elemẽtare eſt, dixerit: in hac etiam nunc propoſita oratione indicauit, dum ait annum uniuerſum omnium eſſe participem Neque enim eorum omnium quæ per excellentiam dicuntur,annus particeps eſt, ſed elementarium.tota ſiquidem hiems,humidi & frigidi : at æſtas,contrariorum ſicci & calidi:reliquorum uero duorum temporum,ſingulum ſecundum oppoſitionem:alterum enim humidi & calidi,alteꝝ frigidi & ſicci.Sed & planius hoc ipſum etiam inſinuat,quum dicit:horũ uno abolito,reliqua abolenda fore. Nam ſi unum ex elementis interierit, vere quis dixerit id quod ex illis conſtat interiturum:ut falſum tamen id ſit de his quæ per excellentiam dicuntur:contrarium etenim potius uerũ eſt.Nempe quum aliquod ex his quę ita ex unius uictoria dicũtur perierit,quod ipſi aduerſatur incolume erit.Etenim ubi æſtas non ſit, erit hiems: & ubi non ſit hiems,ibi æſtas:atque ubi ver abſit, aderit autumnus:ubi autumnus abeſt,ver adeſt. Quòd ſi omnino calidum tollatur elementum, mox humidum concreſcet,propterea quia calor omnino deſit, & ſol etiam auferetur : unde nulla amplius plãta reliqua erit,nullum deniq; animal.

Nec secus si elementum frigidum intereat, ignis erunt omnia. Si uero siccum, omnia erunt aqua: ut tandem omnia in uniuerso genita corpora sic interitura sint. & ob id dixit corpora quæ in ipso elementaria sunt, ex se mutuo nutriri: quum exquisitum elementum mente potius cogitari possit, q̃ existat. Quod uero parum abest ut id ipsum cum eo sit, ex eorum numero est quæ existunt. Porrò si aquam cogites exacte frigidam & humidam esse, iam non permanebit ulterius aqua: quippe quæ mox concrescet subsistetq́, nec amplius fluet. Terram quoque pari pacto si omnino siccam & frigidam esse fingas: erit huiusmodi corpus adamante durius. Quæ si præterea huiusmodi fiat, stirpiũ genitura desinet. qua desinente animalibus alimenta deerunt. quod si fiat, nempe & animalia interibunt. Sed si per excellẽtiam intelligatur siccum & frigidum elementum: terra quæ uniuersitate continetur, corpus frigidum & siccum dicetur: aqua humidum. Ignis quoque aereæ cuiusṕiam substantię particeps est, nec minus etiam fumosæ: immo & humore ut alatur planè indiget, quod lucernarum flammæ ostendunt. Ex sese itaq; mutuo uniuersitatis elementa nutrimentum habent: & ob id Plato quoque dixit. Vt idem sibi ipsi tum alimentum tum tabem subministret, utq́; omnia in seipso & à se ipso & agat & patiatur, ex arte comparatũ est.

XLVII.

SIC AVTEM, si aliquod etiam eorum quæ cognata sunt in homine deficiat, fieri nequit ut ille uiuat.

Cognata appellauit sanguinem, pituitam, atque etiam biles: quum fœtus primum concretus sit è materno sanguine, qui omniũ particeps est, incrementumq́; pariter & alimentum habeat. Quare si

penitus in nostro corpore pereat uel humidũ, uel siccum, uel calidum, uel frigidum: illico & humores interibunt, qui humidi & sicci, calidi & frigidi per excellentiam sunt, non autem exquisite & sine cere. Pituitam siquidem frigidam & humidam dicimus, non q̃ contrariorum particeps non sit, sed q̃ hæc in ea præualeant. Porrò si ea frigida tantũ modo & exacte esset: quasi glacies esset coacta. Quemadmodum si exacte esset humida: omni careret crassitie & lentore. Idipsum etiam de utraq; bile dicas. flaua enim sicca est: atra sicca & terrea esse dicitur, ut tamen non sit omnino humiditatis expers: nam alioquin neque humor esset, sed durum ut adamas corpus. & frigida quoq; eadem ratione dicitur, q̃ plus in ea frigoris sit q̃ caloris. quia si omnino frigida esset: quasi glacies concresceret. Sed quid tandem in hac re uerbis opus est? sanguis etenim qui temperatissimus uidetur, talis propterea dicitur, quia in eo nullum ex contrariis alterum superet plurimum, ita ut neq; calidum frigido superius sit, neq; frigidum calido, neq; siccũ humido, nec humidũ sicco. Vbi ergo & ipse sanguis quatuor qualitatum indigens est, humiditate, siccitate, calore, & frigore: iam satis constat illum egere quoque, ut cum aliis misceatur humoribus. Et proinde temperatissimus sanguis, pituitæ & bilis tam flauæ q̃ atræ non erit expers. Sed & altera existit ratio naturalis, quæ non parum probabilitatis assecuta est, qua monstratur quatuor humores non parum facere ad gignendos probos mores. Hic uero prius demonstrasse necesse est, q̃ animi mores corporis sequantur temperaturam, de quo alibi à nobis scriptum est. Hoc itaque sic constituto, animi quidem acumen & dexteritas a bilioso humore prodibit: ab atra uero bile constantia & stabilitas: à sanguine simplicitas ac stoliditas: ut pi

tuita ad formandos mores inutilis sit, sed necessariũ ex prima ciborũ transmutatione ortũ habet.

XLVIII. XXXIX.

VT AVTEM in anno quandoq; hiems maxime uiget, aliquando ver, nonnunquã æstas, aliàs uero autumnus: sic & in homine, semel pituita multum ualet, postea sanguis, mox bilis, & prius flaua, deinde atra.

Perspicua est uiri oratio, qui ostendere nitatur, ꝙ sicut in anno quandoq; humidum & frigidum dominatur, & hiems appellatur: quandoq; humidum & calidum, quo tempore ver est: quandoq; siccum & calidum, quæ æstas uocatur: postremo uero omnium in autumno frigidum & siccum: Ita in homine, hieme quidem pituita uiget, humor frigidus & humidus: in uere sanguis, qui calidus est & humidus: flaua uero bilis facultate calida & sicca prædita, in æstate: atra, quæ frigida & sicca est, in autumno, sicuti & ipse autumnus.

XLIX.

HVIC CLARISSIME attestatur, ꝙ si eidem homini idem medicamentũ quater in anno dare uolueris, hieme pituitosissima ille tibi euomet, vere humidissima, æstate biliosissima, autũno nigerrima.

Præcedentis sermonis, quo dictum est singulis anni temporibus singulos humores dominari, id testimonium clarissimum esse ait, ꝙ si eidem pharmacum quod uomitum cieat, exhibeatur quater in anno, pituitosiore hieme uomitus erit, vere humidior, æstate biliosior, & nigrior autumno.

XLI.

PORRO HIS ita se habentibus, conuenit ut morbi qui hieme augentur, æstate finiantur: qui

uero æstate inualescunt, ut hieme desinant, præter q̃ quæ dierum circuitu soluuntur (dierum uerum circuitum aliàs explicabo) à morbis qui vere oriuntur, autumno expectanda est euasio: at ab autumnalibus, vere liberari necesse est. Id autem nouisse oportet ꝙ necesse est, ut morbus, qui hæc anni tempora excesserit, iam annuus euadat.

Initium huiusce orationis contextus duplicem græce inuenitur habere scripturam. alii siquidem ὀφείλει, alii uero φειλεῖ γοῦν τουτέων οὕτως ἐχόντων quod idẽ est qđ προσήκει, hoc est cõuenit. nã quandoq; eo uocabulo pro eo utuntur, quod est conuenit, aut par est. reliqua uero in hac oratione aperta sunt. Vult enim ipse ꝙ morbi qui inuetera scunt, nec per dierum circuitus sed mẽsium fiunt, tempori illi contrario, in quo inuasere, solutos iri: ut id sit mense septimo. qui ubi neque sic soluãtur, in annuum morbum transire ait. Id autem uocabulum annuus potest eum iudicare, qui post annum à primo suo ortu soluendus sit: potest & illum qui per septem annorum circuitus, quemadmodum & alii per septem mensium. In aphorismis quoque ita retulit. Plurimi puerorum affectus iudicantur, alii ad quadragesimum diem, alii ad septimum mensem, alii ad septimum annum, nonnulli ad pubertatem usque.

XLII.

MEDICVM QVOQVE sic morbis instare opus est, quasi horum singula in corpore plurimum pro †anni tempore, quod maxime ex natura se habet, uigeant.

In antiqs pro ἐνιαυ ꝗ legitur αὐτοῦ.

Quicquid utilitatis continet uniuersus qui de anni temporibus habitus est sermo, totum id do-

cuit hac parte Hippocrates: insinuans præterea q̃
eundem usum ille præstat qui de ætatibus, regio-
nibus, uitæ studiis, quotidianoq; uictu habendus
est. Nempe his omnibus prospectis, cõiicere me-
dicum oportet, quisnam sit humor qui aut quan-
titate', aut qualitate, aut uiribus dominetur, &
qua etiam in corporis particula præsertim redun-
det. Sic etenim, ut in medendi methodo docui-
mus, curationem præstantissime adhibuerit. Quũ
Hippocrates in hoc libro instituisset nostri corpo
ris naturam inuenire: ad istiusce rei indagationem
hac ipse methodo usus est. Primum simplex ne il
lud sit, aut multiplex inuestigauit. quod ubi rẽpe-
rit esse multiplex, mox simpliciũ quæ illi inerant
substantia qualisnam esset, inquirebat, id est, quam
uim habeat ut ab aliquo patiatur, uel ut etiã agat.
Et ob id quoque temporum anni mẽtio facta est,
uidelicet ut cõsideraret quã habeant repta elemẽ-
ta ad ea relationem. Sed & soluendorum morbo-
rum præsagia, atque eorundem curationes in hos
eosdem scopos referendas esse inuenit. In inuesti-
gandis præterea elementis quæ nostrum cõstitu-
unt, corpus in mentionem eorum etiam incidit,
quæ uniuersitatis sunt, quæq; uera sunt elementa.
Sæpe enim nos per abusum simplices & primas
compositionis cuiusq; rei particulas, illius elemẽ-
ta appellamus. Quo modo harmonica dixere ele
menta, rhytmica, geometrica, arithmetica, oratio-
nis, uocis, demonstrationisq;: ita & Plato ait Hesio
dum dixisse centũ esse plaustri elementa, ubi inqt,
centum lignaq; plaustri.

Quæ tamen singularum rerum dicuntur ad hunc
modum elementa, ea omnia neque simplicia sunt
exacte, neque prima. At quæ omnium rerum cõ-
munia sunt, ut re uera prima & simplicia sunt, ita
& proprie elementa nominantur. Quę Hippocra

tes ex qualitatibus calidum, frigidum, humidum,
& siccum appellauit: non quæ extremorum me-
dia sunt, sed extrema ipsa, ignem nimirum, terrã,
aquam, & aerem. Hanc methodum censuit Pla-
to, eum sequi debere, qui animæ naturam disqui-
rere uoluerit. quippe quum absque exquisita natu
ræ uniuersi notitia quicquam particulare cogno-
sci minime queat. Porrò & locũ Platonis descri-
bam qui ita habet: Putas ne igitur naturã animæ
quantum ipsa ratio poscat, absq; ipsa uniuersi natu
ra posse intelligi? Sed si aliqua Hippocrati uni ex
Asclepiadis fides est adhibenda, nec etiam corpo
ris sine hac methodo poterit. Recte o amice ait.
operæpretium attamen fuerit, ut rationem hanc
præter Hippocratem examinemus, & utrum illa
consonet, consideremus. Assentio. Sed quid tan-
dem Hippocrates dicit, uel ipsa etiam recta ratio:
non ne sic? De rei cuiusq; natura, cuius nos scien-
tiam artemve assequi, aut alios docere uolumus,
id primum inquirendum est, sit ne simplex illud,
aut potius multiplex. Quod si fuerit multiplex,
mox inspiciendum quam habeat naturalem facul
tatẽ ut in alterum agat, quam præterea ut ab alio
patiatur, & à quo. Si plures etiã species habuerit:
illis omnibus enumeratis, id ipsum quod in uno
diximus, sigillatim in illis omnibus erit inuestigã-
dum, nempe quam naturã habeat ut ipsum agat,
& quam ut ab alio patiatur. Quũ itaq; Plato hæc
in hunc modum litteris tradiderit, ostendat nobis
quispiam librum aliquem Hippocratis alium ab
hoc de natura hominis, in quo hæc methodus sit
inuenienda. quòd si ostendere nequeat, testem Pla
tone digniorẽ, cui fides adhibenda sit, minime q̃
rat, qui librum hunc illius esse legitimum affirmet.
Nam præter alia Plato tẽporibus illis proximus
fuit, quibus floruere Hippocratis discipuli: unde si

eorum cuiuſpiã fuiſſet liber is,illius quoq; no mẽ haberet inſcriptum.quum ante regum Alexãdriæ & Pergami tempora, qui plurimum in compa-randis libris ueteribus contendebant, nullus li-ber falſo inſcriptus circunferebatur. Vbi uero qui alicuius antiqui authoris uolumen aliquod illis obtuliſſent, præmiis donari cœperunt, tum demum multi allati ſunt libri ſub falſo titulo. At hi reges poſt Alexandri mortem extiere: Plato autem,paulo ante q̃ Alexander imperaret, hæc ſcripſit: quum nulla adhuc fraus in librorum inſcriptionibus eſſet introducta, ſed cuiuſq; libri titulus ſuum authorem referebat. Plato igitur fa-tetur ſe de natura animæ contemplationem iuxta eam methodum inſtituiſſe, quam Hippocrates in corporis natura adhibuit: neque aliter hoc fieri poſſe ait,ante q̃ ipſius uniuerſi natura cognita fue-rit. Fuere tamen nonnulli qui tantum aberrauere, ut hanc adeo mirabilem methodum, alterius cu-iuſdam eſſe arbitrati ſint,ꝙ qui rem tam grandẽ atque etiam tam grauem inueniſſet,illius demon-ſtrationem adſcribere non dubitaſſet. Qui enim magnum graueq; non ſit,omnium corporũ, quæ ortui ac interitui expoſita ſunt, elementa inueniſ-ſe? Qui etiam non longe maius id demonſtratio-nibus firmaſſe,idq; nõ totis trecentis uerſibus,ſed multo paucioribus cõplecti poſſe? Nam nec cui quam erit ueriſimile Hippocratem in omnibus ſuis inuentis tum ad medendi,tum ad præſagien-di rationem pertinentibus,uti elementis,& eis tã-quam demonſtratis,quorum tamen alioqui nullã ullibi demonſtrationem ſcripſerit. Hæc ex ſuper abundanti à me relata ſint,ut hunc oſtenderem le-gitimum eſſe Hippocratis librum,ut tamẽ in hoc non ſit præcipuum ponendum ſtudium, ſed po-tius ut ueritatem eorum quę inibi ſcripta ſunt,diſ-

quiramus. Quod nos in libro de elemẽtis ex ſen-tẽtia Hippocratis proſequuti ſumus: quem inuidi ut ab eruditis uiris probari uiderunt,frigidã illius calũniã cõmenti ſunt,ut dicerent librum non fuiſ-ſe Hippocratis. Verum pro confeſſo habetur, ꝙ hæc ille poſuerit, quodq; in aliis omnibus par-ticulatim conſcribendis, hæc ipſe ſemper pro-ſpexerit. Sed quoniam præ impudentia inuidi his etiam quibus omnes & aſſentiunt, & conſen-tiunt, aduerſantur: iccirco & aliud opus confe-ci cui hanc indidi inſcriptionem. Quòd ean-dem Hippocrates ſententiam in aliis libris,quam in eo qui eſt de natura humana,habuerit.

GALENI IN LIBRVM DE natura humana Commentarius Secundus Victore Trincauelio interprete.

IN priore horum commentariorũ libro opus de natura humana exposui: nunc quæ illi perperam adiecta sunt aggrediemur: quæ & ipsa quodam ordine composita digestaq́; sunt. Est et enim liber unus exiguus, in quo de uictu sanorũ agitur. is a Polybo Hippocratis discipulo uidetur fuisse scriptus. Quod autem inter hunc, & illum de natura humana est interpositum, ab eo qui primum hosce duos libros de natura humana Hippocratis, & Polybi de salubri uictu in unum coegit, conscriptum & collocatum est. Quo enim tempore Attalus & Ptolomæus certatim inter se de comparandis sibi libris contendebant: ab his qui ex oblatis celebriorum uirorum scriptis pecuniam à regibus reportabant, cœpere inscriptiones & digestiones librorum uitiari. Vnde, quum utrique libri, & qui de natura humana est, & qui de salubri uictu, essent pusilli: arbitratus quispiam ob paruitatem neutrum ipsorum multi faciundum, ambos in unum contulit: subinde uero alius quidam, uel ille idem etiam qui hos primum in unũ redegit, hæc ipsa illis interposuit quæ nunc exponenda suscepturi sumus.

I.



OPORTET præterea & hęc nouisse, ꝙ morbos q̃cũq; ex repletione ortũ habent, euacuatio sanat: quos uero parit uacuatio, repletio curat: quos gignũt, labores illis q̃es remedio est: quos nimiũ inducit otiũ, labor tollit. Sũmatim uero sciẽdũ, ꝙ oportet medicum præsentibus morbis, formis, anni temporibus, ætatibusq́; cõtrarium opponere: atq; contendentia laxare, laxata contendere. Sic enim maxime quod molestum est, remouetur. mihiq́; curatio hoc ipsum esse uidetur.

Sigillatim omnibus huius orationis uersibus signum id Dioscorides ascripsit, quod obeliscum appellant. quo signo Aristarchus omnes notabat uersus qui apud poetam sibi erant suspecti: Sic & Dioscorides agebat, quia suspicabatur partẽ hanc fuisse Hippocratis qui fuit Thessali filius. Nã duo hi magno Hippocrati fuere filii, Draco, & Thessalus, amboq́; genuere filios nominatos Hippocrates. Hæc sanè in præsenti capite proposita sunt. Expedit autem ut & nos de ipsis disquisitionem instituamus, particulatim dictionem unãquamq; examinantes. Quicunq; morbi ex repletione ortũ habent, euacuatio sanat. Idẽ nõ est, ut dicas repletionẽ esse continentẽ morboꝝ causam, uacuationẽ ve, & cætera quoq;, quoꝝ subinde mentio habita est: aut ꝙ à repletione, uel ab aliquo alioꝝ q̃ppiã fiat. Nã ꝙ morbi aliq ex repletione fiant, uel à repletione (nihil. n. interest hoc uel illo modo dici) ueꝝ est: haud tamẽ ueꝝ deinde est, ꝙ repletio sit causa morbi continens. Quippe ꝙ morbus

Morbus

affectio quædam est in animantis corpore, quæ, ut in libro de morborum differentiis monstrauimus, primum actionẽ lædit. Repletio uero ipsa, ut & id in libro de plenitudine ostendimus, primum minime lædit actionem, sed intermedia alia affectione: qua aliter Erasistratus, aliter Asclepiades, secus etiam medici qui Pneumatici uocati sunt, gigni constituere. Nos etiam alibi pluribus explicauimus, in quem modum ex utraq; plenitudine exoriantur morbi. Monstrauimus etenim duplicem esse plenitudinem, alteram quo ad uires, alteram quo ad uasorum concauitatem. Quæ uires respicit, humores ad corruptionem perducit, fluxionemq; ad imbecilliores in corpore particulas immittit. Quæ uero infusionem, & uasorum ora aperit, eaq; sæpe dirumpit, sæpe etiam mortẽ repentinam infert, si corporis obstruat perspirationes. Iam & curatio non modo dicitur morborum eorum qui facti sunt: uerum & eorum qui fiunt. Porrò si quis uoluerit in his uti nomine proprio, huiusce modi omnia, causę προηγούμεναι, quasi præcedentes dicas, erunt, ut fecit Atheneus, appellandę: sicuti ea à quibus hæ ipsæ, præcedentes inquam, efficiuntur, προκαταρκτικαὶ seu προκαταρ' χοντες, quasi ante incipientes, nominabis: ciborum enim multitudo, cruditates, balneæ, exercitationes non opportunæ, & cætera tandem quæ in cõmentariis de procatarcticis causis recensuimus, præcedentium uniuscuiusq; morbi causarum effectrices sunt. Quos uero ponit uacuatio, repletio curat. Qui hæc scripsit, abusus nomine repletionis uidetur: quum nedum medici omnes, uerũ & cæteri Græci repletionis uocabulum excessibus immoderatæ quantitatis accommodare soliti sint: at uacuatio per contrarium excessum corrigenda nõ est. Subinde tamen audi rationem quę

Plenitudo duplex.

Cãe morbifice duplices.

Repletio.

immoderatis

immoderatis excessibus fauet. Sunt cibi quidam, qui ut ad alicuius iam sani habitũ moderati sunt: horum collatione excessum & defectum intelliges. Qui uero uacuatus est, si id quod de suæ prioris mediocritatis quantitate detractum est, resarcire uelit: cibum adaugebit. Qui si tantundem nunc alimenti ingerat, quantum ante eq̃ uacuaretur solitus erat: nunquam id quod exinanitum est replebit. Ad artificem sanè pertinet moderate incremẽtum id afferre, ut neq; intempestiue repleat quod demptum est, neque cõfertim atque repente. Sunt nonnulli ex medicis, qui nolint in causis morborum ponendas esse uacuationes, quas dicunt tum uirium imbecillitatem, tum habitus gracilitatem solummodo parere, & ꝙ nullus unquá morbus ex defectu oritur. Hi profectò nõ animaduertunt, qui morbi eos arripiant, qui immoderate uacuantur. Nam facillime ex quacunque occasione refrigerantur, itemq; paruo negotio uruntur, faciles ẽt ut in lassitudines incurrant, omnibusq; externis causis obnoxii sunt: & longe præterea magis ii exuigilia, tristitia, cruditate, & ira, quã qui bono sunt habitu, in morbos decidunt. Quos labores gignunt, quies remedio est. Labores eos appellat, q̃ in motionibus fiunt præter modum. At uero qui in hunc modum affecti sunt, ꝙ quiete sint reficiendi: nemo mortalium est qui hoc nescíat, quiq; id etiam non agat, ut neque in hac re medici consilium expectent: immo & bruta etiam (ut iã ostendimus) nedum homines, noxam per ea quæ contraria sunt, lædentibus auferunt. Quos nimium induxit otium, labor tollit. Neque primum, & per se otium morbos excitat, sed media plenitudine. ociosis enim minus corporis particulæ digerũtur, & præterea imbecilliores redduntur, ut inde utraq; gignatur plenitudo. Itaque immoderatior

Vacuatio morbo⁹ causa.

Labor.

motus uires quidem nequaquam ualidiores reddit: humores tamen qui redũdant, euacuat. Liquet igitur, ꝙ si in his motus qui modum parumper excedat adhibeatur, sensim à lassitudine capietur homo, ut tamen non illico febricitet. Summatim uero sciendum ꝙ oportet medicum præsentibus morbis, formis, tẽporibus anni, ætatibusq; contrarium opponere. Formas appellare uidetur corporum naturas, quarum substantiam ostendimus in temperatura quatuor elementorum sitam esse. Morbi itaque curantur ab his quæ facultatibus contraria sunt, ut iam monstratum est, non aũt apparentibus imaginationibus. Porrò natura corporis quæ temperamento idem est, non omnis ꝙ contraria corrigitur: quemadmodum neque anni tempora, aut ætates. sunt enim in ipsis temperatæ quædam, sicuti multæ etiam intemperatæ. unde temperatarum similibus seruatur temperies: contrariis uero intemperies intemperatæ emẽdatur. Hæc quippe in libris de tuenda sanitate definita sunt. Atq; contendentia laxare, laxata uero contendere. Nequaquam, ut decebat, morborum oppositionem constituit: contendenti. n. laxans, laxato contentũ proprie opponitur. cõtendentia uero & laxantia proprie de causis, & nõ de læsis dicuntur corporibus: cõtenta aũt & laxata, ad ipsa læsa iã corpora referũntur. Præterea ẽt contenta & laxata corpoꝝ nomina sunt, minime uero morboꝝ contentorum aut laxatorum: quem ad modũ durum & molle, rarum, & densum. de quibus à nobis probe in sexto epidemiorum libro actum est eo loco. Cutis duræ mollitio, contentæ remissio. Quo etiã in libro subinde de cõdensando, quod rarefactioni cõtrarium est, sermonem habuimus. id autem cum inspissare idem est, sicut inspissatum & densatum.

II.

FIVNT AVTEM morbi, tum à uictu, tum uero à spiritu, quo attracto uiuimus.

Victum nonnunquam solum cibum potumq; appellant: sæpe etiam hoc nomine omnia uitæ instituta comprehenduntur. qua significatione hic usurpatum esse est arbitrandum. Neq; enim ex his solum quæ comedendo uel bibendo ingerimus, uerum ex balneis quoq; & exercitationibus, otio, uigiliis, mœrore, ira, refrigerationeq; & æstu, morbi ortũ habent. quandoq; ẽt ex solo spiritu, quo respiramus, lædimur, ut in locis q Charonii dicũtur.

III.

VTROSQVE uero hoc dignosces modo. Quũ multi homines uno corripiuntur morbo tẽpore eodem: id in causa esse arbitrandũ, quod cõmunissimũ sit, quoq; omnes maxime utimur. id uero est, quo respiramus. Constat enim ꝙ uictus cuiusq; nostrum causa minime sit, ubi morbus omnes subinde tentat, tam iuuenes q̃ senes, tam uiros q̃ fœminas, prætereaq; tã eos q̃ uinũ q̃ qui aquam bibunt, quiq; maza, & qui pane uescuntur, & tã eos qui in multis sunt, q̃ qui in paucis laboribus. Non igitur, quum homines quocunq; uictu usi in eundem morbum incidunt, ratio uictus erit causanda. Verum ubi eodẽ tẽpore uarii suboriuntur morbi: claꝝ est ꝙ suus cuiq; uictus causa sit.

Quòd cõmunẽ causam habeat, siqd multis morbis cõmune sit: probe profectò ab eo dictum est, perinde ac cætera huius orationis: ut tamen id nõ omnino recte dictum sit, ꝙ ortus communiũ morborum in aerem solummodo sit referendus. quãdo ex fame in Æno leguminibus uescentes, crura

imbecillia habuere: qui uero eruo, illis genua dolebant. Iam etiam nouimus ꝙ comesse semiputridum triticum famis necessitate compulsi quidam, cõmuni morbo ex cõmuni causa arrepti sunt. Sed & exercitus quãdoq;, dum prauis uterẽtur aquis, simili in omnibus militibus noxa uexatus est. Cætera huius capitis clara sunt.

IIII.

SIC AVTEM curatio instituenda est, ut contra occasionem morbi (quem ad modum alibi à nobis dictum est) & uictus etiam rationem uenias. Nam satis patet, ꝙ ea quibus homo in uictu utebatur, uel omnia, uel pleraq;, uel ex illis saltem unum, illi inopportuna sunt. Quæ quum animaduerteris, commutabis: atque hominis tũ ætate, tum forma anniq; tempore, & ipso morbi modo recte examinatis ad curationem accedes, nunc detrahendo, nunc addendo. Iam enim docuimus semper tam in exhibẽdis medicamẽtis, q̃ in uictu instituendo, prospiciendũ esse ad ætates singulas, & anni tempora, ad formas & ipsos morbos. Quum uero idem morbus populariter inuaserit, tunc obscurum nõ est, uictum haud esse in causa, sed id quod spirando trahimus: qppe quod morbosa quædam habeat excremẽta. Itaque eo tempore homines sic monebis, uictũ, ꝙ minime causa sit, ne mutent: sed id curent, ut corpus q̃ minime fieri possit tumidum aut imbecille sit: paulatim etiam de cibis & potionibus, quibus uti consueuere, demant. Nam subita uictus immutatio citra periculum non est, ne quid in corpore innouetur ab ea permutatione. Porrò hac uictus ratione erit utendum, si quando nihil uideatur hominem eo offendi. Verum cura erit adhibẽda ut q̃ parcissime spiritus in corpus influat, sitq; maxime familiaris. Locũ præterea,

in uim alienam ab eo in quo morbus ille excitatus est, mutabis, & corpora extenuabis. Sic enim fiet ut homines neque multo neque frequẽti spiritu egeant.

Mancam communium morborum, quoꝝ causa sit circunfluus, curationem protulit. Nonnunq̃ enim halitus stagnorum, paludum, & cœnosorũ locorum, uel huiuscemodi alicuius terræ istiusmodi gignendis morbis occasionem præstat: interdũ uero sola anni temporum intemperies. Recte igitur, quum halitus sola potius substantiæ proprietate, q̃ simplici aliqua qualitate corporibus noxii sunt, curandi rationem explicuit, rem hanc in duos referens scopos, locorum mutationem, ac usum modice respirationis. At uero in his qui ex qualitate læduntur, non morborum modo iandũ factorum, curatio: uerum & custodia ne illi suboriãtur per contrarias perficitur qualitates. quia si corpus ab immoderato offendatur calore, per refrigerantia: si ex frigore, per calefacientia: & pari etiã modo in aliis tam simplicibus, q̃ compositis qualitatibus. Iã autem à nobis de his indicationibus quæ ab ætatibus, anni temporibus, corporumq; temperamentis sumendæ sunt, actum est. Illud uero τὴ φαρμακείη προτρέπεσθαι græce dictum arbitror pro προσφέρεσθαι. i. occurrere morbis per cõtraria. Nam nũc etiam in Asia dicunt aliquẽ alicui προσφέρεσθαι χρηστῶς, ἢ φιλικῶς, ἢ ἀπίστως, ἢ ἀπινῶς hoc est bene cum eo agere, uel amice, uel perfide, uel crudeliter.

V:

MORBI QVICVNQVE ex ualentissimo corporis membro ortum habent, uehementissimi sunt. Nam si ibi permanserint, ubi cœperint, necesse est ut laborante membro ualidissimo,

totum male afficiatur corpus. Sin autẽ ad imbecilliores partes à robustioribus quicquã delabatur: nõ erit facilis dissolutio. Quæ uero ab infirmioribus ad fortiora deueniunt, solutu faciliora sunt. influxus.n. facile a robore repellitur.

V.

Membrũ ualidissimi: Siue membrum, siue corpus ualentissimum qs dicat, id proprie dicet quod ad actiones ualidiores obeundas sit optime cõstructũ: quo pacto Herculem robustissimum fuisse dicimus. Altero etiã modo ualidum esse hoc corpus dicimus uel hoc mẽbrũ pro hac certa actione, quẽ ad modũ aliud pro alia, & in omnibus alicui quidem singularum actionum robur adsit, ita tamen ut aliud in eorum alio robur habeat. Vna itaq; actio earum motionum quæ in animante uoluntariæ sunt: ut si aut currat, aut cum aliis animantibus cõgrediatur, aut corpus aliquod animatum uel inanime diuellat, aut quicquam auellat. Est & una alia facultas quæ ad actiones uitales pertinet, unde arterię & cor habẽt q; pulsent. In his præterea q̃ genere inter se differunt, sunt aliæ quædam †dissimiles, quæ non modo in animalibus, sed etiam in plantis reperiuntur: quapropter naturales eas nominamus, attractrix, cõtentrix, alteratrix, & expultrix. Potest itaq; aliàs quidem in alio atq; alio corpore uenter, uerbi gratia, facultatem quantum ad unam quampiã actionem spectat robustissimam habere, ut ad contentricem aut alteratricem: nonnunq̃ etiam uel iecur, uel lien, uel aliorum aliquod. Contra etiam in animante eodẽ inualida erit uentris attractrix, uel expultrix facultas, quas tamen iecur robustissimas obtinebit. Sed is author qui hæc litteris mãdauit, ista prętergressus est. Mihi uero robustum uidetur intelligere id quod præter hoc quòd à causis quæ morbos pariunt haud facile afficitur, habet

†Alicubi legitur ὁμογενεῖς hoc est cõsimiles

etiam ut si in ipso aliqua humorum excrescat redundantia, in aliud quodpiam membrum ope expultricis facultatis propellat: sed est sanè manifestum q; oportet ut ualentius sit id quod propellit, eo quod recipit. Erit quippe in omni corpore, hoc quidem membrum infirmissimum: alia uero ualidissima. in quo omnes tam medici q̃ uulgares consentiunt. Et proinde podagricis pedes aiunt esse inualidissimos: uniuersum autem articulorum genus his qui arthritidi obnoxii sunt: infirmum etiam caput esse, quibus id dolet: & lien, lienis uitio laboranti, oculos quoque illis, qui in lippitudinem procliues sunt: eodemq; in cæteris partibus modo. Præterea uero ut duplices sunt causæ morborum effectrices, aliæ externæ, aliæ uero quæ a nobis ipsis prodeunt: sic ad externas interdum offensiones nonnullæ in nobis partes imbecilliores sunt: ad internas aliæ. quãdo & causarum ipsarum non eadem genere uis est. In nobis etenim morbi uel ex humorum multitudine, uel ex eorundem suboriuntur prauitate. Externæ item causæ corporibus animantiũ nocuæ sunt, tum quòd intemperiem quampiam gignant, tum quòd contundant, uel incidant. Luxatio enim & ab utrisque uidetur habere occasionem: solus enim absque alterius congressu quispiam ambulans interdum genu, aut mentum oscitans luxauit, sic & alium aliquem articulum aliud quicquam agens, aut se contorquens, sed & sine ulla externa causa aliquibus infractum est membrum aliquod, dum subito contorquetur, aut ui maiore salit. Vnde totidem sunt membrorum facile aut ægre patientium totidem etiam firmitatis uel infirmitatis genera, quot uidelicet sunt causarum. Morbi siquidem qui ex humoribus habent originem, ipsi etiam à

Causæ morbi sive duplices.

robore uel imbecillitate expultricis facultatis ortum habent. Nam quum omnes animalis particulæ naturali quadam connexione inter se deuinctæ sint: à robustioribus repulsi noxii humores ad alias confluunt, & inde rursus ad alias, donec in imbecilliorem partem quampiam delati, ibi figantur: ꝙ nullam se præterea inualidiorem habeat, quò morbosum humorem propellat. Hæc si perinde ac intestina uenter, uesica, uterusq; effluxus habeat, inde excreta noxia causa uacuatur. quæ tamen si consistentia tenuior sit: sæpe canalibus quæ in ea parte sunt, disruptis, aut uasorum ostiis reseratis, copiosior subsequitur euacuatio. in quē modum fiunt sanguinis quæ absq; uulnere sunt, profluuia. Si uero ea neque disrumpantur neque aperiantur, sed crassus sit humor aut tenax, qui in aliquam incumbat particulam, tumorem aliquem in ea parte præter naturam excitat. Sic ergo hæc est membrorum nostri corporis imbecillitas, & eorundem robur in affectibus illis qui ex nobis ipsis prodeunt. Qui uero ex externa causa, ii dum calefiunt uel refrigerantur, exiccantur aut humectantur, plurimum affici uidentur. Alioqui enim quæ aut contundunt, aut incidunt, uel aliud quodpiam huiuscemodi agunt: raro admodum corporibus animalium morbos afferunt. Quo fit ut aliud membrum ad aliud in huiuscemodi morbis collatum sit uel imbecille, uel robustum. Membra siquidem natura frigidiora, faciliora etiam sunt ut à refrigerantibus causis afficiantur: calidiora uero, à calefacientibus. nec secus etiam ea se habent, quæ præ siccitate aut humiditate sunt intẽperata. Sunt porrò in his nonnulla, quæ & si non ægre à calfaciẽtibus refrigerantibusve, exiccantibusq; aut humectantibus causis afficiantur, quia tamen uim expultricem obtinent ualentiorem, in aliam partem suũ

impellunt malum. Quum igitur non unus neque simplex modus sit, quo membrum robustum aut debile aut sit aut intelligatur, sed multi potius ac genere uarii: nemo est qui possit pronũtiare, prę sens pars uera sit nec ne. Verumenimuero ut de hac, ita de aliis omnibus quæ modis pluribus dici & accipi possunt, id sanè dixerim, ꝙ quum ita indistincte proferantur, confusam ac minime artificulatam habent interpretationem, ut inde neque ant auditores aliquem fructum referre. Præterea nec leuem obiectionem id patitur, quod præsens insinuat oratio, ubi ait: Quæ uero ab infirmioribus ad fortiora deueniunt, solutu faciliora sunt. influxus enim a robore facile ἀποκλεῖστον. Et proinde expositores uarii in exponendo illud ἀποκλεῖστον fuere. Nam quidam ἀποκλεῖστον scripsere, alii ἀποκλαῖστον. Fuere & qui ἀποπαίσπτον, tertia scilicet syllaba uerbi istius per ω scripta: Sicut alii, in quibus est Dioscorides, per η & σ, ἀποπαήπτον dicunt ita, ut pro repelli sit positum hoc uerbũ. At uero si ab infirmioribus particulis ad ualidiores propulsus noxius humor, ab illis rursum repellatur, nihil inde ægrotus ꝓficiet. Quare melius sanè erit ut hoc modo scribatur locus iste. A robore enim quæ influunt expendentur, hoc est concocta ac digesta consumentur. Quidam autẽ ualidissimas partes eas appellari hic quæ principes sunt, autumant, & falsam reddunt hanc sententiã. Satius enim est ut humores praui, relictis principalioribus partibus, in ignobiliores ferantur, q̃ ꝙ ab ignobilioribus in principes impellantur. Aspeximus etenim sæpe in his qui articulari morbo, aut podagræ obnoxii erant, ꝙ repulsis ab artubus humoribus eò de latis, illi in principem aliquam partem contendentes, homini interitum attulere: cui ea sola relinquebatur spes salutis, si

iterum possent ad artus reuelli.

VI.

VENÆ, QVÆ crassissimæ, sunt in hunc modum digestæ: Quatuor sunt in corpore earum paria, quorum unum ab occipite per ceruicem exteriorem utrinq; delatæ ad spinam, & inde ad coxas & ad crura, & tandem per tibias exterius ad malleolos usque ad pedes perueniunt. Quare in dorsi aut coxendicum doloribus sanguis mittendus est sectis exterioribus in poplite aut malleolo uenis. Alteræ autem quæ à capite ortum habēt uenæ prope aures, & iugulares appellantur, per ceruicem interiorem † à caua iuxta spinam utrinq; & lumbos in testes delatæ & femora per poplites ex parte externa, atque per tibias in exteriores malleolos & pedes: Vnde ad lumborum dolores testiumq;, uenas incidere in tibiis oportet & malleolis interioribus. Tertiæ uenæ per ceruicem ex temporibus sub scapulis in pulmonem subinde tendunt, & una à dextris in sinistra, altera à sinistris in dextra procedit. Et dextra quidem a pulmone sub mammam transiens, se ad lienē & renē confert. Quæ uero à pulmone ex dextris in sinistra delabitur subter mammam ad iecur & renē ꝑtingit: sic tamē ut ambæ in sedē descendāt. Quartū deinde par à sincipite oculisq; sub ceruicē & clauiculas deferūtur, mox uero ab his ad flexus brachioꝝ & cubitū brachialiaq; & digitos: itē à digitis ꝑ pectinem & cubitū ex superiore parte manuum ad inflexus, & ꝑ brachioꝝ inferiores partes ad alas, & à superioribus costis altera ad lienē, altera ad iecur descēdit: postea uero utræq; sup uētrē incedentes, ad pudēda tandē cōcedunt utræq;. Sic ergo se habent uenæ crassiores. A uena tamē caua multæ aliæ uariæq; ꝑ corpus disꝑtiūtur, q̄ alimēta corpori ministrāt.

Alibi tamen legimus ἀπὸ τῆς κοιλίας: hoc est, à uentre.

Ea quæ in artibus in controuersiā ueniunt, partim sensu, partim demōstratione diiudicātur. Quę ad iudicium sensus pertinēt, uigentē à quo iudicētur sensum exposcunt: sed quæ ad demonstrationes, rationem exercitatione elaboratā. Iam igitur si de ciborum concoctione, tum ea quæ in uentriculo fit, tum uero quæ hanc excipit, humorum generatione, distributione, nutricationeq;, & id genus reliquis, sermo habeatur: ratione qua ueterum opiniones iudicentur, egemus. At uero an quæ ruminant animalia, quatuor uentres habeant: quæ autē utrinq; sunt dentata unum, à sensu hoc, non ex demonstratione petendum. Vnde diuersus modus est, quo conuincendi falsitatis sint qui aberrant, in his quoꝝ sensus, & in illis quoꝝ ratio iudex est. Eorū.n. quę ad sensum attinent, quū inter se aliqui disputant: ad id quod in corpoꝝ dissectionibus conspicitur, si se cōtulerint, facile erit iudicium. Sed q̄ demonstrationē requirūt, possunt sine ulla ēt dissectione, sola asscripta demōstratiōe iudicari. Igitur quū scriptis cogimur cū his cōtēdere, q de aliquo dissectorio theoremate, quod sensum in primis iudicē habet, impudentissime pariter ac impitissime pronuntiarūt, fieri nequit ut ignari eoꝝ q̄ in dissectionibus uideri solita sunt, possint mēdaces à ueridicis discernere. Vt.n. siquis Cretā esse insulā negauerit: statim ab omnibus q id audierint, despicietur, qppe q probe nouerint eā esse insulā: Sic siqs canibus quatuor esse uentres affirmauerit, unicū uero ruminātibus, hūc illi q in ruminātibus quatuor, & unū in canibus inspexere, facile deridebūt. Idipsum quoq; de uenaꝝ sectione dicas. nam à sensu, non à demonstratione huiusce rei petendum est iudiciū. Porrò quoadusq; illi q in hac re discordes sunt, in suis chartis qcquid illis uisum sit descripserint: ueritas eos q sectionis imperiti sunt latebit. Sic

itaque,quum in hoc præsenti sermone in controuersiam uenerimus cum his qui ausi sunt affirmare quatuor uenarum paria à capite in corpus descendere: dissectionis rudibus nullam possumus ualidam scriptis afferre demonstrationem, nempe q̃ non demonstratione,sed sensu iudice egeat. Nisi quis forte uelit ea proponens, quæ de iudicanda historia,tum à multis tam philosophis q̃ medicis,tum uel maxime ab empiricis tradita sunt,horum institutis usus iudicium afferre. Et equidem antiquiorum iudicia,atque etiam consensumauthorum minime fugerim,dū illi qui scripsere fuerint in re de qua scripsere consummati, quem admodum in dissectoria disciplina Eudemus & Herophilus:Crateuas, & Dioscorides in metallicis medicamentis. Quòd siquis huiuscemodi subterfugiat iudicium:non modo non poterit quatuor uenas ostendere à capite descendentes,uerum neque tres neque duas. Quia una tantummodo uena est,& ea maxima quæ caua appellatur,à gibbo iecinoris per totam animalis longitudinem protracta. Nam quum septum transuersum animantis partem superiorem ab inferna separet: uena caua pertransiens transuersum id septum sursum uersus ad cor tendit,deorsum uero à gibbo iecinoris per spinam concedit. At ab ea quæ sursum contendit parte planè perspiciuntur tanquam à cauice omnes exoriri quæ septo transuerso superiores sunt uenæ:sicut ab ea quæ ad spinam deflectit,inferiores. Horum Hippocrates in secundo epidemiorum libro meminit, ubi uenam cauam iecorariam uocat. Huic cæteri omnes quicunque in dissectionibus uersati sunt,consentiunt.nec quisquam alius unquam medicus repertus est,siue dissectiones diligentius siue negligentius pertractauerit,qui asseuerauerit octo esse uenas,quæ à capite

in corporis infernas discurrant partes, non Diocles, non Praxagoras,non Erasistratus, non Plistonicus,non Philotimus, non Mnesitheus, non Dieuches,non Chrysippus,neque Antigenes,uel Medius,uel Euryphon,nec alius tandem quispiã è numero priscorum medicorum. Et quid de recentioribus dicam, a quibus anatomica disciplina plurimum adaucta est? in quibus Herophilus & Eudemus fuere. quos nullus ad tempora usque Marini & Numesiani subsequutus est, qui illorum methodo aliquod inuentum addiderit,ut neque Heraclianus,cum quo Alexandriæ magna attentione uersatus sum. Horum uirorum & alii etiam plures extitere discipuli: sed omnium præstantissimi fuere,Numesiani quidem, præceptor noster Pelops: Marini uero,Quintus. Quintus uero ut de nulla præterea re alia quicquam scripsit: sic neque de dissectionibus. Sed aliorum non paucos habemus anatomicos libros. Immo & commentaria reperiũtur anatomica a discipulis Quinti ædita,qualia sunt Satyri præceptoris nostri & Lyci. Igitur quum ab his omnibus,& ab aliis præterea multis de corporibus secandis scriptum sit: nullus tamen nouisse potuit quatuor uenarũ paria à capite delabi. Neque hoc secus esse uidetur, q̃ siquis uellet cõtendere Athenis octo esse arces, ubi unica tantum est: Romæ etiam si aliquis diceret colles octo esse qui inhabitẽtur, alius uero sex tantum:uno uterque mentiretur. Si tamen quispiã unum pro septem habitari collem, contra uero Athenis pro una octo dicat esse arces: hic longe maiori mendacio erit obnoxius,quàm alter, qui uno tantum à uero aberrat. Sic ergo quum una sit uena,quæ a iecinoris gibbo in supernas corporis partes fertur:quæ etiam siquis à superioribus sectionem exordiatur,descendere potius quã ascẽ

dere dici poterit,ut tamen nihilo ſecius una uidea
tur:ille profectò ab omnibus deridendus ueniet,q
octo dixerit à capite uenas deferri. Quia ſiue ex ſu
perna parte deorſum,ſiue ex una ſurſum ferri dixe
ris uenã iecorariam,quã cauam appellant: illa una
penitus ſemper erit per gibbum iecinoris por
recta. Et proinde ſi ullus cuiuſpiam reperia
tur liber, qui anatomen huiuſcemodi litteris
mandauerit: nullus ſanè unquam eam poterit
illius habere rationem, ut pati poſſit particu
latim omnia capita legere: immo hoc uno au
dito, quatuor eſſe uenarum in corpore paria,
ſtatim quaſi à ſtolido quodam inſtituto aufugiet.
Verum poſteaquam hæc à nonnullis interiecta
ſunt Hippocratis operibus,coacti fuimus nos hoc
tẽporis quod tũ in his refellẽdis,tũ uero illis quæ
uel pperã ſcripta ſunt legẽdis cõſumimus,diſpen
diũ ſubire. Eſt(ait ipſe)par unũ uenarũ,quod ab oc
cipite exoriens p ceruicẽ deſcẽdens,& ab exterio
ribus ſpinæ partibus ad coxas delatũ,mox inde p
tibiã ad malleolos tandẽ exteriores puenit: Alte
uero par à partibus iuxta aures originẽ habere ait,
quod per collum delatum,conſtitutisq; uenis iu
gularibus uocatis,mox ut primum ex externis cir
ca ſpinam partibus,ita hoc ab internis ad teſtes &
femora pertingit: deinde uero per poplites ad in
ternos concedit malleolos. Quis unquam ſi uel
diem unam ſecari corpora uiderit aliquando,hæc
audire queat? Multa quidem in ſectionibus exi
ſtunt Theoremata obſcura,nec facilem demonſtra
tionem habentia, quæ merito quempiam ex his
qui in ea re non admodum conſummati ſunt, la
tere poſſunt: & propterea de his aliqua ſuborta
eſt diſſenſio. At maximæ illius uenæ negotium ita
omnibus apertum eſt, ut illos qui ex anatome
quicquam addiſcere potuerint, fallere nequeat.

Immo adeo penes omnes in confeſſo eſt,ut etiam
poetæ id cognoſcant. Vnde Homerus ait,

& uenam præcidit inde
Quæ dorſo incumbens in collum fertur utrin
que.

Sic igitur unam,ut una etiam eſt, nouit, non qua
tuor: duas extra ſpinam,duas itẽ alias quę eodẽ ſi
cut illæ modo utrinque ſecundum ſpinam porre
ctæ ſint: ut tamen nullum ſit animal,quod,in quem
modum qui hanc deſcripſit anatomen fingit,qua
tuor habeat. A uena hac maxima, per uniuerſos
ſpinalis medullæ fines,ut in ſecundo epidemiorũ
libro ſcripſit Hippocrates,germina oriuntur: ſupe
rior eius terminus ad clauiculas eſt,inferior autem
ad os ſacrum. Horum alter in uenas iugulares ſcin
ditur: alter in illas quæ in crura deferuntur.
Iam ergo quo modo is, qui hoc ſecundum par
commentus eſt, putauit iugulares uenas duas
permanentes iuxta ſpinam ex internis partibus
ad crura deuehi? quo etiam interius ad malleo
los peruenire? quum una in utranque & ſola ue
na feratur, & non una intra, altera uero extra
malleolos, ſed unius & eiuſdem ſunt rami. His
autem præterea ineptius eſt tertium id uenarum
par, quas à temporibus deductas per ceruicem,
ſub ſcapulis tranſire ad pulmonem dixit: inde
uero mutato inceſſu, à recto in obliquum,de
xtram ad ſiniſtrum latus peruenire, ſicq; ad lie
nem, & ſiniſtrum renem concedere: Siniſtram
uero ad dextrum renem, & ambas tandem in
ſede finiri. Sed dicat quiſpiam authori huiu
ſce inuenti,ò bone uir, ſedes habet ſua uena
rum germina à caua iuxta lumbos exorientia,
qua ſanè parte duæ illæ quæ in utranque partem
deductæ à caua ortæ,quaſi rami maiores in crura
deueniunt. Et quis præterea eſt nedum medicus

ſed nec coquus, qui neſciat ſanguinem a corde, cu
ius ille qui hoc tertium confinxit par, uſquã in ſuo
ſermone ne meminit quidem, pulmoni per uenã
unam ſubminiſtrari? Immo is iſtius ſermo id ſi ul
lam habeat uenam ignoraſſe uidetur, quod tamen
a nonnullis ſectoriæ diſciplinæ peritis tanquam
fons & origo uenarum omnium per uniuerſum
corpus diſtributarum, habitum eſt. Quartũ enim
uenarum par à ſincipite oculiſq; ſuum initium ha
bere ait, unde ſub ceruicem & clauiculas delatum,
brachium ingredi, ad utranque manum unam: ſu
binde uero ex ſuperioribus partibus in digitos fer
ri, & mox referri rurſum per uniuerſam manum ad
alam, indeq; per coſtas progredi, alteram quidem
in iecur, alteram in lienem, ut tandem à uentre de
currentes ambæ ad genitalia deſinant: ſicq; nec
iſtæ ullam cordi partem attribuunt. Qui ergo po
tuit is horum, ueluti nouus quidam Prometheus,
confictor, tantum uiſcus, cor inquã, omnino obli
uioni mandaſſe? At nec cerebri uſquam meminit:
uel forſitan quòd malleolis eſſet in minori hono
re habendum. Sed quod de renibus tradit omnẽ
uidetur cæcitatem ſuperare: quippe qui à uena ca
ua maximas uenas habeant, quas iſte prætergre
diens, ſibi quaſdam alias eò a pulmone deferri cõ
fingit. Iam igitur ſatis ex omnibus iſtis conſtat, q
uir iſte nequaquam, ut alii quidam ſectionibus ope
ram dantes ſæpe faciunt, quædam quaſi cæcutiens
præterierit, ſed potius nihil prorſus uiderit. Nam
ſiquis uel maxima non uideat, hunc nihil omnino
uidere, q cæcutire uerius dicas. Atque is qui de ue
narum à capite in uniuerſum corpus partitione
habitus eſt ſermo, q ebriorum ſomniis ſimilis ſit,
eorum qui ſectionibus uel parum interfuerint, ne
mo ignorat. Porrò paruas aliquas uenas uiros
anatomicos fefelliſſe, magnum non eſt: nunquam

tamen

tamen quiſquam aliam alio modo deſcripſit, neq;
eas quæ à cæcis etiã, modo digitos admouiſſent,
comprehendi poterant, prætermiſit. Itaq; una eſt
uena, per quam ſanguis ex iecinore in uniuerſum
corpus influit, à qua multæ aliæ minores quaſi ra
mi a trunco prodeuntes, illum omnibus corporis
diſpertiuntur particulis. Quòd ſi ſanguinem in ca
ua uena fluuio compares, riuulis uero illũ qui in
de in corporis particulas defluit: minime à uera
aberrabis ſimilitudine. Sed ſiue fluuio, ſiue trunco
ſimilem eſſe uenam magnã quis dicat: omnes pe
nitus medici conſentiunt unicam eam eſſe, præter
q; ille qui audacisſime quatuor hæc paria huic li
bro interſeruit. Et præter alia multa, tum cor, tum
uenam ipſam cauam ſilentio prẽteriit: quum tamẽ
iugulariũ meminerit, in quas illa in ſupremo tho
race ſcinditur. Quicquid enim prẽterea inter locũ
hunc & ultimam ſpinæ partem clauditur, uena ca
ua occupat, à qua uenæ utrinque germinant. Ex
utroq; uero ipſius termino, & ex utriſq; partibus
bipartita eſt. Nam à ſuperiore eius parte duæ pro
deunt uenæ maximæ, quæ per collum inuectæ iu
gulares appellãtur: ab inferioribus uero in utrũq;
crus una, ut iam diximus, & ea qdem maxima de
ſcendit. Eorum ſanẽ quæ p collum feruntur, & iu
gulares uocantur, in ſuo illo ſecundo pari memi
nit nouus hic noſter Prometheus: ubi temeritatẽ
ac ignorantiã maximam oſtendit, nulla unquã ca
uæ uenæ, à qua iſtæ ortũ habent, facta mentione.
Debuiſſet quippe, ſi unq; uel tantillũ ſecandis, cor
poribus interfuiſſet, dixiſſe uenas has iugulares in
unum coire & efficere iecorariam uel cauam ue
nam, uel quomodocunq; quis illam in præſentia
rum uelit appellare. Quòd ſi de iſtis tanq; ſemper
ſic duabus permanẽtibus ab eo ſit ſermo habitus,
qui dicat illas per internas prope ſpinam partes

ad interiores malleolos deuehi: quid deinde de aliis uenis post quatuor illa paria descriptis erit dicendum? quas ipse putauit alimẽtum à caua uena in corpus uniuersum afferre: ac si quatuor illa commemorata paria alterius cuiuspiam negotii gratia fuerint à natura fabrefacta, neq; unũ idemq; & commune sit uenarum omnium munus: nempe sanguinem ex hepate in cæteras animantis partes aduehere. At uero quæ à uentriculo & intestinis succum ciborum in iecur asportant, earum nulla ultra iecur progreditur: immo nec in multis secundum iecur locis apparent, quanuis numerosæ admodum ex ea parte sint, qua uentrem & cætera attingunt intestina: sed in unum locum quem portas iecoris uocant, omnes conueniunt. quem locũ qui primus portas nominauit, iecur urbi aut ædibus amplis comparauit: intestina uẽtremq; agris, ex quibus instar uiarum per uenas multas cibi in urbis ædiumve portas uehuntur. Delirat itaque in hoc animante, quẽ sibi nouus iste Prometheus suo sermone fingit. Nam nemo unquam animal aliquod effectu ipso sic formabit, ut in eo uenæ à uentriculo & intestinis alimenta in totum corpus deferant. omnes siquidem in unum cõcurrunt locum, portas scilicet iecinoris: unde quæ per id uiscus dispertitæ sunt uenæ assumptum alimentum in cauam uenam ferunt: à qua in totum corpus sanguis (ut paulo ante diximus) distribuitur.

VII.

FERVNT PRÆTEREA à crassioribus uenis in cauam & in reliquum etiam corpus, atque ab exterioribus intro, mutuoq; impartiuntur: internæ extra, & externæ intro.

Poterãt huic nouo Prometheo quatuor ea uenarũ paria sufficisse: nec tamen satis isti fuere, imo

mo præ inexplebili quadam impudentia, has illis insuper addidit, quæ corpori à caua uena alimẽtũ ministrent. Et nũc coronidẽ sermoni impositurus, de uenarũ cõmunione hoc tandẽ uerũ protulit. Ex his etenim uenis q̃ à caua oriuntur, quas ille crassas uocat, nulla in alia partita, paria intestinis aut uentriculo inseritur. Porrò ut ne uerbũ quidẽ is, qui hanc uenarum anatomen cõmentus est, uerum attulit: sic Hippocrates epidemiorũ libro secũdo, in nullo prorsus aberrauit. Quare insaniunt profectò qui ne p somnium quidẽ corporum sectiones attigere, & libros Hippocratis exponere aggrediuntur, & illi quammaxime, qui quum uelint Hippocratici appellari, in eundem tamen authorẽ & has uniuersas de uenarum sectione nugas, & exactam eiusdem disquisitionem in secundo epidemiorum traditam referendam arbitrantur. Si.n. in alterutro eorũ aliqp præterea accessisset inuentũ: fieri sanè potuisset ut idẽ uir tẽpore peritior factus, illis q̃ ab eo prius ꝓbe dicta fuerãt, alia ẽt addidisset. At quũ uideamus Hippocratẽ nõ modo omnia ad amussim in cõmentarios retulisse quæ cũctis planè cõspicua sunt, uerum & ea q̃ ad uidẽdum sunt difficiliora, is uero qui hanc anatomen composuit, ea etiam non uiderit quæ quisq; uel palpando inueniat: Quomodo potest quispiam affirmare eũdem utraque hæc scripsisse? quomodo etiam probabile est, ut absoluto uniuerso qui de hominis elementis institutus erat sermo, de uenis subnexuerit? Aut enim tota anatomes ratio explenda erat, aut neq; de uenis erat tractandũ. Hoc enim magis ad cõmentationes, quas nobis ipsis memoriæ gratia describimus, attinet ut eiuscemodi uaria theoremata simul explicentur. Iusto aũt & legitimo uolumini nequaquã conuenit, ut prius doctrina consummata, subinde illi alterius pars

aliqua annectatur, atq; iterũ illa relicta, paulopost alia, & postmodum etiam alia. quod in his euenisse uidemus, quæ libro de natura humana subiecta fuere.

VIII.

SANGVIS ergo istis institutis mittendus erit.

Quæ ipse uidelicet præmonstrauerat, quando ad finem primi paris subiunxit hęc uerba. Venam itaq; ad coxarum & dorsi dolores in poplitibus secabis & exterioribus malleolis. Secundo item pari hæc adscripsit. Vnde ad lumborum dolores & testium, uenas in tibiis incidere oportet & malleolis interioribus. ut tamen in tertio & quarto pari nihil de uena secanda meminerit. quapropter hac etiam parte mancam tradidit hanc institutionem, qui multas præterierit corporis partes, quas uenæ quæ tundendæ essent, explicandæ erant. Vt ergo ab uniuersa anatomes ratione particulã quãdam auulsam litteris cõmisit: sic & quod de sanguine mittendo referendum erat.

IX.

PROCVRANDVM aũt est ut sectiones quã maxime procul ab illis locis faciamus, ubi dolores excitari, sanguinemq; colligi nouerimus. Sic enim nulla magna permutatio repente fiat, consuetudoq; intercipietur ne amplius in eundem locum confluat.

Quòd sectiones uenarum hic intellexerit, quas phlebotomias cõposito appellamus nomine: recte ab expositoribus acceptũ est, q in hoc omnes consentiunt. Quòd uero minime definierit nũ dolentibus iam partibus censeat procul esse reuellendos humores, uel potius sanitatis tẽpore: ea ratione forte ueniet reprehendendus. Et mihi quidem

uidetur q̃ id in his qui prospera utantur ualetudine dictum sit. quippe q̃ uoluerit author assuefacere humores redundantes in alias ferri partes.

X.

QVI SINE febre multum puris expuunt, quibus etiam absque dolore plurimum puris in urina subsidet, & q̃bus cruentæ sunt deiectiones, ut in dysenteriis, & diuturnæ, quæ iuuenes annos quinq; & triginta natos atq; seniores arripiunt: in his omnibus spontanei oriuntur morbi. Hos. n. in laboribus uersari oportet, & corporeos labores diligere, & in adolescentia in operibus esse: deinde uero reiectis laboribus, carnem reficiant mollem à priori plurimum differentẽ, corpusq; quod prius habebãt, plurimum ab eo disfideat quod refectum est, ut nihil inter hæc conueniat. Quãdo itaq; morbus aliquis eos q̃ ita se habuerint, arripiat, tunc quidẽ euadunt, demũ attamen post morbum liquescit corpus, & per uenas qua maxime patent, effluunt sanioſa. Quòd si in inferioré aluum ferantur: tales erũt deiectiones, quale erat id quod in corpore inerat. quum. n. uia sit decliuis, diutius in intestino non pmanet. Quibus uero in pectus delabitur, hi suppurati fiunt. accliuis enim expurgatio est, & in pectore lõgiori tempore commorans putrescit, & in pus transit. Quibus in uesicam eiicitur, ex loci istius calore albescit & excernitur. quodq; tenuissimum est, superius delatum consistit: crassissimum uero subsidet, & pus appellatur.

Omnia quæ hac traduntur serie, clara sunt, potiusq; lectorem qui animum aduertat, q̃ expositorem desiderant qui declaret: quæ tamen an uera sint, partim experientia, partim ratione examinanda sunt. Experientia quidem obseruandum est, nũ

aliqui à febre immunes uisi unquã sint aut sputo pus reiecisse,aut urinis aliquid excreuisse.præterea si priorem uitam duxerint laborioſam,moxq; quieuerint multo tempore:atq; si ii à morbo detenti incolumes euasere, & subinde si purulentæ excretiones superuenerint.Hæc experimẽtis sunt iudicanda: Ratione uero,si quam is retulit, causa uera sit,uel secus.Iam uero q̃ ista ab ipso authore producta nullam secum habeant necessitatem, facile omnibus conspicuum erit, qui demonstrationis methodis operam nauarunt.An autem probabile saltem habeat,secum quisque perpendat. uidetur enim probabile in his esse, quæ ad aliud referuntur.Et equidem quãtum ad ea spectat,quæ in experimentis apparent:tantũ hoc habeo quod tibi afferam,me cruentas uidisse sæpenumero dejectiones per alium ab his qui cõsuetas ualidasq; exercitationes dimiserint,excretas:purulentas uero nequaquam.Vidi præterea ex quibusdam periodis tum ordinatis,tum etiam inordinatis mucosa ab his in urinis reddi & per aluum deiici: sicut & sputa cocta quidem,purulenta uero minime.

Calculi putrop.

XI.

GIGNVNTVR ETIAM in pueris calculi ob calorem tum loci illius, tum uniuersi corporis: uiris præ corporis frigore calculi non nascuntur.

Loci nimirum ueſicæ, de qua in fine prioris orationis sic ipse ait: Quibus in ueſicam eiicitur à loci istius calore albescit. Inquit ergo q̃ calculi pueris innascuntur ob calorem tam ueſicæ quàm corporis totius.Postea de puerorum calore hæc subiungit.

XII.

NAM HOC PROBE nouisse expedit,homi-

nem primis illis diebus calidissimum esse:postremis uero frigidissimum.

Homo in primis prob. calidissimus.

Qui simpliciter absque ea limitatione scilicet primis illis diebus hominem aiunt calidissimum esse, eorum sermo non est uerus:at cum limitatione, uerus. calidissimus siquidem est, si de innato calore loquamur, is enim in pueris plurimus est. Id autem, ut sequens indicabit oratio, ille qui hæc scripsit obaudiuisse uidetur,quod tamen in hoc sermone præcipuum erat. Neque enim,ut Hippocrates dixit,Qui augentur plurimum habent innati caloris: ita hunc sensisse offendes, immo natiuo prætermisso,simpliciter putasse calida esse quæ crescunt.

XIII.

NECESSE SIQVIDEM est,ut augescens corpus & ad uim progrediens calidum sit.

Quum Hippocrates dixerit,Qui augẽtur plurimum habent innati caloris: uidetur hic author existimasse corpora his qui augentur, calida simpliciter esse:qui innati nihil in hoc meminerit sermone.Quod enim ad uim progreditur, calidum fore ait. ad uim autem progredi, uelut quid huiusmodi indicare.Videtur ipsi incrementum esse rem uiolentam,& ualidam. & ut opera alia uehementiora operarios excalfaciunt:sic & incrementum.At contra debuerat dicere,ex innato calore pueros augeri:non autẽ ob id eos incalescere, q̃ augeantur.Nã calor ipse innatus nõ solũ moderate calidus,sed præterea ẽt humidus est.Igitur iure merito eiusce modi augentur corpora, qppe q̃ in tres distendantur dimẽsiones,& quasi inflantur,& ꝓpterea omnibus illis fit accessio.Itaque ea undique natura distẽdit ad hoc negotium organo usa

Ex innato calore aiunt augentur putrj.

calore innato.ex humore enim habet ut facile pro tendãtur. Atqui pleriq; pueri,utpote qui plurimũ uoraces sint,humorem nõ modicum aggregant, quem crudum proprie uocamus : qui calculo gignendo in primis opportunus est,accedente calore uti effectrice causa.

Pueri calculo vesicae obnoxij.

XIIII.

AT VBI FLACCESCERE corpus cœperit, ac in ocium prolabi,frigidius euadit.

Et hic rursum,quando non amplius augetur corpus,his qui inclinata ætate sunt,ipsum ab ocio fieri ait frigidius,At satius erat ut contra ratio causæ assignaretur.ob id enim quia illis innatus calor imminuitur:& incrementum etiam cessat. Clarius tamen horum author suam in sequenti parte sententiam aperuit.

XV.

ET HAC RATIONE, quo magis priori die homo augetur,eo calidior redditur . quo etiam postrema die marcescit plurimum,eo frigidiorẽ fieri necesse erit.

Nos ergo recte partem superiorẽ,ubi ait: Necesse siquidem est ut augescens corpus & ad uim progrediens calidum sit,interpretati sumus. Erat enim e contrario dicendum,ob calorem innatum augeri quæ augentur.non autem quia augeantur, ideo esse calida:ut eadem sit ratio in his quæ decrescunt. Putat nanq;,quando non amplius crescit,frigidum fieri propter ocium,dum pristinum incrementum quod in opere erat,nunc quiescit.

XVI.

QVI EO MODO se habent , pleriq; eo ipso anni tempore quo decrescere cœperint sani sua

sponte fiunt,diebus quadraginta quinque . Qui uero id tempus excesserint,anno sua sponte sani fiunt,nisi re alia lædatur homo.

Quosnam eo se habentes modo nominat? Ni mirum quos prius commemorauerat . Qui ab exercitatione ad ocium translati pus expuunt , & mingunt,dysenteriisq; corripiuntur. Vbi equidẽ dixi me plures uidisse cruentis arreptos dysenteriis,qui laboriosa negotiosaq; uita relicta,ad desidem se contulerint. Qui uero pus expuerint aut minxerint,nullos unquam uidisse. At hic (ut arbitror)crudum quem uocant humorem,ubi concoctus sit,pus esse putat. Qui autem hoc mirum sit? quando & Erasistratus quoque ea quæ in urinis febricitantium subsident pus esse,non hunc humorem censeat?neque nouerit in bene ualentibus ẽt qui uoraces sint , id genus plurimum subsidere? Nos multos obseruauimus,qui in ocio aliquãdiu uitam egere,urinis magnam copiam rei quæ muco sic appellato similis erat,excreuisse , & in eorũ nonnullis ubi hæc tarde permeabant, puri similia excernebantur,quemadmodum & in respiratoriis instrumentis,quando diutius contenta concoquũtur.Huius autem & ipse paulo ante causam retulit:in dysenteria quidem,quum dixit uiam decliuem in causa esse celeris excremẽtorum transitus: quem ad modum tardi' accliuem in iis quæ tussi reiiciuntur:in urinis uero loci calorem. Quòd siquis concedere nolit in urinis,aut sputis, aut excrementis à pure crudum humorem differre:is alterutro errori obnoxius est,quia uel ultro, ne suũ dogma proderre uideatur,dolose agit,Erasistratũ imitatus,qui uoluit febres omnes habere ab inflammationibus ortũ:uel sophistes est,qui in operibus artis nunquam uersatus sit.hos antiqui recte

Humor crudus.

Pus in urinis febricitantiũ

λοχιάδας appellant. Porrò à crudo humore pus colore, substantia, ac odore distat. Iam & per nares & per os certis quibusdam uel incertis circuitibus fit huiusce crudi humoris excretio, unde expurgatur cerebrum, cuius nulla nunc ab illo qui hæc scripsit, mentio habita est. Merito tamen dixit prædictos sponte sua fuisse sanatos, id est nullo nostro negocio. Nam ipsa quantum satis sit natura expurgat. At expurgationis duplicem ipse præscripsit terminum: Alterum eo anni tempore quo dicta iam excretio ipsis cœpisse contigit: alterum qui in annum protenditur: ut tamen qui breuior est, ad quinq; & quadraginta dies producatur. Nonnulli uero non quadraginta quinq;, sed quadraginta scribunt. Ego sanè multos in hunc modũ à natura fuisse expurgatos quum obseruauerim, non eos duos solummodo †terminos euacuationis quos iste descripsit animaduerti, sed quamplures. Alius etenim alio præfixo termino plenè purgatus est, alii quidem diebus quadraginta, alii in menses, & eos non numero pares, progressi sunt. nec defuere qui per annum integrum ab eo symptomate detenti sint.

† Melius in manuscriptis ὅρους legitur q̃ in impres. ὡρῶν.

XVII.

MORBI QVI celeriter fiunt, & quorum occasiones manifestæ sunt: hos quammaxime periculo uacare denuntiabis. His uero curationẽ adhibebis, contraria occasioni ipsius morbi instituendo. Nam sic illud, quod morbum in corpore excitat, depellas.

Cum his illud pugnare uidetur, quod in aphorismis traditum est. Acutorum morborum non omnino certæ sunt pronuntiationes neque salutis, neque mortis. Sabinus dum nodum soluere conatur, nugatur plurimum, nihil tamen quod consen-

taneum esset attulit, ut & aliorum plerique, qui librum hunc exponendum suscepere. Mihi uero non uidentur assequi quid ἐξ ὀλίγου sibi uelit. ipsi enim arbitrantur de breuibus & acutis morbis sermonem haberi: quum tamen ipse non uideatur id uoluisse, sed de his qui a manifestis causis recentem ortum habent, ex breui tempore, non autem ex multo excitatum. In his siquidẽ facilis est eius quod euenturum est prædictio, utpote quia iam & ipsa causa qualis & quanta sit cognoscatur. At qui paulatim & longo temporis spatio fiunt, nec sui ortus apertam aliquam causam habent: in his non ita erit præsagatio tuta. Recentes uero morborum causæ sunt, æstus, refrigerationes, uigiliæ, mœrores, curæ, cruditates, durum cubile, lassitudines, ebrietates, & id genus reliqua. Per ea ergo quæ morborum occasionibus contraria sunt, moliendam esse curationem ait. Vt si exæstuauerit, refrigerantia adhibeantur: si friguerit, calfacientia: si laborauerit, ut quiescat: si in otio præter morem degerit, plenius exercitetur: si fuerit repletus, euacuetur: si euacuatus, repleatur. in quem modum superius etiam ea parte dixit, cuius principiũ est: Quos morbos repletio gignit, euacuatio sanat.

XVIII.

QVIBVS IN urina arenosa subsident, uel pori, his inter initia tubercula ad crassam uenam exoriuntur, ac ad suppurationem ducuntur. Postea uero si ea tardius erumpant tubercula, ex pure coguntur pori, qui cum urina extruduntur per uenam in uesicam.

Potest q̃dẽ esse, ut ea de causa q̃ ipse attulit, eiuscemodi urinæ fiãt. põt & pariter esse, ut fiãt absq; uena ex affectu scilicet renis. Frequenter tamẽ huiusmodi excretiones in urinis proueniunt etiã sine

tuberculis: nempe quãdo crassus, & satis uiscosus humor tarde egrediens, ab illius loci calore exiccatus cogitur.

XIX.

QVIBVS VRINÆ sunt sanguinolentæ, his uenæ laborarunt.

Obscurum est qua de re, laborarunt, dixerit. Nã significare potest eas imbecilles factas, ut solutis uiribus semicoctum sanguinem generent. qui uel earũ imbecillitate facile profluat, uel quasi res aliena ab illis excernatur. Potest præterea cõmuniter, Laborarunt, significare affectæ sunt, ꝙ scilicet tota affectio citra renũ incommodũ ad solas uenas ꝑtineat. Quæ tamen illa sit, haud ex hac expositione indicatur. At uero ꝑquã manifestũ est ꝙ neq; Hippocrates, neq; Polybus unquã οὐρήματα dixissent, quũ ita dicere potuerint. quibus sanguinolenta sunt τὰ οὖρα. Alioquin.n. Hippocrates frequẽtissime οὖρα scripsit: οὔρημα uero nullibi in eius scriptis inuenias. Sunt & alia multa adscripta in hoc libro, quæ manifeste indicant ea neque Polybi, neque Hippocratis fuisse.

XX.

QVIBVS VNA cum urina, & ea crassa carũculæ forma pilos referentes egrediuntur, eas à renibus prodire cognoscas: † Et ab arthriticis.

Hæc particula in manuscriptis non habetur.

Aphorismum illum in hoc loco interpretatus est. Quibus cum urina crassa carunculæ paruæ, aut capillis similes egrediuntur, his a renibus fit excretio.

XXI.

QVIBVS VRINA nunc pura est, nunc autem ueluti furfures innatant, his uesica scabie tenetur.

Hoc item loco eum aphorismum descripsit.

» Quibus in urina crassa furfuraceum quid excernitur, his uesica scabie laborat.

XXII.

PLVRIMAE FEBRES ex bile gignũtur, quarũ formæ, præter eas quæ ab occultis doloribus proueniũt, sunt quatuor. Eaꝝ nomina sunt continua, quotidiana, tertiana, & quartana. Quæ continua uocatur, ea à bile plurima fit & sincerissima, iuducationesq; sincerissimas, et tempore breuissimo facit. Corpus etenim quod nunquã refrigeratur, citissime colliquefit, quippe quod ex multo calore feruet. Quotidianã post cõtinuam copiosior bilis parit, & aliis uelocius depellitur: est tamẽ q̃ cõtinua lõgior, quia à minore bilis copia gignitur, quiescitq; interim corpus, quod in cõtinua requiẽ nullo habet tẽpore. Tertiana uero lõgior est q̃ quotidiana, utpote q̃ ex pauciore bile nascatur. Vt autem diutius in tertiana q̃ in quotidiana corpus requiescit: ita etiam hæc quotidiana prolixior est. Quartanarũ in aliis eadem ratio, nisi ꝙ tertianis sunt lõgiores: quo.n. minus bilis participes sunt, quæ calorẽ præstat, eo magis habẽt ut corpus refrigeretur. Ab atra autẽ bile prouenit is excessus, atq; etiã ꝙ ægre depellatur: nam bilis atra omniũ q̃ corpori insunt maxime lenta est, sedemq; diuturniorẽ habet. Quòd quartanæ febres exꝑtes nõ sunt bilis atræ, sic cognosces: Autumno siquidẽ homines à quartana corripiuntur, & a quinto, & uigesimo suæ ætatis anno, ad quintum & quadragesimum. Hæc autem ætas præ omnibus aliis ætatibus atræ bilis est particeps, & autumnus præ aliis omnibus tẽporibus. Quos uero extra id anni tempus, eamq; ætatem quartana inuadit, nouisse oportet, eam febrem, nisi homini aliquid obfuerit, minime fore longam.

Plericꝫ expositores, in quibus posuerim Sabinum, illum mihi imitari uidentur, qui quum aqua inter cutem laboraret, medicũ exposcebat ut suã diligenter reduuiam curaret. alterutrum sanè erat, aut is se uniuerso corpore laborare non animaduertebat, aut putabat curationem non requirere: Pari modo & expositores, aut animi oculis cæcutiunt, aut arbitrantur leuioribus quidem erroribus esse consulendum, maioribus uero nullum esse remedium adhibendum. Hi quasi ex profundo excitati somno sentiunt tandẽ, quã ea quæ in hac parte tradita sunt, nempe quotidianã esse tertiana breuiorem, cum Hippocratis sententia pugnent, qui in primo epidemiorꝫ libro necnõ in aphorismis aperte protulerit tertianam celerrime iudicari, & proinde aiunt librũ hunc nõ esse Hippocraticum, quũ & falsa cõtineat, & quæ ab his quæ alibi scripta ab Hippocrate sunt, discrepent. Quippe si in hac tantũmodo re putant hunc qui ista quæ libro huic inserta sunt, adscripsit tum mentitũ fuisse, tum ẽt Hippocrati refragari: similes illi sunt qui reduiæ attendit, corpus uero uniuersum esse pessime affectum non aduertit. Quem.n. latet quotidianã esse longiorem tertiana, is se in operibus medicinæ parum esse exercitatum prodit. Porrò ille non tam ex impudenti stupiditate mendacium id effinxit, quã probabili ratione motus: eo magis qꝺ inter antiquos nonnulli fuere, in quibus est Plato, q̃ sensere cõtinuas febres ex ignis excessu gigni, quotidianas aeris, tertianas aquæ, quartanas terræ. Platonis uero hæc sunt uerba: Itaque corpus quod ex ignis abundantia laborauit, continuos feruores & febres efficit: quod uero ex aeris, quotidianas: at ex aquæ, tertianas, ut q̃ igne & aere sit tardior. quartũ aũt quũ ex terra sit, omnium lentissimũ est, & quadruplicibus tẽporis circuitibus pur-

gatur, quartanã efficiens ægre remouetur. Igitur quũ Plato elemẽtũ pigerrimũ, quod & firmissimũ est & ad motum difficillimũ, quadruplicibus purgari dicat circuitibus: uerisimile ipsis uisum est alia quoꝫ inter se eadẽ ꝓportione differre, qua genita sunt, ut qã subinde sequtur terrestre elemẽtũ, utpote aqua, circuitũ ẽt quaterno ꝓximum producat. itẽ quod huic cõsequens est, q̃ aer est, quotidianũ. quod uero citissime mouetur, id autẽ planè ignis est, febrẽ parit continuã. Probabilior tamẽ ea ratio est, q̃ causam ortus ipsaꝫ in calidum natura refert elementũ, id est ignẽ. Neqꝫ.n. cõsentaneũ est affectum calidissimũ à frigido dominante elemẽto in corpore gigni. cõgruum sanè est calidũ affectũ ex redundantia elemẽti calidioris excitari. Discrepant autẽ mutuo febres suis ipsis differentiis, quas in quantitate causæ ponas. Quod si cõcesserimus, febris q̃ cõtinentissima iuxtaq̃ & calidissima est, à plurimo igne proficisceturꝫ. Quod huic cõtinens est, secundum sibi uendicabit in quantitate locum, tertium tertiana, quartũ quartana. Solutiones quoque eaꝫ erunt causis cõsequentes: calidissimẽ quidẽ febris, citissimæ. ab his uero temporis spatio secundũ ordinẽ habent quotidianæ, tertiũ tertianæ, quartũ quartanæ, ita ut si ad ꝓbabilitatẽ respicias, hæc sanè erunt recte ꝓnuntiata. Hanc uero rationẽ reꝫ ipsarum explanatio cõuicit. At in superiori uenarum anatome eius author nulli innixus probabili argumento non semel, aut bis, aut etiam ter, ementitus est, sed sæpissime: ut neque unum quippiam in illis inuenias quod uel casu sit recte expositum. unde mirabile profectò est, quòd in nullo eorum authorem, qui omnia hæc à libro de natura humana usqꝫ huc conscripsit, accusauerit unquam, in præsentiaꝫ accuset ita, ut ob hoc non amplius illi uideatur liber hic fuisse Hippo-

cratis. Porrò et id mirandum est, ꝙ Sabinus, & alii plerique expositores, superioribus omnibus semper applauserint asserẽtes hoc quidẽ mirifice fuisse ab homine dictum, illud uero summa cum felicitate, aliud diuine: nũc, aũt eorũ omniũ obliti ex una tãtũ cõtradicẽdi occasiõe, statim cœpit illis uideri liber hic nõ esse amplius Hippocratis, ipsumq; in Polybũ trãsferũt. Quasi ipsi aphorismos legerint atq; ét primũ epidemiorum librum, non legerit autẽ Polybus, quẽ, fieri, nequit quũ Hippocratis discipulus fuerit, nõ sæpissime ab eo de febriũ differẽtiis audiuisse, & non raro etiam eius libros relegisse. His accedit ꝙ uiderat & ipse in ægris tertianã cito iudicari, quotidianam uero longiori tempore perdurare. Nam neque in eis ponendus est Polybus, qui Alexandriæ diuinabant. ii nullo unquã uel uiso ægro tante, in scholis uersabantur, nihil unquam quod sanum esset dicentes, neq; ea etiam quæ in ægrotis clarissime apparere animaduertũt qui in arte exercitati sunt. Vnde is horum author aut sophistes fuit, aut ueterator, ut uidetur: quippe qui ut notam aliquam seni inureret, falsa libro annexuit. Nam iuniorem illum fuisse qui hæc tradidit literis, nomen σύνοχος argumento est. Neque enim unquam Hippocrates uel ex antiquis alius continuam febrem σωνοχον nuncupauit, sicuti neque urinas ὑρήματα. Sunt sanè uocabula ista medicorum recentiorum, qui linguam antiquorum ignorarunt. Quare hæc missa faciamus quæ supposititia sunt, & ad librum de uictu salubri, quem Polybi fuisse aiunt, accedamus.

GALENI

CALENI IN LIBRVM DE SALUBRI DIÆTA COMMENTARIUS, HERMANNO CRUSERIO CAMPENSI INTERPRETE.



NVS hic liber peculiarem habet titulũ, ut totius præsentis libri pars prima, ubi de natura humana sermo habetur. Nam in illo, quod receperat, præstitit, omnibusq; numeris absoluit. Et hic quæ instituit, toto opere tradit. Vnde universus liber, exceptis illis quæ his duobus libris interpositа sunt, cõuenientem sibi inscriptionem sortitus est, quam ei quidam de Natura humana, & Diæta fecerunt. Atq; ut est prorsus liber de humana natura inculpatus, omnino autem quæ inter duo hæc uolumina irrepserunt, reproba: ita liber de salubri diæta, ferè caret uitio, ubiq; cum Hippocratica elementorum institutione coniunctus: sunt tamen eius loca, cæterum admodum pauca, quæ non absunt à uitio. At esto, quod multis probatũ est, Polybi.

I.

IDIOTÆ hac debent diæta uiuere.

Ecquos idiotas appellat, huius libri interpretes, in quæ quidem incidi commentaria, præterierunt: nec unquam ex præceptoribus meis, cum librum prælegerent, quęsiui. Nunc quando cõmentariũ in ipsum statui scribere, male prætermissum à meis præceptoribus iuxta atque interpretibus, quos nam dicit idiotas, animaduerti. Nempe enim hoc in confesso est, quam infra diætam tradit, hanc Polybum nõ omnibus hominibus, sed solis præscripsisse idiotis. Atqui hoc libro si solis priuatis consu

luit, parũ recte interpretes libri indistincte accepe-
runt, quasi ad omnes in communi homines sit ha-
bitus sermo. Inuenimus enim ἰδιώτας à Græcis ap-
pellari non simpliciter, sed in relatione ad aliquid.
Nam hunc esse huius idiotam artis aiunt: illum il-
lius exercitii. Est, cum hos opponant illis, qui gẽti
aut oppido præsunt, aut omnino publicũ aliquod
munus obeunt: itaque qui ueluti priuatam uitam
agunt, idiotas hos, id est priuatos, appellant. Equi-
dem cum mecum considerarem, ecquos de his
Polybus uocet hoc loco idiotas, Athletas illum
existimaui à cæteris hominibus aperte separare:
quandoquidem unam illi diætam in pane constitu
tam, & carnium esu habent. Ab his, qui militant,
aut peregrinantur, aut etiam pugnant, quibus non
est delectus habendus, quibus cibis uesci, aut non
oporteat. His enim uti cogitur quisque, quorum
datur facultas. Præterea, qui quoquo modo festi-
nanter faciunt iter, nequeunt ullo modo, ut dictat
Polybus, rationem habere uictus. Et breuiter, qui-
cunque negociis publicis distinentur, aut uitam de
gunt quam uocant πορισταπικὸν. Quare ad hos so-
los, qui sibi uiuunt, quos priuatos uocant, diæta,
quam tradet, spectat.

II.

HIEME præ cæteris plurimum comedendũ,
bibẽdum quàm parcissime. Et potus esse uinum
debet quammeracissimum: cibus, panis: opsonia,
assa omnia. Oleribus hac tempestate præter cæte
ras paucissimis utẽdum: nam hac potissimum ra-
tione corpus calidum & siccum sit.

†διαίτης græce legitur. i. diætæ.

Summa totius †narrationis commemorata, re-
cte ad finẽ orationis adscripsit, qua de causa singu-
la, quæ dicta sunt, præscribat. Etenim calfacere cor-
pus & siccare instituit, adductus temporis immo-

derato tẽperamẽto. Quod si moderatum fuisset,
ut Vere est, moderatam seruare diætam mãdasset:
conseruanda siquidem moderata sunt: quæ modũ
excedunt, immutanda. Iam mutatio non nisi ex cõ
trariis fiat immoderatis. Nam quod ultra modum
corpus, aut iam est calfactum, aut calfit, refrigerari
quęrit. Quod uero est refrigeratũ, uel refrigeratur,
calfieri. Simili ratione in immoderata humiditate
& siccitate morbiferas excellentias cõtrariis admo
uẽdis repellere oportet. Ac cõtrariã immoderatio
nẽ applicare debemus, q̃ hactenus à tergo mediũ
& mediocre relinquat, quatenus ab illo recessit
morbifera. Quocirca bruma, qa tẽperamento est
frigido & humido, conducit quamplurimum cibi
sumere: bibere autem omnium parcissime. Pluri-
mum hic non ad facultatem referes, sed ad cætera
tempora. Itidem bibere omnium parcissime, com
pones cum reliquis temporibus. Eodem est mo-
do dictum, esse uinum meracissimum debere, præ
eius aliis temporibus mixtione. Veruntamen ad
uirium modum, præsentemq; usum, moderaberis
uinum & cibum offerendum: sic etiam somnum
gymnasia, & in summa, quæcunque à medicis exer
citia appellantur. Nam uinum quidem meracissi-
mum, & assas carnes calfacere simul & exiccare, si
cũ maza & oleribus conferantur, quis est qui igno
rat? Et panem item præ maza calfacere dixeris &
siccare. Atq; hæc quidem authorem attulisse uelu
ti exempla duces. Tu porrò legumina deliges, quę
calfaciunt & exiccant, ut lenticulam: præterea de
oleribus, quæ hac sunt facultate prædita, ut brassi-
cam: sic ex carnibus, quæ syluestrium sunt †animã
tium, & sale cõditæ. Sed & mihi quoque hæc sunt
pro exemplis dicta. Nam solida per se alimentorũ
sylua tribus cõmẽtariis, qui de facultate alimẽtorũ
inscripti sunt, constat. Itaq; quemadmodum recte

Mutatio ex contrarijs.

ὡς πλεῖστα

Lens

†Alibi pro ζώων legitur συῶν. i. suum.

†In græ. est περὶ ποσότητος.

sunt hæc de cibis in qualitatibus diligẽdis & uitandis dicta, sic quę†de modo tradidit. Nam cibi, præut aliis temporibus, plurimum hieme concedemus, memores probe in Aphorismis esse dictũ: Aestate & autumno cibos difficillime ferunt: hieme, facillime: secundum locum uer tenet. Quod si cui, qua de re hæc fiant, cognoscere cordi sit, docuit & hoc in Aphorismis, his uerbis: Ventres hieme, & uere calidissimi natura sunt, quod aer id temporis frigidus intro arceat densando, & in penetralibus corporis concludat naturalem calorem, qui æstate perspiratione digeritur. At respiratione aer attrahitur calidus. Respirationem uoco, cum spiritus intro & foras per os fertur. Perspirationem, quæ per totum corpus perinde fit.

Respiratio.

Perspiratio.

III.

AT VERE ineunte, amplius potandũ & dilutius est, ac paulatim. Sunt præterea sumendi molliores cibi, pauciores q́;, atque panis subtrahendus, mazaq́; exhibenda, tum opsonia eadem ratione. Iam etiam assa elixis commutanda, ac oleribus iam in uere paucis utendum, dum æstatem homo attigerit, tum cibis omnibus utendum mollibus, obsoniis elixis, oleribus iuxta & crudis & elixis, poculis multo dilutissimis & plurimis, & ut ne magna mutatio sit, subito utenti.

Ampliorem dixit, & dilutiorem, non plurimũ, & dilutissimum Vere potum esse offerendum. Nã plurimum & dilutissimum æstate iubet, quæ contrarium hieme temperamentum habet, bibere. At Ver ut medio est inter extrema temperamento, ita mediam requirit diætam, frigidiorem illam quidem & humidiorem, ratione hiemis, calidiorem & siccioré, æstatis ratione. Proinde ex his planum est, quomodo quam tradidit seruandam æstate &

autumno diætam, interpretari debeamus. Quare id quidẽ mihi prætereundũ est, & lectoribus sæpius seduloq́; attendẽtibus dicta omnia clare sunt, ut†hactenus quæ habita sunt, nullum desiderent interpretem.

†Si pro περὶ τὰς ἀχρίδευρο legas, ut in manuscriptis, παρὰ τὰς: uertẽdũ erit, præter ea quæ hactenus dicta sunt, aliã nõ desiderant interpretationem.

IIII.

ÆSTATE maza molli nutriri, & potu diluto simulq́; multo, tum opsoniis omnibus elixis oportet. Atque his ita, ubi sit æstas, uti debemus, quo frigidum sit & molle corpus. Siquidem tempestas calida est & sicca, corporaq́; reddit & adusta & squalida. Quare his rationibus obuiandum est. Eodem modo, ut ex hieme in uer, ita ex uere in æstatem cum deuenitur, cibum deducere, potum autem augmentare oportet, atque in eum modum annum complendo, ex æstate in hiemẽ peruenire. In autumno contra, cibi maiori copia & sicciores exhibendi, & opsonia eadem ratione. Pocula pauciora, ita ut meraciora, ut cum hiems commoda sit, homo perpetuo potu utetur meraciori & pauciori, & cibo quàm plurimo & siccissimo: nam ita in primis ualebit, minimeq́; rigebit. Tempus enim hoc magnopere frigidum & humidum est.

Quæ in præsentia tractantur ita sunt dissecta, nec ullum desiderant, qui ipsa interpretetur: quod omnibus plana fecit Polybus, nec ullam † quæsiuerit puram methodũ: cęterum ut sunt scripta, ita etiam clara sunt.

†ζητοῦντα alibi, & melius legit, ideo dic q̃rant.

V.

HABITIBVS corpulentis, & multum mollibus, & rubicundis, toto ferè tempore uti uictu sicciori ex usu est: humida enim est illorum natura.

Quemadmodum temporum differentiæ aliam atque aliam rationem uictus denunciant, sic habitus corporis: ad quos nunc, absoluto de temporibus sermone, descendit. Et ut accõmodatam diætam demonstrauit in temporibus, sic in corporum formis. Nam corpulenti, molles, & rubicundi, tales ex temperamenti humiditate euaserunt. Qui contra ac hi cõstituti sunt, de quibus mox aget, ex siccitate. Quamobrem conuenit humidis siccior uictus, siccis humidior. Quæ si recte sunt dicta, neminem latet, temperatos decere diætam temperatam. Atque temperatos uoco, quos nec corpulentos, nec graciles, sed appellant quadratos.

VI.

DVRI, graciles, rufi, & nigri ferè semper uictu debent uti humidiore. siquidem corpora horum sicca sunt.

Temperamentorum notas in commentariis de temperamentis omnes scripsi: ubi τὸ σκληρὸν, id est duros, & τὸ σπονδυλῶδες, hoc est graciles, esse téperaméti siccioris docuimus: sic nigros quoque. At rufos non diximus sicco temperaméto esse, cæterum hos, qui illis sunt colore finitimi, quos flauos nuncupant, quando & flaua bilis est temperamento sicco. Verum quidam scriptores minorem in uocabulis usurpãdis diligentiã adhibentes, committunt, ut rerum doctrinam confundant. Atq; sic nonnulli Germanos flauos uocant, qui flaui tamen non sunt, si de nomine exactam rationem ineas, sed rufi. Quod est huius reliquum orationis, tum uere, tum clare est dictum.

VII.

CORPORIBVS iunioribus utilis uictus est mollior & humidior. Nam hæc ætas sicca est, & corpora etiamnum sunt concreta. Senes

uero siccior uictus plerunq; decet, quod id ætatis corpora humida sint, mollia, & frigida.

Hic ad ætates transit, ubi diuisionem non plenã fecit, qui eas non in quatuor differentias secauerit, sed in duas tantum: cum deceret, si quidem ætatũ temperamenta rationis uictus studebat indices habere, sicut temperamenta quatuor sunt, sic dissecare ætates in quatuor, ac humidam & calidam statuere puerorum, siccam & calidam adultorũ, siccam & frigidam eorũ qui ætate inclinata sunt, humidam & frigidam senum. Sed puerorum ætatẽ merito est par esse humidam, quod incrementum incidere in aliud temperamentum possit nullum. At ætati adultorum, quandoquidẽ plus iusto calida est & sicca, utilis est contrariæ diætæ usus: id quod etiam ad ætatem spectat inclinatam & uergentem. Verum de ætate senũ magna est quæstio, quam neglexerunt propè omnes: de qua paulo inferius, postcaquam ætates satis exposuero, uerba faciam. Si nanque pueri plus habent citra conuertiam, ut humiditatis, quàm est ex usu inculpate ualentibus: ita caloris (neque enim simpliciter sunt, ut adulti, calidi: sed natiuo calore, qui temperatus est, qui in bono sanguine cõsistit) ætas quæ inter pueros intercedit, & adultos, quæ epheborũ est adolescentulorumq;, optimo fuerit temperamento. Atqui optimum quando medium est, uictus ẽt medio esse tẽperamento debet: ut neq; humidius eorũ corpus, neq; siccius, neq; calidius, uel frigidius reddamus. Veruntamen corpus puerorum, quanquã habeat plus humiditatis, quã salubris habitus postulat, nihilo magis est siccandum: alioqui incremento prohibeas illos. Sed iam quia senes nõnulli esse humidos uolunt, alii siccos, atq; id utriq; indefinite, faciundum nobis est, ut partim

Senes siccj sunt et frigidj & humidj.

illos esse siccos, partim humidos declaremus: quod in cõmentariis ostendimus de temperamẽtis, ubi solidis corporis partibus esse declarauimus siccos: sed excrementorũ quia ex tẽperamenti frigiditate copia abundant, hactenus dicuntur humidi. Vnde si spectes utrunq; cõtraria & duplex ab hac ætate indicatio existit medicis: quod ob solidarũ partiũ siccũ temperamentũ, humectari desiderent: rursus propter affluentiam humidi excrementi, desiccari. Itaque quonam modo utriusque possis rationem habere, abunde in opere de tuenda sanitate diximus. Hoc loco satis sit summam illorum, quæ illic scripsimus, retulisse. Cibus, potus, & quę reliqua sunt, spectent humidum & calidum, quasi senũ solidæ partes corporis, quæ solæ recte partes uocantur, humectandæ & calfaciendæ sint.

Victus senũ calidus & humidus.

Rursus respicienda est uacuatio pituitosorum excrementorum. Quare si ex opere de temperamentis colligas, & uia scientiæ discas proprium senũ temperamentum esse frigidum & siccum: acquisititia autem humiditate esse præditos eos, quod multa illis excrementa pituitosa generantur: deinde illinc profectus ad commentarios de sanitate tuenda, discas quoque, qua sint uictus ratione nutriendi senes, clare perspicies, quod hoc loco est † obscurum. Neque enim in duo erat humana uita diuidunda, neque senum dicenda corpora humida & mollia, neque uictus eis sicco temperamento imperandus. At uero iuuenes cum dicat corpore esse concreto, & temperamento sicco, constat solos adultos eũ dicere, hosq; appellare iuuenes. Proinde puerorum præteriit, & inclinatam ætatẽ, atque ut equidem dico, præterea temperatissimã, q̃ media est inter pueros & adultos. Atq; adeo deprehendimus suum sibiipsi esse suspectum sermonem: neque enim uno uerbo dixit, esse senes sicco

† ἀδιόρισον. i. indefinitum.

uictu nutriendos, sed addidit, plerunque, quod est perinde, ac non semper: id quod nec habitui corporis, nec alteri adiecit ætati. Nam suus cuiq; corpori est uictus semper deligendus.

VIII.

QVARE pro ætate, tempore, & habitu, est uictus nobis ineunda ratio, obuiandumq; cõstitutionibus, æstibus, & hiemibus: nam ita demum optima sanitate degemus.

Hæc in summa dixit author cum clare, tum uere: quæ sæpe nos, & multis locis explicauimus.

IX.

ET ITER FACERE hieme uelociter debemus, æstate lento gradu: nisi sub sole iter faciendum est.

Quo pacto iter faciẽdum sit singulis temporibus, docet. Nam esse hieme eligendam ambulationem siccantem & calfacientem: æstate contrariam spectandam: nisi sub sole, inquit, iter faciẽdum est: tum enim festinato opus est, quo liberemur ocyus siccitate & calore, quæ corpori in itinere eiusmodi comparantur.

X.

CORPVLENTIS ocyus est iter faciendũ, gracilibus lentius. Multis lauacris æstate utendũ, hieme minus multis. Gracilibus conuenit plus balneum, quàm corpulentis.

Celer motus augẽdo plurimum calore corpus colliquat, in motibus uero remissioribus calor mediocris sanguificationi & nutritioni prodest. Quamobrem animantibus, ut bene nutriantur, adiumento est.

XI.

VESTES hieme mundæ sunt induendæ, æstate oleo infectæ.

Quid scriptor magis congruum, quàm quod omnes attulerunt interpretes, intellexerit, ipse uiderit. Quod si mundas, quia magis calfaciunt, aut halitus non interpellant, ideo uult hieme indui: & infectas oleo, quod aut refrigerát, aut halitum obstruunt, non probo orationem. Nam mundæ uestes, quæ denso contextu sunt, maxime si lacernæ sint, refrigerant: quo est harum commodior usus. Nam oleo quidem infectæ, planè sordidæ sunt. Neque est quisquam hominum elegantium, qui uestiri tam spurce sustineat, idq; æstate: cum etiam temporis diuturnitate plus calfaciãt oleo infectæ, quã mundæ, licet primo occursu sint frigidissimę.

XII.

CRASSI, qui tenues esse uolunt, ieiuni exercitationes cunctas subire debent, & cibum adhuc anhelantes sumere, haud dum refrigerati, & prius uinum bibere dilutum, non admodum frigidum: præterea opsonia sesamis parare, & condimẽtis, aliisq; id genus. Ac opsonia maiori copia sumantur. Nam ita' paucissimis bellariis saturabuntur.

Quod postremo loco orationis est dictũ, Nã ita paucissimis saturabuntur: quidam de omnibus prædictis pronunciari uolũt: quidam de opsoniis tantũ, quæ sesamis, & similibus uult condiri, aliisq; multis. At quæ prædicta sunt, hæc sunt, Ieiunum exercitare: quod quidem aperte uacuat, ut replet à cibo exercitatio. Ad hęc ab exercitatiõibus anhelantes cibum sumere, nõdum per halitum eorum calore digesto, aut refrigerato corpore: quam cautum esse, quo qs celeriter impleatur, liquet. Si uero

alia ratione id huius libri author uult extenuare, nos præterit. Hoc certe noui, istud in causa fuisse, cur multis uiscera sint oppilata, in primis iecur: ut etiam à cibo uehementes exercitationes. Præterea his, qui habent in iecinore arctos transitus alimenti, lauacra obstructiones creant. Sed hæc omnia unà cum distinctis priuatim explicationibus in opere de sanitate tuenda sum persequutus. Restat ut dictionem ipsam consideremus, in qua ait: Et prius uinum bibere non admodum frigidum: atq; ita orationem instituit, quasi frigidũ esse illud, non admodum tamen frigidum iubeat. Cæterum non ita statim uult ab exercitationibus bibi uinum, sed prius aquam, quemadmodum athletæ docti experientia faciunt. Quippe uinum caput tentat, si uel mox à balneo præ omnibus aliis cibis & potibus bibatur. Non tamen frigidæ post exercitationes potio, nisi calidam præbibas, noxa uacat. Offendit enim & hæc non obscure uentrem ac iecur, nõnullis etiam neruos. Iam corpus etiam auget frigidũ uinum, & author id resoluere uult. Nisi forte aliter erat scriptum, & sit lapsus, qui descripsit (Nam talia etiam hodie multa cernuntur) qui pro non omnino calidum, scripserit, non admodum frigidum. Etenim qui anhelantibus adhuc præbere alimentum uult, corpore multis uaporibus oppleto, cum uini potione calidi magis illos repleret, quod magnopere calidum non secus ac frigidum cogẽdo uentri atque contendendo comparatum sit: nõ committet, ut istud faciat.

XIII.

ET SEMEL tantum cibum sumere, supersedere balneis, duriter cubare, nudusq; obambulare, quoad eius fieri potest.

Rectius diceret parũ cibi sumere, quàm semel

tantum cibum sumere. Sunt enim, qui semel dunta xat cibum sumunt, & longe plus comedunt his q bis. At uero ut balneum corpus calfaciendo, maxime foris, ad digestionem refert, & digestorũ appositionem: sic si non laues, contrariis commodes. Iam durum cubile solicitat corpus, comprimit, constringitq;: itaque eius in omnem partem incrementum interpellat. Eadem ratione nudum deambulare omneis ad cutem attinentes partes refrigerat, tum uero in altum & uiscera calorem impellit, ut probe quidem coquantur cibi: cæterum quo minus quoquouersum permeent, obstat.

XIIII

EDIVERSO qui ex tenuibus crassiores uolunt euadere, omnia hi contra ac illi instituere debent, nec ieiuni quenquam laborem subire.

Contraria his, que obesis præscribebantur, hæc sunt: anhelantes non sumere cibum, sed ubi iam naturaliter respirauerint: neque semel tantum cibũ sumere, uerum iterum aut ter comedere. Qui uero contra facit, ac illi, qui balneis abstinent, lauabit bis: ut tamen semper in primis tempus à cibo, secundo balneo tribuat, interim etiã primo. Ita exercitationes quoque breues & remissas obibit, easq; à cibo. Eadem ratione molliter cubare, nec nudos in aere uersari his conducit. Quæ causa est, cur athletæ quasdam statuunt exercitationes, quæ consistunt in hoc, ubi complexibus, uel toto corpore pugnatur, προσκλίσεις & σωματομαχεῖν ipsi uocant, in his quibus † parare corpus student, uitantes, ne nudo eos corpore exercitent, nec complexu. Contra quos extenuatos uolunt, celeri exercitatione, ac citra primum complexum exercitant.

† σωρκῶσαι ait ipse, quasi dicas carnẽ adaugere: & forsitan corruptus est locus is in græcis ẽt

XV.

VOMITVS oportet & uentris cataclysma in

hunc modum usurpare. Sex brumalibus mẽsibus uomere: quia id tempus æstiuo est pituitosius, & morbi caput tentant, & regionem supra septum transuersum. At æstus ubi uigeant, uti cataclysmatis, quippe hoc tempus torridum est, & corpus biliosius, & grauitates lumbos, & genua afficiunt, calorq; urget, præterea fiunt in uentre tormina. Quare corpus oportet, † & quæ eleuantur deorsum ab his locis subducere.

† In ant. legit σωμα κατυχεῖσθαι corpus oportet refrigerare.

Ecquæ uocet cataclysmata, ex his quę sequũtur, author ostẽdit: hæc enim dicit, q̃ lacte cõstãt, & ex ciceribus elixam aquam, salsuginem, & aquam marinam. Nam alia horum sunt purgantia medicamenta, quæ totum corpus uacuant. Quare ut balneatores purgare se balnea dicunt, cum ab illorũ lapidibus cœnum abstergunt, & sordes: ita uentris & intestinorum cataclysmata pituitam eis & bilem abluunt. Quãdo igitur hieme generatur in uentre pituita, author nobis est, ut pituitã uomitibus expurgemus. Et bilem ęstate innatantem, retrahamus deorsum. Veruntamen uniuersum corpus si purgare instituas, æstate per uentrem superiorem, hieme per inferiorem purgabis: ut est in Aphorismis relatum. Nam quæ in præsenti abundant, his medeberis purgatione: ut tamen per loca, quò uergunt, purgationem instituas. Siquidem ducenda sunt, quò tendunt, per loca accommodata. At quibus ne augeãtur, uelis obsistere, per contraria loca rettrahere debes.

XVI.

ADMINISTRENTVR cataclysmata corpulentioribus & humidioribus salsiora, & tenuiora: siccioribus, gracilioribus & imbecillioribus pinguiora, & crassiora. Cataclysmata, pinguia & crassa sunt, q̃ lacte cõficiuntur, & ex ciceri

bus aqua elixa,& id genus aliis. Tenuia uero,& salsa,brasica,& aqua marina,& q̃ eiusmodi sunt.

Quæ magis incidunt, corpulentioribus iubet præberi,quod pituitosiores hi sint: leniora uero gracilibus:nam sunt hi bilioſiores. At uero quæ sint materiæ utrorunqꝫ,ipse subiicit: quæ qa interpretem non requirunt,ideo his præteritis,ad proxima me conuerto.

XVII.

VOMITVS autem hoc modo irritare oportet:homines obesi, ieiuni uomant, currendo,aut celeriter eundo, meridie.

Vult crasis,qui uomituri sunt,corpus excalfactum,quo succi pituitosi,quo plurimo crassi abundant,liquescant. Quinetiam omnium apertio uasorum,& angustorum meatuum raritas hac maxime ratione paretur. Faciunt autem hæc omnia ad facilem & minime molestum uomitum.

XVIII.

SIT HYSSOPI quadrans cõtriti in congio aquę,quem ebibat,acetum affundens,& sal aspergens,quo sit iucundissimum.

Incidentem esse potionem uelle illum,& qua de causa,non est obscurum. Nanque homines crassi quãdoquidem humoribus sunt præditi prorsus crasis,& frigidis,iisq; nonnullis lentis,ideo potionem eorum † discutientem uult esse. Cæterũ quãtam potionis,quam præscribit,copiam porrigat, non habeo exacte dicere: quod mensura,quem'cõgium uocant,non sit apud omnes eiusdem capacitatis. Si atticum cõgium imperat bibere,non mihi ille mos placet,multum enim esse uidetur mihi. Erat tamen maioribus solenne,si quando uel lactis

† τμητικὸν bis iam incidentem interpretatus est.

sero,uel eiusmodi purgatione utendum statuissent, magna copia offerre.

XIX.

BIBAT tardius primum,deinde uelocius.

NAM à primo si affatim bibisset, continuo uomeret prius quam omne ebibisset,atque succos in uentre cõtentos † absterget quis cum unà † effunderentur,quos primæ uenæ habent. Sin autem primo lentius,postea omnino bibat largius,ea ratione fiet,ut mediocri tempore continere possit,atqꝫ in tempore impetum ad uomitũ capiet,quod tandem magis affatim bibat.

† Messius forsitan dixisset abstergat & effundantur.

XX.

GRACILIORES, & imbecilliores à cibo uomitum prouocent hunc in modum. Calida loti præbibant meri heminam,mox omnis generis cibos ingerant,nec in comedendo bibant,nec à cibo,sed contineant se dum quatuor stadia quis progrediatur. Deinde illis in potum triplex uinũ miscebis,austerum,dulce,& acidũ:primum meracius,& paulatim, tractimq;:deinde dilutius,celerius,& affatim.

Calida lotum,præbibere mãdat poculum meracius hac,ut coniicimus,inductus ratione: Calido balneo totum corpus calfit,humores colliquãtur,uasa euadunt laxa.quæ & ipsa uinum meracius præstat,eademq; opera uiribus robur conciliat, cuius habere maximam rationem in gracilibus uidetur. Mox,inquit,omnis generis cibos ingerant: cuius non eandem omnes rationem, qui hunc lib[…] enarrauerunt,scripserunt. Nam quibusdam de illis,uarios cibos offerre uidetur,quod inter se se mutuo disidentes, minori negotio uomitum cieant. Aliis,quo plus ingerant: quippe simplices,

& unius speciei, mox saturant. Præterea non illis concedit statim bibere, ut cibi statim ne supernatent, quod cauet. Et ne istud accidat, tempus etiam constituit interea, quod cõmorentur, nutritioni sufficiens. Ipsumq; adeo tempus pronunciauit, dum quatuor stadia quis progrediatur. Quæ postquã ita præcesserint, dat bibere uina tria, quæ inter se sunt diuersis qualitatibus. Nam ex his uinis hoc esse austerum uult, illud dulce, aliud acidum. Sed hoc etiam loco causam reticuit, quamobrem id præscribat. Qui uero ad eius sensum diuinationibus aspirant, dicunt austerum ipsum administrare ob instrumentorum, per quæ uometur, robur: dulce, ut uomitum concitet, ad hæc quod fundat humores dulce uinum: acidum, ut abstergat, quæ uétri sunt infixa. Forte uero & cibos illis præscripsit diuersis qualitatibus, ut hi uentrem confirment, illi uomitum irritent, alii succos abstergant impactos. Verũ quod frequenter in sodalium meorum & amicorũ cæterorum cõgressibus dico, nõ tacebo in præsenti. Nõ paruũ esse istorũ delictũ cẽseo, qui rationalẽ sectã uenditant: q omissa ratione eorum, quæ dictant, pronunciant, tanquam edicta regia. Nam multo erat satius ipsum libri scriptorẽ, singulorum præceptorũ uim exprimere: ut fecit Hippocrates in libro de ratione uictus in morbis acutis, ubi de ptissana refert. Nam uiscositas eius lenis, cõtinua, iucunda, lubrica, & modice laxa est, sitim arcet, & ubi ablutione opus est, facile descendit, non astringit, non uellicat grauiter, neq; in uentre intumescit. Similiter de aqua mulsa, uino, oxymelle, & lauacris scribit: ut initiũ habeamus uiæ, qua nonnulla ab scriptore omissa, quæ cum eius sententia sunt cõiuncta, adiiciamus. Et nũc quidem cum alia protulit, non addita causæ ratione, tum quod bibendum est uinum primum quidem meracius

meracius, & paulatim, & tractim: deinde dilutius, celerius, atque affatim: cogimur nos mentẽ conijectare, qua scripsit. Est uero cum omnis alioqui ambigua coniectura, tum sanè maxime, ubi hominis sententia etiamnum ignoratur. Proinde dilutius bibere uinum, celerius, & affatim, de his q cupiunt uomitum, non absonum uideatur dictũ esse: quandoquidem his qui retinere uolunt, & concoquere alimentum, contraria conferunt, meracius, paulatim, ac tractim. Quare autem, quæ omnino retentioni sunt congrua, hæc offerat prima iãiam uomituris, non habeo quod probabile adferam. Fortasis horum author non alienum uidebatur, quod interpretibus nonnullis probatur: quando hoc illi propositum est, ut uires hominum gracilium, quibus hæc dictat, ne prosternat, ideo prẽter cætera eas confirmat, ac mox ad cientia uomitum progreditur. Veruntamen ad uires constituendas tempus, quod à cibo sumpto dabatur, satis erat. Alio item aliud, ut dixi, uidetur, non tamen numerandum ut necessarium, quod demonstrationibus stabilitur ex scientia profectis.

XXII.

QVI consueuit bis mensibus singulis uomere, rectius ille ordine duobus diebus uomat, q̃ quin todecimo quoq; die. Alii planè cõtra faciunt.

Et huius quoque oportebat rationem scriptorem comprimis apponere, quãdo præter distinctã ullam declarationem dixit de uomentibus bis quoque mense. Video enim esse, qui uacuationis gratia uomunt: ut alios, qui unum diem in mense ieiunant: et quosdam, qui humorem uentri impactum, aut uiscidum, aut crassum expurgent. Sed nihil tamen causæ est, quin per interualla † ista faciamus, non continuis duobus diebus.

† Sĩ ἀμφοτέρως ut in manuscrip. legerit interpretandũ utrique faciant.

XXII.

QVI FACILE cibos reuomunt, aut quibus sunt alui astrictæ, omnibus conuenit his crebro in die cibum sumere, & esculentis uti uariis, ac op soniis uarie paratis, uina item bina bibere, uel terna. At qui cibos non reiiciunt uomitu, uel aluis sunt præditi sanis, his ex usu est, ut faciant illo modo contraria.

Qui uentrem purgare, aut corpus uacuare modice uolunt, his confert uomitus. Atque hos sæpius uult cibum sumere, eumq; uarium, & diuersa uina bibere. Contra, eos qui nolunt uomere, uentresq; habent plus æquo humidos, ut quærãt sisti, hos nec frequẽter comedere, & uariis cibis & uinis abstinere. Nam semel cibum capere, & eum unicũ, uinum item unum bibere, interest ad hoc, ut uenter illa & retineat & coquat. Contraria uero ægrius tum concoquuntur, tum in uentre commorantur. Et pro ciborum qualitate, & ordine sumptionis, aut innatare illos, aut excerni per aluum contingit.

Semel cibus capiendus.

XXIII.

INFANTES DIV sunt calida lauãdi, iisq; uinum dilutum exhibendum, quod prorsus tamen frigidum non sit: idq; offerendum, quod minime uentrem attollit, & flatum creat. Atque hæc faciẽda sunt, quo minus tentent cõuulsiones, ipsiq; crescant, & melioris coloris fiant.

Dicta finis.

Quò hæc dicta dieta spectet, ipse enarrauit: nẽpe enim ut minus, inquit, tentent conuulsiones, ipsiq; crescant, & melioris coloris fiant. Nam calida qui multo pueri tempore lauantur, molles permanent: id quod conuulsionibus resistit. Nam conuulsiones ipse Hippocrates frequentiores esse dicit corporibus contentis, quàm remissis & laxis: tum mollia corpora facilius augẽtur, quod in omnem partem facilius intendantur. Atqui quæ à cõuulsionibus libera sunt, probeq; crescunt, his totum esse habitum salubrem, id latet neminem. Ergo id ipse uno insigni prodidit non cõtẽnẽdo, coloris. Et uero etiam uinum hos dilutũ iubet bibere, nolens eos nimium calescere, idq; adeo quod non raro laborent cõuulsione, qã qdẽ neruorũ imbecillitati & uoracitati acceptũ referunt. Ideoq; uinum eos nõ frigidũ bibere imperat. Atq; uinum qã esse eiusmodi debet, ut minime sit flatuosum, omnibus iuxta, nedũ solis infantibus, commodat.

Vinũ dilutũ præcipiendum.

Vinũ flatuũ expers.

XXIIII.

MVLIERIBVS ratio uictus esse siccior debet, cõmodiores enim sunt cibi sicci mollitiei carnis: ut item pocula meraciora referunt plus ad secũdas, & fœtus nutriendos.

Mulieribus siccioré rationẽ uictus præscripsit: quę qualis est, ipse subiicit. Cęterũ hęc opinio authoris cõtrouersa est. Et enim si mulieribus esse humidis prẽter naturam sit, ut in intemperatis naturis & affectis humidus morbus, recte illas siccaret. Iã cum eis hoc sit naturale, tuendum est: nisi salubrem mediocritatẽ excedat. Sed illud nos ẽt in uiris spectamus. Nanq; & his natura comparatum est mulieribus esse siccioribus, qui ubi iustam siccitatem superent, ibi eorũ intẽperiẽ cõtrariis corrigimus.

Mulieribus humidis quare dieta sicca cõueniat.

XXV.

QVI EXERCITANTVR, his hieme conuenit currere, & luctari: æstate luctari quidem parum, currere uero haud quaquam: sed deambulare multum in frigore.

Exercitia pro tempore diuersa.

Exercitationum differentias, quę anni temporibus sunt peculiares, docet quæ hieme calfacere ualent & exiccare: æstate contra.

XXVI.

QVI CVRSV defatigantur, hos oportet luctari. Qui uero defatigantur luctando, currendum his est. Nam ita laborans partem corporis defatigationi obnoxiam, calidã cõseruet, simulq; maxime recreet.

Si ita omnia medici rationales conscripsissent, nõ fuisset uerborum fundendorum locus interpretibus relictus. Id autem dico, ut addatur causa, cur ita nos agere iubet: id qđ fecit hoc loco Polybus.

XXVII.

SI HOS qui exercitantur maxime alui profluuia arripiunt, ac excremẽta cibum referunt, suntq; cruda, de exercitationibus detrahere debent, non minus tertiam partem, & de cibis dimidiam. Constat enim nõ ualere uẽtriculum aceruum ingestorum ciborum omnem calfacere. Sit his cibus panis, quàm potest fieri maxime coctus, in uino intritus, potus quàm paucissimus & temperatissimus, caueantq; à cibo deambulare. Hoc autem tempore semel tantum oportet illos cibum sumere: nam hoc modo uentriculus maxime calfiat, cibosq; uincat. Porrò modus hic alui profluuii corpora quæ carne sunt densiore, frequentior exercitat, ubi compellatur homo, quando ita est natura comparatum, uesci carnibus. Venæ siquidem constipatæ, cibos non suscipiunt comesos.

Non uidetur hic de exercitantibus sese gratia sanitatis loqui, sed de his, qui munus aliquod obeũt gymnasticum, ut non detur illis eius omnino dimittendi facultas, aut admodum multum remittendi. Propterea de illis detrahit, de exercitio tertiam partem, de cibis dimidiam. Nam hactenus sperat cibum superaturos, ut non iam aut cruditate laborent, aut alui profluuio. Cæterum hic quoque suo

officio functus est, quod eorum adscripserit rationem, qua adductus, hæc ipsa & quæ his sunt dicta, præscripserit. Nam modus, inquit, hic alui profluuii, hos qui carne sunt compactiore, capit, ubi carnes comedere cogantur. Vbi de gymnasticis uerba se facere significauit: hos etenim comedere carnes cogunt. Ac subiungit: Venæ' constipatæ cibos non suscipiunt comesos. Quod obscure dixit: quare interpretes putare compulsi sunt, constipatas eũ dicere, pro induratis, & quæ ægre intenduntur, ut nõ excipiant alimẽtum: qđ denotari aiunt ex hoc, Cibos nõ suscipiũt. Sed istud digestionẽ citius, quã lædere concoctionem consueuit, ut excernant illi humida quidem, at non cruda tamen. Atqui dixit ante, cruda hos, & quæ cibum referrent, deiicere. Verum quando adscripserit rationem, qua fretus ea consuluit, quæ consuluit, & etiamnum tenemur implicati, quid in his orationibus fieri existimabimus, quibus causam, quare facere illa nos iubeat, non adscripsit? Equidem nisi de his, Carne qui sunt compacta, adscripsisset, hærere me ingenue faterer ut in multis aliis, in quibus cum nihil eiusmodi apposuerit author, audacissimi isti interpretes qđ in mentem uenit, pronunciant. Iam quia præditorũ compacta carne meminit, quo commentarentur illa quoque, quod utile esset de his naturis, ansam præbuit. Hi enim citissime plenitudinem aceruãt, quod non satis perspirationis habent. Vnde fit, ut cum consistat digestio, prorsus humida euadant excrementa. Interdum non humida solum, sed & tenuia, & præter cæteros uoracibus. Nam cum ex deglutitis aliquid in corpus digeritur, residua prõptius uenter concoquit. At uero cum ciborum in eo permaneat aceruus, si quando eum degrauent, semel deiicit prius uniuersos, quàm sint concocti. Potuit etiam per uenarum duritiem, quia intendi

multum non poterant, digestio impediri alimenti. Verum talium naturarum quo pacto haberi potuit ratio, scribere ipsum oportebat, instituto cõtrario. Siquidem totius habitus sunt scopi, raritas & mollities, quæ molli frictione, & multa pinguedine in soliis fiunt. Hic uero symptomatibus immoratur, ac eorum negligit interim ueluti radicem resecare. Iam in præsenti oratione istud quoque dicit: constat enim non ualere uentriculum aceruum ingestorum ciborum omnem calfacere. Atqui si uere incusauit habitus densitatem, & uenas cibum non suscipientes, iniuste de uentriculo conqueritur. Quod si hic eum quis uera dicere admittat, sequentem etiam diætam recte esse dictam, †causam non dixerit? Panem percoctum, potum temperatum & pauciorem, semel cibum sumendum, nec à cibo deambulandum.

†Hæc in græ. non legi.

XXVIII.

EST HÆC quidem præceps natura, & ad partem uertitur utráque, parumq; uiget bonus habitus in eiusmodi corporibus.

Bonum habitum appellauit compacta carne prædítorum naturam, quæ æque celeriter facit mutationes. Itaque subnectit: Et ad partem uertitur utranque, hoc est, ad bonum habitum, & contrarium. Prætereà addit: Parumq; uiget bonus habitus in eiusmodi corporibus. Nam in commentariis in Aphorismos ostendimus, bonum exercitatorum habitum, præter sanguinis repletionem & carnis, robur conseruare naturalium facultatum. Sed ut illic summã habitus bonitatem esse periculo ostẽdimus obnoxiã, quã nõ cito †arida corpora cõsequuntur: ita usu uenit his, q corpore sunt cõpacto, posteaq; uelocissime propter difficilẽ p halitũ digestionẽ his generatur, cogiturq; scilicet è uestigio

†Rara, forsan melius.

euerti, celerẽ obtinẽt generationẽ & dissolutionẽ.

XXIX.

HABITVS uero rariores & hirsutiores, carniũ esum magis admittũt, & labores. Suntq; his boni habitus diuturniores.

Quod corpora hirsutiora cutẽ obtinet rariorẽ, itemq; genus carnosum, in libris de temperamẽtis didicimus. Quare hæc merito sanè commodius ait esum carnium ferre, nempe quæ transpirantur: & labores, quod minus sint lassitudinibus obnoxia, id quod etiã in libris de tuenda sanitate traditum est. Quod si hæc, & bonos habitus habent constantiores, ut quæ non attingant continuo extremum.

XXX.

ACQVI cibos postridie eructant, & si præcordia eleuantur, his tãquam cibis non percoctis diuturnior somnus prodest: nihilominus horum corpora ad alium laborem sunt adigenda. Vinũ bibant meracius, & largius, cibi uero minus sumant hoc tempore. Liquet enim præ imbecillitate & frigiditate uentrem non esse ciborum multitudini parem concoquendæ.

Laudo hic eum, qđ fini adiecerit: Liquet enim præ imbecillitate & frigiditate uentrem non esse ciborum multitudini parem concoquendæ. Nam quasi ad id respiciens, eum studet calfacere, eaq; gratia longiorem somnum eis consulit, itẽ exercitationem, atque uinum bibere, & meracius, & copiosius: prẽterea, id temporis minus comedere, quo ipsis cõtigit eruditate laborare. Nam reliquo tempore exercitantes sese & mouẽtes, uinumq;, ut diximus, bibẽtes, nihil est quod ciborum mediocrem copiam imminuant.

XXX.

QVOS sitis infestat, cibos hi & labores minuant, ac uinum dilutum bibant, idq; quam frigidissimum.

Hic expressa est eo modo calidarum naturarũ nota. In sexto libro Epidemion his uerbis: Calido naturaliter frigidæ potio conuenit, & quiescere. Vt enim appellauit corporis temperamentũ, subiunxit diætam, quam, qui ita sunt affecti, requirunt. Caput autem eius est, refrigeratio. Potissima in hac diætæ summa sunt, aquę potio, & uacatio exercitationis. Hoc loco quiescere aliter expressit, nempe labores minuant. Et pro frigidæ potione scripsit, ac uinum dilutũ bibant, & quàm frigidissimũ. Mihi uero rectius hic præcipere uidetur, quod potio diluta & frigida cum refrigerat, tum præterea uini obtinet commoditates.

XXXI.

QVIBVS uiscera ab exercitatione uel alio itinere dolent, his requiescere ieiunis cõfert. Potus sit parcissimus, q̃ corpus ingressus cieat urinam: ut ne uenæ, quæ uisceribus sunt innatæ, cõtendãtur plenæ. Quippe inflationes hinc, & febres generantur.

Omnia hæc præcepta in lucubratione de sanitate tuenda abunde tradidimus: & nunc memoriæ causa, ut in superioribus, ita hoc loco exponemus. Multis enim tametsi febri liberis dolores in uisceribus oboriuntur, potissimum in iecinore, ubi à cibo se exercitauerint, uel lauerint. Cuius quidem causa angustia est uisceris transitus, ascendẽtium q̃ crassitudo humorum. Etenim occlusi, & resistentes in uenarum strictis finibus, quà sanguis ex simis iecinoris partibus transsumitur in concauas, tum transitum obsepiunt, tum uenas intendunt, quæ in

sima sunt iecinoris regione. quas ita affectas dolores citra febrem excipiunt. Hos †sopire eo tempore oportet, quo infestant: ac potare aliquid, urinam quod moueat, & iecur reserat. Qui nisi minxerint, his occasionibus succedunt flatus & febres.

† κοιμᾶσθαι. i. quiescere.

XXXII.

QVEM MORBI corripiunt à cerebro profecti, huius primum torpedo caput tenet, meiitq; frequenter, ac alia patitur, quæ in urinæ stillicidio solent euenire. Hunc illud dies uiginti molestat. Et de naribus si fluat, aut auribus aqua uel mucus, à morbo uindicatur, & urinæ quiescit stillicidium. Meiit autem absque dolore multum & album, dum diem uigesimum transierit, & capitis dolor relinquit hominem, cæterum oculos intendentem splendor illum fugit. At uiri est, qui facultate est præditus ratiocinandi (quia homini tanti nihil, atque sanitas est) nosse de suo consilio in morbis esse præsto.

Merito habuerunt hanc orationem suspectam. Nonnulli etiam semel damnarunt: non esse Polybi, & multo minus Hippocratis. Nam orationis omnino non cõstat initium, uolés cerebri morbos torpedinem inducere & urinæ stillicidium. Quæ tamen oratio, uel si putet quis non cunctos eum cerebri tales esse morbos constituere, sed eos solos, quos fluens de naribus & auribus muccus & aqua depellit, haud est uera. Neque enim semper ita rem se habere, neque frequenter apparet.

GALENI IN PRÆDICTIONES HIPpocratis Commentarius Primus, Laurentio Laurentiano Florentino interprete.

Quàm sint necessariæ medicorum prædictiones.

I.



MEDICVM uti prouidentia (ut mihi uidetur) optimũ est.

Pro præsensione, dixisse prouidentiam, perspicuũ est. Igitur infert: Præsentiẽs enim & prædicens coram ægro. Cæterũ prætexuit operi præfationem, utpote necessariam (quanquam non admodum utatur præfationibus) ob quosdã medicos qui illius seculo extiterunt, & item nũc sunt, sese nominantes methodicos, medicorum officiũ haberi dicentes, aut præsentem conseruare sanitatem in bene ualentibus, aut reuocare corruptam in ægrotãtibus, uaticinationis uero interesse, præsentire futura. Itaque docet Hippocrates ex præfatione, quàm usui medicorum præfagia habeantur, oratione in tria capita distracta. Aegri enim parent propensius, ac medicus præsentiendo† futura, de longinquo obuiam it: & demum crimine uacat internetionis* Porrò uoluit ut nihilominus salutis causa censeantur. Sed iã adiiciamus dictionibus ea ex quibus singula capita adstruat.

† Quæ ægrotis euẽtura sunt ait ipse græ.

* Alius est forsan gal. sensus uidelicet qđ nihilominus nult Hippo. qđ id adsit medico quã q; salutis author habeatur.

II.

PRÆSENTIENS enim & prædicens coram ægro præsentia, præterita, & futura, quæq; infirmi omittunt enarrans, creditur agnoscere ægri conditionem. Hinc audent homines magis se concredere medico.

Præterita dicitur, p̃sentia cognoscito, p̃dicito futura. Hipp. 1 epid. pr. 2 aph. 49.

Primum caput hac adstruit oratione: audere dicens homines magis se concredere manibus medicorum, quoties prędictiones haudquaquam intercidãt. Ita enim efficitur ut æger facile existimet medicum agnoscere cõditionem ægri, id est quænam sit natura morbi. Atque ad hunc modum sequela texitur demõstrationis: Ex prædictione existimat æger medicum agnoscere naturam ægrotationis: porrò existimans medicum agnoscere naturam ægrotationis, se exhibet obsequentiorem: ac demum se exhibens obsequentiorem, morbo facilius uindicatur. Quæq; infirmi omittunt. Infirmi omittunt nõ quæ nullo pacto agnoscunt: quẽadmodum nonnulli interpretes inscite prodiderunt, sedes in profundo corporis perpessas, aut causas, & item affectiones earũ: sed ex causis, procatarcticas nomine, id est prægressas: ex accidentibus autem, ea quæ euidentia circa corpus sunt, ac sensibus usurpantur. uerbi gratia in pulmonia, maxilla rubicunda. nam quædam horum infirmi, dicere refugiunt. Ergo quæcunqne talia per enarrationem infirmi nequaquam dixerunt: simul atque audierint à medicis relata, eos optima ratione demirantur. Cæterum quonam modo id fieri conueniat, procedente sermone docebo.

III.

ITA CVRATIONEM optime molieris, † prænoscendo futuras affectiones: fieri enim non potest ut omnes in sanitatẽ ægri perducantur, id enim melius foret, q̃ præsentire futura.

† Ex præsentibus affectibus addit græ. cod.

Secundam prædictionis utilitatem hoc loco persequitur. Etenim ubi medicus agnoscit exquisita ratione affectionẽ ægri: quosdam prohibebit affectus qui per eam infestare assolent: quorundã prohibebit magnitudinem: omnibus uero in

in commune recte prospiciet & præcauebit, quē admodum bonus gubernator per futuram tempestatem.

III.

CVM HOMINES intereant, alii priusquā adhibeant medicum, ex ui morbi: nonnulli adhibentes medicum, statim moriuntur: quidam diē uiuentes unum, aut paulo plus temporis ante quā medicus arte repugnet. Oportet igitur agnoscere taliū naturā affectionū, quantū supra uires corporis sit: pariter & si quid in morbis diuinum habetur, illius quoque ediscere prouidentiam. Ita enim merito commendabitur, & fidus medicus erit. Etenim superesse qui possint, eos uel magis poterit recte seruare, ex multo ante tempore singulis consulens, atque morituros euasurosq; prænoscens ac prænuntians culpa uacabit.

Hoc sermone, ad duo de prædictis capita in prædicendo utilitatis præterea adstruens adiecit tertium: insontem abolitionis crimine fore medicum dicens, quoties conualituros aut morituros ægros prænunciet. Igitur adolescentem medicus quidam nuper incipientem sudare †ratione accidentis, demisit in balneum. tum autem sudoris copia effluente medicus gauisus est: tanquam scrutatus esset exquisite tempus. paulopost intermortuus æger *magna necessariorū indignatiōe est. Hactenus fecimus præfationem enarrationis luce illustriorem, præterquam uerbum diuinum, breuissimis. quod inquam enarrationis genus cōgruit iis qui periti sunt circa principia, studentibus utilitati commentariorum: Insuetis uero dictionibus authorum, aut sequelæ in orationibus ignaris, aut utilissima contemnentibus, diuersantibus etiamnum in cauillis & argutiolis orationum, alius enarratio-

†συγκοπτικῶς. i. cū animi defectu.

*Illū quasi fuerit necis author necessarii accusabant. ait ipse græ.

nis modus proprius est, lōgioribus claudens, quē præterire omnem licebit utilitati studentibus: in medio relinquentibus librum, dum ad eam ueniamus dictionem cuius tale est initium. Considerari conuenit hunc in modū per morbos acutos.

Altera longior enarratio præfationis.

Medicum uti prouidētia (ut mihi uidetur) optimū est. Nō secūdū cōmunē authorum cōsuetudinē uidetur Hippocrates usurpasse prouidētiæ nomē. etenim curam & diligentiā ita appellant: quē admodum Euripides indicauit dicens. Hæc moriens tamen multum prouidit, ut honeste caderet. Quinetiam uerbū prouidere, per omnis modos infinitum multitudine est iuxta authorum intellectum, pro eo quod est curam gerere cuiusdam rei, & præparare utilia. Præterea prouidentia mundū gurbenari, uulgata alioqui apud Philosophos & trita quæstio, eam ipsam indicat significationem. At uero Hippocrates non ita: sed de præsensione prouidētiam dixit. Mihi uero uidetur non simpliciter, sed a communi quadam significatione secundum utranque appellationem. Quod enim uideantur quædam antequam fiant, prouidere apud Homerum, & item præuidentiæ uocabulum apud istū factum est: & ab ea ipsa præsentire & item præsensio. Quocirca quicquid natura sensile ratiocinatione peruestigamus antequam intueamur, pręuidere hoc merito dicimus: indicantes uerbo ut talia uideamus antequam fiant. & ob eam rem, quę geruntur, si fiant derepente, contra arbitrium & cogitationem: si consulto, cum prouidentia fieri dicimus. id quod Soloni quoq; est proditum, hunc in modū:
» Interstinguant perpendantq; iudices Areopagitę
» conueniet, num cædes, uulnus, incendium prouidē
» tia commissum sit, & item medicamentum si quis
» adhibens interemit, Quinetiā Rhetores antiquio-

res sæpenumero talia uerba & nomina usurpant: in quibus quæ prouidentia geruntur, diducuntur aduersus ea quæ sine ulla consultatione & delibe ratione contingunt, uerbi gratia: si quis inuitus al terum oblæsit, aut si percussit obiratus, haudqua quam prouidentia extitisse dicunt. Sed si quis mul to cogitauit ante aliquid tale committere, & con sideravit quo pacto: prouidentia id commissum uolunt. Id ergo commune significatum apud au thores de prouidentiæ uocabulo, bonarumq; & malarum gestionum: nec ut quidam existimant, de bonis tantummodo dici assolet. Etenim ea ipsa quæstio, utrum fortuna quadam regatur mundus, an prouidentia: de communi significatione relata est, quomodo ex oppositio fortunę dilucet. Porrò quidam nō fortunam, sed causam aduersum pro uidentiam diuidunt, idipsum utraque appellatio ne significantes. Quinetiam sæpenumero dicitur à Philosophis mundum prouidentia gubernari melioris appellationem adiicientibus, & itē opti mi: propterea quod prouidētiæ uocabulum, me liores deteriores q; notę promiscuum faciant. At qui uidetur ut prouidentia ex aduersum dicta for tunæ, non ita dicatur ex significatione communi. Ita enim uocata prouidentia, bonarum functionū tantummodo nominatur. Vniuersi enim prouidē tia, haudquaquam est functionum malarum. Si igi tur prouidentia secundum hanc cōmunem signi ficationem dicta est: constat ut ita appelletur ea ra tione q aliquid antea fiat q̄ uideatur. Pari modo præsensionis uocabulum factum est. Si enim quæ sensibus suapte ui & natura usurpantur, quibusdā peruestigamus indiciis: merito talia dicimus præ uidere, perinde quasi uideantur ante quàm fiant. Ita efficitur ut rerum quæ per tria accidant tēpo ra, præsensio censeatur. Vates enim nihilominus

demirandus est, qui tanquam præsentia dicat prę terita, quæ non uidit ipse: quàm qui futura præ nuntiet. pari ratione, qui ea quæ nunc geruntur quidem, antequam uideat: nihilominus quàm ille, bonus uates est. Id igitur Hippocrates indicauit dicens, Præsentiens & prædicens coram ægro præsentia, præterita, & futura. Eiusdem ergo facul tatis interest, præterita, quæ non uideris, dicere ut extiterint: & item præsentia, atque etiam post futu ra. Vsu uero inter se admodum disident. futuro rum enim præsensio utilissima est. præteritorum uero inutilis quidem aliis, sed utilis uni medico cui libeat artem suam ostentare. Cæterum hæc quanquam non sint medicinalis propria artis, ta men enarrationi nimium concinunt explicanti in commentariis implicitas nominū significationes. Illud ex superabundanti quidem relatum est ad enarrationem: utile uero ad aliquid aliud, quod q dē dicunt expositores de moribus scriptoris mo destiam commendantes, etiam hoc loco dicētis: Vt mihi uidetur, optimum est. Potuit enim dixi sse. Medicum uti prouidentia, optimum est. Ipse uero hac quoq; parte adiecit uerbum. Vt mihi ui detur, scripturus quidem huius decreti demōstra tionem. At uero quæ Herophili sectatores dixe runt, diuidentes præsensionem à prædictione: nō solum inutilia sunt & impropria significata, sed so phistica & falsa. Atqui uidentur rerum discrimina docere, non deferre nomina: primum in eo ipso peccantes, q nesciant se de uocabulis facere ser monem, non de natura rerum utilium arti. Sen sio enim præsensionis nomine contenta dici tur magna ex parte, si firma sit: interdum uero & si quid desit ne firmissima sit, tantisper simi liter nominatur. Quocirca nonnunquam cum adiectione dicunt ii qui talia enarrant, interdum

exquisitam sensionem, interdum ratam, quandoq; firmam aut etiam perpetuam, ex ipsa adiectione indicantes nequaquam significari semper firmam de nomine sensionis. Pari ratione præsensio biiuga est: altera firma, uerbi gratia, ab hieme futurum uer est, à quo æstas, post autumnus: non firma altera, ex quibus Aratus uersu cecinit de Luna: Si uero cornu sublimius annuat illi, Vim Boreæ expectes: Austrum si recta supinat. Ita enim fieri magna ex parte obseruatum est, atqui interdum non ita contingit. At uero Herophili astipulatores uolunt præsensionem esse firmam & stabilem: prædictionem uero nihil habere istiusmodi. Multa enim prædici dicunt quę non eueniant: perinde ut quis possit prædicere ea quæ non præsensit: aut aliud uoce eloqui, quàm qđ est animo cognitum. q̄ si nolint appellare cognitum, prorsus nominent opinatum: ita ut antecedat in animo prædicentis. Sed si nō dicant præsensionem, sed præopinationem: non tamen authores uocant præopinationē, quo modo nec Herophili sectatores. Atqui parte plurima barbarissant. Aut igitur præopinationem lege sanciant dissidere à præsensione, pariter suadentes hominibus recipere legis sanctionem: aut si id facere non queunt, uocabula rerum secundū consuetudinem inaudiant. At uero in consuetudine est medicis, spem de futuro magna ex parte & item firmam, nominare prę̄sensionem. At fidi meo dici interest nō talia uestigare: sed quo pacto quispiam in ægris prædicendo uentura, magna ex parte uerus sit, raro falsus. Etenim uocula, magna ex parte, singularis quidem est, sed rerum plicas multiformes agnoscit, iuxta maioris minorisq; ratione. Si qs igitur uiginti prædictionibus oberrat semel, interpellauit perpetuitatem: melior tamen est quā qui bis à fine prædictionis intercidit: rursusq;

melior

melior hic est q̄ qui ter: quomodo rursus ille q̄ qui quater elusus est. Atqui promiscue tribuitur omnibus consequi finem magna ex parte. Talem ergo docendi uiam, ex qua auspicatus quispiam sæpius alio consequatur finem, admittere: supuacuam autem in significationibus nominum operositatem, abalienare & defugere conuenit: quā Prodicus tantus sophistes exosculatus, peritioribus grauis molestusq; erat: subindeq; a Socrate morebatur apud Platonē in cæteris alioqui commendandus. Sed non recte fortasse feci inter initia morans Herophilum. Præstat enim indicare uera præcepta medicorum, iis qui studeant ministeriis artis, neque terere ævum bifariam, partim docendo deliras fabulas sophistarum, partim refutando. Rectius enim erit utilia in his commentariis tantū modo persequi, quærere uero alio uolumine, & considerare in maiori ocio quæcūque Herophilus in prædictiones Hippocratis obloquatur.

Quæq; infirmi omittunt, enarrans creditur magis agnoscere ægri conditionem. Oportuit eos qui talia enarrare aggrediuntur, ostendere ipsa re quā ob rem ita scribere audeant. Etenim promptissimum est quicquid libeat scribere: difficile uero talem indicare contemplationem ex qua magna ex parte consequatur finem, dicendo ægris non futura solū, sed etiam antefacta quibus ipse nequaquam interfuit: & item præsentia circa ægros quæ nondum audiuit ab eis nec ipse agnouit: quemadmodum nos in iis quæ dicemus, erimus merito credendi, quoties operibus ipsis præstruamus contemplationis ueritatem. Cæterum ne cogamur semel atque iterum eadem scribere consulta, nunc in enarranda præfatione, & item post in enarrandis particulatim dictionibus: satius duxi hæc omnia seruare in enarrationibus dictionum medicinaliū

à nobis per hunc librum dicendis: maxime quia
id nondum quispiam fecit ex iis qui librum enar-
rauerunt, alioqui maxime necessariũ. Quod enim
censuit Hippocrates exercere medicum, quantum
in hæc agitur, omisit, nequaquam indicans quo pa-
cto conueniat præterita aut præsentia non perspe-
cta à nobis sensibus præsentiri. Et si quid in mor-
bis diuinum habetur, illius quoq; edisscere proui-
dentiam. Quidnam sit diuinum illud, cuius fieri ad
monet præsensionem, inter expositores dissensio
est. Nonnulli putant ob iram quandam deorum
hominibus accidere morbum: dicuntq; testimoni-
um huius opinionis, eos qui uocatas scripserunt
historias, citra rationis adminiculum nequaquam
indicãtes utrum fuerit Hippocrates huius opinio-
nis: quod inquam erat officium boni expositoris.
Nõ enim simpliciter dicendum est p enarrationes
quicquid nobis uideatur uerum: sed quod sit secũ
dum sententiam scriptoris. quanquã fuerit falsum.
Constat enim ut Hippocrates nullo suo libro cau-
sam ægrotationis in deos refundat: q & percussos,
unde nam ducti ueteres ita uocarint, uolumine de
uictu acutorum morborum ostendit. Hic igitur li-
ber confesse uerus germanusq; est. At libro qui est
de sacro morbo, multa quoq; scripta sunt ad ob-
stirpandam suspitionem eorum qui Deum mitte-
re ægrotationes contendunt. Nõ igitur comitialẽ
putamus diuinum haberi morbũ, neq; amoris affe
ctum. id enim credentes quidam: uerã scripserunt
historiam, deprehendisse Erasistratum ob amorem
ægrotare filium regis: diuinum tamen esse nequa-
quam docuerunt neque ab Hippocrate, neque ab
Erasistrato uocatum, neque ab alio quodam medi
co amorem. Porrò eos qui gracilenti sint decolo-
resq; aut insomnes aut febricitantes ex causis ama
toriis, illo capite cõplectũtur maiores, quo de cau-

sis procatarcticis id est prægressis cõmemorant.
Cum enim hæ in plura diducantur genera, unũ ex
his cõflictatio est, Conflictãtur uero hi quidem in-
termortuis liberis, aut necessariis, aut cognatis, aut
amicis: illi uero expectãtes seipsos uel suos affici,
uel etiam patriam omnẽ fore euersam. Itidem cõ-
flictãtur studiosi pecuniarum priuati pecuniis: uel
etiã ambitiosi priuati gloria: & itẽ alii omnes ita
afficiuntur. Ex his ergo sunt qui ob amorẽ cõflictã
tur, haudquaq; diuinam perpessi, sed humanã affe-
ctionẽ: nisi quis credat Poetis: qui fabulantur dæ-
monem quendã pusillũ, recens natum, gerentẽ fa-
ces ardentes, homines quosdam in hanc agere affe
ctionem. At uero qui decretoriũ genus dierũ di-
uinũ appellet, suũ quendam comprobauit affectũ,
haudquaq; prodidit Hippocratis opinionem. Nõ
enim simpliciter quæcũq; causas habent incogni-
tas aut inopinabiles, diuina uocamus, sed ubi mi-
rabilia habeantur duntaxat. Quãq; nec ignorauit
Hippocrates causas decretoriorum dierum: ut in cõ
mentariis de diebus decretoriis ppẽsum iã est. Igi
tur, ut docui, nequaq; memorare conuenit per has
cõmentationes quæcunq; prodita perperã sunt:
sed quæcunq; uerisimilia & consentientia uidean-
tur. Et ob eã rem quæ ab Herophilo scripta sunt
in prædictiones Hippocratis, dilata ad alium lo-
cum dissimulabo, idq; nunc & toto deinceps uo-
lumine ipse efficiam: & item cõmoneo faciendum
iis qui in tales incidunt cõmentationes, quominus
culpent me, multa expositorum errata de con-
silio reticentem. Sed si diligenter lecturi sint,
quæ à nobis sunt prodita, illa ex se ipsis æsti-
ment atque arbitrentur licebit. Ergo omitten-
tes nugas quæ de diuino circunferuntur, nite-
mur ipsi eam rem secundum Hippocratẽ uestiga-
re. Igitur, ut unum aliquid ad artem medendi

attinens, diuinum sit: nec solum ab Hippocrate commendari cognitionem eius, sed etiam ostensã esse, cuiuis perspicuum est. Scriptor enim deridiculus foret commendans rei, cognitionem quam nullo pacto docuerit. Itaque †soluemus, fidentes iam non aliud haberi id præterquam ambientis nos aeris conditionem, de qua scripsit in *sententiis ita, Si hiems squalida & aquilonia fuerit, uer uero pluuium australeq;, febres acutas fieri æstate necesse est, & lippitudines, & intestinorum difficultates, maxime mulieribus, & iis qui humidam habent naturam. Hæc & alia quæ deinceps sunt prodita, præsensiones sunt eorum quæ in nobis ob circunfluí aeris causam infestant: de quibus per sentẽtias breui summa quasi decursu per capita commonuit, sed libro de morbis uulgariis latius docuit, in his uero prædictionibus omisit, quanquam ad huius operis institutum attineant. Itaq; rectius erat quæsiuisse, quã ob rem dicere supersedit quidnam diuinum habeatur, quàm praue enarrare. Mihi uero uidetur ob libri magnitudinem haudquaquam adiecisse huic uolumini tractatũ de uulgariis morbis. & ob id, simul ac absoluit librum, in calce hæc adscripsit. Oportet impetum morborum exuperãtium cito considerari: necnon tenere temporis conditionem. Ergo quàm necesse sit agnoscere medicum & si quid aliud attinet ad prædictionum solertiam, & item genituram morborum exuperantium indicauit: proprium uero uolumen seorsum illis dicauit, per sentẽtias inquam, ut est proditum, breui summa: libro uero de morbis uulgariis, fusius tractatum excoluit. Quam ob rem nõnulli expositores statim ab hoc opere librum de morbis uulgariis merito enarrauerunt: & nos similiter faciemus.

†λεγομεν habent ant. cod. i. dicamus

*In aphorismis.

De signis quæ in uultu exiſtant.

V.

CONSIDERARI conuenit hunc in modũ per morbos acutos, prlncipio uultum ægroti, sit ne similis benevalentium, potissimum sui. ita enim optimus erit. si uero quàm maxime contrarius simili sit, exitiosissimus est.

Perspicue indicauit ut hoc libro de morbis agat acutis. Incepit autem ab indiciis quæ in uultu exiſtant: eo q̃ in primis appareant, & uim obtineãt maximam. Vt hæc igitur in primis appareant, cuiuis perspicuum, est: ut autem uim ad prædicendũ obtineant maximam, deinceps discas licebit. Atq; in primis reuocetur in animum communis totius medicinalis artis præfatio, quam libro κατ' ἐπιτροπὴν aph. i. prætexuit hunc in modum. An similia, an dissimilia sint, statim inter initia considerandum de maximis: de facillimis, ex iis quæ ex toto & usquequaq; accedunt, & quæ contueri licet obtutu, tactu, auditu, lingua, & animo usurpare. nõ enim præsensiones solum ex his, uerum etiam curationes affectuũ inchoantur. Igitur quonam modo curari debeant affectus, libro de curandi uia & ratione definitum iam est. de præsensione nunc agendum est: remonendumq; ut interſit prædicendi artis, non solum futura, sed etiam præterita, ac præsentia, ex quibusdam indiciis in corpore inuenire. Sed præsentium cognitionem proprio & suo nomine consueuimus nominare dinotationem. Itaque consideranda admonet uultum ægroti inter initia, similisne an dissimilis benevalẽtium sit, sed potissimum sui. Hoc. n. † signũ secundũ decreta Hippocratis intelligitur, ut nõ solũ de cõmuni natura omniũ, sed ẽt de ppria uniuscuiusq; præcepta artis cõsiderẽtur.

† ant. cod. nõ habet σημεῖον. i. ut sic ducamus nã & hoc est apud Hippo. de cretis consulit.

Quũ.n.conferri partes affectas præcepit cũ bene ualẽtibus:nõ alienas intueri,sed eius q affectus sit. Optimus igitur ægri uultus est,quoties simillimus sui permaneat.econtrario deterrimus,si quàm maxime in contraria uertitur.Ea uero quæ inter optimum & deterrimum habeantur,tua interest considerare finitis extremis.nam si propiora sunt optimo,meliora:si deterrimo propiora,deteriora existũt.Media uero inter hęc sunt q̃ pari utrinq; intercapedine circunsistuntur. Itaq; uultum optimum uno capite complexus indicauit.maxime uero cõtrarium, utpote nobis nequaquam familiarem, particularibus indiciis explanauit:è quibus singula seorsum aggrediar, prodita deinceps ad hunc modum.

IIII

NASVS compressus. *Acutus potius legendum*

Malum hoc indiciũ primum adscripsit,nasum compressum.Sed oportet,ut docuimus, conferendo cum natura cuiusque, talia considerari. nam si natura simus est,nasus prorsus compressior apparebit,quemadmodum si aquilinus aut etiam subrectus est.Ita uero cõsiderandũ est ut inquãtũ à naturæ forma recessit,intãtũ ipse prauus existat.Itaq; compressus nasus plane apparet in iis qui longiore morbo extenuantur,aut præ dolore conflictantur,aut quouis modo exoluantur,aut animo linquãtur,& item omnibus defunctis.Et ob eam rem quis merito colliget epilogismo,cõmuni omnium hominum utens ratione,prauum esse indicium,q̃p malã existat affectionem.Cæterũ quænam sit talis affectio per quã nasus cõprimitur, dogmaticæ iam cõtemplationis munus est indicare,quam deprehẽdi tãtũmodo analogismo conueniet.† Analogismus uero ratio est quæ ab euidẽti auspicatur

† Hæc desunt in græ.imp. q̃ qdẽ hñr in uet. codice.

Analogismus

Epilogismus

rei obscuræ faciens cognitionem.Epilogismus uero communis ratio est.& omnium assensu conspecta.] Sed primum epilogistice de singulis consideremus indiciis.rectius enim erit ex confessa communiq; omnium hominum ratione facere initialẽ doctrinam,quàm statim inter initia uenire ad analogismum.

VII.

CAVI OCVLI: astricta tempora:aures frigidæ contractæq;,& fibræ earum uersę:& item cutis circa frontem dura,intenta,arida:& color totius uultus uiridis aut niger.

Hæc quoque indicia omnia circa uultum existunt in morbis diutinis,& doloribus,& animæ defectionibus,& multo magis in morte.Epilogistica enim ratio facillima est,ut dissimilia naturæ,mali cuiusdam obtineant significationẽ.subiecti enim statim ab initio,id quod confessum conspectumq; est,ut maxime contraria naturæ,exitiosa:similia uero,salutis indicia habeantur.Itaque hæc à nobis de eis epilogistice dicta sint.nam post,exquisita ratione de omni eorum natura considerabimus.Fiunt ergo tales affectiones,aut ob aliquam causam consumentem & corrumpẽtẽ partes animalium carnosas,aut ob debilitatẽ natiui caloris,q̃ nõ insuper extendi in extremas corporis queat partes: sed in uisceribus solis exiguus obseruetur. Porrò huic scilicet comitatur affectui, ut non præterea affluat ad extremas corporis partes tantum sanguinis aut spiritus,quãtũ antea affluebat habẽtibus p̃ naturã.& ob eã rẽ in uultu maxima mutatio naturalis habitus liquido apparet.Quum enim partes ossęæ & item carnosæ & humidiores inter se adiunctæ sint, tum autem ossęæ subsistant similes, utpote quarum terrea sit substantia: carnosæ

uero humidiores quæ consumantur facile, & collabantur in eas ob inopiam spiritus & sanguinis: facillimus cognitu affectus est. Nasi enim circa solas pinnulas nomine, substantia, carnosa: subsiduũ uero omne, osseum est. Merito igitur quoties pars carnosa consumpta aut uacuata considat, extremũ eius tenue redditur: pari modo quoties uehementer refrigeratur: quod iam defunctis accidit. Stipata enim per refrigerationem substantia carnosarum partium, gracilentus in summis merito redditur. Non enim alium quendam nasum uocamus compressum, q̃ qui gracilẽtus in summis existat. Igitur ad hunc modum nasus compressus apparet. Caui præterea fiunt oculi propter eas ipsas causas. sed quãto humidiores mollioresq́; summo naso sunt, tanto citius cauantur. Quinetiã spiritus copiã animalis participant, & item caloris nõ parum habẽt: quibus deficientibus merito contrahuntur. Id uero, cauum oculorum est. Tempora similiter astringuntur, propterea ꝙ sola reliqui capitis musculos habeant: quos nominant à tẽporibus crotaphitas: reliquum uero caput omne prorsus carne uacat. Aures frigidæ & cõtractę, quia chartilagineę sunt, & carne uacãt, exangues habentur. Itaque celerrime refrigescunt, ut quæ suapte natura ad affectum instructiores paratioresq́; sint. Sed quam ob rem fibræ earum uersæ sunt? An quia molliorem obtinẽt substantiam, non quem ad modum subsiduum omne, quod inquam tenuis chartilago exquisite est tenuiore intecta cute? Quam ob rem de prædictis causis fibræ extenuantur, uertuntur, siccãtur, stipantur: ita uero affectæ retrouersus tenduntur magis ad originem præbentium illis sensum neruorum. Etenim cõuelli, cunctis corrigiis exiccatis cõmune est: proprium uero unicuiq; in corpore partim, est illò uerti & conuelli potius, ubi innexorũ

ei neruorum initium est. Id enim in digitis planè intueri licet. si enim intimus tendo ab aliqua causa afficiatur, digiti perspicue inflectuntur. si extimus, attenduntur. cæterum ob eam ipsam siccitatem stipationemq́; cutis, omnis circa uultum omnem duriuscula apparet & intenta. Affectus uero manifestius apparet circa frontem: quia carnosa substãtia tenuior hac in parte cuti subtenditur. de prædictis uero causis carnosa natura afficitur magis q̃ quę cutis institutione consistit. At uero coloris mutatio pessima est, quoties ad nigrum existat: utpote sanguine refrigerato: quemadmodum ubi foras effusus sanguis conglobatur. moderatior uero, quoties in chloron, id est uiride fuerit. Veteres enim assolent ita nominare nonnunquam pallidum colorem. interdum, ut plerique, brassicam & lactucã chloros, id est uirides nominant. qui quidẽ color, nigrior est quàm rubidus: est etiam tanquam initiũ quoddam nigri liuidiq́;, quẽ frigus perinde quasi nigrum effecit. Quocirca uultus in quo omnia prædicta habentur, †exitiosus merito nominatur. isq́; per morbos longiores sæpenumero uidetur. Raro uero inter initia apparet: & ob eam rẽ cum maximo periculo est: ut qui nullam abs tempore causam habeat. Longo enim interposito tempore consumi corpus, & item refrigerari partes extremas, haudquaquam mirabile est. Inter, initia uero præsertim acuti morbi prorsus exitiosum censetur nisi ob aliquam aliam causam talis extiterit. Cæterum quænam committere causæ eã rem possint, ipse procedente dictione docebit. Nunc uero rem adiiciẽdam, quam uidetur Hippocrates omisisse, prius audi. Vt enim per morbos diutinos talem fieri uultum non admodum exitiosum est: ita nec in terra frigida, hieme, conditione frigida, senecta: quẽadmodum per sententias indicauit: Per mor-

νεκρώδες, ac si cada uerinum dicas.

bos minus periclitantur ii quorum naturæ morbus conuenit, aut ætati, aut habitui, aut tempori, quibus non competit aliqua ex his ratione.

VIII.

SI IGITVR inter initia morbi talis fuerit uultus, necdū ſcrutari aliis ſignis poſsibile ſit, interrogare oportet nū uigilauerit homo, an aluus reſoluta admodum fuerit, an fame affectus, & ſi quid horū comprobet, minori cum periculo eſt. Indicantur uero talia per diem & noctem, ſi ob has cauſas talis fuerit uultus. Si uero nullū horū dixerit, neq; predicto tempore deſtiterit: ſignum eſſe exitioſum ſciendum eſt.

Summe exitialis & inſanabilis morbus eſt per quem ſtatim inter initia uultus exitioſus ſine exteriori cauſa extitit. Minori uero cum periculo eſt, ſi propter aliquam cauſam euidentem acciderit, uerbi gratia propter uehementem inſomniā, aut inopiam alimenti, aut alui fluorem. Præſtat enim nec ex his cauſis quidem nimium exolui uires inter initia ægrotationis. Minori uero cum periculo eſt quoties ob aliquam talem cauſam extiterit, nō ob maleficentiam ægrotationis. Sed quænam ſit affectio corporis in qua talis uultus efficitur ſtatim primis diebus, perſpicue breuibus tibi iam explicabo. Vbi debilitas detentoriæ in animalibus facultatis pariter ſit, atque humores tenuiores cum febre calida, præ debilitate excernitur ſubinde aliquid inuiſibile propter tenuitatem extra cutem, ut pote tenuioribus humoribus effluentibus. At uero febris etiam magis conſumit tenuiſsimos humores: minus uero tenues extenuat, ita ut nunquā uacuatio deſinat, ſed ſimiletur continuis uomitionibus, aut alui fluoribus, aut ex urina immodicis uacuationibus. Verum intereſt, q eæ ſenſibus uſur-

Detentoriis debilitas.

pantur: ea uero quam nunc commemoraui, præ tenuitate fluoris † aciem fruſtratur. Talis ergo neq; quaquā conſiſtit uultus in morbo pituitoſo, quē admodum nec per ſatietatem, propter exuperantiam ſanguinis, ſed inopiam potius eſſe oportet in corpore, & dolorem præuenire & angorē. ex his enim humor colligitur bilioſus. At uero ſi terra calida ſit, & anni tempus æſtiuū, & cōditio calida ſiccaq;, tantiſp tali affectione prehendi hominem promptius eſt, potiſsimū quoties bilioſior fuerit ex natura. Quinetiā nōnulli facile diſcutiuntur, atque diffluntur: alii uero oſticlum uentriculi debilē habent. q omnia quoties ſimul cōcurrant, tale corpus propenſiſsime prehendi poteſt affectione quę uultum exitioſum committat. Si igitur hæc quiſpiam agnoſcit: non ſolum prædictionē, ſed ēt curationem poterit inuenire, habens intentionem firmare uires, uentriculo idoneis alimentis. Sed hæc non parū extra itineris propoſitum dicta ſunt. De cauſis exterioribus cōſiderandum exquiſitius eſt. Hæ ſunt (quarum ipſe nominatim habuit mentionem) fames: inſomnia: fluor alui. Quibus adiicias licebit ſimilia horum, uacuationem immodicā, ſanguinis è naribus, aut uulua, aut mariſcis, aut uulnere, aut quouis alio modo: & item mœſtitiā uehementē, quæ quibus libeat cauſis cōſtiterit. Sed forſan recta ratione aliqs dicet hæc dicta eſſe ab Hippocrate poteſtate, in ſermone qui eſt de inſomnia. accidit enim inſomnia ēt ob alias cauſas: accidit ēt propter mœſtitiam, ita ut pro modo mœſtitiæ ſequatur inſomnia: & ob id continere eam merito dicitur. Itidem aluus admodū fluens, exemplū tibi cuiuſuis immodicæ euacuationis erit. Si igitur diligenter uerſeris in operibus artis, peritusq; fis circa uniuſcuiuſq; rei formā: ſæpenumero apparebit cauſa quæ talem uultum committat. Signa ue-

† minuisse est.

Extrin. ſecū cōſultus Donatus

ro earũ dictu difficilia ſunt: & ob eã rem tradere ea ſermone, q̃q̃ pleriq; nouerint medicorum, refugiunt. Sed omnia propriis & ſuis à nobis explanata iam ſunt locis. Quapropter ipſe quoq; poſtquam didiceris ea, poteris interdum ingreſſus ad ægrũ pronunciare de cauſa quæ talem uultum commiſit, ſed potiſſimum ubi præcedentem omnem uultus rationem noueris ægri, conſiderans præterea de temperamento eius: & multo magis ubi periam habeas de motu arteriarum, & qualitatis febris. Subiiciamus enim aliquẽ, gratia exempli, tẽpore æſtiuo, per conditionẽ calidam & ſiccã, bilioſum ex natura, adoleſcentem, ex conflictatione, inopia, & mœſtitia, incepiſſe ægrotare: ſitiq; calor eius, tangendi ſenſum admodum mordens, & urina bilioſa, & pulſus, uirium indicans debilitatem. ſuſpicare talem prælatam fore conditionem, ob quam uultum cito ſit habiturus exitioſum, † proterea q̃ antea nequaquam congrue uixit. Itaque ſi non ſint talia circa ægrum, neque fuerint, neque primo die uel ſecundo exiſtant, tertio uero ingredienti tibi uultus appareat qualis nunc dictus ab Hippocrate eſt: ſcias hunc propter aliquam cauſam exteriorem ita affectum. Igitur apud te conſiderabis quidnam potius in eo extiterit, num ſecretio aliqua multa, an inſomnia. Ex inopia enim non erit talis uniuerſim, niſi præuenerint talia in morbo, qualia dicta iam ſunt, atque ex natura fuerit talis, qualis dictus eſt. Si igitur pridie uideas ægrum, haudquaquam latebit multam fore ſpontinam ſecretionem. firmiſſima enim eius indicia habẽtur, quæ à nobis in commentariis de iudicationibus, & item libro de præſagiis pulſuum explanata iam ſunt. Quapropter licebit ſtatim aſpicienti hominem, definire uehementem extitiſſe inſomniam. etenim uidebis oculos eius admodum ſqualidos:

† Niſi antea occurras, ipſum modo cõuenienti diendo: dicit ipſe.

Insomnia.

qui nõ propter euidẽtes & immodicas uacuationes, perinde, ut propter inſomniam tales reddũtur. Porrò uidebis palpebras reſurgere difficulter, & item talem habere formulam in conniuendo, atque etiam & inſtabiles haberi, quales per ſomnũ obſtupidum (ita enim Coma interpreter) exiſtunt. Quinetiam ubi nunc primum tibi appareat eger, antea uero nullo pacto perſpexeris, talia ſigna atq; ea quæ habentur ex pulſu, aliquam afferent cognitionem. Per immodicas enim excretiones, ſeruabit aliquod (quanquam exiguum ſit) indicium formulæ, ſignificans eas. per inſomniam uero, chordulæ extentæ ſpeciem referet. At ſi propter inopiam duntaxat in talem uultus uenerit affectionẽ, ex dictis indiciis neutra adſunt, neque inſomniæ, neq; excretionis. & ob eam rem potius ex accidẽtibus quã ex propriis ſignis, in illis præſagire conueniet, propter inopiam alimenti deductum eſſe eum in talem affectionẽ: & adhuc magis, quoties febris proprietatem caloris diſcutientis, exquiſita ratione conſideranti tibi nequaquam importet. Si enim talis appareat, ob illam potius quàm ob exteriorem cauſam, gracilentum ita uideri uultum exiſtimandum eſt. Cæterum conuenit immorari diutius attrectando omnem manum, nõ ſolum uolam ægri, ſed etiã ſuperiores partes diligẽter animaduertentes, ſi non ſolum acriorem, ſed etiam ſi ſubſtantiæ copiam unà ſecum, & quidem corpulẽtam reportet, ueluti flammulam quandam peruadentem cutem tuæ manus, qua cutem ægri contingis, ſeq; inſinuantem perſpicue in profundum. Tales enim febres ſunt, quæ uultum iſtiuſmodi committunt. Hæc igitur (ut docui) dici quidẽ poſſunt difficulter: non tamen omnino dici non poſſunt, neque difficulter agnoſci ab iis qui circa ea exercitati ſint, quiq; uiderint talia ſæpenumero à me om-

nia præsagiri: sed multomagis si studuerint agnoscere operibus ipsis, quæcunque in commentariis de præsagiis edocti sunt, eo ꝙ uideant quidē talia prædici, ut fieri possint, re ipsa discentes, non reprobantes uero prius quæ ab initio uidentur cognitu difficiliora. Nā geminos fratres simillimos quidem, semel aut bis uidendo, nequaquam interstingues: ex necessariis uero nullus allucinatur. Hæc igitur dicta sunt ad cohortandos iuniores: sed potissimum eos qui nunquam prædici hæc omnia à nobis perspexerunt. non enim solum insomniam dicere debent, sed etiam ut propter mœstitiam tale quid extiterit. Non enim Erasistratus uidens coruos aut cornices uolantes, deprehendit adolescentis amorem, nec (ut quidā dixerunt) amatorium pulsantes sensit arterias adolescentis: (nullus enim pulsus proprius amoris est) sed quēadmodum apparuit interdum etiam mihi, iniiciēti manum uolæ ægri, muliere uero quadam uisa domi, statim inęqualis pulsus atque inordinatus euasit: paulo uero post ad habitum naturalem, simul recedente muliere uisa, rediuit. Ita enim mutatus pulsus, communem quēdam significat perturbationis affectum in animo fuisse ægroti. Perturbationē uero talem interstingui conuenit ex iis quæ dicuntur ab eo pariter aut uidentur. etenim rursus, dictis quibusdam, pulsus uertitur ad inæqualitatem, perturbato ægro ob ea quæ audiuit. Sed de his seorsum à me scriptum iam est dicato opere, cui titulus est de præsentiendo. Nunc uero ad institutum redeamus. Illud agitabatur, ut multa de præteritis & itē præsentibus corā ægro potest medicus dicendo cōmendari, uelut ea quæ nunc dicta sunt hac oratione: insomniam: alui fluorem: famē. At uero interdum ex his unum definite dicere difficile est: sed è duobus alterū, aut è tri-

Erasistratus amorē pulsū deprehendit.

bus unum prorsus possibile erit firmiter præsentire. At uero id quoque laudem feret apud audientes, interrogando, præsensione facta ad hunc modum. Num ob insomniam uehementem, an alimēti inopiam attenuatus est? Sæpe enim comprobant utrumq;, & demirantur bifariam medicum: interdum alterum eorum respondentes ita quoque demirantur. Id igitur ab Hippocrate dictum est: Interrogare oportet num uigilauit æger, an multa deiecit, an famescat. Deinde quod dicit, Et si quid horum comprobet, minori cum periculo est merito. melius enim est adeo fortem esse facultatē ut à nulla causa exteriori uincatur. Minori uero cum periculo est, si ob aliquam talem causam, ne ob maleficentiam ægrotationis talis consumptio existat. At uero quia possibile est ut ambo concurrant, tū causa aliqua exterior (ut dixi) afficiens corpus, tū etiam febris consumens, interstitio erit tibi de subsequenti die nocteq;. Si enim ab exteriori causa sola, qualis dictus est uultus extiterit, castigationem per diem & noctem adipiscetur. si uero ex affectione in corpore: aut permanebit talis, aut etiam deterior erit. Itaque constat ut hæc omnia ab Hippocrate recte dicta sint. Sed quam ob rem dixit: Si igitur inter initia morbi talis fuerit uultus: nec dū scrutari aliis signis possibile sit, deinceps consideremus. Duorum enim alterum est, aut quia nō accidunt inter initia morbi, aut quia nihil firmum denunciant, nequaquam possibile est talibus uti signis ad res dubias definiendas. Ego igitur dico non semper fieri talia: nec si fiant, firmum aliquid indicare. Cæterum ut ita se habeat, in enarrandis illis per dictionem sequentem docebo.

IX.

SI VERO in morbo antiqori existēte uel tertiano talis fuerit uultus, de iis interrogare opor-

tet de quibus antea monui alia quoque signa esse cõsideranda, quæ in toto corpore, atque etiam in oculis existant.

Principii nomẽ significat primariam morbi accessionem, quæ nondum ullam obtineat latitudinem: & item eam quæ ad aliquod tẽpus nõ tamẽ multum extẽdatur: necnon primum ægrotationis tempus, à quo alterum numerant ascẽsum, deinde tertium consistendi uigorem, & demum quartum inclinationem. Quum itaque dixerit paulo ante, Si igitur inter initia morbi talis fuerit uultus, per illam dictionem nequaquam indicauit cuiusnam de tribus principiis faciat mentionem. Nunc uero scribens, Si uero in morbo antiquiori uel tertiano talis fuerit uultus: clare docuit ut de eo agat, quod habeat latitudinem. id enim ad triduum usq; porrigitur. Ergo tantisper iis quæ docuit antea signis, existimauit addendam esse ductam ab aliis signis finitionem, de quibus dixerat, Necdum possibile sit aliis scrutari signis. Ea autem enumerat per sequentia uerba.

De signis quæ in oculis existant.

X.

SI ENIM lucem effugiant, aut nolentes illachryment, aut peruertantur, aut alter altero fuerit minor, aut candidum rubidum habeant, aut liuidas, aut nigras uenulas: aut †pituita appareat circa obtutum, aut sublimes, tumidiue oculi, uel caui admodũ fuerint, uel totius color euariet uultus: hæc omnia mala esse atque exitiosa censendum est.

† λῆμμα.

Hæc omnia accidentia in commune præter naturam sunt: sed disident inter se eo, quod quædã his

his simpliciter contraria sint, quæ sunt secundũ naturam: alia uero, ut ipse antea dixit, maxime cõtraria existunt: & ob eam rem ex communi epilogismo, omnia quidẽ exitiosa existimabuntur, sed pro quantitate cõtrarietatis, minusq; & magis id obtinebunt. At uero affectiones ex quibus eueniãt, secundum sequelam decretorum Hippocratis, rectius est deinceps considerare. Itaque refugere lucem, quod inquam est auersari, propter debilitatẽ accidit uisoriæ facultatis, quæ nonnunquam propter affectionem laborat opificiorum, ueluti per lippitudines. interdum ipsa ex se afficitur, dũ exitiale indicium est. Pari modo si oculi illachrymant propter lippitudinem aut fluxionem aliquam de capite decumbentem, præter naturam quidẽ affectus est: non tamen omnino significat abolitionem, si uero propter debilitatem detẽtoriæ facultatis, exitiosum inditiũ letaleq; est. Porrò peruertuntur oculi, conuulsis musculis eos commouentibus, quod si fuerit illorum tãtummodo affectus, nihil difficile significatur. si uero principii neruorum (quod quidem cerebrum est) summe exitiosum est. propinquãtes enim musculi, principii affectum prius quàm cæteri persentiscunt: interdũ ii qui in oculis sunt, de quibus nunc dicit: quãdoq; crotaphitæ, id est musculi temporum nominati, de quibus libro de articulis indicauit. Quinetiam fieri alterum oculum minorem q̃ qui constet ex natura, accidens exitiosum habetur. indicat enim extingui facultatem regentem eum. At uero albamentum oculi apparere rubrum, (quo modo per lippitudines quasdam accidit, & item quasdam temulentias) copiam significat quæ in cerebro sit ac membranulis: interdum etiam factam in eo inflammationem. Nam utrouis modo sanguis ad oculorum uenulas exprimitur: & ob eam rẽ pars

in eis candida, rubra apparet, quę corolla appella-
ta ambit circiter: quam per dissectiones docuimus
omnium in oculis membranularum tunicularūq;
copulam quandam haberi. & item docuimus ut
ambientis caluam membranulæ terminus, ad eam
una cum uenulis permeet. Cæterum ut ob hæc di-
xerit candidum fieri rubrum, perspicue indicauit
ex iis quæ subinferens ait, Aut liuidas, aut nigras
uenulas habent. id uero per quam exitiosum censē-
tur. Rubræ enim apparent uenulæ etiam propter
nimietatem (ut dixi) uel inflammationem quandā
eaꝝ partium quæ in cerebro sunt. At uero nigre-
scunt & liuent refrigeratę, refrigerantur uero extin-
ctæ. ita fit ut hi colores prorsus exitiales assidue
existant. Cæterū pituita accidit oculorum, ut con-
stat, tum ob affectum opificiorum, quemadmodū
per lippitudines; tum etiam aliter: quæ nullo cum
periculo est. porro accidit & propter imbecillitatē
regentis oculum facultatis naturalis, quæ impos
est oculorum cōcoquere alimentum. pituita enim
(ut ostensum iam est) excrementum semicocti ali-
menti est. Ergo per lippitudines præ copia humo
ris præter naturam, & item propter affectionem
opificiorum, uerisimile est nequaquam concoqui
recte alimentum eorum. At ubi inopia perspicua
est, quam cauum indicat oculorum: causa de nimie
tate prorsus recedit, sed restat uirium debilitas so-
la, non quælibet, sed admodum uehemens, quæ
nec minimum quid alimenti oculorum abunde
concoquere potest. Quinetiā sublimes oculi, idest
instabiles & subinde cōmoti, significant aut deliriū,
aut tremorē circa musculos eoꝝ. è quibus alterū
trum per relatam affectionem exitiosum habetur.
Profecto delirium ex inopia, maximo cum perī-
culo est: & item tremor propter ariditatem opi-
ficiorum, insanabilis est. At uero tumidos ocu-

los, aut admodum cauos detestatur. Itaque
tumentium accidens oculorum, inter initia quo-
que fit ægrotationis: maximeq; uomentibus ex
copia ingesti uini cibiq;: cauī uero admodum
oculi nequaquam fiunt: & ob eam rem neu-
trum commemorauit accidens inter initia, dum
ait: Nasus compressus, oculi caui. Hoc quī-
dem ea ratione, quòd nullo pacto appareat in
uultu exitioso. Nam quo pacto pariter caui tu-
midiq; oculi erunt? Illud quia nullo modo tan-
tisper eueniat. Atqui uidentur ea quæ dicta sunt
de oculis tumidis, cum prædictis pugnare. Quī
enim dixerit de uultu exitioso, nasum compres-
sum, cauos oculos, tum autem talia definien-
do: iis quæ triduo iam appareant, tumidos ne-
quaquam recte adiecit. Sed quod mihi uide-
tur ab Hippocrate factum, hac oratione iam
explicabo, permutando omnem eius sermo-
nem in hanc dictionem: Si uero morbo anti-
quiori uel tertiano talis fuerit uultus, de iis in-
terrogare oportet, de quibus antea monui: alia
quoque signa consideranda quæ in toto cor-
pore atque etiam oculis existant. In oculis ue-
ro signa exitiosa iam triduo talia sunt, si lucem
refugiunt, si lachrymant, si peruertuntur, si al-
ter altero fuerit minor, & candida pars in eis
rubra appareat, si uenulas habent aut nigras, aut
liuidas, aut pituita angulis inhæresci, aut su-
blimes sunt, aut tumida, aut admodum caui,
aut totius uultus color euariat. Hæc enim om-
nia exitiosa habentur: & quicquid horum exi-
stat circa uultum prædictum, inditium non paru-
um est futuræ mortis. Igitur ad hunc intelle-
ctum (ut mihi uidetur) numerantur cum cæ-
teris signis quæcunque in uultu exitioso pari-
ter existere queunt, atque etiam tumidi oculi,

qui simul existere nequaquam possunt: quia non solum instituerat dicere quæcunque simul sint cum uultu exitioso, sed etiam ex signis exitiosis quæcunque circa uultum apparent. Quocirca si non unum solum, sed etiam plura de prędictis non possint esse in uultu exitioso, nulla pugnaerit in sermone eius qui de prauis signis omnibus faciat mentionem. Cęterum ut recte dixerit, necdū possibile sit aliis scrutari signis: considerandum iā est uno capite communi tali. Vnumquodque ex prædictis, aut non accidit inter initia, aut non exto exitiosum est. Sed seorsum singula considerantitibi uidebitur id quàm maxime uerum. Igitur exmulta uini potione, nonnunquam & uomitione uehementi, inter initia morbi lucem effugiunt: itidemlachrymant, & peruertūtur oculi, aut sublimes fiūt, aut tument aut uenulas habent rubras. At uero incolorem nigrum aut liuidum mutatio uenularum, nunquā accidit inter initia, quo modo neq; insigne cauum, neque pituita oculorum: sed triduum aut quatriduum (quod minimū sit) in genituram talium desideratur.

XI.

CONSIDERARI conuenit hunc in modum suspectiones etiam oculorū per somnum. Si quid enim cādidæ partis subapparet commissis palpebris, nec alui fluor, aut medicamentum in causa est, aut nec ita dormire consueuit: uitiosum indicium exitialeq; admodum est.

De uerbo ὑποφαίνεσθαι. i. suspici, fecit nomen ὑποφασιν. i. suspectionis, cuius pluratiuum ὑποφάσεις, id est suspectiones existit: à quibus per diuisionem ionicam ὑποφάσιες, id est suspectiones formantur. Cæterum non satis noui qua ratione adducti Artemidori & Dioscoridis sectatores

scripserint ὑποφάσεις cum υ. Quod igitur est ab Hippocrate dictum, clarum est. Ipse enim enarrauit quidnam appellet suspectionem, dicens: si quid enim subapparet candidæ partis commissis palpebris. atque etiam adiecit definitionē ad exquisitionem sermonis cognitionem, dicens: Neque fluor alui, aut medicamentum in causa est. Sed subaudiri oportet cætera quoque quæ uim eandem obtinent. Vno enim capite complexus, dixeris accidens id propter imbecillitatem fieri mouentis palpebras facultatis: quod inquā exitiale est, quoties sine causa constiterit exteriori. Hæc uero talem habeant scilicet oportet uim, ut uires exoluant: uerobi gratia, alui fluor, aut purgatio ex medicamento purgante uehemens, aut mœstitia uehemens, aut insomnia, aut inopia alimenti, aut sanguinis fluor multus, aut simpliciter quæuis alia immodica uacuatio. Cęterum connumerare Hippocratem (ut paulo ante dixi) omnia exitiosa signa, nō solum quæcunque in uultu exitioso habeantur, indicauit hac parte adiiciens. Nec alui fluor, aut medicamentum in causa est. Prædixerat enim in uultu exitioso talem finitionem, an aluus admodū resoluta fuerit. Resoluta enim aluus commune quoddam est fluoris alui, & item medicamenti. Sed quoniam rursus aliunde orsus omnia exitiosa percensetindicia, merito cuiuis eorū, pprias definitiones apponit.

XII.

SI PERVERTITVR aut liuida palpebra est, aut labrum, aut nasus cum aliquo alio signo, mortem prope esse sciendum est.

In multis codicibus ita legitur initium orationis, in aliis uero, pro peruertitur, distrahitur scriptum est: ita ut ex uoce, palpebræ contractio significetur, uelut ea quæ propter algorem refrixerunt.

τεκρώσεως Id igitur indicium est †mortis, quēadmodum liuida. Si uero peruertitur, tentionem quādam cōuulsificam, aut resolutionem in altero ex musculis oculos claudentibus indicat: utrunque exitiosum censetur, quoties alia indicia suffragantur, quēadmodum indicauit, tanquam hæc sola nequaquam sufficiant denunciare mortem.

Quomodo oporteat cubare ægrum.

XIII.

CVBANTEM offendi ęgrū à medico oportet in latus dextrum aut sinistrum, ac manus, ceruicemq; & crura paulum reducta habentem, & omne corpus molliter positum. Ita enim plerique bene ualentium cubant. at ita cubare ut sani solent, saluberrimum est.

Id quoque testatur numerari ab Hippocrate signa exitiosa hac tota libri parte. cōstat enim ut nobilissimus uir nunc non ab alio principio de signis in toto corpore doceat, sed ea copulat prædictis. Quum enim antea dixisset in uultu exitioso etiam alia signa consideranda esse, quæ in toto corpore atque etiam oculis existant, deinceps omnia inter se copulando persequitur. Id uero quod dicitur, oportere offendi ægrum à medico considerante non cubantem supinum ceu quendam resolutum, sed in alterum latus, prout melius illi adfuerit, idcirco bonum est, quia robur indicat facultatis per musculos firmantis corpus, quo modo rursus debilitatem ubi cubare in latus non queat. Verum ipse Hippocrates adiecit orationi communem epilogismum dicens. Ita enim plerique beneualentium cubant. scilicet potissimum tantisper dum medicus ægros considerat. Rectius enim est subaudiri in oratione proditum ab eo potestate per dictio-

nem dum ait, Cubantem offendi ægrum à medico oportet. Non enim simpliciter in latus ait oportere hominem cubare, sed à medico offendi cubantem ita. Porro adiecit, Ac manus, ceruicem, & crura paulum reducta habentem. Id enim consuetum plerisque beneualentium est. Quinetiam adiiciens uerbum plerique, apposuit finitionem quandam alterum habentem caput aliis multis utile præsagiis, cuius te meminisse cōueniet, licet interdum omissa sit. Ac uero quidnam illud sit, iam explicabo. Quæcunque in ægris priuatim præter cæteros peculiaria sunt: hæc haudquaquam ueluti superuacua considerari oportet. Si enim offendas ægrum ut plerique beneualentium cubantem, diliges talem iacentis habitum. Si uero econtrario, non conuenit continuo horrere quasi malū indicium: sed requirere utrum in consuetudine sit talis ægro figura. Cæterum quod est dictum, molliter positum offendi corpus, ex aduersum intento proditum est. Quatuor enim membra, id est crura ac manus paulum reducantur, & omne corpus iaceat oportet, extra immodicos habitus constitutum. Intelligo habitus immodicos, quoties aut summe extenduntur, aut immodice inflectuntur membra, aut spina, cuius partes uertebræ quoque in ceruice existunt. Igitur immodici habitus, extentis admodum neruis efficiuntur, quomodo libro de motu musculorū definitum iam est. Qui uero inter habitus immodicos incidit, nequaquam intentus est. Quocirca talem uocauit mollem, quia corpora molliora intendi non solent.

XIIII.

SVPINVM uero cubare manibus & cruribus extentis, minus bonum est.

Talis iacentibus habitus omnino bonus non

est : proindeq; nec minus bonus est. Si enim omnino bonus non est: ut talis habitus minus bonus sit, fieri qui potest? Cæterum ut id bonum non sit, ipse postea docebit hunc in modum. Si uero procliuior fuerit, & subinde ad pedes delabitur, maiori cum periculo est. tanquam enim prędictus habitus cum periculo sit, ita dixit de eo, Maiori cum periculo est. At uero mihi uidetur, ut talis iacentis habitus neutris adnumeretur indiciis, quæ nec ad sanitatem uim habeant insignem, neque ad mortē, sed aut integre media sunt, aut parum ad alterum tendunt, ita ut qui negligentius loquuntur de eis, cum utrisque conferre possint, uelut hoc loco Hippocrates dixit minus bonam esse talem cubantis figuram, quàm quæ est antea prodita: deteriorem uero quàm hæc ea quæ deinceps dicta est: admonens hoc loco finiri oportere in omnibus locis, nū consuetus sit æger cubare supinus. Si enim ita fuerit, nec admodum magnifaciat medicum ingredientem: tunc neq; in medio mali boniq; habitus existimabitur, sed potius bonus. Si uero neque hac soleat cubare figura, & admodū uereatur medicū, non bonum indicium est: sed potissimum si fuerit pudentior ex natura. Quocirca talis iacentis habitus, in medio boni maliq; collocandus est, quantū in eo est, sed utroque uersum pro natura ægri trāsferendus est.

XVI.

SI VERO procliuior est, ac deorsum delabitur subinde ad pedes, maiori cum periculo est.

Quemadmodū cubare in latus, quandam obtinet uim: ita erectius iacere, quomodo omnes cubamus. Et ob eam rem si in alterum colloces latus corpus defunctum, prorsus aut in partē pronam, aut supinam cōuertetur: uelut si illud accliue figu-

res, ita quoque in pedes delabitur. Merito igitur prauū id dixit haberi indicium: ꝙ quidē extinctionem quandam significet regētis corpus facultatis.

XVII.

SI VERO nudos habeat pedes, nec admodū calidos: ac manus, collum, & crura dispergat inæqualiter: malum est. Significat enim inquietationem.

Optime finiuit orationem dicens. Nec admodum calidos. Per febres enim calidissimas unà cū cæteris partibus etiam pedibus ardescentibus, nudare eos ægri coguntur. Si uero febris non fuerit talis: nudare pedes, malaciæ est ægri, uel inquietationis indicium. Porrò si manus quoque pariter cum ceruice & cruribus non ex more componit, ut antea dixit, sed inæqualiter tales dispergit partes: malum indicium est. Dixit enim significari inquietationem. Hoc uero nomen indicat illos conflictari quouis iacentis habitu, necnon alium ex alio mutare. Quòd si te præsente (ut docui) iacēs æger, statim commutet priorem habitum ad alterum, pariter & membra dispergat inæqualiter, uel etiam ceruicis posituram: scias talem aut propter uentriculi uitium, aut propter uirium debilitatem inquietari: colligens hoc etiam loco epilogismo ingenium eius, utrum mollior sit, & ad singula manus det prōptius, licet ꝑ quāexigua, & ꝑuincatur.

XVIII.

EXITIOSVM aūt est, si hianti dormiat ore.

Debilitatis hoc quoque signum claudentium os musculorum est, quemadmodum pauloante de musculis palpebras committentibus explanatum iam est. Itaque codex ita legitur, quēadmodum nunc dixi: nam antiqui codices ita habent,

Dioscorides uero aliter legit, ad hunc modum. Malũ autẽ est, si hianti ore subinde dormiat. Vbi duplex concurrit significatio. unà quidem, ut subinde hiet. altera, ut subinde dormiat. Vt igitur secundum malum sit, quanquam non hianti fiat ore: planius indicauit per illam sententiam qua dixit: Somnus & insomnia alterutrum si modũ excessit, malũ est. Sed primum dictũ esse uerisimile est ut hiet tantisper dũ dormit. Si enim hiet nõ dormiens, multo maiorem noxã significabit.

XVIII.

SI CRVRA quoque supini cubantis admodum reducta distractaq; sint.

Scribitur enim utroq; modo διαπεπλεγμένα. i. distracta per γ & ꝑ χ. significantur autẽ crura quæ plurimum dispersa sint, ac talis iacentis habitus abhorret à ratione, ita ut indicet deliriũ: quandoquidẽ nullus ita cubare soleat, quẽadmodũ neq; si circumplexa legantur. talis enim habitus absurdus est, si quis cubãdo supinus habeat crura reducta, & inter se circumplexa.

Quomodo cubare in uentrem malum sit.

XIX.

SI QVIS cubet in uentrem, nequaquam solitus ita dormire quo tẽpore sanus fuit: malũ est. delirium enim aut dolor circa uentris sedes significatur.

Crebro cõmemorat adiunctã his omnibus definitionẽ, ut secundum cõsuetudinẽ aliqd accidat ægrotantis. Etenim nunc cubare in uentrẽ contra cõsuetudinẽ, aut deliriũ significat, quẽadmodũ in prædicta cubandi figura: aut dolorẽ quẽdam qui circa tales partes fatiget. constat. n. ut multi talem

eligant figurã, quorũ in uentre dolor infestat.

XX.

SI VERO uelit residere æger in ipso morbi uigore, in omni morbo acuto malum: pessimum uero in pulmonia est.

Qui pulmonia infestantur, ii dicunt sentire magnam in thorace angustiã dum supini cubant, residentes uero, fieri spirãtiores. Decũbit. n. ad spinã per supinũ iacendi habitũ, pars in pectore thoracis, à qua pulmo arctatur, nec idoneũ accipit aerẽ inspirãdo. ꝑ alios uero morbos, quoties uigẽt (id enim maxime cõsiderandũ est, tanquã nõ sit temere additum) exitiosissimum est uelle ægrum residere in ipso consistendi uigore. Amant enim tantisper maxime perpessi, immoti cubare: & si quis eos excitet, conflictantur. Itaq; arbitrare, propter uehementem spirandi difficultatem, aut inquietationem, aut delirium, residere ægrum aggredi per consistendi uigorem ægrotationis.

Quã malum sit stridere dentibus ægrũ in febribus.

XXI.

SI QVIS strideat dẽtibus, nõ cõsuetus à pueritia ita efficere: insania significatur ac mors. sed in utrisq; futurum prædicere periculum, necesse est. Si uero mente commotus ita efficiat, admodum exitiosum iam est.

Strident dẽtibus, quoties musculi in tẽporibus & maxillis modo cõuulsionis cõmouẽtur, interdũ affectis musculis duntaxat, aut abortu naturæ, aut ꝑꝑ aliã aliquã causam posteriorem, nõnunq̃ origine neruorũ in eiusmodi affectionẽ deducta, de qua maxime eaꝝ partiũ q̃ ab ipsa ortũ habẽt, cõuulsiones fieri solent. Cæteꝝ agnoscere oportet initialẽ

uniuſcuiuſque pręparationem partis propriam, de qua alio loco fuſius explanatum iam eſt. Nunc uero ſufficiet ſemel dicere, præcipientes hoc loco reuocari in animum reſiduum diſputationis, quo minus mireris fieri poſſe ut communi neruorum origine affecta, muſculus aliàs alius tremore aut cõuulſione excipiatur. Vt enim clare uidemus in qbuſdam corporibus optimã ineſſe crurum præparationem, in aliis deterrimam ſtatim ab initio, ita ut hi currant ocyſſime, illi uix ſtent, & item partes alias ſimiliter affectas: ita facile offendi ab exiguis cauſis alios cruribus, alios ſummis pedibus, aut oculis, aut capite, aut alia aliqua parte, ſtatim à principio ſequitur opificiorum præparationes. Nihil igitur mirum uideri debet ſi aliqui debiles habent muſculos qui oculos mouent: alii uero eos qui maxillas mouent qua de re: nõnulli ſubinde ſtrident dentibus etiam propter exiguas cauſas: illi uero ſubinde mouent oculos. Stridere. n. dentibus ex natura, ſimile eſt affectui oculorum inſito quibuſdam, quem appellitant equum, cum nullo tẽpore manere poſſint requieti, ſed in modum intermiſcentium ſubinde nictant. Cæterum per morbos febriculoſos, affectu originis fieri cõuulſionem, ſimile eſt rurſus illi præparationi muſculorum in oculis, de quibus ait: Aut ſublimes apparent. In quibuſdam enim corporibus citius accumbunt originis affectibus muſculi oculorum. in aliis muſculi temporum aut maxillarum. Merito igitur dixit accidens illud ſignificare inſaniam aut mortem. Inſaniam quidem, quaſi mentis dixerit uehementem commotionem: Mortem uero, quia neruorum origo affecta eſt. Illud autem quęſtione dignum eſt, quonam modo ſupra dicens inſaniam ſignificari, mox dicat: Si uero mente cõmotus ita efficiat, admodum exitioſum iam eſt.

Equus

Etenim perſpicuum eſt, ut ſi ſtridere dẽtibus prænunciat delirium: adeo non deſinet, ut uehementius fiat accedente delirio, cum hoc quod alii quidam muſculi tantiſper in talem deducantur affectionem. Videtur ergo talis intellectus eſſe orationis. Stridere dentibus quibus ab initio non erat conſuetum, futuri delirii accidens eſt. Si uero adeundo interdum ægrum offendas utrunque perpeti, delirare, & ſtridere dentibus: hunc iam eſſe prope mortem arbitrare. Quocirca in priore ſermone cum nondum commotus mente ſtridebat dentibus æger: ſimiliter id ipſum indicabatur dũtaxat ut inſaniæ ac mortis indicium haberetur. ubi uero iam delirat, pariter & ſtridet dẽtibus: in propinquo mors eſt. Id uero clare docuit adiiciens uerbum iã, ut enim exitioſum ſit accidens, priore docuit oratione. ſequẽte uero, uerbum, admodũ, & iam, adiecit dicens: Admodum exitioſum iam eſt, id eſt ualde exitioſum: quod eſt quidem non multo poſt, ſed cito moriturum ægrum.

De ulceribus.

XXII.

VLCVS, SIVE antea extitit, ſiue exiſtat in morbo, conſiderandum eſt. Si enim moriturus æger eſt, ante mortem aut liuidum & ſiccum, aut pallidum & ſiccum erit.

Siccum erit omnino ulcus, quoties facultas nutriẽs corpus debilis habeatur. †nullus uero color in eo ſemper erit: ſed pro diuerſitate humorum in corpore, & item pro menſura læſionis euariabit. Si enim bilioſus humor exuperet, croceus erit color. ſi nigribiliarius aut liuidus aut ſecundum alteram ſignificationem, uiridis erit. Antea enim docuimus ut chloron interdum pallidum colorem,

† alicubi legit χρόνιον δ' οὐ μία. ut ſic uertendũ ſit: color uero non unus.

qua significatione solemus brassicam uiridem nominare. Pari modo læsio quoque maior liuidum solet efficere colorem, ut qui non longe distet à nigro: minor uero, †rubrum aut pallidum. Quocirca finem dictionis quidam legunt ita. Aut pallidũ & siccum erit. alii uero illo modo, Aut uiride & siccum erit.

†Alibi & forsan melius legit ὠχρὸ, i. pallidũ

De gesticulatione manuum.

XXIII.

DE GESTICVLATIONE manuũ ita agendum est. Qui in febre acuta, aut phrenitide, aut pulmonia, †aut capitis dolore, manus subinde ob os fert, aut frustra uenatur muscas, aut colligit festucas, aut de ueste euellit pilos, aut de pariete stipulas carpit: id omne malum, exitialeq; est.

†Aliqui cod. manuscrip. addunt aut pleuritide.

Gesticulationes manuum, id est functiones & motus, quos hoc loco commemorauit, ob imaginationem fiunt illi similem quæ per suffusiones contingit. Aegri enim per suffusiones quæcunque uident in medio loco crystalloeidis (ita à glacie nominati humoris) & tuniculæ circa pupillam cornu similioris, foris sita esse existimant: quia semper assueti sunt dum haberent per naturam, res per medium aerem intueri: Pari modo ii de quibus Hippocrates agit in febre acuta, pulmonia, delirio, ac dolore capitis, intueri se tanquam foris sita credunt ea, quæ intus in oculis habeãtur. Ostendimus enim ut spiritus uisorius, utpote splendens, sibi mediũ assimilet crystalloeidis (ita à glacie nominati) & pupillæ humorẽ tenuem ac mundum, simillimum candido ouorum, quo per lippitudines utimur. Porrò diximus ut spiritus per hunc feratur humorẽ ex pupillæ foramine ad aerem ex-

teriorem unà cũ eo cõpactũ. Præterea ꝙ aere illustrato uisus utitur tãq̃ insito opificio, qualis in corpore neruus habetur. idq; docuimus † seorsum dicato opere quo agitur de uisu: necnon. xiii. de demonstratione libro: atq; etiã septimo de decretis Hippocratis & Platonis: & itẽ decimo libro de usu partiũ. Vt ergo cerebrũ ꝑ neruũ sentit affectionẽ digiti in pede, ita ꝑ aerem circũductum externa uisibilia cõtuetur, quæcunq; modice distant. Itaq; suffusiones fiũt in hoc humore subsimili (ut dixi) candidæ tenuioriq; parti oui, qui inter pupillam & crystalloeidẽ incidit. Ita fit ut ꝑ cruditates quoq; nõnunq̃ uisa similia suffusis cõtingant. Si. n. restitit humor aut niger aut crassus ꝓhibens digredi foras uisoriũ splẽdorẽ, ibi uisa pro natura humoris cõsistũt: interdũ pilorũ quorũdã, aut subtegminis, aut staminis, quandoq; culicis nigrescẽtis, aut musculæ q̃ uolitare ob os uideatur, quãdoq; rei similis lenti, aut milio nigro. Ita accidit ꝑ febrẽ acutã ac pulmoniã, exhalantibus ad caput in corpore humoribus. Humor. n. ille in pupilla mundus, cõcipit exhalationẽ. Vbi uero ꝑturbatur, prædicta uisa apparent: At per uehementẽ capitis dolorẽ, ut ꝑ phrenitidẽ præ capitis repletione redundans aliqs humor in oculos, eadẽ accidẽtia cõmittit. & κροκιδίζειν. i. euellere subtegmina, & καρφολογεῖν. i. colligere festucas, solita ab omnibus medicis, ĩ primis uero de phreniticis, uerba dici, nomen inde traxerũt. Itaq; nõnulli tradiderũt nobis subtegminis & stipulæ uisa tantisꝑ dũ fiunt: & itẽ q̃ postea meminerunt. At uero duplex eorũ differentia est. Quidam enim per ipsa sensibilia uisa cœperunt delirare, iudicandi facultate constante: alii uero propter eximiam prudentiam, attamen parua ex parte affecti, iudicandi facultate restiterunt retuleruntq; ut uincant & repugnent, nec

†In sermonibus qui priuatim de uisu habiti sunt, quẽ admodũ in. 13. &c. sic ait ipse græ.

uisis accedãt. Hi igitur indicarunt nobis qbus uisis mouerant manus, ut Hippocrates scripsit. Sæpe enim uidebantur illis subtegmina uestium emi nere: atque in pariete stipulas adiunctas esse: sæpe uero & festucas multas impositas stragulis, atque etiam uolare pusillas bestiolas prope oculos. has igitur uenari aggrediuntur, circunferentes manus tanquam aliquid arrepturi. alia uero quæ uiden tur eminere, partim de uestibus carpere aggredi untur: partim euellere de pariete. Merito igitur af fectiones talia committentes accidentia, cẽsentur difficiles: quippe quæ febris acutæ, aut pulmonię, aut doloris in capite sequantur magnitudinem. in phrenitide uero, qa sedes princeps est affecta: cuius uniuersum genus exitiale habetur. in febre uero, & item pulmonia, atque etiam capitis dolo re, propter magnitudinem: quemadmodum defi nitum iam est.

De spiratione.

XXIIII.

SPIRITVS crebrior significat dolorem, aut inflammationem quæ supra præcordia fatiget. Si uero spiratur magnus, multoq; interposito tẽ pore, delirium indicat. Si uero frigidus de naso & ore, admodum exitialis iam est.

Hanc omnem dictionem, secundo de difficul tate spirandi libro, latius enarraui: quocirca nunc duntaxat capita rerum attingam. Spiritum hoc loco uocat uniuersam spirationem. qui si crebrior sit (ait) interdum significat dolorem, quãdoq; par tium in thorace incendium, quæ sunt cor ac pul mo, positæ supra septum. Maiores enim præcor dia ac septum, idem appellauerunt. Itaque per do lorem spiritus, quẽadmodum ostensum iam est,

crebrior

crebrior paruusq; est: per incendia uero crebrior magnusq;. Hæc enim assolẽt nominare inflamma tiones: At uero rara spiratio, hoc est multo interpo sito tempore, si magna est, indicat delirium: si par ua, extinctionem natiui coloris. Sed hanc affectio nem significauit ex accidentibus dicens: Si frigi dus de naso & ore, admodum exitialis iam est. Cæ terum ut de his spirandi difficultatibus fecerit hoc loco mentionem tantummodo de morbis agens acutis: itemq; ut libro de morbis uulgariis plures citauerit spirandi difficultates: tertio libro de spirã di difficultate perpensum iam est.

XXV.

SPIRATIONIS facilitatẽ existimari opor tet per quam magnã uim habere ad salutem in om ni morbo acuto qui cum febre infestet, & quadra gesimo die iudicetur.

Naturalem spirationem appellauit spirationis facilitatem, significantem neque thoracem, neque cor, ac pulmonem, neque præcordia, doloris quã dam habere affectionem: quinetiam neque partes quæ iis adiunctæ sunt. Quum enim mouentur per spirationem, dolore afficiuntur, ubi prehendantur inflammatione, aut quouis modo doloris trahant affectionem. Hæ uero sunt uentriculus, lien, iecur. Si igitur nulla ex his afficitur, neque caloris infestat copia adeo ut deuri inflammariq; uideatur, sed ne que econtrario ut iam extinguatur calor insitus: quo pacto non dixeris magnam spem subesse salu tis in morbis acutis, in quibus propter magnitudi nem febrium, aut propter inflammationem pro prie nominatam, pericula imminent? Itaque longi morbi sine his, eo quòd uires exoluant, non sine periculo sunt: proindeq; eos ab oratione excepit, ac de solis acutis definuit. At uero cum duplex

genus horum habeatur: siquidem nonnulli simpliciter ac primum uocantur acuti, quidam ex cõuersione: de utriusque docuit dicens. Qui cum febre infestet, & quadragesimo die iudicetur. Adiecit enim, qui cum febre infestet, ut eam à conuulsione, & distentione neruorum, & †bilari disiungeret, & quicunq; alii morbi sine febre acuti sunt. Quod uero dictum est, Et quadragesimo die iudicetur: ut connumeretur cum simpliciter proprieq; acutis acutus ex conuersione: talis sit quoties inter initia acute ægrotet, postea uero quartodecimo die, aut etiam ante, non integre iudicentur: sed quia supersunt quædam reliquiæ ægrotationis, ex quibus ad quadragesimum diem usque morbus extenditur. Vertitur uero per iudicationes imperfectas acutorum morborum, non solum in hos, sed etiam in alios diutinos, maxime marcorem, quartanam, suppurationem, tabitudinem, aquam intercutem. Verum Hippocrates excipit à præsenti oratione etiam illos: in solis simpliciter acutis morbis qui cum febre infestent, & item ex conuersione in quadragesimum ueniant diem, optimum esse indicii dicens spirationis facilitatem, non in omnibus qui sine febri fatigent acutis, neque diutinis: ita ut tria sint omnia genera morborum quantum in ipsam agitur temporis differentiam. At enim acuti sunt, qui quartodecimo finiuntur die, quibus diutini opponuntur: ambiguum uero & uelut in confinio positum tertium genus, cuius terminus decretoriorum dierum quadragesimus dies est. Hæc igitur dico quæ cum his quæ manifesto in ægris apparent, consentiunt. ꝙ si quis ea probet in illis, ita se habere naturam rerum agnoscet. At uero quicunque uolunt significari numerum dierum decretoriorum ab Hippocrate dum ait quartodecimo die iudicari morbos acutos, adeo nesciunt ea quæ

†χολ'ρας

maxime oportet eos scire, ut dictiones quoque uetustissimi medici nequaquã intelligant. Si enim quartodecimo die iudicari morbũ, significat dierũ decretoriorũ multitudinẽ quanta sit: quadragesimo etiam die iudicari morbum numerũ significabit decretoriorũ dierum. Quærant igitur ut quẽadmodum quatuordecim efficiunt ad quadragesimum usque, ita quadraginta nunc dies efficiant.

De sudore.

XXVI

SVDOR OPTIMVS est per omnes acutos morbos, si per diem euenit decretorium, & integre sedat febrem. Bonus etiam est si ex toto corpore prodeat, faciatq; ut æger ferat facilius, morbum. Si uero nihil tale efficiat, nequaquam utilis est. Pessimus uero est si frigidus egrediatur & †circa caput tantummodo, uultum & ceruicẽ. *Hic enim cum acuta febre, mortem: cum mitiore, morbi longitudinem indicat.

In sudore optimo duo scribẽs indicia, tertium prætermisit, tanquam necessario sequatur ea quæ dixit. Qui enim die euenit decretorio, & integre sedat febrem: is quoque ex toto corpore it. In bonis uero, non tamen optimis, prodire ex toto corpore, & aliquid morbi tollere scribens, nihil præterea adiecit de diebus decretoriis, tanquam id quoque bonum rursus sudorem necessario comitetur. Cæterum tertius sudoris ordo censetur modice mali, de quo dixit: Si uero nihil tale efficiat nequaq̃ utilis est: ut nec ex toto corpore eat, neq; faciat ut æger ferat facilius morbũ. Sed constat ut ex his ipsis peior sit ꝙ neutrũ horũ efficiat: modicus uero ꝙ alterũ: & rursus ex his ipsis ꝙ efficit ut æger facilius ferat morbũ, moderatior est: quanq̃

fin ant. cod. & quæ legitur.

*In ant. cod. ali. qua habẽtur, q̃ hic desiderantur, & ea Gal. recognoscit, nẽpe, & si calidi fuerint.

non ex toto corpore eat: peior qui grauiorē exhibet morbum, licet in omne extendatur corpus. Sed omnis eiusmodi sudor calidus est: & ob eam rem nullo de tribus ordine indicauit eum, solitus omittere quæcunque sequuntur alia necessario, & item quæcunque ex oppositione eorum quæ deinceps dicenda sunt, demonstrantur. Omnibus uero in hoc sermōe dictis sudoribus opponit frigidos, dicēs ita: Pessimus uero est si frigidus egrediatur. & item cum eo malum esse dixit, si circa caput & ceruicem eueniat, licet frigidus non sit. Hic enim minatur syncopen. Si uero circa tales partes, frigidusq; appareat, pessimus est, quippe qui non insuper fore, sed iam esse syncopen indicet. Definiuntur uero uehementia febris. Nam si fuerit acuta, prorsus afferet mortem frigidus sudor, licet ex toto corpore prodeat: & item si circa caput ceruicemq; calidus eueniat. Si uero mitior febris est, poterit facultas non absumpta prius ab acuta febre, spatio temporis prauos concoquere humores. Cæterum de diebus decretoriis non insuper docuit aliqd in aliis sudoribus: atqui de optimo docuit inter initia, quia est uim quandam decretoriorum dierum in eorum sermone dicturus: in ipsa uero dictione pariter demonstrauit. Vna enim eorū uis est, reddere firmā iudicationem, siue in bonum, siue in malum finiatur. At uero agnosci oportet prædictæ finem dictionis, quem Dioscorides scripsit ita: Pessimus est si frigidus est, & circa caput ceruicemq; tantūmodo prodeat. Hic enim aut mortem, aut morbi longitudinem præmonet. Sed cōstat ut hæc lectio sit quàm prædicta concisior, tamen eandem uim obtinet: atque addendum erit ab expositore id quod in prædicta scriptum iam est, Cum acuta febre mortem, cum mitiore longitudinem morbi. Cæterum deinceps alia quædam de

Sudor frigidus.

sudore sunt scripta, non in omnibus codicibus, q̄ merito alii quidem sustulerunt tanquam non sint Hippocratis, atque etiam Artemidori & Dioscoridis sectatores.

De iliis.

XXVII.

†ILIA SALVBERRIMA sunt si dolore uacant, si mollia & æqualia, sunt dextra ac sinistra parte. Si uero inflammatione uexantur aut dolore, aut intenta sunt, aut inæqualiter affecta dextra ac sinistra parte: hæc omnia animaduertenda sunt. † ὑπὸχόνδρια.

Omnem aliquis orationem comprehendens, uno breuissimo capite dicet: Ilia si naturæ similima sunt, saluberrima sunt. Particulatim uero docens eorum indicia Hippocrates, primum scripsit ex iis quæ non existunt. Hæc solent medici recentiores †nō accidentia nominare: duo uero alia signa accidentia sunt in iliis. Quocirca ilia dolore uacare, ex non accidentibus dictum est: mollia uero & æqualia esse, ex iis quæ existunt. Sed mollia cognoscuntur quoties modice renituntur: illis enim oppositis, utpote uehementer renitentia, dura sunt. Cæterum æqualia non tantum secundum unam intelliguntur qualitatem. fieri enim potest ut similiter mollia sint, sed aut aliqua parte dolore uacent, aliqua dolore afficiantur: aut altera pars calidior, altera frigidior habeatur, aut subleuatior aut depressior. Opponens igitur saluberrimis iliis pessimorum & inæqualium signa, dixit: Si uero inflammatione uexantur aut dolore, aut intenta sunt, aut inæqualiter affecta dextra ac sinistra parte. Itaque uexari inflammatione, de totis iliis dixit. Significat uero uerbum inflammari, uelut si peruri † κατὰ συμβεβηκότα. φλεγμαίνειν.

succendi igniriq; proditũ sit. Pari ratione dolore uexare, de totis iliis dictum est, quo modo & intẽta esse. id enim totis etiam iliis tribuitur. At uero inæqualiter affecta esse dextra ac sinistra parte, quoties non tota ilia eandem habeant affectionem, aut per caliditatem, aut per frigiditatem, aut per dolorem, aut per indolentiam, aut per gracilitatem laxitatemq; & intẽtionem. Quandoque enim intenduntur ilia sine inflammatione proprie nominata, aut propter uehementem siccitatem non solum in illa parte, sed etiam in succingẽte costas mẽbrana, atque in præcordiis: aut propter inflammationem cum tumore ipsorum in iliis musculorum sine inflammatione proprie nominata consistẽtem, quæ quidem tumor dolens est.

XXVIII.

SI VERO pulsus in iliis insit, perturbationem significat, aut delirium. Verum oculos talium cõspicari oportet. Si enim crebro obtutus mouetur, expectanda insania est.

In quibusdam codicibus non pulsus, sed subsultio legitur: ac perspicuum est ut tale accidens ob spiritum fiat flatuosum. Sed in multis codicibus legitur pulsus, q aut simul cum magnis fatiget inflammationibus, aut sensibilis ægro motus arteriæ in spina maioris: quẽadmodum libro de morbis uulgaribus secundo dixit. Vbi uena in cubito pulsat, insanum furibundumq; est. Constat enim ut pulsare de magna adeo & uehementi afferat motione arteriarum, ut antequam contingatur, innotescat interdum ægro dum taxat, quãdoque etiam deforis intuentibus. Sed quodcunque horum fuerit accidens, signum non bonum est. Maior enim arteria pars est maxime principalis: & item uenter ac iecur: quo modo & septum transuersum. At

ex his prorsus unum afficitur, siue subsultio siue pulsus legatur. Septum uero trãsuersum, delirium infert promptissimum: quam ob rem maiores id præcordia nominauerunt: & item os uentriculi, quoties insigni afficiatur inflammatione. Aliæ uero partes ibi, quæ aliquam ex prædictis affectionem traxerunt, in periculosam incidunt affectionem. Quapropter merito Hippocrates dixit uel perturbationem, uel delirium ab eo accidente significari. perturbationem quidem uno communi accidenti omnium periculosarum affectionum: ex quibus non solum ægri, sed etiam medici perturbantur. delirium uero ob septum transuersum, & item os uentris. Cæterum de musculis in iliis cõsiderandũ est. neque enim necessario delirium, neque periculum pulsantes subsultantesve inferunt. Non igitur magis proprie inaudire oportet uerbum insit, per dictionem qua dixit Hippocrates: Si uero pulsus insit in iliis quippe qui uelit præalte in iliis pulsum subsultionéve de uocula, insit, significari. Verum conspicari talium oculos opportet. Si enim crebro obtutus mouetur, expectanda insania est. Quũ perturbationem aut delirium dixerit ab eo accidẽte significari: nunc definit docetq; quando deliriũ, quando perturbatio sola futura sit. Definitio uero ab oculorum ducitur motione. Quos non solum hac in re, sed etiam in aliis morbis omnibus in quibus suspicaueris fore delirium, exquisita ratione considerabis. Si enim instabiles apparent: indicatur delirium. Verum hoc loco non simpliciter ait fore delirium, sed insaniam, indicans uehementis quoddam delirium ex prædictis indiciis affuturum. Porrò ut oculorum crebra motio, delirii firmet suspitionem, patere arbitror ex iis quæ à nobis explanata iam sunt, ubi musculos oculorum diximus primos sentire cere-

bri affectiones, ipsum uero cerebrum septo transuerso & ori uentriculi consentit, quemadmodum cæteris omnibus neruosis membris. Quum enim ex illo omnes nascantur nerui: quæcunq; pars plurimis aut maximis participat hæc merito in consensum originem eorum perducit.

De tumoribus.

XXIX.

TVMOR IN iliis durus & dolens, pessimus est si omnibus in iliis fatiget. Si uero altera parte infestat: sinistra minori cum periculo est.

Sic habet antiquissimus cod. *Tumor in hypochondrio durus & dolens, pessimus quidem si in toto fuerit hypochondrio dextro: sin autem in utrisque, minus affert periculum. Sed si in sinistro fuerit, minus erit malum.*

Oedema solet Hippocrates nominare omnem molem præter naturam: recētioribus medicis uocantibus unam tantummodo molem quæ præmendo dolore uacat, & digitis cedit. Quam uero rursus medici recentiores proprie nominant inflāmationem: hanc Hippocrates composita dictione durum & dolentem tumorem appellitat. Inflammationis enim uocabulum de incendio afferebat. Itaque constat ut talis affectio si dextra affligat parte, periculosior sit, propter iecur: indulgentior si sinistra, propter lienem: exitiosissima si utraque lacesit.

XXX.

TALIS VERO tumor ab initio, mortis cito futuræ periculum significat.

Prædictus in iliis tumor si durus ac dolens est, à medicis recentioribus proprie nominatus inflāmatio, mortis (ait) cito futuræ periculum significat. At uero id, nisi aliquid intimum afficiatur, mēdacium est. Constat uero ut intimum sit iecur, & item uentriculus, lien, & peritonęum. Nam musculi in iliis si inflammatione laborant, inferre mortē qui possunt: nisi sanè raro, aut propter magnitudinem insignem inflammationis, aut propter uirium debilitatem, aut etiam quia medicus male curet, aut quia æger aliquid committat. Itaque confusius indefinitius q; talem dictionem scripsit.

XXXI.

QVOD SI uigesimum transcendit diem, & febris detinet, & tumor non desistit: in suppurationem uerti significat.

Omnis tumor præter naturam disiecto commitente eum humore curatur. Ergo perspicuum est ut nisi desistat, cunctantur humores, ac spatio temporis prorsus mutatio futura est, per qualitatem, interdum ad putredinē, quoties (ut in defuncto corpore) nihil ad eorum concoctionem præimbecillitate natura molitur: interdum si uires ualent, in pus. Itaque merito Hippocrates ait. Nisi desistat inflammatio, & febris detinet ægrum, in suppurationem uertitur. Sedata enim febre, considerandum est num inflammatio aliqua † duritiei similis infestet. Nam sæpenumero euenit ita, ubi morbum committentis humoris pars tenuior diffiatur, crassior uero & sequax in amplitudine corporis affecti depacta sit. Cæterum quam ob causam uigesimum diem limitem statuit talium abscessuum suppurationis, libro secundo de diebus decretoriis dicemus.

† Scirrhosa.

ACCIDIT HIS in prima circuitione, sanguinis è naribus fluor, atque admodum iuuat. Sed requirendum est num doleant caput, an he-

betudines subeant oculorum. Si quid enim horum fuerit, eo tendet.

Quia inflammatione in iliis indefinitius commemorauit, per hanc quoque dictionem definire ipse uidetur. Sanguinis enim fluorem fieri dicit ē naribus, qui ex usu admodum sit: id quod per inflammationes in iecore & liene fieri potissimum solet: de quibus aliubi, fluere sanguinē † recto itinere commendauit: e contrario uero culpauit, docens ipse quidnam econtrario intelligat: uerbi gratia, liene grādiore fluere sanguinem ē nare dextra. Sanguinis fluorem in prima circuitione fieri dixit decretoriorum scilicet dierum: ac legitur dictio bifariam, singulariter & pluraliter. Singulariter qdem, in prima circuitione: pluraliter uero, in primis circuitionibus. Si igitur legatur singulariter, septenariā indicat circuitionem. Si pluraliter, conuenit quoque septenarias intelligi circuitiones. In quibusdam enim sanguis secundo septenario effluit. Sed potius intelligi oportet in tali dictione quaternarias circuitiones. Nam in plerisq; funditur sanguis primis septem diebus: paucis nono & undecimo: rarissimis quartodecimo. Cæterū tendētibus sursum uersus humoribus, sanguinis fluorem fieri docuit, adiiciens signa, capitis dolorem, & item hebetudines oculorum. Sed deinceps de eo latius docebit, quo loco nos quoque sermonē omnem de sanguinis fluore integre absoluemus.

† καθ' ἕξιν.

XXXIII.

SANGVINIS fluorē in iunioribus potius quintum & trigesimum annum agentibus, expectare oportet.

Ductam ab ætate definitionem in præsagium fluoris sanguinis docet. expectandum enim sanguinis fluorem esse potius in iunioribus quintum & trigesimum annum agentibus. etenim per hanc ætatem sanguis plurimus est, & item facultas ualentior, atque etiam calor exuperans.

XXXIIII.

SI VERO mollior tumor est, nec dolet, & pressus digitis cedit: diuturniorem efficit iudicationem, ac minori cum periculo est.

Hoc est quod proprie medici iuniores appellant œdema: de quo nonnunquam dixisse maiores sufficere uolunt, mollis tumor: quādoq; etiam adiiciunt, nec dolens. Quoties igitur id dicere supersedent: tāquam unà cum molliore significetur, omittunt. Mollis enim tumor dolore uacat. At uero nunc Hippocrates non id solum adiecit, sed ēt ut digitis cedat: quod quidē in uerbo mollior, contineri uidetur: nisi uelit intelligi eum qui pressus cauatur in foueam: quod quidem non cuilibet qui cedat pressus digitis, accidit: at uero id accidit cute extumescente: & quia omnis talis pituitosus censetur, idcirco diutius immoratur, ac minori cū periculo est. Immoratur enim diutius, quia frigidior est. Calore.n. concoctio fit. Porrò minori cū periculo est, quia dolore uacat. uires enim exoluit dolor.

XXXV.

SI VERO præter sexagesimum diem, & febris detinet, nec desistit tumor, fore suppurationē hoc loco & reliquo uentre significat.

Supra de tumoribus agens phlegmonosis, utpote calidioribus: nisi febris desinat, à die trigesimo dixit fore suppurationem. Nunc uero de frigidioribus, sexagesimum limitem posuit suppurationis. At uero alii inter hos

medii incidunt, quadrageſimum diem habentes terminum ſuppurationis. Sed uniuerſum de his omnibus ſermonem ad librum de diebus decretoriis diſtuli. Porrò nõ ſolum tumores qui in aliis fatigent ſuperſedentes ſuppuraturos, ſed etiam in reliquo uentre dixit, tanquam ilia ſecundum aliquam ſignificationem partes uentris exiſtant.

XXXVI.

QVICVNQVE ERGO tumor dolens, durus & magnus eſt: periculũ mortis breui fore ſignificat. Quicunq; uero mollis, non dolens, digitis cedit prementibus, diutius immoratur.

Nihil amplius hac docet dictione, quàm quod ſuperiore dictum iam eſt, præter q̃ adiecit dolenti duroq; tumori magnitudinem. quam nos antea diximus, dum doceremus non eſſe cum periculo inflammationes muſculorum in iliis, niſi magnæ admodum fuerint.

XXXVII.

TVMOR qui in uentre fatigat, minus facit abſceſſum, quàm qui in iliis.

Tumor ſi non diſcutitur: non ſolum citius, ſed etiam magis in iliis ſuppuratur, propterea q̃ ſedes calidior eſt. Qui uero longius abeſt: deorſum uerſus ſerius minusq; ſuppuratur: & ob eam rem, tumor ſubter umbilicum, raro in pus uertitur.

XXXVIII.

SANGVINIS uero fluorem, maxime de ſupremis ſedibus expectare oportet.

In quibuſdam codicibus dictio, cum, &, copula perſcripta eſt. atque oſtenditur non ſolum ſanguinis fluorem fieri ſi in iliis infeſtet tumor, ſed & ſi in imis ſedibus affligat. In quibuſdam uero ſine,

&, copula: & oſtẽditur quidem fieri ſi in his quoq; infeſtet, ſed minus. In aliquibus uero ſine uerbo maxime, ad hunc modum: Sanguinis uero fluorẽ de ſupremis ſedibus expectari oportet. nam inferiores nequaquam afferre ſolent ſanguinis fluorẽ. Sed res ita ſe habet, ut ſi in umbilico fatiget, ſanguinis fluor eueniat magis de ſede ſuperna, maxime de ſuprema. Sed de ſanguinis fluore deinceps agetur, ubi nos quoque repetito ſermone abſolutius dicemus.

XXXIX.

VNIVSCVIVSQVE tumoris ſuperſedentis qui in his fatiget ſedibus, ſuppuratio conſideranda eſt.

Vno comprehendens capite perſtrinxit quæ ſupra docuit particulatim: & ob eam rem dictio, noua enarrationis luce non indiget.

XL.

SVPPVRATIO inde prouenies ita conſideranda eſt. Quæ enim foras uertitur, optima eſt ſi parua eſt, maximeq; egreditur, & in ſublime reſurgit. Si uero magna eſt & lata, minimeq; in mucronem ſubducitur, peſſima eſt.

Appellare Hippocratem ſuppurationem purulentiamq;, ubi pus uniuerſum cõſtiterit, concocto tumore quopiam præter naturam, perſpicuũ erit, ſimul uniuerſam hanc orationem eius euolueris, qua de tumoribus in iliis habuit mentionem. At uero colligitur pus in eis quandoq; ſub cute, ſæpius in profundo, duplici de cauſa: aut quia purulenta pars intus in peritonæo affecta eſt: aut quia licet muſculus affectus ſit, pus ab aliqua tunicula eius includitur, haudquaquã prius in exteriorem deductũ ſedem, propter lẽtorem, aut craſſitudinẽ

aut continentis membranulæ denſitatem. Etenim ſtudet natura ſecernere pus de affecto corpore, expellendo: ſæpiusq; finem adſequitur, quoties nacta ſit meatulos idoneos in ſecretionē, ueluti quoſdam aquæ ductus: non tamen ſemper eos adſecuta, pus in adiacentes cōpellit ſedes: quæ quoties exiguæ fuerint, derodit condens eas tegumētum, ſub eo amplificando ſedem. Conſtat igitur ut ex his ſuppurationibus indulgentior habeatur, quæ foras, non intro tendit: atque ex his ipſis, quæ non ampliorem prehendit ſedem in latitudinem extenta. Si uero in ſublime efferatur, coni formulam reddens, robur foras expellētis indicat facultatis: & item non magnam corrumpit ſedem corporis quod erodit. Cæterum ſiue in mucronem ſubducta, ſiue in gibbum legatur, nihil intereſt. Nam ex utraque lectione unus idemq; ſenſus eſt.

XLI.

QVÆCVNQVE uero intro rūpitur, optima eſt ſi cum exteriori ſede nihil cōmunicat, ſed adducta eſt, nec dolet, & omnis exterior locus unicolor apparet.

Nō ſimpliciter talis ſuppuratio optima eſt: ſed earum quæ intro forasq; rumpuntur, optima eſt. Siquidem hæc deterior eſt, quàm quæ foras rumpitur. Hæc enim eruptio in partes multo nobiliores fit, quàm ſit in iliis cutis: & item non æque medicamentum adhiberi curatorium poteſt, quoties introuerſus rumpantur: atque etiam ſecretū pus mordet & cōcerpit ea, difficultatemq; committit inteſtinorum: & ſi quādo ex ieiuno aut tenuioribus fiat inteſtinis, alimoniæ uitiat diductionem, atq; ex uentriculo debilitat cōcoctionē. Itaq; perſpicuū eſt ut peſſima ſit quoties in utrāq; rumpitur ſedē, introrſum atq; extrorſum. ita enim

geminatur malum: nec ſedem ac uelut initium recreationis ullum obtinet natura reparādis ruptis, quo tanquam ſolo firmiora iaciat fundamenta repletionis.

De ſignis quibus cognoſcitur pus.

XLII.

PVS OPTIMVM eſt, ſi candidum, æquale, læueq;, & quāminime fœtidum eſt: maxime uero contrarium huic, deterrimum eſt.

Vt quam minime fœtidum pus eſſe debeat. propalam eſt, etenim ſuperans graueolentia, putredinis eſt, non concoctionis indicium. Vt autem candidum quoque eſſe conueniat, diſcas licebit, ſi genituram eius intelligas ex iis quæ aliubi definita iam ſunt. Omnia enim in omnibus docere locis, nugacitatis potius quàm doctrinæ proprium eſt. Quæ uero aliis ſunt commētationibus explanata, talia ſunt: Libro de uiribus naturalibus dictum iam eſt unam eſſe uim altera toriam, quæ & in uentriculo & in iecore molitur concoctionem, commutata alimonia, in iecore quidē ad ſanguinē, in uentriculo uero ad idoneū ſanguini humorē. & itē uniuſcuiuſq; partis animaliū officium eſſe, ad propriā deducere naturā propinquantem humorē. Nouiſſima.n. cōcoctio fit propterea q; alimentū in nutrito animali apponatur atque aſſimiletur. Itaq; perſpicuum eſt ut ſpatio temporis longiore in talem præparetur ſimilationē. Porrō proditum eſt libro de ſemine, ut in conceptaculorum tuniculis, de quibus aluntur teſtes, ſæpe appareat liquido commutatus iam ſanguis ad ſeminis creationem. Non enim conuenit ipſas conceptaculorum tuniculas ab alio quopiam nutriri, atq; appellante uſmc di humidi

τὸ ὁρῶ δηλ. ἀθορὸν ἦν.

tatem nonnulli medici † genitale uirus: & ob eam rem semen ipsum * genitale uirus nominatur. Sed potissimũ ii qui uim eius dictitant semen, non substantiam corpulentam. Quinetiam ut decumbens sanguis in partes laborantes inflammatione, committat inflammationes, ita ut ab initio quidem sola conceptacula repleat distendatq;, mox adiacentes sedes inanes complures atque exiguas in singulis membris: libro de tumoribus præter naturã definitum iam est, & item dictum quoque libro de inæquali intemperie. Talis igitur sanguis ad exiguas dispersus partes in locis inflammatione affectis, utpote extra propria conceptacula positus, nõ insuper remeare ad antiquam naturam potest: mutatur uero ac putrescit, quo modo omnia quæcunque in alieno loco uehementius calefiunt. Si igitur natiuus calor de propria exorbitat tẽperie: plurimum, ut in corpore inanimi, putrescit. Si uero uim seruet quandam: permixta quædam commutatio de causa per naturam & item præter naturã efficitur. siquidem causa naturalis concoquit: præter naturam, putrefacit. utra earum magis exuperet, per eam ipsam necessario signa accedunt, tum coloris odorisq;, tum etiam consistentiæ. Ex his igitur (ut docui) definitis in aliis commentationibus, series est ut colligas sanguinem qui' probe fit in pus cõmutatus, principio non putruisse: sed potius concoctũ fuisse: secundo autem si aliqua in eo præter naturam putredo apparet, ea exigua est & quãadmodũ Hippocrates ait, quãminime fœtida. etenim quamminime id pollet, quod quamparuissime potest. Ad hæc colorem eius reddi similem semini genitali, ratio est. candidum uero non exquisita ratione uelut nix est. Semen enim à natura ducitur in solidiorũ corporum colorem, exquisita ratione: modice, pus. Siquidem semen nihil habet præter

bet præter naturam permixtum: pus uero non assidue par, ut explanatum iam est. Permiscetur ergo omnino, quoties sanguis de propriis opificiis exiliuit. Hæc itaque causa est ob quam candidum semen genitale ac pus est. Pus enim quodammodo solidioribus assimilatur corporibus, quæ quidem sunt conceptaculorum tunicũlæ neruiq;, & copulæ ac membranulæ, atque etiam chartilago ossaq;. Eadem causa est ob quam subsidet urina candidũ sedimentum, id quoque uelut pus obtinet generationem, quod proportione respondeat, inter id & naturales humores iniectum. Alimentum enim quod naturæ refugit confectionem, subsidet in urina, neque ut sanguis ab ea commutatum, neque ut pus præter naturam causæ particeps.

GALENI IN PRÆDICTIONES Hippocratis Commentarius Secundus, Laurentio Laurentiano Florentino interprete.

De *aqua intercute*,

I.



QVA inter cutem omnis si ex acuto morbo existit, mala est. non enim sedat febrem: sed dolorem admodum infert ac mortem: fereq; incipit ex parte inani ac lumbis iec oreq;.

Inter initia libri ipse dixit: Considerari conuenit hũc in modum per morbos acutos, principio uultum ægri, sit ne similis benevalentium. Ita aliqui dicunt non solum de uultu exitioso per morbos acutos, sed deinceps de omnibus ipsum facere ser-

monem: haudquaquam legentes finem sermonis ubi dicit: Hæc dico de morbis acutis, necnon quicunque ex acutis morbis consistunt. Atqui constat ut de purulentiis docuerit, non solum illis quicunque uigesimo die rumpi solent: sed qui ad trigesimum quadragesimum & sexagesimum deuenerũt. atque etiam antea de morbis qui ad quadragesimum usque diem processerunt, ubi dixit: Spirationis facilitatem existimari oportet perquam magnam habere uim ad salutem in omni morbo acuto qui cũ febre infestet, ac quadragesimo die iudicetur. Et itẽ hoc loco ait nõ de quauis aqua intercute facere sermonem, sed quæcunque ex acuto morbo existat: atque etiã de purulentis tabidisq; deinceps docebit: & ad hæc de quartanis, ut constat, etiã diutinis morbis. Igitur ut aqua inter cutẽ omnis si ex acuto morbo existit, malo sit, nequaq̃ sedans febrem, sed inferens dolorem: ipse dixit. porrò docuit genituram eius, iecoris nominatim faciens mentionem: atque una communi ratione, partis inanis, quæ sunt ieiunum & lactes, item intestina tenuiora. Nam in more est uocari illas partes inanes, quæcunque inter extremam thoracis costam, & †femoris ossa, habentur. Nam inanis uidetur omnis talis sedes si eam cũ supernis infernisq; partibus utrisque osseis, conferas. At uero omnis talis pars flaccida habetur, quoties non fuerit aliquis pauloante repletus esculẽtis poculentisq;. Ita mihi uidetur poeta has ipsas corporis partes, eoq; flaccidæ sint, appellare laparas. Itaque cuiusuis aquę inter cutem cõmunis genitura est ubi sanguificationis officiũ intercidat. Etenim quemadmodum in uentriculo concoquuntur esculenta, pari ratione in iecore & uenis præconcoctum in uentriculo alimentum. Quinetiam ut in uentriculo interdum minus intercidit concoctioni officium, interdum

†λαγόνος.

magis: ita in iecore. Nonnũquam enim iecur afficitur per sese & sua ui: quẽadmodum etiam uentriculus: interdum per consensum aliarum partiũ. Itaque constat ut omnes sibi inuicem consentientes partes, aut qa uicinæ sint, aut quia habeant societatem magnam ex conceptaculis neruisq;, afficiantur. In hunc modum, iecur ex magnis uenis copulatur & lieni, & uẽtriculo, & intestinis. Atque etiam positura eorum ita uicina est, ut quædam contingant ipsum: quædam propemodum tangant. Itaque lienis nequaquam mẽtionem habuit Hippocrates. siquidem de morbis acutis agebat. etenim hoc uiscus simul per longos morbos traxerit duritiem, ad consensum agit iecur, omniq; corpori per tale medium aquam inter cutem concinnat. Porrò iecoris ac partis inanis mentionem facit, ac docet differentias aquæ inter cutem ex illis, quomodo procedente sermone perspicuum erit.

Epar affligitur

II.

QVIBVS ergo ex inani parte & lumbis principia aquę inter cutem fiunt, pedes intumescunt, & alui fluor diutinus fit, neque exoluens dolorẽ qui ex inani parte efficitur ac lumbis, neque molliens uentrem.

Intumescere pedes, omnis aquæ inter cutem cõmune est. sanè & quibus in iecore uitiũ est, assidere dicit. Sed constat ut uitio lienis & omnibus aliis comitetur. Sed alui fluor peculiare est. aquæ inter cutem ex inani parte affligentis, ubi ieiunum & lactes inflammatione uexentur. his enim potissimum uenæ debiles fiunt, per quas iecur ad se trahit alimentum: ita fit ut nequaquam subseruiant uisceri ad diductionem, †neque maneat in ieiuno tenuioribusq; intestinis alimentum. Quod si gra-

†ant. cod. habẽt ὥστε μένειν. i. quare manet.

uentur ab eo,utpote debiles:ſtatim id omne pel-
lunt deorſum.atque hæc alui fluoris cauſa eſt.
Quinetiam corrumpi alimentum, bilisq; colligi
copiam,ratio eſt ob calorem partium quæ inflam
matione uexantur,& ob eam rem inteſtina admo-
dum mordentur, proindeq; incitantur ad excer-
nendum condita ibi excrementa,atque hæc rur-
ſus altera cauſa alui fluoris eſt.Quocirca merito
ait neque ſedare dolorem ipſum,neque mollire,id
eſt uacuare ac contrahere uentris tumorem:indi- 10
cans ex his ut cum dolore excernant,& ut imus
uenter omnis attollatur in molem.fieri enim do-
lorem neceſſe eſt ob inflammationem demorſi-
cationemq;.uentrem uero cẽm ſubleuari repletis
inteſtinis ſpiritu flatuoſo,cuius genitura optima
ratione ſubſequitur cruditatibus:& tandẽ nõ ma-
nere intus ex imbecillitate ſecretoriæ facultatis
inteſtinorum.

III.

QVIBVS à iecore aqua inter cutem incepit, 20
tuſſire quidem cupiditas eſt, ſed nihil excreant
commentatione dignum,pedesq; intumeſcunt,
ac uenter non deiicit niſi dura,ac pro neceſſitate,
atq; etiam circa uentrem tumores fiunt,qui mo-
do in dextra parte,modo in ſiniſtra cõſiſtunt de-
ſinuntq;.

Cupiditatem dixit hoc loco propenſionem,
quam quidem ad tuſſiendum obtinent:incitati ue
ro ad accidens,ſtatim deſiſtunt,tantummodo ten- 30
tantes initium tuſſiendi.etenim iecoris moles inci-
dens præcordiis,facit anguſtiã in pulmone.Quã
ergo ſimilis reddatur affectio ueræ illius anguſtiæ,
ob quã tũ qui inflãmatione laborat,tũ qui ex decu
bente ex capite materia afficitur: cupiunt tuſſire,
ſperantes nocuam uacuando materiam,eſſe angu-

ſtiam curaturos.Sed incipiẽtes ſtatim deſinunt,ob
experientiam ipſam deducti in notitiam diſpoſitio
nis exquiſitiorem, ſentientes quàm temere ſpe-
rauerint.Quinetiam natura ipſa per ſe infert tuſ-
ſim , infartiones expurgando pulmonis , quan-
quam ipſi nequaquam tuſſire cogitemus, ita ut
difficile ſit ſæpenumero obſiſtere inhibereq; acci-
dens.Nunc igitur quando ob anguſtiã ad tuſſim
ægri ueniunt fruſtra,ceu auxiliaturam affectui,na- 10
turalis facultatis nequaquam habentes miniſte-
rium, continuo deſinunt.Ergo ob hæc propenſio
res ita affecti ad tuſſim redduntur,ſed eos cito ta-
le deficit munus.propterea q; nihil dignum com-
mentatione excreant,ſed tantum quantum in aſpe-
ram arteriam ſeroſum tenueq; ex conceptaculis
ſanguinem continentibus ſeroſum, comprimitur
in modum ſudoris cuiuſdã. Igitur hoc pacto aqua
inter cutem quæ de iecore exiſtit,à prælatis inter-
ſtinguitur,atque etiam paucitate & ariditate deie- 20
ctionum.Incitantur enim illi perpeſſis ipſis uel in-
teſtinis uel lactibus.per aquam uero inter cutem,
quæ de iecore exiſtit,utpote imperpeſſis his, nec
uitiato alimento, neque grauatis ab eo partibus
(etenim beneualent) nec alui fluor infeſtat, ma-
nentq; diutius inibi reliquiæ alimenti,quæ partim
mittũtur ad intimam peritonæi ſedem,partim in-
flammatione iecoris torrentur.Porrò uniuerſa cu-
tis,utpote quæ de pituitoſo ſanguine nutriatur,in-
tumeſcit.quod ſi premas eam digito,ſtatim appa- 30
ret caua,ſed paulopoſt ad priſtinam reuenit con-
ditionem. nõ tamẽ ſtatim ab initio ſimul ut acutus
uertitur morbus,ita fieri ſolet,ſed pedes intume-
ſcunt primi,quippe qui procul à calidiſſimis ab-
ſunt partibus:tum autem ſubrepens accidens circa
uentrem omnem,eam ipſam quoque committit
affectionem. Itaque ſi premas tumorem digito,

cauatur,ac uelut foueam facit:tum autem paulo post ad pristinam remeat conditionem.quod Hippocrates ait: Atque etiam circa uentrem tumores fiunt qui consistant desinantq;. At uero fieri potest ut id quoque dixerit de prima eorum genitura. Nam incipientes consistere,sæpenumero desistunt ita,ut uideantur quidem integre destitisse,mox rursus subleuantur,& rursus desistunt,& rursus subleuantur:procedente uero tempore permanent non insuper desistentes.Sanè distat à prælatis qui infestant ex inani parte,eo ꝙ præssi cauentur, pituitosam habentes naturam,nec insuper spiritu fluctuoso,quemadmodum illi,consistentes.

IIII.

SI CAPVT, manus ac pedes frigidi sunt,uẽtre costisq; calentibus,malum est.

Per morbos diutinos,potissimum hieme & senibus,non solum per incursiones febrium quas nominant adnotationes,sed etiam ex intermissionibus,nihil mirum uideri debet extremas corporis partes refrigerari,quippe quæ carne uacant ex natura,longeq; sunt à uisceribus positæ. Verum hoc libro nequaquam agit de morbis diutinis. Itaque per morbos acutos plurimos tales refrigerantur partes propter affectionem contrariam illi quæ per morbos diutinos tale accidens infert. Per illos enim calor natiuus præ debilitate nequaquã permeat ad extremas corporis partes.in morbis uero acutis,propter inflammationis magnitudinem in uisceribus fatigantis,parum sanguinis in omne permeat corpus:plurimum uero eius in parte affecta inflammatione includitur:& ob eam rem mediæ corporis partes,quę sunt thorax ac uenter, admodum calent.At uero per morbos acutos interdum accessio cum rigore prehẽdens aut frigo-

re,non solum extremas corporis partes,sed etiam cutem circa costas ac uentrem,frigidam reddit. Id igitur circa uiscera uitium non ostendit:sed ubi permanentibus partibus circa costas ac uentrem calidis,aut etiam calidioribus quàm soleant ex natura,summæ refrigerantur corporis partes:in uisceribus magnitudo significatur inflammationis. ac forte melius est intelligere uentre ac costis calentibus ita dictum,ut planius calefiant quàm dum haberent per naturam .Cæterum ut lipyria febris nominata relegetur ad hoc genus : cuiuis perspicuum est.

V.

OPTIMVM uero est,si corpus omne æque calidum molleq; est.

Quum deterrimam prædixisset conditionem morbi, quoties mediis corporis calefactis partibus,refrigerentur partes extremæ:hoc loco opponit optimam in nobis,in qua corpus omne æque calidum,& item æque molle est.etenim uerbum æque,commune utrique existit .Igitur æque calidum corpus omne est in febribus ardentissimis, sed mordens & siccum per eiusmodi affectiones haudquaquam molle apparet:quod si molle pariter & calidum æque sit,optimam indicat corporis affectionem.

VI.

QVI†DOLORE uexatur,facile conuertatur,sitq; resurgendo leuis oportet.

†In ant. cod. legit τὸν νοσέοντα.i.qui ægrotat.

Summa totius præsagitionis in morituris conualiturisq; est,quoties uis ægrotationis cum ægri facultate conferatur. Si enim morbus uehementior est,æger omnino morietur.si debilior quàm ægri facultas, haudquaquam morietur,ubi nihil

committatur. Hanc uero ſummam ipſe ſcripſit per ſententiam, cuius initium eſt: Colligendum etiam eſt an æger poſſit eo uictu quem præcepe-ris, durare ad conſiſtendi uigorem uſque ægrotationis. Hæc ergo ſumma præſagitionis habetur. Cæterum cum tres ſecundum genus uires ex triplici pendeant origine, cerebro, corde, iecore, per earum miniſteria firmitas atque infirmitas cognoſcitur. Præcipue uero cerebri miniſteria ſunt, meminiſſe ac cogitare: ſubſeruientia uero, ſentire & moueri ſecundum deſiderium. Cordis uero, motus arteriarum. Iecoris uero, generatio ſanguinis & humorum. Itaque cum præſenſionis cõtemplatio in hæc diuidatur capita: quodcunque ſignum eſt ab Hippocrate dictum, conſiderandum quo genere collocetur, uelut nunc ut facile uertatur æger, atq; reſurgẽdo ſibi leuis appareat. Hæc enim ſigna ſunt facultatis corpus ſecundum deſiderium commouentis. Cæterum conſtat ut in præſens nequaquam interſit dicere ſecundum deſiderium, aut appetitum, aut uolũtatem. Ad hunc modum ſupra de cubãtis habitu dictum eſt in dictione cuius tale eſt principium: Cubantem offendi ægrum oportet. Indicatur enim ut talis cubantis habitus, quemadmodum etiam accliuis, fiat fungentibus officio muſculis, quem ſolent firmũ nominare. ſed de eo, libro de motu muſculorum fuſius dictum iam eſt. Itaque perhibuit Diocles ut animalium corpora conſiſtant ex eo quod fertur q; fert facultas, corpus fertur. Ergo, quemadmodum ferentes onera aut grauati ab eis uix moueantur, aut ſi leuius appareat onus, innocue ferunt: ita facultas. ſi enim ſupereſt, facile corporis onus fert, ut haudquaquam mouendo offendatur. ſi deeſt, utpote grauata, uix ſubleuat corporis partes.

VII.

SI CORPVS omne graue eſt, & item manus ac pedes: maiori cum periculo eſt.

Aggredienti moueri ſecũdum deſiderium, grauitas partium cõſpicua redditur, crurum quidem dum ſurgere & ambulare, aut etiam omnino tranſferre ea cubando æger tentet: Pari modo manuũ, dum capere aliquid ac dimittere nec non transferre tentet. Simili ratione ceruicis ac ſpinæ, dum cõmutare corporis habitum experiatur. Itaque grauitas partium, maximum indicium præciptuumq; debilitatis facultatis habetur, nõ cuiuslibet (ut antea eſt proditum) ſed eius quæ in muſculis ac neruis tantummodo eſt.

VIII.

SI VERO præter grauitatem ungues quoque ac digiti liuidi ſint, expectanda mors continuo eſt.

Diximus alio loco quoniam modo gubernantes animal uires ſimul intereant, & ut animal prorſus uiuat quoad quætuis earum ſeruetur. Quum ergo dixerit Hippocrates languentis indicia facultatis de qua muſculi mouentur, addit alterius facultatis quum extinguitur propria indicia. Nam liueſcere ſignum eſt calorem innatum extingui qui de corde emanat: & ob eam rem non ſimpliciter ait liuiditatem grauitati partium accedentem indicare mortem, ſed continuo & ſine ulla cunctatione, propterea quòd utriuſque intermoriẽtis ſigna appareant facultatis.

IX.

SI DIGITI ac pedes omnino nigreſcunt, minus peſtiferi ſunt, quàm ſi liueant: ſed alia ſigna conſideranda ſunt. Si enim facile ferre malum

appareat,& aliquod aliud salubre fuerit signum: morbum uerti significat ad † absessum, ita ut æger sit conualiturus, corporis uero nigredo casura.

Non minus pestiferi dixisse oportuit,sed ut interdum nullo pacto,interdum summe pestiferi habeantur. ac forsitan existimabit aliquis Hippocratem ignorasse id,propterea q̃ non proprie utitur dictione.sed adiiciens definitionem deinceps, ac docens utrunque eorum quæ dixi,cõstat ut agnouerit ueritatem,sed haudquaquam exquisite locutus est. Nam interdum pars nigrescit, quia materia eo decumbit interdum quia demoratur. Sed quonam modo aliquis internoscat eam rem perspicue indicauit. Si enim facile ferre malum appareat,id est facile se habeat æger, & item aliquod aliud salutare affuerit signum,materia decumbit: si secus,mortis periculum imminet.

X.

SI GENITALE testesq; conuelluntur,dolor ac mors significatur.

Videtur ut in quibus infestat dolor, eæ conuellantur partes,quemadmodũ in moriẽtibus: idq; habet rationem. Nam ubi uitalis facultas interiit moritur,proindeq; extendi ad fines usque corporis impos est,sed accumbit,& ad suam cogitur originem,partes comitentur uiribus concurrantq;,& ad intermedia corporis copulentur necesse est. Cæterum ut dolor contrahi faciat uires ad sese, perspicuum est. Ita fit ut ob eam rem partes ad originem conuellantur.

De somno.

XI.

DE SOMNO, quemadmodum ex natura & in consuetudine est,interdiu uigilandum, noctu dormiendum est. Si contra commutetur, peius est. Minime uero offendit si quis dormiat prima luce ad tertiam diei partem. Qui uero ab hoc tempore somnus est,deterior est.

Non solum recte pronunciauit de signis per somnum,sed etiam causam eis adiecit,in habitum referens naturæ quæcunque utilia sunt, contraria uero dãnans, quia præter naturam existant. Ad hunc modum res ex consuetudine habet. Quod enim consuetum est,bonum est: inconsuetum uero malum est. At uero temporibus Hippocratis non aliud fuit ex natura, aliud in consuetudine. Nunc uero diuites econtrario agunt, tum in quibusdam aliis,tum etiam somno,interdiu dormientes,noctu uigilantes. In his igitur,ut qui soliti sint uiuere præter naturam,sermo nequaquam uerus ab Hippocrate dictus est. etenim hoc tempore magis rata consuetudo est quàm natura, non in mulieribus solum ditioribus,sed etiam non paucis uiris.

XII.

PESSIMVM uero est,si neque interdiu,neque noctu dormiat. dolor enim ac labor ab eo indicio significatur.

Neque interdiu,neque noctu dormiunt ii qui ex dolore ac labore contenduntur,& item qui incipiant delirare. Nam id quoque committit insomniam ob temperamenti in cerebro siccitatem.

De deiectionibus.

XIII.

DEIECTIO optima est, si mollis constansq; est, & eo tempore secreta quo secunda ualetudine assuetuit, si copia ex ratione ingesti cibi est. Si enim talis excernitur, inferior uenter beneualet.

A conditione, quantitate, & tempore quo deiectiones excernuntur, denotationem fecit optimæ deiectionis, non tamen deterrimę ex his solũ, sed adiecit eis indicia coloris atque odoris, & ad hæc sonitus per screationem adiuncti. Itaque cõditionem obtinet per naturam, ubi non omnino dura sit quemadmodum lapides, neque extreme humida ut diffluere queat, sed in tantum mollis quoad cõstans permaneat. copia uero proportione respondeat ingesto cibo oportet: ac tempus quo uacuatur, assuetum ægro. Cæterum addendum est ut color & odor naturalis seruetur: quæ quidem ipse Hippocrates non adscripsit, ceu ex iis quæ sunt prodita præter naturam, hæc quoque intelligere possis. id enim illi esse in consuetudine sæpenumero docuimus, ut ex contrariis indicet contraria, prætermissis appellationibus eorum. At uero beneualere uentrem dixit inferiorem, cõferens eum cum thorace, ut intelligamus uentriculum ipsum, & item ieiunum simul cum intestino omni per uentrem inferiorem. Non tamen cõtraria deiectio continuo indicabit habere præter naturam. Id enim nec ipse dixit, nec alioqui uerum est. Itaque conuenit beneualere uentrem inferiorem: à iecore uero aut liene aliquid in eum confluens uariare non solum colorem per naturam, uerum etiam conditionem atque odorem deiectionis. Porrò quãdoq; permutabitur copia illius permixtione decumbentis humoris, neque seruabitur tempus secretionis assuetum. Ergo simillima naturali deiectio indicat nõ solum inferiorem beneualere uentrem, (id quod ipse dixit) sed etiã nihil in eum decumbere ex uisceribus prædictis. Quæ uero habet pręter naturam, significat uentrẽ interdum solum esse affectum, sæpe uero decumbentis aliunde materiæ in eum, indicia habet: atq; hæc multiplicia sunt, eo ꝙ iecur nõ solum sua ipsius excrementa † saniemq; & humores præter naturam demittit in uentrem, sed etiam corporis totius: quandoquidem uenter per id omnibus corporis partibus copulatur, ac per illud recipit excrementa earum: quæ quandoq; decumbunt purgantia omne corpus, aut partem unam, aut duas, aut plures pariter: sæpe uero quæ accidentia sint indicantia affectionẽ aut corporis omnis, aut partis alicuius, aut aliquarum. Sed animaduertamus deinceps sermonem eius de talibus docentem.

† ἰχῶρας.

XIIII.

DEIECTIO madens, ex usu est, si nec stridet, neque crebro & paulatim excernitur. frequens enim desidendi labor insomniam facit. At si uniuersim, & sæpe deiiciatur, periculum defectionis animæ imminet.

Madentem fore deiectionem propterea quòd non fuerit ex uentriculo diductio, uel quia de iecore aut liene aliquid defluxerit in eum, cuiuis ꝑspicuum est. Sed fieri potest ut id bonum sit, quoties expurgetur iecur, aut lien, aut omne corpus per iecur. non bonum uero quoties accidentis ratione diductio à finibus concidat, aut si quæ de iecore eunt in uentrem, bonæ affectionis signa nõ habent. hæc interstinguitur si nec stridet. nomen enim de sonitu confectum est. & itẽ si nec crebro ac pedetentim deiiciatur. Quæ ita enim deiiciuntur, accidẽtis obtinent rationem. Quæ uero mul-

to interpositō tempore uniuersim, sæpenumero bonæ secretionis indicia erunt, quia natura expellat nocuam qualitate aut quantitate materiā, omne corpus aut aliquam eius partem uacuando purgandove. Porrò uacuationē appello proprie materiæ, ubi quantitate exuperet: purgationem uero alienæ, quæ affligat per qualitatem. At uero sequitur quædam alia talem deiectionem quorum mētionē habuit Hippocrates dicens: Frequens enim desidendi labor insomniam facit. Quinetiam sæpe & multum excernere, ceu uires exoluens, crimi natur: atque admodum raro tales secretiones bonæ sunt. Nanque eis adiuncta est exolutio uirium, quæ nequaquam bona est, quemadmodum decretorio quidem, sed immodico sanguinis fluori.

XV.

SED PRO copia ingesti cibi deiiciat bis aut ter die, noctu semel, oportet. Plurimū uero subeat prima luce, quemadmodum homini fuerat consuetum.

Id quoque supra docuerat, sed rectius erat eum differuisse de secretione decretoria quidem, sed uniuersa, quemadmodum ego proxime feci. Cæterum dāno tanquam superuacuum, bis aut ter die, noctu semel, & quicquid aliud postea scripsit. Abunde enim fuerat dixisse, quemadmodum homini fuerat consuetum. At uero sententiæ finis legitur bifariam: in quibusdam codicibus cū uerbo subeat, in aliis sine tali uerbo, ad hūc modum: Plurimum uero luce, quemadmodum homini fuerat consuetum. Sed nihil interest, hoc an illo modo scribatur, nam utrouis modo seruatur optimū esse quod quammaxime fuerit consuetum.

XVI.

CORPVLENTA reddatur deiectio, morbo eunte in iudicationem, oportet.

Corpulēta scilicet redditur, si aquosa ac tenuis, haud quaquam corpulenta duraq; existat. Quocirca sermo est de humida statim inter initia deiectione. id enim proprium est breuitatis, quam in dicendo maiores seruarunt, potissimum Hippocrates, ut ex oppositis interdum indicentur quædam nequaquam prodita nominatim.

XVII.

SVBRVFA VERO, nec admodum graueolens esto.

Id inter initia dicendum erat, dum ageretur de deiectionibus ad hunc modum. Deiectio optima est si mollis constansq; est, & eo tempore secreta quo secunda ualetudine assueuit, ac subrufa, nec admodum graueolens: ut (quemadmodum paulo ante dixi) conditionem eius & quantitatem, atque tempus secretionis, & item utranque qualitatem, tum uisilem, tum etiam olfactilem definisset. Cæterum naturalem deiectionem subrufam esse suscipientem de iecore bilem decumbentem in uentrem modicā quidem qualitate, paucam uero quantitate, clarum est, & omnibus medicis conspectum. Si enim sincera, aut multa decumbit bilis, rufam reddit aut flauam deiectionem. Si uero nullo modo permeat ad intestinum, ut in arquatis, candida deiectio erit.

XVIII.

AC LVMBRICOS quoq; teretes eunte in iudicationem morbo descendisse idoneū est.

Si natura pariter cum cæteris excrementis hos

quoque pellit deorsum, melius est quàm si sursum & quoties †aliter extitit ratione accidentis. Sed de differentia decretoriorum dierum libro de iudicatione latius explanatum iam est.

†Alioquin ratione accidentis nõ apparuerint. Sic uidet legisse uetus interpres.

XIX.

AT VERO in quouis morbo uenter mollis corporatusq; sit, necesse est.

Mollis opponitur intento aut repleto, corporatus uero absumpto: ut principio de cõtentis in eo doceat, deinde de ipso uentre: quasi dixerit in hunc modum: At uero in quouis morbo, modice uenter inanis sit & corporatus ex propria substantia, haudquaquam tenuis, oportet.

XX.

SI AQVOSA admodum, aut candida, aut admodum †crocea, aut spumans deiiciatur: hæc omnia mala sunt.

†χλωρόν.

Aquosa deiectio, cruditatis indicium est. Candida uero haudquaquam decumbere croceam de iecore bilem in uentris sedes significat. Porrò admodum chloron, id est uiridis aut crocea (id enim utrouis modo uertas licebit) quia gemina significat, ut antea dictum iam est, in altera significatione, bilis croceæ copiam permixtam esse, in altera rubiginosæ, significabit. Cæterum spumans deiectio, interdum spiritum flatuosum humore permixtum esse solutu difficili, quandoque caloris copiam indicat. Ita enim per exteriora corpora fieri cernitur in mari incursantibus flabris, in lebete ex polentis præ copia caloris.

XXI.

SI EXIGVA, glutinosa, candida, subcrocea, leuisq; sit, mala est.

Duplicem

Duplicem hic deiectionum formulam docet, ambarum euenientium propter absumptionem, dissidentium uero inquantum exigua ac glutinosa cãdidaq; deiectio pinguedine absumpta ab igneo calore non tamen uehementer maligno efficitur, subcrocea uero ac læuis absumpta quoque pinguedine consistit, sed aut propter caliditatem uehementiorem, aut quia pinguedo ipsa uetusta ac uelut semiputris existat. Itaque exterior non solum pinguedo, sed etiam sepum mutare spatio temporis priorem colorem, ac perspicue subcroceum reddi perspicitur. Si uero subuiridis sit, de rubiginosa bile (id enim ut antea dictum est, secundum uoculæ chloras, id est uiridis aut croceæ, significatum est) uehementis consumptionis indicium est. At uero læue redditur quicquid de corpore excernitur, aut quod habeat æqualem concoctionẽ, ut nulla eius pars effugerit naturæ alterationẽ, aut ꝑꝑ uehementem cõsumptionẽ, ut nulla materiæ pars imperpessa supersit. Vt igitur quicquid salubre est, id omne salubrius redditur quoties æquale sit: ita quicquid malum est, id omne euadit deterius si æquale existat. Vtrunque enim per omnem materiam apparet, quæ aut naturæ comptum recepit, aut turpitudinem prauitatis. Cæterum ut lentor sæpenumero fiat ubi quædam calefacta admodũ sint, perspicuum est: nonnunquam etiam qualitas esculentorum tales reddit humores. sed hi quoties commouentur ad excretionem, haudquaquam exigui sunt: deiectio uero sensim secreta, si glutinosa sit, ab his abest, tribuitur uero modicæ consumptioni. sed interdum uehemens consumptio deiectionem reddit † uniuersam, sed talis admodum graueolẽs est. ita interstinguitur ab humore crudo, quippe qui graueolens non est.

† Sic alibi legitur, in impressis tamẽ ἀθρόας γλίσχρας. i. uniuersam uiscosam.

Sectio septima. n

Genera deiectionum exitiosarum.

XXII.

EXITIOSIOR uero est, si nigra, aut liuida, aut opima, aut fœtida est.

Nigra deiectio, ab atra bile syncera tingitur: liuida uero ubi modica modice permiscetur. Porrò opima deficitur, quoties pinguedo ab ignito calore consumitur, graueolentia uero, putredinis indicium est.

XXIII.

SI VERO uersicolor est, diuturnior quidem, sed nihilominus exitialis est. Hæc strigmenta habebit, ac biliosa erit, cruenta, porracea, nigraq; quę nonnunq; simul, interdum uicibus excernitur.

Deiectio uersicolor multas haberi indicat affectiones, & ob eam rem tractu temporis eget ad concoctionem. Si enim multæ existunt affectiones, aliquas earum diutinas esse uerisimile est. si secus, sed prorsus occurrunt naturæ, quæ tanquã cum multis pugnatura inimicis, multum temporis consumat, necesse est.

XXIIII.

SI FLATVS sine sonitu crepituq; excernitur, optimus est. Melius uero est quoties erumpit cum sonitu, quàm si condatur ac reuoluatur. Quod si ita excernitur, indicio est hominem uexari dolore, aut delirare, nisi sponte dimiserit flatum.

Flatum nonnulli cum sonitu, deuorato pudore, excernunt. Alii uero deligerent prius mori q̃ aliquid tale committere. Hos igitur quoties audientibus multis dimittunt flatum, scire oportet

è duobus alterum: aut nõ satis intelligere quæ gerãt, aut propter uehemẽtiã doloris agere aliquid contra arbitriũ & uolũtatẽ. In aliis uero qui præsentes paruipendant, nullum malũ significare flatum cũ sonitu, censendũ est. Sed salutarius in his est ubi sine sonitu excernatur. etenim prorsus indicat aut flatuosi copiã spiritus, aut angustiã opificiorũ. At uero quoties spiritus copia non admodũ fuerit, & itẽ opificia per quæ excernitur, laxiora, tantisper sine sonitu in talibus flatus excernatur oportet.

De dolore qui in ilijs affligat.

XXV.

DOLOREM qui in iliis affligat, ac tuberculũ si recens fuerit, nec cum inflammatione, soluit murmur incidens circa ilia: sed potissimum ubi cum stercore & urina excernatur: si uero non transierit, iuuat si ad inferas sedes deuoluatur.

Tuberculũ in iliis appellauit quẽ antea nominauit tumorẽ. Talis est omnis moles præter naturã. hæc ubi sine inflãmatione fuerit, flatuosa existit, sed potisimũ ubi recentior fuerit. At uero solui dolorẽ ait si murmur accesserit circa ilia. talis enim sonitus nõ solũ spiritus indiciũ est, sed humore pmixti, & corpore solidiore. Quoties igitur aut pmeet deorsum spiritus ille flatuosus flatus effectus, aut nequaquã pmeãs sub descendat deorsum ad aliquam inferiorẽ sedẽ, ilia uindicantur utroq; accidẽte, tũ doloris cruciatu, tũ etiã tumore, sed potissimum si cum urina & stercore uacuetur. Talis enim uacuatio nullum præterea relinquit in iliis excrementum.

De urina.

XXVI.

VRINA optima est: si candidum sedimentum fuerit, læueq; & æquale per omne tempus dum morbus iudicetur. Securitatem enim, ac morbū fore breuem significat. Si uero intermittit, atque interdum puram emittit urinam, interdum subsidet candidum ac lęue: morbus diuturnior, ac minus securus est.

Quemadmodum paulo supra diximus ex uoluntariis functionibus agnosci uim unā, quo pacto se ad robur aut imbecillitatem habeat, quam superioris originis esse docuit, quam alio loco in cerebro domicilium ac sedem habere indicauit: ita nunc alterius facultatis naturalis Hippocrates indicia partim exposuit, partim hoc sermone exponit. Hęc uero facultas de qua dico fieri sermonem, alterans & concoquēs appellatur. Igitur facultatis in uentre, indicia agnoscuntur ex iis quæ quotidie deiiciuntur: facultatis uero in iecore ac uenis, ex urina. In his enim indicia clara sunt partim exquisitioris, partim parcioris, partim irritæ in plenum concoctionis: quemadmodum in uentris indiciis: & ad hæc, extrinsecus, quemadmodum ibi quædam indicia simul aliarum dispositionum, pari modo hic excernuntur. Exorditur ergo tractatum Hippocrates ab indiciis concoctionis, deinde cū eis cætera copulabit. Sed nos in primis dicamus ea quæ ipse principio docuit in pręsenti dictione, sedimentum urinæ considerari præcipiens: Si candidū, lęue, & æquale semper, nec interdum tale, quandoq; diuersum existat. Id enim sępissime euenit, ut aliquis emittens urinam secunda die † inculpabilem, alteram sequenti nocte culpabilē emittat, deinde rursus inculpabilem tertia die prima luce, postea uespera culpabilem. In tali enim urina

† Vbi impressi habent μέμπτον & ἀμέμπτον. i. culpabilē & inculpabilē, ant. ἀπέπτον & πεπεμμένον. i. incoctū & coctum.

alius concoctus deuictusq; à natura conditus in conceptaculis humor, alius incoctus apparet. Si uero incoctus humor nequaquam interponitur concocto, talis urina optima est. Si igitur urina habeat sedimentum: id candidum, æquale, ac lęue sit quoad dissoluitur morbus, necesse est. Si uero nō habet, prorsus aliquam nubeculam candidam obtinebit. Necessario uero colore erit modice crocea, & conditione media inter tenuem & aquosam ac corpulentam, qualis iumentorum habetur. Cæterum urina nullo pacto sedimentum habet si tenuiter, copiosum uero si largius, exiguum uero si modice uiuitur. Quinetiam in morbis biliosis ad colorem croceum, in iis uero quos crudi committunt humores, ad candidum tendit. Porrò sedimentum habet copiosum, quoties morbus ex humoribus crudis fatiget. nullo uero modo, aut omnino minimum quoties ex biliosis fatiget, sed satis erit si habeat † sublimamentum. Intelligo sublimamentum id quod corpulētius cādidiusq; in urina, neque in summis eius, neque in fundo uasis, sed in media sede sublime uel exquisite medium: uel deorsum potius quàm sursum existat. Id igitur solitus sum nominare sublimamentum. Sed ab Hippocrate id quoq; nubecula nominatur, eādē obtinens proportionem circa urinā, quā ueræ nubeculæ ad aerē præferunt. etenim hæ humore qui circiter est, corpulentiores: & item illæ, aere sunt. Itaq; sæpenumero (ut dixi) supernatat in urina desuper, quā ego nubeculā proprie soleo nominare. Sed hæc tibi sint in primis cognita atque in animo posita, mox animaduerte ea quæ Hippocrates scripsit. Vrina enim assidue faciens sedimētum quale dixit, securitatem significat, id est morbum esse sine periculo, atq; integre exoluendum, ita ut non sit præterea repetiturus: & item celerio-

† ἐν αἰωρήμα.

rem fore ſolutionem, ita ut ſi prima die aut proxima nocte apparens, perſeueret ſimile die ſecunda aut nocte primæ circuitionis decretoriorum dierũ non ultra procedet ægrotatio. Porrò hæc dixit ſcilicet de morbis febriculoſis. Quicũq; enim ſine febre affligunt, aut in cerebro, aut membranulis, aut in thorace, ac pulmone, ex aliis indiciis agnoſcuntur, ſiue mitiores breuioresq; ſint, ſiue periculoſi diutiniq;. Cæterum quam ob rem urinæ ſedimentum candidum eſſe conueniat: dum ageretur de pure, in calce primi uoluminis explanatum iam eſt.

XXVII.

SI VRINA fuerit ſubrubra, ac ſedimentum ſubrubrum & leue, diuturnior hic morbus quàm primus, ſed admodum ſalutaris eſt.

Quoties ſanguinis ſerum pariter cum urina excernitur, colore ſubrubra apparet. Indicat autem exuperantiam ſanguinis non exquiſita ratione cõfecti. Igitur quia integerrimi humoris exuperantia eſt: idcirco ſine periculo eſt. Sed quia humidior & item ſeroſior quã is eſt, eget concoctione. Si igitur ſpatio temporis concoctio fit, merito talis urina ſignificat ut diuturnior quàm primi, morbi ſolutio futura ſit.

XXVIII.

SI IN VRINA ſedimentum ſpeciem referat farinæ craſſioris, malum eſt. Deterius uero ſi ſquamularum inſtitutione conſiſtit. Si uero tenue & candidum admodum eſt, uitioſum eſt. Furfureum uero deterius eſt.

†πρίμνα. †Craſſior farinæ pars appellatur, quæ effracto inuehitur hordeo grandiuſcula, refugiens ſcilicet molæ cõfectionem exquiſitiorẽ. Hæc igitur quoties inuehitur urinæ ſedimento, indicium nõ bonũ eſt. Si.n. farina non affringitur in partes admodum tenuiores, ſpecies farinæ redditur craſſioris. In urina uero, haud ſanè alimoniæ pars aliqua q̃ deducta ſit inſup duriuſcula ꝓmanet. Sed aſſato ſanguine craſſiore, uel conſumptis inæqualiter carnibus, ita contingit. At uero inæqualiter accidit, quoties à calore igneo, quæ recens eſt & nuper concreta caro in †ſaniem reſoluatur, duriuſcula uero, ſi iis q̃ friguntur in ſartagine ſubſimilis, exiccata conſtiterit. Prima.n. noua ac recens pinguedo conſumitur ꝓ huiuſmodi febres, deinde durior ac uetuſtior, & ab his deinceps noua ac recens caro, mox dura ac uetuſta, poſtremo ſolida iam corporis membra: quibus rurſus conſumptis, ſquamulæ pariter cum urina excernũtur: & ob eam rẽ talis urina deterior eſt q̃ q̃ tantũmodo ſpeciem farinæ referat craſſioris. Cæterũ aliud eſt tenue ſedimentũ, id eſt nõ habens corpulentiã, ſed (ut ita dicatur) ſubſimile ſpumæ. tale uero continuo albũ exiſtit, propterea ꝙ recipiat in ſe totũ circũfluí ſplendorẽ aeris magis q̃ quod craſſius eſt. At uero generatio eius eſt de ſpiritu flatuoſo ꝓmixto tenacius ſemicõcocto humorũ excremẽto. Proprium.n. cõcocti integre ſedimenti eſt id quod conſueuimus nominare æquale. id accidit quoties totũ ſimilare exiſtat. Quod enim uario permiſcetur corpore, diſſidentes obtinet in conditione & colore partes. Inæqualiũ uero corporum, quæ ex partibus tenuioribus habeant inæqualitatem, deteriora ſunt q̃ quæ ex maioribus. Quæ enim ſunt partium maiorum, magnũ indicant naturæ robur, tantũ, quanta fuerit ſubſtantiæ magnitudo exquiſita ratione confectæ. Quæ uero tenuiorũ ſunt, peruinci ab humore indicant facultatem, & ueluti pugnam haberi æqualem. atque ea res in omni inæquali corpore ꝓmiſcua eſt.

Particulares uero in eo differentię pro uirtute cō coctæ materiæ, uitioq; nō cōcoctæ, existūt. porrō ab his tribus sedimentorum differētiis aliam quartam adiecit, furfureum sedimentum: quod inquā deterius quàm tertium est. Indicat enim quemadmodum primum ac secundum flammeam febris caliditatem & consumentem: quod quidem non quartum, sed tertium proditum esse oportet.

XXIX.

NVBECVLA quæ inuehitur in urina, si candida est, est bona. si nigra, uitiosa est.

Cum de discrimine docuisset sedimentorum, deinceps ad nubeculas se confert, indicans ut sublimamentum appellitet nubeculam, adiectione uerō bi inuehitur: è quibus ut nigram merito criminetur, perspicuum est. siquidem nigredo, aut ob uehementem accidit frigiditatem (qua ratione sanguis quoque nigrescit congestis globulis: & quicquid extinguitur in plenum frigescens) aut propter exuperantem calorem. etenim sanguis rursus trahit nigrorem si crematur, quemadmodum alia omnia corpora. & qui diutius in sole diuersantur æstiuo, nigri redduntur.

XXX.

DVM VRINA tenuis fuerit ac rufa, crudam esse significat ægrotationem.

Vrina naturalis modice crocea est, utpote ex humore consistens concocto, qui flauæ bilis partū recepit. Hæc ubi modum excedat, aut admodum syncera permiscetur, urina rufa apparet. Ergo si adeo talis colore est, ut etiam tenuis habeatur, crudam esse, significat ægrotationem. oportet enim ut in colore diximus modice croceam esse debere naturalem urinam, ita etiam modice se habet.

in conditione, nec ita tenuem esse quemadmodum aqua, nec adeo crassam, ut assimiletur urinæ iumentorum. Sed omnia sunt integre de natura urinæ ac differentia prodita libro de iudicatione: inde eadiscas licebit, si uerus fueris prædictionis amator. At uero decernere quænam uere sint prodita, & quæ secus, & item adiicere demonstrationis fidem utriusque, ex superabundanti existit.

XXXI.

VBI MORBVS diutinus fuerit, urina uero talis excernitur, periculum est ne durare ęger possit quoad morbus concoquatur.

Quoties morbus diutius incoctus permaneat, periculum imminet abolitionis, nisi facultas morbo resistens quammaxime ualeat. Cæterum constat ut ad hunc reuocari locum possit sententia qua præcipitur considerandum esse quo pacto supersint uires, & quātum morbus concoctionis requirat, & utrum æger durare possit ad consistendi uigorem usque ægrotationis.

XXXII.

EXITIOSIOR uero urina est, si aquosa, fœtida, nigra, crassaq; est.

Vrina aquosa, tenuis quidem conditione, colore uero candida, est summam indicans humorum cruditatem, naturalis uero facultatis debilitatem. At uero de quauis urina fœtida antea est (quemadmodum de nigra quoque) perscriptum. hæ igitur iunctim ac seorsum per se exitiosæ censentur. Cæterum crassa utrum per se seorsum exitiosa censenda sit, an copulanda cum prædictis, aut nigra, dignum consideratione est. Igitur quæ ipsi nouimus, diligenter obseruando, dicemus, ut ex illis orsus, simul scias ueritatem, simulq; meliorem eli-

gas enarrationem. Vrinam nigram, quo fuerit crassior, eo deteriorem haberi obseruauimus. At si colorem habeat naturalem, duplicem habet euentum, interdum ad mortem, interdum ad sanitatem propinquam, quemadmodum alia multa præter naturam, quippe corpus per illa repurgatur. Cæterum constat ut ab Hippocrate crassa dicatur urina quæ per nimium talis habeatur. Quæ enim simpliciter crassior quàm naturalis existit, non admodum exitiosa habetur.

XXXIII.

IN MVLIERIBVS & uiris urina nigra, in pueris aquosa, deterrima est.

In omni ætate urina nigra & aquosa, exitiosissima est: sed in ætatis uigore consistentibus inter exitiosas primũ habet ordinem nigra, in pueris uero aquosa. Superius enim est ab Hippocrate dictum ut maxime contraria naturæ, exitiosissima habeantur. Contraria uero naturæ in pueris non ita nigra perinde ut tenuis est. Per naturam enim in illis est urinam emittere corpulentam, ac sediminis copiã habentẽ. In ætatis uero uigore consistẽtibus, tenuissimũ habet & exiguum sedimentũ & ob eam rẽ in eis urina nigra, exitiosissima censetur: in pueris uero ob aliam quoq; causam, aquosa pestifera est. In eis enim omnia concoquuntur ocyssime præ robore facultatis alterantis. At concoctio crassiorem reddit non solum urinam, sed etiam deiectionem, quoties bene in uentre concoquatur, & item secretionem in pulmonia & costali, atque etiam pituitam per destillationes & grauedines, necnon per lippitudinem & pus in ulceribus. Si igitur in pueris manere uideas plurimum temporis urinam aquosam, ita ut nullam habeat mutationem ad corpulentius, indicium exitiale est.

XXXIIII.

QVI TENVEM crudamq; diutius urinã mingunt, si cætera ut in conualituris indicia fuerint, in iis abscessum ad inferas præcordiorũ sedes expectare oportet.

Id quoq; uerissime est ab Hippocrate dictũ. Morbus.n. concoctu difficilior, ut q crassiore frigidioreq; humore cõsistat, p absscessum iudicari assolet: qui uero calidiore tenuioreq;, excretiõe. Quoties igitur plus maneat temporis urina nequaquam concocta, definiendum utrum nequaquam duraturus longitudine ægrotationis æger sit, an iudicandus per abscessum morbus. Definitio uero ex aliis indiciis erit. Exitiosa enim indicant mortem, mitiora salutem. At uero abscessus in iis qui admodum immorantur, ad inferas erũpunt sedes, ob frigus, crassitudinemq; materiæ, ac uirium spatio temporis languentium debilitatem. In acutioribus uero prope auriculas. etenim per eos crassi minus humores existunt, & item copia caloris, ac ualentior facultas. At morbi medii, inter hos obtinent abscessus, qui medio genere ambigunt. neque conuenit, quantum in ipsum agitur tempus, quærere sint ne sursum potius quã deorsum erupturi, sed ex aliis definiri signis oportet.

XXXV.

SI PINGVE desuper natans, araneorum speciẽ referat: damnandum est. Indicat enim consumptionem.

Quale pinguioribus iusculis refrigescentibus supernatat, uocata à multis uetula: tale in urina ex consumptione existit: de qua ipse disputãs causam adiecit.

XXXVI.

CONSIDERANDA in urina nubecula est, utrum sursum fuerit, an deorsum, & item color quem obtinet. Si enim deorsum feratur cum colore qui dictus est, bona commendandaq; est. Si sursum cum colore qui dictus est, mala damnandaq; est.

Quod a me libro de iudicatione sæpenumero sublimamentū est appellatū, id solere Hippocratē nominare nubeculam, hac quoque dictione non obscure significauit. Sed aliubi ipse sublimamentum genituræ simile dixit, ita ut è duobus alterum sit, aut ut generalioris rei nomen existat sublimamentum, sectionem habentis in nubeculam, & id quod genituræ simile est: aut nunquam nubecula ab eo sublimamentum nominatur. Cæterum ut quicquid inuehitur in urina, utile sit, & quāto subsidet deorsum, tanto melius habeatur: antea definitum iam potentia est, ubi diximus tali interdum spiritum permisceri flatuosum. Quod igitur exquisite concoctum secretumq; est, æquale ac simulare, utpote nullum habens flatum, in fundum descendit uasis urinam continentis. Quod uero permixtum est aereo quodam & uaporoso flatu, id subductum ab eo quod proportionale sit quantitati subducentis, minusq; & magis sursum fertur.

XXXVII.

NE TE FALLAT, si ipsa uesica ægrotans aliquam talem reddiderit urinam. Non enim totius, sed ipsius per se uesicæ indicium est.

Optime id adscripsit, reuocans in mentē quod nos interdum omisimus definire in ægris. Atque oportet in uentris deiectione reponere in animum nunc proditam definitionem. etenim promiscuū

est utrique secretioni, totius corporis recipere excrementa, atque etiam illarum partium per quas excernuntur. At uero per naturam habentibus nobis, excrementa totius corporis repurgantur per urinam: ea uero quæ in uentrem condita sunt, pariter cum stercore excernuntur. Præter naturā uero habentibus, cum urina pariter quædam morborum in renibus ac uesica indicia excernuntur: cū stercore uero, corporis totius. Itaque non raro p urinam purulentam, quæstio extitit undenam uemiat pus: itidem ubi squamulę excernuntur, ea ipsa quæstio est. & item aspera, fœtida, ac biliosa sæpe redditur urina propter uesicam & renes, non raro uero propter omne corpus, id est, perfectricem humorum in toto animali facultatem, quæ (ut indicauimus) ueluti focum ardentem & fontem obtinet iecur. interdum ea ipsa haudquaquam affecta, per uesicam & renes omne animal expurgatur: aut partium aliquarum in eo excrementa quædam incidentia uenis, purgato sanguine de renibus excernuntur, quemadmodum abscessus quoque consistentes sæpenumero per urinam excernuntur.

De uomitione.

XXXVIII.

VOMITIO utilissima est, si pituita ac bile p mixta quammaxime est, si non multa, non crassa est. Syncerior enim deterior est.

Per hanc quoque dictionem indicauit quidnā appellet syncerum, opponēs illi permixtum: quāuis etiam nomen ipsum nihilominus suam indicet significationem. etenim uinum dicimus syncerum quo cum aqua permixta non est, aut perquam exigua permixta est. necnon quodlibet aliud nominatur syncerum, quoties ipsum per se tantummo

do,impermixtum aliena materia est. Itaq; flauam bilem intueri licet interdum crassam ac summe flauam uomitione reiectam, & item deorsum deiectam,quam sanè nonnulli nominant uitellinam.sæpe uero humidiorem,ac minus flauam quę magis proprie crocea nominatur,permixtum habens in se tota pituitosum humorem,tenue aut aquosum quoddam excremẽtum. Vult igitur Hippocrates neutrum humorem syncerum apparere, sed eos inter se quodammodo permisceri. Bilios⁹ enim syncerus,caloris copiã: pituitosus indicat frigus. Quinetiam syncerus humor crasior redditur. pituitosus quidem propter frigiditatem quasi concretus:bilios⁹ uero,propter exuperantiam caloris euaporatus,& tanquam assatus.Hæ enim duæ causæ contrariæ crasitudinis sunt,calidum admodum,ac frigidum.Calidum enim euaporat, frigidum adstringit.

XXIX.

SI VERO uomitio fuerit porracea aut liuida,aut nigra:quicunque ex his fuerit color,malũ esse censendum est.

De liuido ac nigro colore supra definitum iam est. Porraceum uero nunc primum habuit mentionem,non habentis quidem proprium nomen,sed utentis porri appellatione:nisi aliquis uelit econtrario à colore porraceo dictum esse porrum,nõ à porrò porraceum.In quibusdam enim clara est deductio uocabulorum,ut cognoscatur id quod à grammaticis prototypum nominatur, & quod ab eo deductum est,quemadmodum de lacteo colore,in aliis uero haudquaquam clara est. Dicas enim licebit nõ à phœnice(talis est fructus palmę arboris)phœniceum : sed esse à phœniceo phœnica dictum:quemadmodum cyanõ(talis est aquæ maris)nõ à cęruleo magis q̃ cęruleũ ab illo. Itidẽ ochra & ochron,id est croceus color in eandẽ seriẽ reponuntur. Ochram uero dixi,nõ ultima acuta,quo pacto aliq̃s dicet ochrõ,id est croceũ adolescentẽ:& ochram,id est croceã seu pallidã mulierẽ:sed penultima acuta. Ochra.n. genus quoddã terræ est,cuius potissimũ Attica,pbatissima est. Hæc igitur nunc semel sint à me pscripta. Assidue enim in animo habeas oportet,studendũ esse nominibus tantũ,quantũ ad illustriorẽ significationẽ eorũ q̃ dicimus,ex illis iuuari possis:reliquũ uero tẽpus superuacuũ existimabis, ad studiũ rerũ meliorũ reponens. At uero gignitur in corpore quẽadmodũ crocea bilis p̃ naturã habentibus,ita porracea altera præter naturã,cõstatq; ut hæc sæpenumero in uẽtriculo gignatur propter quorundam cruditatẽ esculentorũ aut olerum,qualia beta, cepa,brasica sunt:atq; ẽt interdũ talibus nequaq̃ ingestis,ratione ægrotationis in uenis gignitur, ac decumbit aut in uentrem superiorẽ,aut in inferiorem,calorem in corpore indicans præter naturã, atq; excrementi proprietatem talis temperamento,qualis prædictorum olerum succus est.

XL.

SI IDEM homo omnes uomit colores,exitiale admodum est.

Siue de prædictis coloribus,porraceo, liuido, nigro sit proditum uerbum omnes, siue etiam de aliis cum ipsis quicunq; præter naturam habẽtur colores,utrouis modo exitiosissimũ est, indicantibus in corpore multas haberi difficiles affectiões.

XLI.

VOMITIO liuida si graueolet, ocyssimam indicat abolitionem.

Talis.n.uomitio putredinē indicat cū extinctione,si quæ supra diximus in animum reuocentur.

XLII.

OMNIS subputris ac fœtidus odor in omni uomitione malus est.

Constat enim ut cuiuis affectioni permisceatur putredo,ea ipsa deterior euadat.

De screatione.

XLIII.

†ΣΚΡΕΑΤΙΟ, in omni dolore qui affligat circa pulmonem & costas,cito prōpteq́; screetur,necesse est.

Verbum cito,significat inter initia ægrotationis,prompte uero,pro eo quod est facile ac propense,dictum est:id uero significat cito ac sine dolore uacuari screationem.Fieri enim cito aliquid intelligimus bifariam,tum ut omnis principium morbi,tum etiam ut tempus adiunctum functioni, significetur. Prompta enim screationis uacuatio, id est propensa ac facilis,est quoties nec uehemēs in thorace dolor infestet (hic enim interpellat sistitq́; in medio priusq̄ absoluatur,nascentē adhuc thoracis functionem)nec uires desint.hæ enim accumbunt in media functione,ita ut inchoatum inabsolutumq́; officium restet.Quinetiam ipsa screatio si uehementer fuerit glutinosa, oblita tenacius membris,excurrensq́; sæpenumero subsistit fistulis agglutinata pulmonis : quo modo si fuerit admodum crassa,difficulter excurrit,ac longiore tēporis tractu male affici cogit,atque etiam stipatur in quibusdam itineribus angustis:& ob eam rem nonnullis strangulari contingit. Cæterum ea ipsa materia si admodū tenuis & aquosa est, uix screatur,ut

tur,ut quæ circiter spiritui circunfluat . hæc enim prima causa uacuationis est,quam etiam continuam nomināt.Duplex enim prima causa est(quēadmodum dictum est dum ageretur de causis)tum materiæ uitium,tum etiam id quod initium habeat motionis . Itaque motionis initium ex facultate mouente thoracem in tussientibus est.Id enim libro de causis accidentium definitum iam est.Violenta uero contractio eius facit ut spiritus feratur foras uehementer:huius uero uehementia refert secū materiam conditam in fistulis pulmonis,quæ quidem asperæ arteriæ sunt.Quoties ergo thorax ualide suo fungatur officio,& humor in fistulis pulmonis conditus,modice crassus sit:facile screatur. Si uero neutrum existat ,difficile , ægreq́;.Quod si prædictis causis altera desit:uacuatio inter optimam ac deterrimam media accidet.& ut in totum dicatur,prout magis ac minus causæ intenduntur aut exoluuntur, eorum quidam facilius , quidam difficilius expuunt. Quid igitur sit prōpte excreare,perspicue pariter ac uere perpensum iam est. Si igitur id uerum est, quemadmodum est, uerum quoq; erit ut cito excreetur.Non enim adiunctum ipsi tussedini tempus,sed primum morbi tempus significat,de quo per sententias dixit:In morbo costali si screatio statim inter initia existit,breuem ægritudinem fore ostendit .ut si quis de tempore functionis intelligat esse cito dictum (quod quidē docui in uerbo prompte contineri)peccabit bifariam:principio ut tempus ab eo sit bis inconsiderate proditum,tum autē & quod est libro sententiarum perscriptum,omittatur, uim alioqui obtinens maximam.Cæterum ut non ob hæc solum, sed etiam propter ea quæ sunt proxime dicenda, ita intelligi conueniat,dum eam ipsam enarrabimus dictionem ,ostendetur.

XLIIII.

PERMIXTA appareat flaua bilis admodũ ſcreatione, oportet.

Verbum, admodum, de permixta, non flaua bile afferendum eſt, uelut ſi in hunc modum dictum ſit: Appareat flaua bilis permixta admodum ſcreatione, oportet. Verbũ admodum, id poteſt, quod nimium & maxime ualet. itaque pauloante dixit: Vomitio utilisſima eſt, ſi pituita ac bile permixta maxime eſt. Nunc uero in ſcreatione uoculam ad modum, adiecit. Cæterum quam recte enarrauerimus, ſequentem inaudiens dictionem diſcas licebit.

XLV.

SI ENIM multo poſt ab initio doloris ſcreatur flaua, aut rufa, aut multam inferens tuſſim, aut non admodum permixta, deterior eſt.

In hac pollicitus ſum dictione oſtẽdere utraſq; enarrationes antea proditas, ueras eſſe: tũ uerbi cito, tũ ét uerbi admodũ, intellectũ. Hippocrates. n. ſe ad contraria conferens, quemadmodũ conſueuit, cito oppoſuit illud: Si .n. multo poſt ab initio doloris ſcreatur. Ei uero quod eſt admodum permixta, oppoſuit, non admodum permixta: & item ei quod eſt prompte excreatur, illud, multam inferens tuſſim. Quoties enim materia ſine dolore ciitoq; uacuatur, tuſſi pauca opus eſt. Antea enim dictum iam eſt, ſalubrius eſſe permiſceri materias uacuatas quodam modo inter ſe, nec quicquam excerni exquiſite ſyncerum, & item dictum eſt ut oporteat cito exiſtere in coſtali ſcreationem, in commentariis de iudicatonibus, atque etiam libro ſententiarum.

XLVI.

SCREATIO flaua ſi ſyncera eſt, cum periculo eſt, candida uero, glutinoſa, ac rotunda, inutilis eſt.

Non aliud nunc dicit quàm quod antea dictũ iam eſt. Si enim ſcreatio nequaquam permixta eſt, ſyncera eſt, ac redditur flaua propter flauã ſcilicet bilem: candida uero, glutinoſa, ac rotunda propter aſſatam pituitam. Sæpe enim definitum iam eſt ut decumbentes, membris quibuſdam fluxiones, inflammationem ſacrum ignem, tumorem, duritiam cancrum committentes, pro diſcrimine exuperãtium humorum indulgentiores ac maleficentiores euadãt. Sanguineæ enim ac pituitoſæ modeſtiores habentur. Quæ uero flaua aut atra bile conſiſtunt ęgrotationes, difficiliores cẽſentur. Alterutra enim derodit corpus, idq; commune illis eſt. Proprium uero utriuſq;, flauæ quidem bilis, ut acutas accendat, febres: atræ uero, ut ſolutu difficilem committat affectionem. Humor enim utpote craſſus terrenuſq;, adeo infarcit membra quibus conditus eſt, ut difficilius excernatur.

XLVII.

SI VIRIDIS & ſpumans admodum eſt, mala eſt.

Sæpenumero dictum iam eſt ut chloron (id .n. uertimus uiride) de croceo dicere ſolitum ſit, & itẽ de eo quod à nonnullis uocatur rubiginoſum. Cæterum ut utrauis harum, ſi ſumme fuerit talis, difficilis ſit, non inſuper neceſſe habeo docere, cum antea de quouis ſyncero humore tradiderim. Præter enim ſanguinem quiuis alius humor ſi ſyncerus fuerit, prauam indicat affectionem, flammido calore obtinens generationem. Flauus inquam, ubi

ſeroſus humor ipſe aſſatur: quo permixto croceus apparet. Rubiginoſus uero, ubi is uehementer aſſatur. Niger uero, aut quoties is ipſe uehementer aſſatur (quæ ſanè deterrima & quàm maxime derodens atra bilis exiſtit) aut ubi craſſus ſanguis ſimiliter exiccetur: aut ratione extinctionis & refrigerationis. Sed hæc ſemper in animo ſeruanda ſunt, atq; exiſtimandum ſubinde ea ipſa præcepta de eiſdem rebus intelligi oportere. Cæterum ſpumans ſcreatio (id enim in calce dictionis eſt proditum) ex aeria ac pituitoſa ſubſtantia pariter permixta eſt. Ex his enim quælibet ſpuma cõſiſtit, in mari quidem ex uiolento uentorum affiatu in multas & exiguas partes attrita aqua, in his quæ elixantur, præ copia caliditatis. At uero promiſcuum in utriſque cenſetur gigni bullulas multas & exiguas ſolutu difficiles, potiſſimum quoties ambo concurrant, tum aer turbulentus ac nebuloſus, tum etiam humor quodammodo craſſus ac glutinoſus. nam tenuis humor, qualis exquiſita aqua habetur, quoties aerem comprehendit mundum, non diutius continet, ſed ſtatim reſciſſis bullulis, in propriam remeare ſedem permittit: & ob eam rem ſpuma in mari celeriter ſoluitur. Craſſus uero glutinoſusq; humor quoties (ut dixi) turbulentam ac nebuloſam ſubſtantiam intra ſe clauſerit plurimum detinet temporis, eo q̃ nec illa ſurſum uerſus feſtinet, quemadmodum mundus aer, & quia ipſe difficulter reſcinditur. Vt enim gignuntur bullulæ ex humida ſubſtantia includente intra ſe aerem: pari modo ſoluuntur. propterea q̃ humida ſubſtantia reſcindatur. Facile ergo reſcinduntur quoties ſpiritus tenuis ſurſum uerſus feratur. non reſcinditur uero quoties neq; tenuis fuerit, neq; ſurſum uerſus feratur. Talis eſt aer nebuloſus, ut qui nec conuolet in ſublime, neq; tenuis, ſed perquam

humidus ſit, ita ut ferre queat humorem ſibi circũ extentum. Ita fit, ut quoties elixatur aqua, non difficile ſoluatur bullula: ſed quoties aut craſſus aut opimus humor eſt, ex quo genitus ſpiritus flatuoſus uaporoſusq; eſt, atq; etiam ſummo tenus in lebete humor oleaceus, pinguis ac glutinoſus eſt. Ita igitur in corporibus animalium ſpuma gignatur oportet. non enim uehementiores flatuũ, quẽadmodum in mari procellas, exiſtimari conuenit, ſed ignis calorem conſumentem pariter ac ſpiritũ efficientem flatuoſum tantum quod oculis ipſis in multis licet infirmis intueri. Sed hæc abunde ſint nobis prodita, ipſe uero ſeruabis in animo quonã modo gignatur ſpumãs ſiue ſcreatio, ſiue deiectio ſiue urina. In his enim interdum fluitat uocata lampe argumento ſplendoris, ne præterea deſideres rurſus de his ipſis aliquid inaudire.

XLVIII.

SI ITA ſyncera fuerit ut nigra appareat, hæc difficilior quàm illa eſt.

Antea dictum eſt de omni uacuatione ſyncera uniuerſim, ac de nigra ſeorſum. q̃ ſi nequaq̃ hæret in memoria quæ ſupra definita ſunt: rurſus ea ipſa reuolue. Rectius enim eſt ita efficere, q̃ ut ea ipſa præcepta de eiſdem rebus ſæpenumero pandam.

De grauedine & ſternutamento.

XLIX.

GRAVEDINES & ſternutamenta per omnes morbos qui in pulmone fatigent, præire & ſubſequi, malo eſt. Sed de aliis morbis exitioſis ſternutamenta utilia ſunt.

Humorem de naribus ſecretum tenuem & incoctum nominare aſſolent omnes ueteres medici

ſeroſus humor ipſe aſſatur: quo permixto croceus apparet. Rubiginoſus uero, ubi is uehementer aſſatur. Niger uero, aut quoties is ipſe uehementer aſſatur (quæ ſanè deterrima & quàm maxime deprodens atra bilis exiſtit) aut ubi craſſus ſanguis ſimiliter exiccetur: aut ratione extinctionis & refrigerationis. Sed hæc ſemper in animo ſeruanda ſunt, atq; exiſtimandum ſubinde ea ipſa præcepta de eiſdem rebus intelligi oportere. Cæterum ſpumans ſcreatio (id enim in calce dictionis eſt proditum) ex aeria ac pituitoſa ſubſtantia pariter permixta eſt. Ex his enim quælibet ſpuma cõſiſtit, in mari quidem ex uiolento uentorum afflatu in multas & exiguas partes attrita aqua, in his quæ elixantur, præ copia caliditatis. At uero promiſcuum in utriſque cenſetur gigni bullulas multas & exiguas ſolutu difficiles, potiſſimum quoties ambo concurrant, tum aer turbulentus ac nebuloſus, tum etiam humor quodammodo craſſus ac glutinoſus. nam tenuis humor, qualis exquiſita aqua habetur, quoties aerem comprehendit mundum, non diutius continet, ſed ſtatim reſciſſis bullulis, in propriam remeare ſedem permittit: & ob eam rem ſpuma in mari celeriter ſoluitur. Craſſus uero glutinoſusq; humor quoties (ut dixi) turbulentam ac nebuloſam ſubſtantiam intra ſe clauſerit plurimum detinet temporis, eo q̃ nec illa ſurſum uerſus feſtinet, quemadmodum mundus aer, & quia ipſe difficulter reſcinditur. Vt enim gignuntur bullulæ ex humida ſubſtantia includente intra ſe aerem: pari modo ſoluuntur. propterea q̃ humida ſubſtantia reſcindatur. Facile ergo reſcinduntur quoties ſpiritus tenuis ſurſum uerſus feratur. non reſcinditur uero quoties neq; tenuis fuerit, neq; ſurſum uerſus feratur. Talis eſt aer nebuloſus, ut qui nec conuolet in ſublime, neq; tenuis, ſed perquam

humidus ſit, ita ut ferre queat humorem ſibi circũ extentum. Ita fit, ut quoties elixatur aqua, non difficile ſoluatur bullula: ſed quoties aut craſſus aut opimus humor eſt, ex quo genitus ſpiritus flatuoſus uaporoſusq; eſt, atq; etiam ſummo tenuis in lebete humor oleaceus, pinguis ac glutinoſus eſt. Ita igitur in corporibus animalium ſpuma gignatur oportet. non enim uehementiores flatuũ, quẽadmodum in mari procellas, exiſtimari conuenit, ſed ignis calorem conſumentem pariter ac ſpiritũ efficientem flatuoſum tantum quod oculis ipſis in multis licet infirmis intueri. Sed hæc abunde ſint nobis prodita, ipſe uero ſeruabis in animo quonã modo gignatur ſpumãs ſiue ſcreatio, ſiue deiectio ſiue urina. In his enim interdum fluitat uocata lampe argumento ſplendoris, ne præterea deſideres rurſus de his ipſis aliquid inaudire.

XLVIII.

SI ITA ſyncera fuerit ut nigra appareat, hæc difficilior quàm illa eſt.

Antea dictum eſt de omni uacuatione ſyncera uniuerſim, ac de nigra ſeorſum. q̃ ſi nequaq̃ hærẽt in memoria quæ ſupra definita ſunt: rurſus ea ipſa reuolue. Rectius enim eſt ita efficere, q̃ ut ea ipſa præcepta de eiſdem rebus ſæpenumero pandam.

De grauedine & ſternutamento.

XLIX.

GRAVEDINES & ſternutamenta per omnes morbos qui in pulmone fatigent, præire & ſubſequi, malo eſt. Sed de aliis morbis exitioſis ſternutamenta utilia ſunt.

Humorem de naribus ſecretum tenuem & incoctum nominare aſſolent omnes ueteres medici

grauedinem, quemadmodum defluxionem talem ex palato secretum. Ac miror quonam modo Hippocrates non defluxionem adiecit grauedini, sed sternutamentum. Itaq; grauedines una ratione nocuæ sunt, ubi per tales existunt morbos: defluxiones duabus. Dictumq; à nobis antea sæpenumero est aliqua † praua malis adnumerari signis ex accidenti, alia simpliciter: id ipsum tantummodo haberi indicia praua, nullum ipsa committentia malum, indicantia uero difficilem quandam affectionem à qua constiterunt. Porrò alia ab his esse indicia utroq; modo praua, tum quia signa, tum etiã quia causæ sunt. Signa, quidem, quoties ex difficilioribus fiant affectiõibus. Causæ uero, quoties ipsa rursus alias committant praues affectiones. Itaque eueniunt defluxiones & item grauedines in morbis qui affligant in pulmone, quia calidos recipiat cerebrum uapores. Sed pulmo non ab utrisq; sed à destillatione tantummodo afficitur. Materia enim per grauedines secreta, per nasum foras excernitur: & ob eam rem defluxiones deteriores quàm grauedines habentur. Ergo non satis noui quam ob rem eas Hippocrates per hũc omiserit sermonem, nisi aliquis uelit ut per grauedines eas quoque intelligi dederit. ac fortasse ab eo qui inter initia librum transcripsit, omissæ sunt: innumera enim talia etiam nunc fieri cernimus. Sternutamentum sequitur grauedines magna ex parte sanè concutiens thoracem, uitiat quoq; pulmonẽ. Itaq; grauedines ac distillationes assiduæ, non esse bona indicia censendum est, præuenientes quidem eo q̃ malis repleant humoribus pulmonem: procedente uero morbosi existunt quia magnam pulmonis affectionem, & ab ipsa caput esse affectum significent. At uero sternutamentum per alios morbos nunquam simul prehendit, nec aliquod aliud

† In quibusdã ant. cod. legit, εὐία μὲν αἰτία μοχθηρά. i. aliquas prauas causas & ita legit uetus interpres.

† In aliquibus manuscriptis cod. hæc sunt in hunc ordinem digesta, in aliis uero ut in impressis clausula illa p̃cedit. itaq; grauedines ac &c. usque ad significent, sequitur: inde illa sternutamẽtũ sequitur graued.

accidẽs, procedẽte uero morbo si existat, ostendit salutem, q̃q̃ exitiosus quantum in alia agitur indicia, morbus habeatur. Indicat enim concoctionẽ ac robur secretoriæ in cerebro facultatis, de qua in nasum flatuoso spiritu secreto, pariter cum alioquoque humore, nonnunquam sensibili & conspicuo, quandoque tenuiore & spectatu difficili, sternutamentum consistit.

L.

SCREATIO flaua non multo permixta sanguine in pulmonis morbo, si inter initia excernitur salutaris admodũ est, si septimo die, pigriusve, minus secura est.

Promiscuus hic sermo per omnem inflammationem est, iam à nobis sæpenumero proditus, ut decumbentis ad sedes inflammatione laborantes humoris pars tenuior resudet, quoties continens inflammationem superficies haudquaquam densa ex natura quemadmodum exterior cutis existat: & ob eam rem siue in meatibus nasi, uel oculorũ, uel oris inflammatio fatiget, humores tenues similes cruentis ulcerum humoribus effluunt. Itidem pulmo laborãs inflãmatione, excernit humorẽ quendã ad intimas sui ipsius sedes inanes: quæ inquam asperæ arteriæ sunt: qui tussedine ellatus excreatur, indicium afferens committentis pulmoniam fluxionis. illius enim ceu serum quodam habetur. itaq; erit si biliosa admodum est, flauus tantummodo: si sanguinea, rubidus: si ex utroq; permixta, rubidus pariter ac flauus. Hi igitur humores boni sunt. Paulo uero absistunt ab iis per quos sanguinem integrum despuunt, forteq; indicium terrebit quẽpiã, quẽadmodũ quoties cõsistẽte in pulmõe ulcere, fatiscit cõceptaculũ, etenim tãtisp̃ sanguinẽ despuũt. Sed sanguis in pulmonia

cueniens prorſus exiguus ſcreationi p exilitionem à medicis nominatæ ſimilis eſt. Fit enim & id accidens propterea q̃ ſanguis conditione tenuis decumbit ad os, cum gingiuæ rariores exiſtant, ita ut ipſum nequaquam cõtineant. In faucibus quoque ob eandem cauſam talis ſanguis ſeroſus quãdoq̃ excernitur. Nõ igitur abſurdũ eſt quoties aliquid tale in pulmone conſiſtit: id uero ex cõditione ſanguinis atque eius copia facile cognoſces. Nam qui ita ſcreatur, nequaquam craſſus, neque multus eſt. Cæterum non expectare accidens ad ſeptimũ uſque diem oportet, ſed potiſſimum ante primũ quartum ut concoctus alteratus ſit. ſi ſecus, ſed omnino ante ſeptimum expectandum eſt. Si uero talis perſiſtat, qualis ab initio erat, perſpicuũ eſt ut plurimum tẽporis proceſſuram ſignificet ægrotationem. nam ubi nondum ſeptimo die concoqui cœpit, longiſſimam fore demonſtrat integrã concoctionem. At longiore temporis ſerie multa mala incidere aſſolent, tum ægroti culpa & adminiſtratoris, tum etiam uitio aliorum, quæ inopinata forinſecus accidunt, necnon medici commiſſo. q̃ ſi nihil ex his accidat: periculum antequam concoquatur morbus, exolutionis uiriũ imminet. & ob eam rem minus ſecurũ uideri dixit pluribus diebus talem permanere ſcreationem.

LI.

OMNIS ſcreatio mala eſt quæ non ſedat dolorem, peſſima autẽ nigra ut deſcriptum eſt. Quæ uero ſedat dolorem omnis, melior eſt.

Communis hic quoque ſermo eſt in omni materia ex corpore ſecreta: de qua aliis libris, atque etiam uolumine ſententiarum dixit, ut facilitatem potiſſimum ſpectari conueniat. Sæpe enim ualuit natura prauam uincens affectionẽ, expurgare corpus. & in hoc terrentur multi aſpicientes ſecretæ uitium materiæ, nequaquam cognoſcentes utrum id accidentis fiat ratione, an quia natura prauã materiam foras expellat. Itaq̃ per ſententias tantummodo facilitatis ſcripſit appellationem, hoc loco doloris indicauit ſedationem, ob quam commendat ſcreationem quæ dolorem ſedat. Paulo poſt omnia deinceps indicia docebit in melius proficientium ægrotationum: quæ inquam nomine facilitatis complexus eſt. quinetiam poſtea præcipit dictarum indictionum exquiſite perpendi uires, ut ea inter ſe conferendo, poſſis ex magnitudine in deterius aut melius totius corporis ſcrutari momentum, quemadmodum præſenti ipſe oratione effecit. Si enim à ſcreatione nequaquam deſinit dolor, indicium bonum non eſt, non tamen ſufficiet tibi id unum cognoſcere ad exquiſitam futuræ ſortis præſenſionem, ſed conſiderari conueniet & alia accidentia. id enim demonſtrauit, nigræ mentionẽ habens ſcreationis. Igitur cum indicium commune ſit nõ definere dolorem: ſi crocea fuerit ſcreatio aut rubra, minori cum periculo eſt: ſi nigra, exitioſiſſima eſt. Quocirca cuncta conſiderans, non ſolum prædictam ſummam unam exquiſitæ colligeſ prædictionis: ac ipſe Hippocrates omnia indicia tum bona, tum etiam mala percenſuit, prædictis in animum reuocatis.

De purulentis.

LII.

QVICVNQVE dolor in his affligit ſedibus, non deſinens neque ſcreationis purgatione, neque uentris ſubductione, neq̃ uenæ inciſione, aq̃ medicamento & uictus ratione: in ſuppurationem uerti ſciendum eſt.

Quicunq; dolor circa thoracis ac pulmonis ſedes non definit adhibitis ſubſidiis,idq; malum tantummodo habet, nec ullum aliud exitioſum indicium adeſt : eum ſuppuraturum expectabis. hic nanque quodam modo medius eſt inter eum qui ſoluatur celeriter, & eum qui inſanabilis exiſtat.

LIII.

QVÆCVNQVE ſuppurantur,dum ſcreatio bilioſa eſt,exitioſa admodũ ſunt,ſiue uicisſimbilis ac pus,ſiue ſimul excernantur.

Quæcunq; in partibus corporis perſpicuis ſuppurãtur,ſi talia in parte pus habeant,parte reliquã materiam, nequaquam curatu facilis affectus eſt. Si uero adeo nondum habeant pus,ut maleficum quoddam illis adfuerit indicium : multo magis prauus eſt.Sed ex his multo magis prauum eſſe cenſendum eſt eum qui præcipua ſede fatiget.indicatur enim humor quidam ferocisſimus, quandoquidem demonſtrante natura quonam modo præparata ſit ad concoquendum,nihil prorſus illi concesſit.

LIIII.

POTISIMVM uero quoties ſuppuratio excerni ab eiuſmodi ſcreatione ſeptima die ægrotationis incepit.

Id quoque commune eſt cuiuſuis per diem decretorium ſecretionis. Decretorius enim ad iudicationis firmitatem conducit. Vtrum uero bonum,,an malum ſit,aliis cognoſcitur ſignis.Si enim ſudor fiat ſeptimo die,ſiue deiectio alui,ſiue ſanguinis fluor, meliorem ſi reddiderit ægrum, indicium bonum:ſi deteriorem,malũ eſt. & alterũ

utrum firmum eſſe oſtenditur,non quemadmodum ſi alio die exiſtat.Sed de his libro, de diebus decretoriis,atque etiam uolumine de iudicatione fuſius definitum iam eſt:in quibus oportet anteà exerceri eum cui libeat dicta Hippocratis exquiſita conſequi ratione.

LV.

SCREANTEM uero talia,mori quartodecimo die ſperari poteſt,niſi bonũ aliquod illi acciderit.

Talium ueritatem re ipſa didiciſtis me prædicẽtem experti.quocirca animaduertere uos oportet, ea quæ Hippocrates dicit,non, talia exiſtimare poteſtate haberi,qualia à multis medicis ſcripta iam ſunt: quippe quæ cõmentationibus tenus & ratiocinibus ueriſimilia ſint,ſed ęgrotationum operibus exploſa.Etenim intẽtionem ab eo proditam,meddiam aliorum omnium bonorum malorumq; cõſiderando,poteris prædicere diem quo moriturus aliquis eſt.Subiiciamus enim ægrum ſcreare purulenta ſeptima die,non tamẽ p totum diem,ſed aut cum eo bilioſum aliquid,aut illud tantummodo ſine materia purulenta,atque in eo eſſe alia omnia media ab ætate, natura,tempore,terra,ac propria facultate,ita ut nec facultas uehementisſima, neq; debilisſima habeatur.itidem & temperamentum ægri,nec optime cõſtans,neq; deterrime.pari modo tempus,terram,conditionem,ætatem,ægri inter optimam ac deterrimam eſſe ſubiiciamus,ſimili ratione in unoquoq; ſignorum genere quæ media ſunt,ægro ineſſe ſubiiciantur.hunc ſperabis quartodecimo die moriturum,ita ut hic medius mortis impetus cẽſeatur.Accedẽtibus uero bonis indiciis, plus tẽporis præceſſurũ mortis aduentũ,

malis uero, citius quàm quartodecimo die moriturum. At uero quænam sint bona aut mala indicia persecutus ipse deinceps, quædam nominatim exposuit, quædam breui summa perstrinxit. Cæterum ipse nequaquam hæc accipies perinde ut si cuncta æqualia habeantur, sed in animo retinens ea, quę Hippocrates scripsit, quęq; ipsi adiecimus, numerum ipsum considerabis ac potestatem, dum ipse ait. Salutaris admodum est, & exitiosus admodum est: primariæ id potestatis alterum in bonis, alterum in malis instituens. Itidem dum ait proximam fore mortem: aut ubi exitiosissimũ dixit, nõ simpliciter exitiosum. Quinetiam de signis salutaribus quoties dicit. Magnam uim obtinet ad salutem. & rursus: Securitatem enim indicat, ac morbũ fore breuem. uel aliquid tale adiecit. Alii uero simpliciter exitiosi: aut rursus simpliciter salutares medii ordinis ambo ꝓ natura propria sunt. Porrò præter hos ambos quoscũq; dixit cõparatiue, aut exitiosiores, aut salubriores, aut adiecit magis ac minus. Si qđ.n. primi ordinis malũ accesit indiciũ qnto aut septimo die prędictę exitiosæ creationi, æger ad undecimũ diẽ nequaq̃ deueniet, magisq; si plura talia, non unum tantum modo existat. Parique ratione si quod admodum salutare existat, ad tertiam usque septimanam extendetur morbus. Permixtis uero inter se exitiosis ac salutaribus signis, aut his magis in utroq; genere, minus illis, aut quouis alio modo: ex pluribus inquam ac fortissimis bonis signis sperari potest ægrum plus temporis duraturum, ex contrariis uero minus: nec secus si quis senex, aut debilis uiribus, aut in tempore, tertra, conditione praua ac male temperata ægrotet, acceleraturum mortis aduentum expectari oportet: maximam rursus uim habere existimans ductã à uiribus intentionem.

LXI.

BONA VERO talia sunt.

Hoc loco recensere tum bona, tum etiam mala indicia incipit, de quibus antea definitum iã est. & ob eam rem omittens ea, quæ sunt deinceps prodita aggrediar. Si cui enim conualescendum est, omnia bona indicia adsint necesse est. si moriẽdum, uel unum adsit malum sufficiet. tantummodo enim indicatur citiusq; & serius moriturum ægrum propterea ꝙ plura pauciorave bona aut mala indicia existant.

LVII.

ALIÆ SVPPVRATIONES ferè rumpuntur uicesimo die & trigesimo & quadragesimo, & ad sexagesimum diem deueniunt.

Obscurum est, quas alias dicat suppurationes. Fieri enim potest, ut de suppurationibus, quæ in aliis fatigent partibus, sermonem faciat, omittendo thoracem ac pulmonem, de quibus hactenus perpẽsum est. Fieri enim potest ut de iis agat, quæ in ipsis affligant opificiis: sed non similibus prædictis. Porrò conuenit ut de utrisque etiam agat. Sed quia non similibus prædictis dixi, id enarrare oportet. Dico enim non de omnibus suppurationibus eum, sed de iis (ut ipse dixit) quæ habeant permixtam bilem, hactenus fecisse orationem. nec de his omnibus, sed quæcunque septimo die rumpuntur. id uero rarum est. Plerunque enim uigesimo rumpuntur: quædam diutius immorãtur: de quibus nunc agit. Cæterum differentiæ omnium cõmunes habentur, ob quas spatio temporis euariant inter se ex affecta sede, & item nocuo humore. Sedes enim calidior ac siccior, citius suppuratur: frigidior uero ac durior, tardius. Itidem ex

humoribus,calidior citius,frigidior tardius. Hæ igitur rei ipsius differentiæ sunt. Porrò accedunt extrinsecus eæ,quæ ab ætate ducuntur,natura,tẽpore,terra,conditione,ac uiribus ægri. In omnibus his calidus humor citius,frigidus tardius suppuratur. hæc igitur uniuersim scire de omnibus suppurationibus bene est: Sed mihi uidetur nunc quoque docere de iis,quæ in thorace ac pulmone fatigent.

LVIII.

CONSIDERARI oportet suppurationis initium fore colligentes à die quo primum homo febricitauit,aut quo rigor eum prehendit: & si dixerit pro dolore sibi inesse põdus in loco quo dolore afficiebatur. hæc enim accidũt inter initia suppuratiõis. Ex hoc igitur tempore expectare puris fore eruptionem prædictis temporibus oportet.

Confessum id unum est omnibus ferè medicinæ professis: quum etiã perspicue constet: ut quoties inflãmatio affligens in parte præcipua,haudquaquam discutiatur adhibitis subsidiis, sed suppuratur,rigor tantisper,ac febres cõsistant. Etenim libro de rigore,perpensum iam est, ut puris acrorem nascentis mordens ac derodens adiuncta corpora,rigorem committat perinde quasi medicamenta acriora,quibus ingestis interdum malignis ulceribus,aut quadam affectione putri rigere & febricitare contingit. At uero febris semp talẽ comitatur rigorẽ. Sanè & Hippocrates alterutrũ cõmemorauit,ac febrem dixit priorem à die quo primũ homo febricitauit,nõ illũ definiens diem, qui totius ægrotationis extitit primus: sed quo rigor unà cũ febre uehemẽtiore scilicet admodũ quam prior esset,incepit. Quinetiã põderis euenit sensus

tunc ægrotis, in multas & exiguas partes dispersi in partibus inflammatione laborantibus humoris post mutationem in pus collecti ad aliquam sedẽ inanem continuam omni parti quæ inflammatione laboret. Igitur ex hoc tẽpore inqt,quo primũ hæc extiterunt, expectare oportet & uigesimo die,& trigesimo,& quadragesimo & sexagesimo rumpi suppurationẽ. Quę uero dixit,indicia tria numero sunt,pondus,rigor,febris,quæ multo quàm antea uehementius ut dixi affligat.

LIX.

SI SVPPVRATIO in altero latere tãtummodo fuerit,uertere,atq; edisscere conuenit in his utrum in altero habeat latere dolorem,& utrum calidius quàm alterum sit: atq; eo in incolume cubante latus,requirere oportet num aliquod desup onus illi pendere uideatur. Si.n. id fuerit,suppuratio in altero latere fatigat,utrouis onus existat.

Constat ex dissectionibus,ut membranulæ thoracem interseptant à pectore peruadentes ad spinã ita ut duo caua ipsę cõficiãt. Quocirca nullã ineũt societatem,quæ affligant in altera parte suppurationes,cũ iis,quæ in altera fatigent, quemadmodum in illis,q̃ intra abdomẽ consistant. In illo.n. circiter omnibus intestinis circunfluit pus. in hac uero neq; materia dextræ partis trãsmeare in sinistrã: neq; ecõtrario q̃ in sinistra est,trãsmeare in dextrã potest. & ob eã rẽ censet edisscendũ esse num æger in utraq; parte habeat pus,an in altera duntaxat. In pulmonia.n. quoties in suppurationẽ uertatur,in utraq; potius q̃ in altera colligitur pus: p cõstalẽ uero in altera potius q̃ in utraq;. Cæterũ pars affecta cognoscitur ex differentia caloris. calidior enim affecta pars est,& quia cubans æger in latus oppositũ,onus sublimiori insidẽs parti ꝓsentiscit.

Constat enim ut pus hoc collectum loco, oneris sensum importet.

Quibus signis cognoscantur purulenti.

LX.

OMNES AGNOSCI purulentos his indiciis conuenit: Principio si febris non dimittit, sed interdiu tenuior, noctu uehementior est. Si copia sudoris elicitur, ac tussiendi cupiditas est, nec quicquam tamen dignum commentatione expuunt. Si oculi caui redduntur, maxillæ uero ruborem trahunt, & ungues manuum curuãtur, digiti uero potissimum summi calescunt, atque in pedibus tumores consistunt, neque cibum appetunt, ac pustulæ circa corpus erumpunt.

Quicunq; pus obtinent intus in corpore uniuersum, siue conditũ ante in parte affecta prius inflãmatione, siue etiam post eruptionem, nomines tales purulentos licebit. Sed medici adsolent solos, aut potissimum eos, qui in thorace ac pulmone talem habeant affectionem, purulentos nominare. Tale uero pus post eruptionem inter thoracẽ pulmonemq; continetur. & nisi cito excreetur, tabidi intereunt febricitantes tenuiter quidem, iugiter autem calore quodam modo noctu crescente, id accidit omnibus febricitãtibus hectica febre. nõ ratione affectionis nocte augente illis febrem, sed ex quodam accidẽti, quod inquam tale existit. Per febres hecticas nomine, partes ipsæ corporis solidiores ignitiores euadũt. Ob id igitur assidue febris in seipsa similis manet, calorem obtinens perinde ut calx debilem contingentibus. Itaque quoties esitent ac bibant, simile quiddam accidit quod in calce euenit aqua perfusa: quo fit ut contingentes exterius ægrum, multo calidiorem persentiant.

sentiant. Ego uero uobis eã rem persæpe ostẽdi in ægris aliàs alio tempore alendo ita febricitantes, ut credaretis id illis propter alimentum euenire, non ratione affectionis. Perspicue enim apparet incipere calorem febriculosum unà cum tempore alimenti: statimq; adhibito augeri cibo, & quam maxime uehementem per diductionem illius apparere. Sudores uero † continui eliciuntur propter uirium debilitatem, eo q; diductum alimentum discutiatur. Quinetiam tussiendi cupiditas, id est, uoluntas est: nec quicq; dignũ cõmentatione expuũt. Si. n. aliquid excreassent, nequaq; purulenti euasissent. Cæterũ causa ob quam nihil expuunt cõmentatione dignũ, triplex est, tũ puris ipsius lentor & crassitudo, atq; etiam continentis pulmonem mẽbranulæ condensitas, tum etiam debilitas in ægro facultatis. Porrò oculi (dixit) caui redduntur. Id commune est omnium longarum febrium: sed potissimum earum, quæ perspicue exiccent. Genæ rubent propter calorem in pulmone, & item tussedinem. Hæc enim ambo calefaciunt uultum & totũ caput. quia ex defluxione in pulmonem decũbente uapores in ipsum redũdant. At uero ungues curuantur, quia firmans eos utrinque caro consumitur. Itaque digiti quanquam refrigescentes magna ex parte in morbis diutinis, tamẽ per omnes hecticas febres calidi permanẽt. Siquidem hæ solidiores potissimum corporis partes occuparunt. sanè in summis perspicue calidiores apparent, nõ in partibus exterioribus, sed interioribus ubi carnulẽtiores existunt. Causa uero perspicua est, si in memoria hærent quæ sunt de cibo ingesto paulo ante perscripta. Vbi enim humor largior inest, discutior in his sedibus calor euadit. Procedente uero tempore pedes eorũ intumescunt totius corporis extinctione inde incipiente. Quippe quòd

† Ant. cod. nõ habẽt continui.

partes ab origine longisſime abſunt, Tantiſper & iam cibum faſtidiunt, ſcilicet appetendi facultate pariter cum aliis extincta. Puſtulæ quædam erumpunt derodente† ſanie in corpore collecta. talem enim Hippocrates illarum haberi docuit generationem ſecundo libro de morbis ulgariis, dum ait: Sanies in cute exiſtit, ibiq; comprehẽſa calefit. Talis enim ſanies in reliquã cutem quæcunq; laxior eſt, ſe inſinuans, in exteriori eius ſuperficie utpote denſiori ſubſiſtit. Porro hãc dirimit, & ab intima abſiſtere facit ſede, atq; in ea collecta puſtulas gignit.

† ἰχωρῶν.

LXI.

QVÆCVNQVE ergo ſuppuratio diutius immoratur, talia habet ſigna, quibus admodũ credere conuenit. Quæcunq; uero breuior eſt, aliquo ex his indicatur ſignis, qualia inter initia exiſtunt, & item ſi æger difficilius ſpiret.

Recte dicit credendum eſſe diuturnioris indiciis ſuppurationis. Adeo enim ualida ſunt poteſtate, ut nullam de ſe relinquant ambiguitatem. Breuiorem uero cognoſcẽdam eſſe ex indiciis antea prædictis. ea uero ſunt, rigor, febris, pondus, & ſi quod ex dictis in ſuppuratione exiſtat diutina, & ſi æger difficilius quàm antea ſpiret. id uero accidat neceſſe eſt propter anguſtiam pulmonis, quoties pus inanes thoracis prehendat ſedes.

LXII.

QVÆ VERO citius ac tardius rumpitur, talibus cognoſcatur ſignis oportet: Si dolor inter initia extitit, & item difficultas ſpirandi, necnon tuſſedo, atq; etiam ſcreatio perſeueret, uigeſimo die expectari, aut etiã antea ruptionem oportet. Si uero quietior fuerit dolor, & alia omnia in his fuerint ex ratione, his poſtea expectari oportet

eruptionem: ſed præire neceſſe eſt & dolorem, & ſpirandi difficultatem, & ſcreationem, antequã pus excernatur.

Ex quibus ut ruptionis periculum immineat ſuppurationis, ex his ipſis indiciis, ut celerius id accidat, cognoſcas licebit. Ea ſunt dolor, difficultas ſpirandi, tuſſedo, & ſcreatio. Si igitur continenter & uehementer infeſtent, celerem fore ſignificãt eruptionem. Si uero non continenter affligant, nec uehementer, diuturniorem. Cæterum neceſſe eſt deroſo obuoluente pus corpore, ab acrore eius dolorem fieri ob id ipſum: tuſſedinẽ uero & ſcreationem, quia ſanies quædam tenuior obductum penetret corpus: ſpirant uero difficulter etiã propter uniuerſam corporis conditionem, ſed præcipue propter accedentem dolorem.

LXIII.

HI VERO potiſsimũ ſuperſunt quos febris eodẽ dimiſerit die poſt eruptionẽ, ac cibũ citius appetunt, & à ſiti liberati ſunt: & uenter exigua & conſiſtentia deiicit: & pus album, & læue, & concolor eſt, & pituitæ expers, & ſine labore actuſſi ualida reiicitur. Itaq; optime quidem ſic ac celerrime uindicantur. ſin minus, quibus ad hæc proxime accedunt. Hi uero pereant, quos febris non deſerit, aut ſi uideatur deſeruiſſe, rurſus recaleſcens appareat: ſitiunt, nec cibum appetunt, aluus humida eſt: pus uiride liuidumq; ſpuunt, uel pituitoſum ac ſpumoſum. Pereũt ſi hæc omnia adſint. at horum quibus alia aduenium, alia non, ii partim intereunt, partim in multo tempore incolumes euadunt. Verum ex indiciis omnibus quæ in his exiſtunt, de cæteris quoque coniectandum.

Hic ſermo omnis ab hac incipiens dictione, totus ꝑſpicuus eſt, ſi in animo exiſtunt ea, quę ſunt antea perſcripta. Omittens igitur eum, ad proxima uenio.

LXIIII.

QVIBVS abſceſſus fiunt ex pulmonia, aut circa aures, ac ſuppurantur, aut ad inferas ſedes ac fiſtulas trahunt, ii ſuperſunt.

Verbum fiſtulas trahunt, tantummodo in hac dictione obſcurum eſt, dictum per translationem. Quæ enim propriæ fiſtulæ nominantur, utpote muſicorum inſtrumenta, oblonga obtinent cana. His quoties in animalium corporibus ſimiles præter naturam gignuntur, ex eadem appellatione ſignificantur. Mihi itaque uidetur ut Hippocrates uerbo fiſtulæ uſus ſit propter longitudinem excurſionis. Sed uniuerſa ſumma de abſceſſibus eſt, qui ex pulmonia infeſtent, interdum ad adenas ſub auriculis, interdum ad inferas thoracis ſedes.

† Alibi legit ὑ πρὸς τοῦ τοι δὲ πρὸς ἰσχίων ὑ πο' πῶν λοιπῶν μορίων. i. ſalubriter uero a cæteris partibus miniſtratur. plures tamen cod. habent ut hic. & ita uidetur legiſſe uetus interpres latinus.

LXV.

CONSIDERANDVM autem eſt & talia in hunc modum. Si febris detinet, & dolor nõ deſinit, & ſcreatio non excernitur ex ratione, neq; biliosæ fuerint alui deiectiones, neq; ſolutiores ac ſynceriores, nec urina admodum craſſa, ac pleonius obtinens ſedimẽtum: † promittitur uero ab omnibus aliis ſignis ſalutaris: his tales fore abſceſſus ſperandum eſt.

Abſceſſus prædictos quonam modo aliquis præſentiat erupturos, docet, in gemina diuidens orationem, ita ut prima pars eius indicet fore abſceſſum, ſecunda uero utrum ſupra thoracem ad adenas ſub auriculis, an infra prȩcordia ſit futurus. Itaq; exordiemur à prima parte, in qua ſumma eſt

morbum eſſe concoctu difficilem, non tamen exitioſum. Non enim ſi concoctu facilis ſit: per abſceſſum, ſed aut per excretionem, aut ſenſim ſoluetur concoctus: neq; ſi exitioſus exiſtat, aliquis abſceſſus bonus apparebit. Quocirca medius inter indulgentiores ſit atq; exitioſos, oportet. Igitur Hippocrates merito ex his indiciis quædam mala, quę dã bona adſcripſit, quæ particulatim iam perſequor, incipiens à primo, de quo ſtatim inter initia dixit ita: Si febris detinet, id eſt prehendit hominem, ita ut nunquam intermittat, & dolor non deſinit. nam ubi deſinat, non opus eſt abſceſſu quodam ad ſolutionem, eo ꝙ morbus placidior habeatur. Et ſcreatio (dixit) non excernatur ex rõne. prorſus enim morbus nõ requiret abſceſſum quoties ſcreatione purgetur. Tum aũt deinceps dicit: Neq; biliosæ fuerint alui deiectiones. Antea enim dictum iam eſt ut per morbos biliosos abſceſſus nequaquam conſiſtant. Oportet enim craſſam haberi ac crudam humorum materiam ut morbus plus temporis eduret: nec per excretionẽ, ſed aut per abſceſſum, aut ſolam concoctionem curetur. Quidam ita ſcribunt: neq; ſolutiores ac ſynceriores, quẽadmodum dixit, neq; biliosę alui deiectiones, ita nec ſolutiores ac ſynceriores exiſtant. Vt ſynceriores ad alios humores referãtur impermixtos, propterea ꝙ non habeant biliosæ materię quãlitatem: nec ſolutiores uero, ad copiam excretionum, ut ſiue biliosæ quoq; fuerint ac ſolutiores, ꝓ excretionem potius quã per abſceſſum iudicatio quoq; futura ſit. Alii econtrario ſcribunt dictionẽ ita: Neq; biliosæ fuerint alui deiectiones, ſed ſolutiores ac ſynceriores. ſolutiores haberi uolẽtes eas q̃ modice excernãtur: ſynceriores uero, aquoſas & impmixtas. Superius.n. dictũ iã eſt, ut ſyncerũ de qualitate impermixta dicatur. Itaq; pronuncians

† Alibi legit φασὶ i. dicunt.

Hippocrates † dicit bilioſas deiectiones de ſyncero ris, quod eſt impermixtis, ac ueluti ſummis p una qualitatem, conſtat ut aquoſas dixerit quę incoctę ſunt, & ob eam rem ſpatio temporis egent ad cõcoctionem, quo etiam abſceſſus conſiſtunt. Acuti enim morbi per excretionem potius iudicari, diutini per abſceſſum adſolent. Sed de differentia in prædictis ſcripturis, rurſus in maiori ocio conſideres licebit. Hoc loco totius cõpẽdiũ ſermonis pſtringã, ut ex ipſo pateat utilitas in opibus artis. Itaqꝫ inſtituit Hippocrates ſcrutari de morbis eũtibus ad abſceſſum. Hi uero ſint oĩno ex crudis craſſisq; humoribus oportet, nõ tamẽ exitioſis. Tales enim ubi diutius immorantur, committunt abſceſſus, niſi per concoctionem (ita enim nominare adſolet Hippocrates) eorum ſolutio præueniat. At uero indicia concoctionis erunt, ſi urinę copia excernatur, quæ plenius obtineat ſedimentum. Vbi uero ſedimentum plenius eſt, urina ipſa prorſus craſſior eſt quàm ſoleat per naturam. Itaque merito duplex ſcriptio per dictionem habetur: quibuſdam ſcribentibus ita: Nec urina multa & craſſa, pleniusq; obtinens ſedimentum. Aliis uero, Nec urina admodum multa, pleniusq; obtinens ſedimentum.

LXVI.

ABSCESSVS conſiſtunt, hi in locis infernis, qbus circa ilia inflammatio fatiget: illi in ſuperiꝰ nis, in quibus ilia molliora & ſine dolore perſiſtunt. Si uero aliquandiu ſpiret difficulter, ſine aliqua alia occaſione deſinet.

Occaſiones ſolitus eſt Hippocrates euidẽtes cauſas appellare. Quoties igitur ſpirationis repente eueniens difficultas, p prædictas affectiones rurſus derepente deſiſtat, ita ut & eueniat, & deſinat ſine

euidẽti cauſa: ſignificat tẽdere humores ad caput, quẽadmodũ ad infernas ſedes calor quidã euidẽs circa ilia. Non enim pituitoſum humorem exiſtimari conuenit intelligi ab eo per dictionẽ, in qua ait. In quibus circa ilia † inflammatio fatiget. Nam multo melius intelligi poteſt de calore præter naturam flammido, proditam eſſe inflammationem. Is euenit ob ignem ſacrum, aut inflammationem proprie nominatam, q ſi fuerint ilia econtrario molliora ac ſine dolore, humores uero tendant ſurſum uerſus, quod indicauit ſpirationis difficultas, abſceſſum erupturũ ſupnis ſedibus expectato.

† Vbi impreſ. cod. & aliqui manuſcripti habẽt φλεγμα. hic uidẽt habuiſſe codicẽ in quo legebat φλεγμονη'. & ita ẽt legit uetuſtior tranſlatio & hoc idem in textu.

De *abſceſſibus*.

LXVII.

ABSCESSVS, ſi in cruribus erũpit in pulmonia uehementi ac periculoſa, omnis utilis eſt. optimus uero eſt, qui fit quum ſcreatio iam in mutatione eſt. Si enim tumor ac dolor iam infeſtet, & ſcreatio pro flaua, purulenta exiſtat, ac foras excernatur: ita ſecuriſſime homo ſupererit, & item abſceſſus ocyſſime citra dolorem deſiſtet. At ſi ſcreatio nõ recte excernatur, nec urina uideatur bonum habere ſedimentum, periculum claꝰditatis in articulo, uel multi negocii imminet.

In pulmonia uehementi, abſceſſum erumpere in cruribus, prorſus bonum cenſetur. Siquidem maxime uera ſententia Hippocratis eſt ſecundo libro de morbis uulgariis pſcripta, de bonis abſceſſibus, ut optimi ſint, ſi deorſum & q̃ longiſſime ab ægrotatione abſiſtãt: ſed potiſſimum, ſi cõcoctione pariter erumpant. Id enim commendauit primo libro de morbis uulgariis, dicens: Concoctio celerem iudicationem, ac ſecuram ſanitatem promittit. At uero concoctionem indicat ſcreationis

mutatio,& item uacuatio innocua atq; abundans. Hoc enim indicauit dicens, At foras excernatur. Sed si citra morbi concoctionẽ, abscessus cõsistat in cruribus: uindicabitur quidem & hunc in modum homo à periculo in pulmonia imminente: sed articulus ipse in quem decũbet, difficilius sanitati restituetur, ac forsitan quandoq; æger ex eo claudicabit. Rursus hoc loco perscriptum est non unũ cruditatis indiciũ, quẽadmodũ concoctionis: sed screationibus adiecit ductã quoq; ab urina dinotationẽ. In ipsis sanè maleficis screationibus nõ insuper adiecit incoctionem. atqui id oppositum concoctioni est. sed abunde fuit duntaxat non excerni screationem, idoneum haberi signum malefice ægrotationis existimãs, ut screari tãtummodo, aut concoqui tantummodo, neutrum idoneum existat: eo q; sæpenumero satis screatur quanquam morbus incoctus sit: & item quandoq; concoquitur morbus, screatio uero non satis excernitur, interdum præ debilitate mouentis thoracem facultatis, interdum propter crasitudinem & lentitiam screationis, quandoq; propter amborum concursum, tum uirium debilitatis, tum etiam qualitatis puris. Itaque necesse est & concoqui morbum, & excerni recte screationem, per affectionem quæ in sanitatem itura sit. per affectionem uero cõtrariam, idoneum signum non screari tantummodo est. ex superabundanti uero in ea ipsa indicium erit malefici morbi, si adeo non recte excreatur, nec uacuatur materia in thorace condita ac pulmone, ut etiam adsint indicia quædam cruditatis humoris. Constat enim ut difficilior sit affectio, in qua neq; excreant, & item cruditas permanet: modestior uero, per quam concoquitur quidem, sed non abunde excreant, nec integre perpurgãtur. Cæterum ut abscessus maxime circa articulos erũpat, id quod

libro de morbis uulgariis scripsit, hoc etiam loco indicauit, ferè extra propositum dicens: Periculũ claudicatis in articulo imminet. At uero causa talium abscessuum, amplitudo articulorum habetur imbibens decũbentes fluxiones. Ad id quoq; cõducit motio eorum. Omnes enim humores, ad sedem commotam & calefactam facilius permeant.

LXVIII.

SI ABSCESSVS deletur, ac retrocedit, neq; quaq; secreta screatiõe, ac febre detinẽte, difficilis morbus est. Periculũ.n. delirii mortisq; imminet.

Deleri dicere quendam tumorem præter naturam, non id quod desistere indicat. Verbum enim desistere, aliquid generalius: deleri uero, cito desistere ac uelut derepente significat. Id igitur accidit interdum propter humoris tenuitatem, & partis laxitatem, & item circũuenientis aeris caliditatem atq; adhibiti medicamenti potestatem, ac uirium ægri firmitatem. Si enim omnia prædicta concurrant, moles præter naturam cito discutietur. sed magna ex parte tales delentur, trãsmeãtibus committentibus eos humoribus, aut in eandem sedem unde commoti sunt, (quod inquam proprie nominat Hippocrates retrocedere) aut ad aliquã aliam sedem in profundo corporis positam. Tanquam igitur ex causis maxime contrariis moles deleatur præter naturam, finem habet maxime contrarium, aut citissimam indicans nocuæ materiæ solutionem, aut deterrimã affectionem in partes præcipuas remeantibus. Hæc igitur omniũ abscessuũ cõmunia censentur. Definitio uero communis ea quoq; deleti tumoris est. Cõsiderari uero oportet & alia indicia, potissimũ q̃ propria affectarũ partiũ sint. Hoc loco spiritaliũ opificiorũ propria difinitio ab Hippocrate inherendo cõibus, pscripta est.

Itaque dixit ita, Si abscessus deletur, nequaquam secreta screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est. Constat enim ut secesserint in profundum ad sedem præcipuam. Si enim discussi essent: non insuper febricitarent, ac facile screarent. Itaque uerisimile est in pulmonem, omnem secessisse fluxionem: & ob eam rem delirare eos ratio est. Si quidē id unum ex iis habetur, quæ per tales in pulmone affectiones eueniāt. At uero ut spirātes difficulter, morituri sint, dicere supersedit, sciens nos eam rē esse ex prædictis intellecturos.

LXIX.

QVI PVRVLENTI ex pulmonia sunt, si maiores natu fuerint, potius intereunt: per alias uero suppurationes, minores natu potius moriuntur.

Maiores natu non simpliciter senes, sed comparatione uel collatione uel quomodocunque quis dicere uoluerit, ut ad minores natu intelligi debent. Nam qui per ætatem nimium iam processerint, ex nullo morbo magis q̄ natu minores conualescunt. Sed qui inter hos & consistentes suo uigore interiacent, utpote semicani, crudiq; senes nomine, conualescere uideri licet interdum magis q̄ qui consistant per ætatis uigorem: quemadmodum Hippocrates ipse docuit de inflammationibus quæ in auribus fatigent, & nunc de purulentis ex pulmonia. In his enim quia propter excreationem sanatio est uiribus egens ualidioribus: ob id potius minores natu q̄ maiores seruantur. In cæteris, minores natu antea moriuntur ex doloribus ac febribus: id quod ipse dixit de auribus. Febres enim ac deliria minus illis accidunt, proindeq; aures antea suppurantur. Porrò minores natu (dicit) antequam aures suppurētur, multi intereunt: quoniam si effluxit pus ex auribus, conualiturum esse ægrum sperari potest. Itaque per alias suppurationes, sub ipso suppurationis tempore minores natu ex magnitudine febrium ac doloris moriuntur.

De dolore qui circa lumbos fatiget.

LXX.

Hic incipit liber tertius in græ. exemplaribus.

DOLORES qui cum febre affligant circa lumbos & inferas sedes, si præcordia attigerint, inferas relinquentes sedes, exitiales admodum sunt. Itaq; considerāda alia signa sunt. Nam si quod horum prauū extiterit, desperandus æger est. Si uero remeante in præcordia morbo, aliæ signa non praua extiterint, talem fore purulentū admodum expectabis.

Si præcordia attigerint, quidam de delirio intellexerunt, uelut si in hūc modū dixisse.: Dolores qui cū febre affligāt circa lūbos & inferas sedes, si ascendentes cōmittant delirium, difficiles sunt. Alii melius quàm hi præcordia partem corporis dictam uolunt, quod septum quoque transuersum nominatur. Suffragatur ueritati orationis, illud quod est in calce sermonis perscriptum, ubi dixit, Hunc fore purulentum sperari admodum potest. Vult enim, recurrēte in thoracem morbo, è duobus alterum, aut derepente aboleri ægrum: aut si secum optime agatur, prorsus fore purulentum. Porrò hæc interstinguuntur aliis indiciis. Si enim non praua sint, purulentus euadet, Si prauum aliquod fuerit, prorsus moriturus est.

De inflammatione quæ in uesica fatiget.

LXXI.

SI VESICA dura est, ac dolore uexatur, difficilis omnis & exitialis est. Exitiosissima uero est

quæcunq; cum febre continua affligit. Qui enim ex ipsa uesica fatigat dolor, interimere hominem sufficit: & aluus in talibus nihil nisi durum ac pro necesitate excernit.

Phlegmon

Sæpenumero dictū iā est ut phlegmones uocabulū, Hippocrates de phlogosi, i. inflāmatione afferat, sermone indicans quam Erasistratus & alii posteri nominant singulari appellatione inflāmationē: quemadmodū sanè nunc dixit: Vesica dura ac dolens. At uero, quam ob rem talem dixit haberi difficilem affectionem, maximeq; quoties febris infestet acuta, perspicue ipse indicauit, magnitudinem causando doloris, & itē deiectionis suppressionem. Supprimitur uero propter angustiam sub recti intestini, atq; etiam uesicæ dolorem. Porrò desinunt ægri tali fungi officio, quoties statim si cœperunt, dolor infestet. Idq; commune uniuscuiusq; doloris est. At uero dolor affligit interdum quia fungentia officio opificia, inflammatione laborant: interdum quia proxima talibus opificiis membra afficiuntur. Ita spirantes, dolore infestantur ex inflammatione lienis, aut uentriculi, aut iecoris, aut in iliis musculorū & ob eā rē spirare difficulter coguntur illo genere spirationis difficultatis quo spiratio parua ac crebra est. Sed huius spirationis difficultatis atq; etiam aliarum omnium causa, libro de spirationis difficultate primo, perpensa iam est.

LXXII.

SI VRINA mingitur purulenta, candidum ac læue obtinens sedimentum: solutio accidit ægrotationis.

Quoties uesicæ inflammatio cōcocta sit, decūbunt in sedem eius interiorem concocti humores

scilicet, ac pariter cum urina excernuntur, indiciū habentes bonæ in sedimento concoctionis.

LXXIII.

SI VERO neq; concedat urina, neque uesica mollescat, ac febris continua sit: primis circuitionibus morbi aboleri eum qui dolore afficitur, expectandum est.

Neque mollescere uesicam, ac febrem cōtinuā esse p̄spicuū est. Vrinā uero nequaq; cōcedere, obscurum inexplanatūq; est. Etenim nomen id de affectibus & item accidentibus ferre assolet: quēadmodū omnes alii posterioris æui, concedere inflāmationem, molem, duritiem, rentionē, dolorem dixerunt: nō tamen aliquis, concedere urinam dixit. Itaq; forsitan de prædictis Hippocrates appellationē transtulit ad urinā, ut mutationē eius in melius, ita intelligamus. quod quidem si concedatur: uacuationem quoq; ex suppressione proditam ab eo, inaudiamus licebit: ut intelligamus p̄ inflammationem uesicę, supprimi urinam. id enim interdū accidere solet, quoties per quā exitiosus morbus est: ac rarenter ex eo cōualescūt. Igitur ad hūc modum legitur in aliis quibusdam, & item in codicibus Artemidori & Dioscoridis. in aliis uero dictio ita habet. Si uero nec ulla fuerit urina, neq; dolor concedat. ac talis lectio nullam habet quæstionem aut ambiguitatem.

LXXIIII.

HÆC FORMVLA potissimū attingit pueros à septimo ad quartum decimum annum.

Propter inopportunum atque exuperantem cibum, copia colligitur humoris crudi uocati, in corporibus puerorū. Is igitur per renes expurgatus quotidie, atq; etiā per urinarios meatus in ue-

sicam collectus, interdum calculos in ea gignit, sæpe etiam inflammationem, quoties uesica ab humoribus his subinde traiicientibus, uehementer afficiatur.

GALENI IN PRÆDICTIONES Hippocratis Commentarius Tertius, Laurentio Laurentiano Florentino interprete.

De *febribus*.

I.



FEBRIVM iudicationes fiunt iisdem numero diebus, & ex quibus supersunt homines, & ex quibus intereunt.

Duo habetis uolumina (uobis enim id dico sodalibus, q cunq; coegistis me, quum minime id instituissem, scribere enarrationes commentariorum Hippocratis) in quibus omnia præcepta de diebus decretoriis, ac iudicationibus perpensa iam sunt. Porrò scitis ut eas non tanquam ædendas in uulgus, sed tanquam uobis tantummodo legendas scripserim. Accidit autem ut exciderint, & in manibus multorum sint, quemadmodum & alia multa à nobis pscripta: & ob eã rẽ nullũ in cõmentariis proposueram enarrare uolumen Hippocratis. Quæcunq; enim arti utilia ab eo didicisse oportuit, ea sunt in multis a me uoluminibus pariter cũ ꝓpriis enarrationibus cõprehẽsa. Sed quoniã q̃dã obscuriores dictiones prauam nactę sunt enarrationem, ita ut nullus uobis placeat ex iis qui cõmẽtationes

scripserunt: melius uero quàm hi scrutari sententiam Hippocratis uisus ego sum uobis: idcirco me scripta relinquere uoluistis uobis, quæcunq; sermocinando coràm audiuistis. At uero id ipsum ego quoq; uobis prædixi, ut necesse sit enarrationes fore inæquales, nõ omnibus æqualiter dictionibus enarratis, sed integrius illis quarum nusquã in commentariis meis habui mentionem: summatim uero iis de quibus in eis cumulatissime docui: ne sæpenumero ea ipsa præcepta scribere cogamur. Ergo quia omnem de diebus decretoriis sermonem, pariter ac de iudicationibus, in quibusdã persecutus sum libris: hoc loco summas rerum duntaxat earum quæ ibi proditæ sunt, in animum reuocabo, petito inde initio. Iudicatio enim per morbos, de foro trãslatitia appellatione dicta est, significans præcipitem in morbo mutationẽ: quæ quadrifariam existit. aut enim statim uindicantur à morbis, aut magnam obtinent in melius mutationem, aut statim moriuntur, aut multo deteriores euadunt. Itaq; duas primas iudicationes, simpliciter nominant iudicationes, proximas duas magna ex parte cum adiectione malam iudicationem, aut prauam iudicationem, aut aliquid tale uerbo iudicationis adiicentes, & item quandoq; sine adiectione simpliciter. Didicistis præterea ut omnis iudicatio cum quadam euidẽti fiat uacuatione, aut abscessu. Raro enim pueruli tantummodo per somnum altiorem ac longiorem, celeres in melius ferunt mutationes: quas nonnulli uolunt etiam nominari iudicationes, alii nequaquam comprobant. At uero dies nominãt decretorios, in quibus tales firmæ pariter ac plurimæ fiunt mutationes: per alios dies neq; firmas cernimus neq; multas fieri iudicationes. Cæterum cognouit non primus solum sed etiã maxime diuinus Hippocrates decretorio-

rum dierum naturam: atq; etiam indicauit causam generationis eorum: quam nos quoque libro de diebus decretoriis docuimus, ualidiorem indicantes haberi circuitionem decretoriorũ dierum septenarium. Secundam uero potestate quaternarii, eo q̃ septenarius bipartito secetur. Porrò denunciari futuram iudicationem septenarii circuitione à quaternario. Quartus enim dies septimi, undecimus uero quartidecimi index est, quos Hippocrates contemplabiles, & indices nominat: Et septenarios quidem in hunc modum numerari uoluit. Duo præterea primi septenarii à se inuicem diducuntur, sequens uero copulatur. Itaque diducuntur quoties sequenti die definẽte primo septenario mox sequens ab altero iudicetur. Copulatur uero, quoties unus dies utrisque septenariis communis est, definẽte in eum primo septenario, proximo uero ab eo ipso incipiente. & ob eam rem uigesimum diem, tertii septenarii nouissimũ esse perhibuit. q̃ si hic quoq; ex deductione numeratus esset, primus & uigesimus, non uigesimus ualidior haberetur. Sed constat ut non ita eueniat. Vigesimus enim ualidam efficit ac sæpenumero iudicationem. Igitur quum tres septenarii uiginti impleant dies, tum autem quartus septenarius primo & uigesimo inchoetur, ex septenariis deinceps tribus uiginti implentibus dies, merito Hippocrates quadragesimum diem nõ quadragesimum secundum, decretorium haberi dixit. Itidem & sexagesimum & octogesimum, non sexagesimum tertium, neque octogesimum quartum. Hæc igitur circuitionum per septenarios digestio est. Numeratio uero per quaternarios huic subsequens est. Diducto enim quouis septenario in duos in eo quaternarios, quartus ab initio morbi dies, finis erit primi quaternarii, initium uero secundi. Tum autem

autẽ quaternarius deinceps tertius ab octauo inchoabitur die, quia secundus septenarius ab eo ipso incipit. Ita fit ut undecimus dies, finis tertii quaternarii, initium uero quarti habeatur. Porrò quintus quaternarius, à quartodecimo inchoabitur die, eo q̃ & tertius septenarius. Igitur in diẽ septimũ decimum finis eius pueniet: qui rursus duobus quaternariis, quinto ac sexto communis est, in quos tertius septenarius diductus est. et ita uigesimus dies ægrotationis finis trium septenariorum, & quaternariorum sex habetur. Hi igitur per circuitionem decretorii sunt. Alii uero intercidunt per morbos acutos: qui quã ob rem intercidant, libro de diebus decretoriis perpensum iam est. Tales sunt tertius quintus ac nonus. Intercidit quandoq; sextus, qui male iudicat. propterea q̃ cum accidẽtibus difficilioribus interdum faciat excidere iudicationem ad hypercrisim nominatam, quia iudicatio ultra debitum prorogetur tempus. Non enim integre discutit morbum, sed imperfecte: & siquãdo integre discutit, prorsus efficit recidiuã. Hæc & alia multa sunt nobis libro de diebus decretoriis prodita, quæ omnia ferè Hippocrates scripsit alia aliis uoluminibus, sed à me sunt uno libro cõprehensa, cui titulus De diebus decretoriis, definitis simul iis, q̃ minus definita erant, atq; ẽt integre explanatis iis q̃ ab Hippocrate uidebantur negligentius prodita. Cui uero libeat exquisita ratione præsentire futura, reuoluendæ sunt commentationes illæ è quibus altera de diebus decretoriis, altera de iudicationibus est. Nunc uero instituimus duntaxat enarrare dictionem Hippocratis. Ex quibus superfunt homines, & ex quibus intereunt. Verbum ex quibus, aut iudicationibus, aut diebus dicit. Sed rectius non diebus intelligere, sed iudicationibus.

Si enim & quammaxime fieri posſit uerbum ex quibus, de diebus dicatur: tamen primaria ratione in iudicationibus, & ob illas etiam in diebus exiſtit. Cæterum ex his ſupereſſe hominem aut aboleri, indicat appellari ab eo iudicationem in quauis celeri conuerſione, non ſolum ea quæ ad ſalutem exiſtit.

II.

SIMPLICISSIMÆ enim febres, ac ſignis firmatæ ſecuriſimis, quarto die, aut citius deſinunt. Deterrimę uero, ac ſignis affligentes difficillimis, quarto die aut citius interimunt.

Simplices dicuntur homines, qui malefici ſunt ſub quadam ſimulatione. quemadmodum Simia callias. Porrò dicuntur etiam ii qui ſint bonis prędi-
ti moribus. Sed enim primi frequens uſus apud authores, ſecundi uero rarior eſt. Itaq; dicunt interdum & ita, non ſolum ſimplicem, ſed etiam ſimplicitatem de affectione benefica. Dinarchus igitur in Daonem ita dixit: Gubernans rem ſuam Cephalion, adoleſcentius, & natura probus erat ac ſimplex. Demoſthenes aduerſus Aeſchinem cum iudicibus diſputans ait. Nunc uero ob ueſtram ſimplicitatem & indulgentiã pœnas dat. & hæc quoties libet. Plato uero libro de repub. tertio: Igitur rectus ſermo, conuenientia, honeſtas, concinnitas, ac ſimplicitas comitatur. non inſcitiam intelligens uocatam ſimplicitatem, ſed rectum ac bonis moribus paratum intellectum. Itidem in Euthydemo ſimplicem dixit eum qui ſimplices habeat mores & honeſtos: & ut demiratus eſt, hic eſt adoleſcẽs, ac ſimplex. Sed hæc abunde ſint exẽpli gratia prodita ad cognoſcendam authorum conſuetudinem in uerbo ſimplicitatis ac ſimplicis, ſecundum duas

ſignificationes. Nũc Hippocrates in altera earum febres dixit ſimplicisſimas, tanquam dixerit placidisſimas ac mitisſimas, haudquaquã maleficas. & quoties ſecuritatis indicia extiterunt, ultra primum quaternarium nequaquam procedet, ſed aut quarto die aut citius deſinet. Pari modo maleficæ quoq; febres & cum indiciis exitioſis, quarto die aut citius interimunt. Itaque conſtat ut tertium diem adnumeret decretoriis, dum ait: Quarto die aut citius deſinunt. Itidem libro de uulgariis morbis primo uoluit, primum inter dies decretorios ſcribens tertium. At uero ſecuriſima dicit indicia ea quæ particulatim ab eo magnopere commendantur, quorum nominatim paulo poſt habet gratia exempli mentionem.

III.

ITAQVE PRIMVS impetus hunc in modum finitur. Secundus uero ad ſeptimum producitur, tertius ad undecimum, quartus ad quartumdecimum, quintus ad decimum ſeptimum, ſextus ad uigeſimum. Hi igitur ex morbis acutiſſimis p quatuor ad uiginti ex additione terminantur.

Sæpenumero offendes ab authoribus prodi-
tum impetum hoſtium aut latronum: ex quo nunc Hippocrates tranſtulit appellationem ad circuitionem decretoriorum dierũ. Cæterum quæ ſunt deinceps ſcripta, per ſe patent, potiſſimum quibus in animo hærent ea quæ pauloante docuimus.

De circuitionibus morborum, & quo pacto non integris numerentur diebus.

IIII.

FIERI VERO non potest ut horum ullum integris diebus eximie numeretur. Non enim annus ac menses integris numerari diebus natura apti sunt.

Quum tres in diem uigesimum septenarios adduxisset, ob id ait, non possunt talia diebus integris numerari: neq; enim annum neq; menses integris numerari diebus. & uere talia dixit. Annus enim non trecentorum & sexagintaquinq; dierum tãtũmodo est, sed etiã quartę partis diei, & item ad hæc partis cuiusdam propè quodammodo centesimæ. Vnusquisq; uero mensis minor est triginta diebus, maior uero nouẽ & uiginti. Nominatusq; est ab antiquis mensis, ut etiam nunc in multis ciuitatibus, tempus inter duas Lunę & Solis coitiones intercidens. Et cui libeat tempus exquisite edisscere simul cum idoneis demonstrationibus quantum sit, integrum habet uolumen ab Hippocrate factũ, quemadmodum de tempore annuo commẽtarium nostrum. Ita etiam Hippocrates septenarium dicit, constatq; ut quaternarius quoq; non sit integrorum dierum, sed partem quandam deesse, tantam ut tres septenarii uiginti circunscribantur diebus. Sed quænam sit causa horum, ipsi tentauimus docere libro de diebus decretoriis tertio, quũ tamẽ nemo antea dicere aggressus sit.

V.

POSTEA VERO eodem modo & ea ipsa adiectione, prima circuitio quatuor & triginta dierum, altera quadraginta dierum, tertia sexaginta dierum est.

Non id nunc dicit Hippocrates quia post diem uigesimum, ad quartum & trigesimum usq; nullus intercidat decretorius. Sibi enim ita pugnaret, medios quosdam dies decretorios libro de morbis uulgariis commemorans. & quæ apparent in ægris per morbos, talem coarguunt sermonem. Sed quia trium septenariorum ad uigesimum usq; diem inter se deinceps numeratorum non eadem fuit compositio (secundus enim à primo seiunctus est: proindeq; quartodecimo die finitur: tertius uero huic copulatus est: & ob eam rem uigesimum habebit limitem) idcirco sequentem septenarium pariter procedere uolens: ut ex duobus seiunctis, tertio uero copulato uiginti impleantur dies: quadragesimum nouissimum statuit terminum sequentium trium septenariorum: in ipsis uero duobus circunscripsit tricesimum quartum: & ob eam rem fecit huius ante quadragesimum mentionem. Pari ratione mox ab his tres septenarii in sexagesimũ deducuntur: & octogesimum decretorium perhibuit, non octogesimum quartum, libro qui est de morbis uulgariis. Ita tres septenarii uiginti dierum numerum absoluunt, id euenit propterea, q; duo primi seorsum numerantur, ita ut quartodecimo desinant die, tertius uero iunctim cum secũdo, ita ut hic quoq; uigesimo die contineatur.

VI.

INTER INITIA horũ difficilius est præsentire ea quæ parte maxima temporis iudicanda sunt. simillima enim eorum initia sunt: sed à primo die animaduertere oportet, cõsiderandumq; singulis additis quaternariis: nec latebit quonã uertetur morbus.

Rursus hoc etiam loco uerbum iudicanda, translatitium est, tum in bonam, tum etiam in malam mutationem. ac dicit inter initia morborum qui breui iudicandi sunt, facillime cognosci quonam

desituri sunt: quemadmodum pauloante dixit de iis qui primo quaternario iudicandi sint. Etenim febris ipsa si curanda est, placidissima: si interemptura est ægrum, maleficentissima est. At uero quæcunque in utraq; indicia sunt, in priore quidem omnia saluberrima: in sequenti uero deterrima sunt. Ita fit ut neutra quartum transmeet diem. didicimus enim ut semper fiat iudicatio, uel natura superante morbum, aut uicta ab eo. Itaq; placidissimas natura ægrotationes ocyssime superat, à difficillimis uero celerrime uincitur. Ita efficitur ut maxime contrarii sint inter se morbi qui celeriter iudicantur, subsimiles uero qui plus temporis in solutionem requirant. Vt enim per morbos breues magnus excessus quandoque naturæ est, quandoque ægrotationis: ita quoties neutri magnopere exuperet alteru, sed ceu pares quidam hostes pugnent, plus temporis ad alterius uictoriam desideratur. Itidem luctantes quicunq; palæstrices peritiores habentur, internoscunt ubi magnu uiderint excessum, statim alterum peruicturum. Si uero neuter magnopere exuperet: profecto plus temporis pugnaturos pronunciabunt: nondum cognoscentes uter eorum uicturus sit: sed processu temporis, id quoque priusquam cæteri cognoscent, quippe qui excessum exiguum exquisitius animaduertant. Artifex enim maxime dissidet ab eo qui artis expers est: ut uel exigua rerum discrimina persentiscat. Sed quia aliqua nullo pacto sentiri queunt, ob eorum exilitatem: talia neq; etiam artifex cognoscit. Itaq; quam primum sentiri possunt, tantisper cognoscuntur: & ob eam rem præcepit Hippocrates per singulos quaternarios cõsiderari mutationem oportere. Non enim latebit quonam uertetur, id est utrum in sanitatem salutemq; ægri exuperante natura: an exuperata, ad abolitionem. atq;

hæc rerum summa est. Sed quonam modo eam rem potissimum agas, libro de iudicationibus à me perscripto maxime discas licebit.

VII.

QVARTANÆ CONDITIO, ex eodem ordine est.

Id quoq; plerisq; incognitum est: & ob eam rem mirabundi sæpenumero uaticinium quoddã nostrum præsagium haberi credunt, ut nequaquã febre detentus quartana, uindicabitur post diem (si ita fors tulerit) quintumdecimum. Atqui per tertianam non demirantur præsagium. Sed in utrisq; que ratio communis est. Vt enim per febres continuas numeramus omnes deinceps dies in prædictionem futuræ iudicationis: ita per intermittentes, accessiones: ut quod per continuas septimus dies ualet, id per intermittentes septima circuitio possit. Ob id igitur exquisita tertiana septem circuitionibus, non diebus septem iudicari solet. Quinetiã quod quartus dies à principio numeranti aduersus septimũ est, id quarta circuitio aduersus septimã circuitionem. Quartus enim dies, septimi index est: & itẽ quarta circuitio septimæ index est. Sed de his omnibus libro de iudicationibus perpensum iam est. Quocirca nunc id unum intellexisse sufficiet, ut quartanæ febris iudicationes ex numero circuitionum accidant non dierũ: ex eodẽ cosmo, id est ordine est. Cosmon, id est ordinem appellauit decretorium ordinem dierum. Vt enim acosmias, id est inordinationis propriũ est ataxia, id est inordinatio, ita cosmu, id est ordinationis, taxis, id est ordinatio. Et ob eã rem appellarunt mortales uniuersum, cosmon, argumento ordinationis, quandoquidem in eo cuncta recte dispositasunt. In medio enim eorum terra posita est,

extra mare circumit, id ambit aer, illum æther, demum his omnibus cœlum obtenditur. Quinetiã cõuersiones inerrabiliũ stellarũ, qd opus est dicere q̃ ordine eant, ut quæ assidue similiter habeãt: errantium uero, quãquam non singulis diebus pares existant, attamen ordinem paribus temporis circuitionibus seruant, ipsis assidue easdem signiferi partes perreptantibus.

VIII.

SI QVIS minima temporis parte iudicandus est, præsentiri propensius potest, maxime enim ab initio dissidet. Qui enim conualiturus est: facilius spirat, sine dolore agit, noctu dormit, & alia signa securissima habet. Qui uero moriturus est: spirat difficulter, cõflictatur, uigilat, & alia signa deterrima habet.

Verbum propẽsius, ut antea est proditum, prõptius faciliusq; significat. Propensiora enim appellitat faciliora, & ad cognoscendum promptiora. Itaq; pauloante dixit, Simplicissimę enim febres, ac signis firmatę securissimis, quarto die aut citius desinunt. Sed nũc recensuit id, ut per exempla planius indicetur quænam signa saluberrima censeantur. Igitur ipse inferens dicit: Qui enim conualiturus est, facilius spirat, sine dolore agit, noctu dormit. Qui uero moriturus est: spirat difficulter, cõflictatur, uigilat. Deinde utrique sermoni adiecit, priori quidem, Et alia signa securissima habet. secundo uero, Et alia signa deterrima habet. clare indicans ut exemplorum causa fecerit mentionẽ in utroq; genere signorum. Porrò id etiam merito adiecit sermoni: Maxime enim ab initio dissidet: ut antea quoq; dictum iam est: cum insigne sit diuortium inter se morborum, qui minimo temporis tractu discessuri sint aut in sanitatẽ, aut in mor-

tem, quo modo eorũ qui plus temporis extendantur, subsimiles notæ inter initia existunt. Cæterum uerbum ἀλλοφάσσοντες (dictum quoque id nomẽ est ex dictione non admodum consueta græcis,) aut delirare, aut inquietos agere: quod uerbum ἀσομένου, id est conflictari, significat. Sed rectior quantum ex ipsa dictione coniicio, prima significatio est, ut nomẽ ἀλλοφάσσοντες sit factum ἐκ τοῦ ἄλλοτε φάσκειν ἄλλα. i. ꝓpterea ꝙ aliàs loquatur aliud. nonnulli, quia mutet aliàs in aliam figuram τὰ φάη, id est oculos, extitisse dicunt appellationẽ.

IX.

HIS IGITVR ita euenientibus, considerari conueniet per temporis spatia & adiectiones singulas meantibus morbis in iudicationem.

Vt antea quæcunque dixit de primo quaternario, inter initia recensuit, adiiciendo exempla: pari modo rursus per hanc dictionem persequitur ea quæ sunt per illam tradita, in qua ait: Sed à primo animaduertendum, considerandumq; singulis additis quaternariis, nec latebit quonam uertetur.

Quo pacto in mulieribus a die quo pepererint, iudicationes existant.

X.

PARI MODO in mulieribus iudicationes fiunt à partu, quouis die pepererint.

Principium numerationis erit non quo die cœperint febricitare, sed quo pepererint. In quibusdam igitur circa secundum aut tertium incipiunt diem à partu: ex quo multi numerãt futuram iudicationem. Sed res non ita se habet. sed ex quo pepererint, numerationem fieri oportet dierum. Cęterum cum hæc omnia summatim de diebus de-

cretoriis docuerit Hippocrates, libet ut in animũ
reuocetur id, quod a me ſæpenumero perpenſum
iam eſt, id eſt quaſdam conquiſitiones haud quic-
quam conducere ad artis miniſteria, logicã haben
tes cõſiderationẽ. Vſus.n. prędictionis eſt agnoſce
re diẽ, quo morbus iudicandus eſt. Sed utrũ ſit acu
tus appellandus, an peracutus, an lõgus, an acutus
adauctus, an acutus ex cõuerſiõe, de nominibus q̃
rere eſt potius q̃ de rebus. Quod ſicui placeat talẽ
quæſtionem eſſe de rebus: ſed non de iis rebus
eſt, ex quibus orſus quiſpiam aut præſentiat futu-
ra, aut recte medeatur. Itaque ſubiiciatur uere præ
cognitum eſſe uigeſimo die fore morbi ſolutio-
nem: tum autem re ita cueniente, quemadmodum
expectabatur, quendam dicere acutum morbum
extitiſſe, quendam non acutum permittere nomi-
nari ipſum, (finem enim eſſe morborum acutorũ
quartumdecimum diem) deinde eos inter ſe diſ-
ſidere: & alter appellet perſpicue lõgum propter
ea q̃ exciderit acutorum limitem morborum, nec
eſſe exiſtimandum per morbos aliam tertiam diſ-
ferentiam de quantitate temporis haberi. alter uo-
cet acutũ ex cõuerſione talẽ morbũ, alius acutum
adauctũ nominet, alius non ſimpliciter ita dicat,
ſed appellet acutum paulo adauctiorem. Siquis
igitur primũ audiat ea, ex qbus ſinguli diſcrepãtes
ueriſimilibus cõmuniunt opinionẽ, deinde decer-
nat quiſnam eorum melius peiusve ſentiat: mul-
tum conteret temporis, nec aliquid in arte iuuabi-
tur. Pari modo ſiquis nouit præſentire ſeptimo &
uigeſimo ſolutum iri morbum, nec poſſit definire
utrum acutus appellandus ſit, an longus, an acutus
adauctus, aut acutus ex cõuerſione ſit, nequaquam
in artis officio offendetur. Optimum enim eſt per
differentias in morbis abs tẽpore ductas, tantum
earũ exiſtimare eſſe numerũ, quanta decretoriorũ

circuitio habetur: ut breuiſſimus qdẽ primo cir-
cũſcribatur quaternario, poſtea uero is q̃ ſecũdo,
tum aũt qui tertio, deinde qui quarto, mox q̃ quin
to, ac demũ qui ſexto, qui in diẽ uigeſimũ deuenit.
poſtea uero aboleri quaternarios, fieriq; p̃ ſeptena
rios iudicationes: deinde ẽt hos aboleri procedẽ
te tẽpore: ita ut p̃ uicenos dies morborum effician
tur ſolutiones: poſtea ad menſiũ numerum deue-
nire. Duæ.n. ſunt tẽporum præfinitiones in mor-
bis: ut aut acuti, aut diutini nominẽtur. Sed gratia
illuſtrioris diſciplinę ſępenumero ita nominamus:
mox ab ipſis ducti rebus inter eos rurſus ponimus
acutos ex cõuerſione. & oẽs differẽtias tres haberi
dicimus: è qbus rurſus ſingulas partimur: uelut in
primis acutis, hic ſimpliciter acutus, ille p̃ acutus
ab ipſo Hippocrate nominatur. Peracutus, ſi ſepti-
mũ nõ trãſmeet diẽ, ſed aut in eo, aut ẽt maturius
iudicetur, acutus, ſi uſq; ad quartũ decimũ extẽda
tur, tũ huic quoq; paulũ adiicere cernẽtes ambigi-
mus propriã non habẽtes deferre appellationem
morbo, q̃ ſeptimodecimo iudicetur: quo modo
nec ei, q̃ uigeſimo finiatur. ita ut appareat hac in re
ambiguitas aceruus nominata, uideaturq; interdũ
ueriſimile non eſſe quartũdecimũ limitem acuto-
rum morborũ, ſed uigeſimũ diẽ. At uero rurſus &
alia ambiguitas ſup̃ ea ipſa re eſt. Etenim morbus
acutus cũ magnitudine quadã ac febre continua
intelligitur. Si enim nõ ita ſit, q̃q̃ circa quartumde-
cimum ſoluatur diẽ, aut ẽt citius eiuſdẽ appella-
tionis nequaq̃ cenſemus. Igitur hæ ſunt & tot acu
torum differentiæ præſcripti temporis morbo-
rum: aliæ uero eorum, qui ad ampliorem latitu-
dinẽ poſt diem uigeſimum extendantur. & item
conſonum rationi uidetur, ut ſi ad quadrageſi-
mum prorogentur diem, quadam propria diſ-
ferentia collocentur: necnon ſi ab his ad ſepti-

mum menſem extenduntur, alia differentia: quo-
modo ſi annui ſint, rurſus alia comprehenduntur:
& ad hæc ſi habeant non menſium, ſed annorum
numerationem. Quod igitur aſsidue monui, ta-
lia prætermittenda ſunt, exiſtimandumq; ſatis eſſe
præſentire quonam tempore conualiturus æger
eſt. Itaque conſtat, ut Hippocrates in uno morbi
genere quam ſolet nominare ſuppurationem, in-
terdum uigeſimum diem ſtatuat terminum eru-
ptionis, interdum trigeſimum, aut quadrageſi-
mum, aut ſexageſimum. Quocirca permittens
deferre appellationes iis, qui circa talia peritiores
exiſtunt, ipſe ſtude præſentire in quem de relatis
terminum morbi perreptura eruptio ſit. Id com-
peries duobus uelut inſtrumentis, experimento,
ac ratione. Experimento quidem, unam & item
alteram docente ſuppurationem eruptam, alteru-
tram proprio ſeorſum temporis ſpatio. Ratione
uero, indicante materiæ ſuppurationis ſubſtãtiam,
& item cauſam efficientem eius, & ea, quæ cum
illa cooperantur. Simul enim aliquis uidit primã
ſuppurationem quadrageſimo erumpere die, quã
talis commiſit humor, uerbi gratia modice frí-
gidus, ac tempore ſimiliter modice frigido, &
ætate & regione, & natura totius corporis, atque
etiam affectæ partis: & rurſus ſimul uidit alteram
erumpere ſexageſimo die omnibus prælatis frigi-
dioribus, tum autem alteram uigeſimo, ſi ita ſors
ferat, calidioribus: ex his orſus, poterit alias ſcru-
tari ſuppurationes, intentionibus utens empirice
perſpectis, conferens cum illis ea, quæ nunc acci-
dunt per caliditatem & frigiditatem ipſorum hu-
morum euariantium, & item alterantis eos cauſæ
efficientis, quæ (inquam) calor natiuus eſt, & quæ-
cunque alia huic cooperantur ex regione, tempo-
re, conditione. Porrò cauſæ ipſius efficientis ma-

gnitudinem ab ætate coniiciens, & item propria
ipſius natura, atque etiam parte, in qua accidit fie-
ri ſuppurationem, & aliis indiciis quæcunque ro-
bur atque imbecillitatem indicant in arteriis ac ue-
nis facultatis: (qui enim nihil ex his agnouit, ſed
expectat ex obſeruatione cunctas diſcere ſuppura-
tiones, mille tempus annorum ad eam rem nequa-
quam ſufficeret: quemadmodũ rurſus qui ad na-
tium reſpexerit calorem quantus ſit, cumq; eo
conferet concoquendæ naturam materiæ, uiam
habet inueniendæ eius rei quam ueſtigat) hic igi-
tur unus poteſt ex iis, quæ nouit, ea etiam, quæ nõ
nouit, artificii ratione perueſtigare. Hic unus di-
cet, ut circa uigeſimum diem talis ſuppuraturus
ſit, circa trigeſimum talis, & in aliis ſimiliter, nihil
inſuper neceſſe habens addere utrũ oporteat no-
minari acutum, an longum, an acutum ex conuer-
ſione morbum. Hęc igitur interſtinguere, officium
eſt non medicorum mediusfidius miniſteriis artis
ſtudentium, ſed ſophiſtarum ſermonibus uacan-
tium: & ob eam rem de his quæſtionibus in excel-
ſo inſidentes ſolio, ſcite admodum plerique ſer-
monibus perhauriunt auditores: qd uero ſit ægris
euenturum, magis latuit eos q̃ maris congios. Alii
econtrario idonei ſunt ad cognoſcendum mor-
bos, ac præſentiendũ futura, ſed nihil habent, quo
logicas diluant quæſtiones: & ob hãc cauſam alii
exiſtimantur medici ab hominibus: alii ſophiſtæ
ac λογικαστροι, quaſi uerborum medici. eos enim ita
appellant: & ſi quos uiderint librum aliquẽ legen-
tes, & ratione ad utilium medicamentorum expo-
ſitionem utentes, tales λογίκαστρους eſſe ſuſpicantur.

De affectibus qui in capite & ore & faucibus affligant.

XI.

CAPITIS DOLOR uehemens & continuus cum febre, si quod ex indiciis extiterit exitiosis, letalis admodum est. Si uero sine talibus indiciis fatigans dolor uigesimum transeat diem, & febris detineat, expectari oportet sanguinis è naribus eruptionem, aut alium abscessum ad inferas sedes. Sed quoad dolor fuerit recens, expectari oportet sanguinis eruptionem è naribus: aut suppurationem, si dolor alioqui circa tempora ac frontem affligat.

Incondite loquitur rem, quæ ad prædicendū maxime conducit: sed recto ordine texitur hunc in modum: Capitis dolor uehemens & continuus cum febre, si quod ex indiciis extiterit exitiosis, integre letalis est. Si uero ex iis, quæ didicisti: de ægro tanquam conualituro speres: à principio quidem ad septimum diem sanguinis è naribus fluorem expectato. procedente uero tempore id ēt euenier. pus uero erumpet è naribus, aut auribus, in salutem ægri. Si uero ad uigesimū extendatur dié doloris accidens in capite, tunc ēt sanguinis fluorē expectabis rarius: magis uero suppurationem: aut abscessum ad inferas sedes expectato. Sed per illud tempus, quo sanguinis fluorem expectabis, augebit tibi expectationem, si in tēporibus ac fronte dolor uehemens infestet.

XII.

MAGIS EXPECTARI sanguinis oportet eruptionem in minoribus natu quintum & trigesimum annum agentibus: in maioribus uero natu suppurationem.

Finitio ducta ab ætate est, quo magis expectes

sanguinis è naribus fluorē. Causa uero perspicua est, ac sæpenumero prodita, ut ætas ad quintum & trigesimum annum plurimū gignat sanguinis. Accedit ad hoc, ut sanguis per hanc ætatem calidior ac bilioſior habeatur. At (ut antea definitum iam est) id quoque ad sanguinis fluorem à natura factum idoneum est, in natu uero grandioribus ultra trigesimum quintum annum expectanda magis suppuratio est.

XIII.

AVRIVM DOLOR acutus cum febre continua ac uehementi, difficilis est. Periculum enim delirii abolitionisq; imminet. Quia igitur fallax hic locus est, cito etiā animaduertere omnia alia indicia à primo die necesse est.

Nunquam uehemens dolor in his euidētibus auriculis infestat: neque, si infestet, periculum comitabitur, propterea q̄ neque pars ipsa præcipua est, neque parti præcipuæ continuetur. sed consueuerunt nominare dolorem aurium, quoties in profundo ex auditorio meatu doloris sensus affligat. tantisper enim ipse afficitur auditorius nominatus neruus, non ex longo interuallo cerebro copulatus. Itaq; merito multi interimuntur per dolores aurium uehementes, in consensum perducto cerebro. Quocirca nonnulli ægri delirant, necnon alii qui derepente moriuntur, quem in modum attoniti, quoties in cerebrum decumbat uniuersim aurium dolorem con: mittens fluxio.

XIIII.

NATV MINORES septimo die, aut citius ab hoc morbo interimuntur. Natu uero maiores, multo tardius. Febris enim ac delirium minus eos infestāt: & aures in eis antea suppurātur. Sed & has ætates recidiuæ euenientes morborū, plu-

rimos interrimunt, minores uero natu prius quã ſuppurentur aures, interimuntur. Si enim ex auribus pus effluat candidum, expectari poteſt natu minorem conualiturum, ſi quod aliud bonum in eo indicium exiſtit.

In minoribus natu febris & item delirium potius accidunt ob calidum ac bilioſum temperamẽtum. Itaq; merito interimuntur antequam aures ſuppurentur. Maiores natu, quantum in' hæc agitur, minus periclitantur: ſed recidiuæ eueniunt affectionum, quia non integre concoquitur dolorem committens humor, ob temperamenti frigiditatẽ. Cæterum reſiduum dictionis ſatis perſpicuum eſt.

XV.

FAVCES exulceratæ cum febre difficiles ſunt. Sed ſi aliud ſignum ex prædictis fuerit prauum, prædicendum, ut cum periculo morbus ſit.

Fauces exulceratæ labem indicant derodentis humoris. Cauſa uero difficultatis non paruæ eſt, quia cum dolore deglutiunt. Itaq; conſiderari conueniet & alia indicia, ut exquiſitius futura cognoſcatur. Commune uero in cunctis erit tibi præceptũ, potiſſimum uero in his qui nec exquiſite optimi affectus, neq; deterrimi habeantur: in quibus ipſe Hippocrates cenſere aſſolet alia quoque indicia eſſe conſideranda.

De *angina*.

XVI.

ANGINA grauiſſima eſt, ac celerime interimit, quæcunq; nec in ceruice, nec in faucibus conſpicuum aliquid efficit. Plurimum uero doloris infert, ac ſpirationis difficultatem orthopnœã dictam. Hæc enim eodem die & ſecundo & tertio & quarto

& quarto ſtrangulat.

Vt fauces præiacentem gulæ & gutturi ſedem appellet, perſpicuum eſt etiam ex iis, quæ hoc loco ſcripſit, illam anginam dicẽs eſſe grauiſſimam, quæcunque nec in ceruice, nec in faucibus diſpoſitionẽ quandã indicet præter naturã, ex colore, calore, mole. Porrò ceruicem intelligit collum: fauces uero aperiendo os, ac linguam comprimendo deorſum, euidentem amplitudinem, in qua gemina oſtiola uiſuntur, tum gulæ, tum ét gutturis. Quoties igitur in neutro horũ appareat aliquid præter naturam, exiſtimandum eſt intra gutturis corpora laceſſere inflammationem, ex qua ſtrangulantur. At quum animæ iter anguſtum ſit, ſtrangulentur neceſſe eſt eo integre cluſo ob circunuenientium corporum inflammationem. Itaque coguntur dirigendo collum ſpirare, quò diſpeſcant paululum meatum. Supinus enim iacentis habitus eum extreme cludit, priore corpore magis concidente in ceruicis uertebras. Igitur ob eam rem, & quia inflammatione uexantur muſculi in gutture, merito dolore afficiuntur.

XVII.

QVÆCVNQVE uero dolorem alteri ſubſimilem infert, attollitur uero, ac ruborem in faucibus efficit: admodum exitioſa, ſed paulo longior quàm ſuperior eſt.

Secundam nominat anginę differentiam, in qua attollitur quidem ceruix, & fauces rubent: dolore uero æque quàm prædicti afficiuntur: non tamen ſubrecti ſpirant, id eſt non ſpirant admodum difficulter, quia muſculi in gutture non admodum uexantur inflammationem. Merito igitur eam exitialem haberi dixit, non tamen perinde ut prædictam

celerrime interimere.

XVIII.

SI QVIBVS fauces rubent & ceruix, hæc diuturnior est. maxime uero ex ea seruantur, si ceruix ac pectus traxit ruborem, nec sacer ignis intro recurrat.

Tertiam hanc commemorat anginam, quam alii per, s, literā nominant synanchē, nō per, c, literā cynanchen. Vbi enim uehementer strangulantur, ac dolore uexantur, nec inflāmatio, aut sacer ignis apparet, aut in ceruice, aut in faucibus: cynanchē p c, literam talem nominant affectionem. Sed, quod assidue moneo, uidetur Hippocrates facere: nec ita uocabulis parce utitur, sed ut libuerit appellat. Sane in quibusdam codicibus antiquis legitur initium dictionis per, s, literam: Si quibus synanche, id est angina. Ita cōstat, ut nihil iuuet de, c, &, s, literis dissentire, quemadmodum medici recentiores agunt. Vbi enim confessa res est, obscœnum est de nominibus litigare. at confessa res est iis, qui ministeria artis agnoscunt. Si enim uehementer strangulantur, ut cogantur resurgere, deterrime exigunt, dolore uehementer affecti, nullum uero aut in ceruice habentes, aut in faucibus accidens. Ab his uero deinceps existunt ii, qui non spirent difficulter, sed dolore admodum uexentur, ac pariter tumescat ceruix, & fauces rubicūdiores euadant. Tertio loco disponuntur ii, de quibus Hippocrates præsenti sermone persequitur: qui nec uehementer affligantur dolore, nec spirent difficulter, & guttur nequaquam perpetiatur: sed aut in fauces fluxio, aut in ceruicem, aut in hæc utraq; decumbit. At uero fluxio talis magna ex parte biliosior est, ita ut perspicue sacrum ignem, aut inflammationem sacro igni similiorem committat: unde & ipse dixit,

Nec sacer ignis intro recurrat. Quod si pituitosus interdum tumor infestet, celerrime discutitur: nec ullo pacto acutus hic morbus est. Cætera huius dictionis perspicua sunt.

XIX.

SI VERO nec diebus decretoriis deleatur rubor, neq; tuberculo inanito in sede exteriori, pus non facile excreet, ac uideatur sine dolore agere: mortem indicat, aut recidiuam ruboris.

Sine tuberculo, aut excreatione facile euacuata deleri aut sacrum ignem aut ruborem (utroq; modo legitur) prauum fore perspicuum est. Sed utrū ita inaudiendū sit, ut si diebus deleatur decretoriis, nullū malum signū futurum sit, an secus (ita enim nonnulli exposuerunt) an copulare oporteat, id cū iis, quæ deinceps sunt prodita, ut etiam uelit Hippocrates illa diebus decretoriis euenire gratia fidei firmioris: quod inquam uerius est. Si enim materia diebus transmeat decretoriis in pulmonem recurratq; introrsum sacer ignis, nequaquam digestus per exteriorem superficiem: non solum non bonum id est, sed malum maximum: propterea q; ex diei fide firmiorem assumat prauitatem. At si pariter tuberculo foras tendente, ac facile excreante, deletur sacer ignis, aut rubor, tantisper non abolitum iri ægrum expectare oportet.

XX.

SECVRISSIMVM uero est, si rubor quammaxime foras uertatur.†

Hæc, & item alia, quæ deinceps perscripta sunt, clara sunt quibus prædicta in animo hærent.

De gurgulione.

† In aliquibus cod. hæc habētur: & alii absceſſus utrique si foras uertant. q; si in pulmonē cōuersio fiat, dementiā gignunt. fiuntque ex his magna ex parte purulenti.

XXI.

GVRGVLIO cum periculo secatur, & †scarificatur quo ad rubidus magnusq; fuerit. Inflãmatio enim fatigat, & sanguinis fluor: sed hunc oportet aliis medicamentis extenuare eniti per illud tempus. Vbi ueto* secretum fuerit omne id, quod uuam appellant, sitq; pars gurgulionis summa maior ac † liuida, superior uero tenuior: per illud tẽpus ad moliri manus, tutum est. Sed præstat, simul aluum subduxeris, uti chirurgia, si liceat per tempus, nec æger stranguletur.

†Aliqui cod. habent ἀποκαίεσθαι. i. aduritur.
*Alibi ἀποκρεμάσθη. i. pẽsile fuerit.
†Alibi orbicularis

Prognostico theoremati permistum est exiguũ quoddã curationis præceptum: quo sine nequaquam fieri potest, ut integre pręsagiũ cognoscere tur. Gurgulionem si inflammatione laborantem præcidas aut scarifices: sanguinis fluor & inflammatio comitabitur. Sed quoties secretum fuerit quod uuam appellant, sitq; pars summa gurgulionis maior & orbiculata, superior uero tenuior: tantisper ad moliri manus tutũ est, potissimum aluo antea abunde subducta, siue spõte, siue etiam prouidentia medicorum.

Signa & accidentia affecto loco nequaquam definito.

XXII.

SI QVIBVS febris desinit, non cum indiciis solutionis, neq; diebus decretoriis: recidiuã expectare oportet.

Quoties neutrum existat ex iis, quæ dixit, tantisper expectare oportet recidiuam, non ubi alterum adsit, alterum desit. Quæ enim non ex ratione leuant, faciunt recidiuam: q̃q̃ id diebus accidat decretoriis. At uero constat ut hæc non ex ratione

leuent, quæcunque neq; cum indiciis solutionis, neq; in diebus desinant decretoriis.

XXIII.

SI QVA febris prorogatur, salue affecto homine, nec dolore detinente, aut ob inflammationem, aut ob aliquam causam euidentẽ: expectari oportet abscessum cum tumore ac dolore† qui in articulos maximeq; inferiores decumbat.

†Alicubi sic legit: ἐκ τῶν ἀνωκὴ οὐκ ἦσον ἐκ τῶν κάτω. i. ex superioribus nec minus ex infernis.

Quæ antea dixit particulatim, primum de abscessibus circa ilia, deinde circa thoracem ac pulmonem: ea nunc repetens pronunciauit in uniuersum. Quum enim triplex sit causa prorogationis febrium, aut propter aliquam partem affectam curatu difficilem, aut propter humores crudos & crassos incoctosq;, aut propter aliquod commissum, si nec affecta fuerit pars, aut nulla alia causa, aut ægri committentis, aut curãtiũ eum, aut propter exteriorem causam, uerbi gratia tempus, terrã, cõditionem, domicilium prauum, cõflictationem, solicitudinem, angorem, restat ut humoribus crudis ac cõcoctu difficilioribus prorogetur. Hos igitur assolet natura in partem quandam ignobiliorẽ expellere, quoties per excretionem pellere extra corpus non queat. Sæpe enim definitum iam est, ut humores calidiores tenuioresq; paratissimi sint ad excretionẽ: crudis uero & crassis, aut per abscessum, aut per concoctionem natura medeatur. Porrò idipsum, ut per concoctionem medeatur, excretio quædam est, quæ ex urina magna ex parte, raro per aluum efficiatur.

XXIIII.

TALIS abscessus magis ac minori tempore euenit natu minoribus trigesimum annum agentibus.

Sæpenumero dictum iam est,ut morbi quos hu
mores cõmittunt calidiores,cum ægri uiribus ue
hementioribus p excretionẽ iudicentur. His con
trariæ sunt affectiones,in quibus facultas debilis
est,& humor frigidus.quæ nec excretione, nec ab
scessu desistunt,sed aut corrumpunt ægrum,aut p
quã lõgo tẽporis spatio uix cõcoquuntur. Porrò
inter has medię intercidũt,q̃ p abscessum finiũtur:
in qbus ex duabus dictis oppositionibus,alteę ex
altera,alterũ ex reliqua est. Duæ.n. oppositiones
existũt,è qbus altera secundũ naturã humorũ,alte
ra secũdum uires habetur:atque in alterutra earum
duo inter se opponuntur,ex humoribus quidem
calidi frigidis:ex uiribus uero fortes debilioribus.
Si igitur humores calidi sint,nõ oportet facultatẽ
ualidã haberi,si abscessus futurus est. Si uero frigi
di,facultate opus est ualida ad abscessum. Cæterũ
quo pacto singulas agnosci conueniat uires,pro
priis indiciis ductis ex officiis, antea definitum iã
est. Ab ætate uero ducuntur indicia,utpote iuuen
tute ac senectute,de qua nunc Hippocrates agit:
dicitq; magis accidere ac citius talem abscessum
minoribus natu trigesimum agentibus annum:ma
ioribus uero natu,nondum tamen senibus,minus
ueniunt ac tempore lõgiori:senibus uero minime
accidunt: in animum reiecto omni eo sermone,
quẽ Hippocrates inter initia habuit:Si qua febris
prorogetur,salue affecto homine,nec dolore de
tinente,aut propter inflammationem,aut propter
aliquam aliã causam euidentem. Hæc itaq; nobis
reuocans in mẽtem,ait talem potius fore in mino
ribus natu abscessum.

XXV.

CONSIDERANDVS statim abscessus est utrum uigesimum diem detinens febris trans scendat.

Quum antea de morbis diutinis differeret,men
tionem habuit uigesimi diei,propterea q̃ ad hunc
usq; diem extentus morbus nondum diutinus ha
beatur. Porrò antea quoque est proditum quam
ob rem non conueniat unũ poni limitem firmum
acutorum morborum. Quo circa nequaquam mi
rum uideri debet quartodecimo die eum dicere
iudicari morbos acutos,& rursus uigesimum com
memorare. In sentẽtiis enim ubi quartũdecimum
diem finem fecit summum iudicationis acutorum
morborum,commemorauit etiam septimumdeci
mũ. Est autem initium illius sententiæ: Acuti mor
bi quartodecimo die iudicantur. Finis uero est:
Item decimusseptimus considerandus est. Quar
tus enim à quartodecimo,& septimus ab undeci
mo est.

XXVI.

NATV VERO maioribus per febres longiores minus accidunt.

Merito,quia in morbis iudicandis p abscessum,
facultatem habere firmitatem quandam,nec pror
sus ad extremam concidisse infirmitatem opor
tet:& ob eam rem in quantũ processerint per æta
tem,abscessus minus fieri accidit. Senibus uero nõ
minus,sed minime accidunt. Nunc uero non senes
dixit simplici ratione,sed cum iis qui trigesimum
agant annum,conferens. Natu enim maiores no
minauit eos,qui prouectiores quàm hi per ætatẽ
existant. Cæterum ut ita utatur maioris natu appel
latione,antea definitum iam est,& item deinceps
nihilominus indicabitur.

XXVII.

OPORTET talem expectari abscessum per febrem continuam, in quartanam uero discessuram, quoties intermittat prehendatq; errabi

lem modum, atque ita agendo autumno propinquet.

Dictum est libro de differentia febriũ, ut quartana atribilario humore consistat. & item est proditum de generatione talis humoris, quæ duplex est, tum ex sanguine crassiore qui respõdeat proportione in uenis subsidenti in dolio uini fæculæ, tum etiam flaua bile uehementer assata. Hæc igitur atra bilis alioqui malefica est, ac derodit partes, in quibus abunde collecta est. altera uero atra mitior q̃ hæc est: sed potissimum quoties nondum traxit in animali moram, aut cum aliquo calore abundãti & præter naturam uersata diutius fuerit. His igitur ita habentibus, quoties febris continua fuerit, quod est non desinens ad integritatem, ad eiusmodi abscessus uertitur, diutius immanens. At si intermittit, atq; idipsum potissimum euenit per æstatis finem, uerti morbum ad circuitiouem quartanam ratio est. Quicquid enim humoris ferbuit æstiuo tempore per febres continuas. ac desiit in atram bilem, quodam modo restinctus est: proindeq; calore febrifico æger uindicatur maximeq; quoties sudores eliciuntur. Sed si non antea natura quodã modo excernat ueluti cinerem uehementer assatorum humorum: hic rursus permanens in corpore, & calefactus: putrem quãdam recipit affectionem. quod quoties illi accidit, feruescẽs, excitat febrem: à qua rursus eueniente sudore pariter cũ eo quod ferbuit atræ bilis euanuit: tum autem rursus aliæ reliquiæ feruentes rursus alteram excitant febrem. Ceu igitur nondum unam habeat omne corpus affectionem, sed atra bilis in quibusdã partibus insuper moueatur, in quibusdam immota maneat, in aliis putreat aut feruere incipiat: inordinatas fieri febres necesse est. At uero quoties in cunctis uenis

eadem fiat affectio: ex superante atra bile, quartana consistit febris, maximeq; quoties æstatis conuersio in autũnum, extrorsum delationis ac spirationis prohibeat humores, introrsumq; auocet in profundum, quam hiems affectionem excipiens, utpote intendens præ frigore delationẽ introrsum humorum, rursus ad alteram usque mutationem in habitum calidiorem, in quo morbus cœpit, adseruat corpus.

XXVIII.

QVEMADMODVM in minoribus natu trigesimũ agentibus annum, abscessus consistunt: ita quartanæ potius annum agentibus † quadragesimum, aut etiam senioribus accidunt.

† Sic in ant. cod. legit quãuis impſ. habeant trigesimũ

De mutatione per ætatem, alio loco fusius definitũ iã est. Nũc uero summatim decurrere tractatũ sufficiet. pueruli plurimũ sanguinis humorẽ habẽt: eumq; tantummodo haberent, quantum in ipsum agitur ætatis temperamentum: at quia cibi copiã ingerunt, atque inordinatam, succi crudi nomine aliquid subit. Porrò quoties ad ætatem deueniũt adolescẽtium, quidam iam recte uiuunt, meliorem uitæ nacti tenorem: & ita sanguis in illis exuperat duntaxat. Quidam uero adolescentes multo deterius quàm parui pueruli. Itaque tales ægrotant subinde pariter ac uehemẽter, copiã crudæ materiæ colligentes: tum autem deinceps ab hac ætate, potissimum si praue uiuant, amarulenta subit bilis, ita ut in his exuperet non sanguis solum, sed etiam illa, quæ crocea ac flaua bilis appellatur. idq; accidit nonnullis usq; ad trigesimũ annũ, aliis ad trigesimumquintum. Primus enim terminus conuersionis ad habitum frigidiorem, trigesimus est: nouissimus uero, trigesimusquintus. Multis uero propter naturam, quam traxerunt ab initio, & quæcunq;

ſecundum caſus,aut conſuetudinis & arbitrii differentias permutantur: in medio, uigoris ætatem circunſcripſit. Ob id igitur & Hippocrates quandoq; trigeſimum commemorat, quemadmodum pauloante: ſæpe etiam trigeſimum quintum. Quia enim aliæ aliis accidant mutationes, fieri non poteſt, ut una mẽſura firma ac cũctis promiſcua finiatur. Sed id aſsidue in animo ſeruabis, antea ẽt libro de diebus decretoriis tertio perſcriptum. Nam ſi id in animo ſeruabis, prædictiſq; adiicies: non difficile inuenies cauſam eorum, quæ Hippocrates per hanc dictionem ſcripſit. Vt enim per tempora calefactos æſtate admodum humores, & ut ita dicatur, rebullientes, neceſſe eſt gignere atribilarium humorem: quem excipiens collectum in corpore autumnus, utpote frigidus, nequaquam patitur ſimiliter extrorſum diffluari, neque facile uacuari: ita per ætates ætas inclinans efficit. Porrò quantum in ætate uigoris rebulliens humorum in atram bilem mutatur, difficulter hæc diſcutiens, febres potius quartanas committit, atque eget tempore longiore per hanc ætatem, ut corpus tali repurgetur bile. ita fit ut aduſq; ſenectutẽ in medio atribilarii omnes morbi in his magis exuperent, in illis minus elephantia, cancer, lepra, atra bilis, febris quartana.

XXIX.

SCIENDVM ut abſceſſus hieme potius accidant, ac tardius definant & minus retrocedunt.

Tria de abſcesſibus Hippocrates in præſenti cratione prænunciauit: principio ut hieme potius accidant: deinde ut tardius definãt: demum ut minus retrocedant. Cæterum abſceſſus per hiemem potius euenire, exuperans in ea humor oſtendit. Etenim antea definitum iam eſt, per excretionem

calidos, per abſceſſum frigidos uacuari humores. Porrò ut tardius definant, cauſanda eſt humoris natura, atque etiam circumeuntis aeris frigus. diſcutiatur enim omnino oportet decumbens humor, ut abſceſſus curetur. at humores craſſi frigidiq; ægrius diſcutiuntur, potiſsimum quoties obductus aer frigidus fuerit. Ob eas ipſas cauſas minus retrocedunt, quandoquidẽ repetentibus motionem quandam adeſſe neceſſe eſt. At frigidi moueri difficilius poſſunt.

De uomitione ſpontina.

XXX.

SI QVIS PER febrem non exitioſam dixerit caput dolere, aut etiam tenebricoſum aliquid ob oculos obuerſari, ſi uentriculi dolor in eo exiterit, bilioſa uomitio aderit. ſin algor quoq; prehẽdit, & inferiores in iliis partes frigidæ fuerint, adhuc citius uomitio aderit. Si uero bibat eſitetq; ſub hoc tempore, perquam cito deuomet.

De uomitione ſpontina eueniente ratione iudicationis, hoc loco Hippocrates docet. Prima aũt finitio ei eſt ut morbus haudquaquam exitioſus habeatur. Appellauit aũt hunc morbũ ſæpenumero ſalubrẽ. Secunda uero, ut ægro dolenti caput, obuerſetur ob oculos qddã tenebricoſum: quod inquam ſignificat atrum quid ab exhalatione flauæ bilis ſynceræ confectum. Hæc enim plenius calefacta, & ut ita dicatur, uehemẽter aſſata: atram exhalationem ceu fuliginem quandam ad caput remittit, ob quam capitis dolor infeſtat. Quicquid uero eius ad oculos permeat, turbulentiorem reddit in eis humorem ſplendidum ex natura ac purum: ita ut fiat conditio quædam ſimilis eius quæ circa puriſsimum ac lucidiſsimum aerem

euenit,recipientem ſtatim in ſe aut fumidum quẽ
dam aut fuliginoſum nigrorem. Hanc igitur exha
lationem ſentiens a cerebro permeans ad oculos
uiſorius ſpiritus,quemadmodum per ſuffuſiones,
uiſa(ut ait)tenebricoſa committit. At uero cum
talis exhalatio de ſedibus quoque ſubeat pulmo
nis,eam interſtinguimus ab illa quæ de uentriculo
redundat cordis dolore.Tales enim humores la
tent pulmonem,ut qui uel omnino non ſentiat,aut
difficulter ſentiat. Ventriculi uero oſtiolum(appel
latur id,ut conſtat,etiam cor) propter magnitudi
nem neruorum quos habet ſentientium,nihil latet
quod in eo infeſtet.ita fit ut mordens biliоſus hu
mor cordis,id eſt uentriculi dolorem committat:
& ob eam rem biliоſa uomitio accidit. Id enim
etiam Thucydides indicauit dum ait:Et cũ in cor
inhæſit,ſubuertit id,ac purgationes bilis, quæ à
medicis ſunt appellatæ,ſubierunt. Verbum enim
ſubuertit,de impetu dixit in uomitionem, ſtatim
etiam nominans cor,uentriculi oſtiolum.& ob eã
rem morſum eius, cordis dolorem appellitant.
Aliubi Hippocrates ſcripſit ut infernum labrum
idipſum indicet,haudquaquã quieſcens ſed quo
dam modo intermiſcẽs, propterea q̃ ſi bilis mor
deat internam uentriculi tuniculam, ita commo
uetur labrum. Conſtat enim ex diſſectione,unam
eſſe omnem hanc tuniculam perpetuam p̃ omnia
ſibi & omnis uentriculi,& gulæ,& linguæ,& pala
ti,& omnis oris.Hæc igitur eſt quæ labra concu
tit,quoties ab acriore bile collecta in ore uentricu
li mordetur.Talis enim humor præ leuitate fluita
re aſſolet:& ob eam rem ad gulam redundat, re
linquens uentriculi fundum, ac facile uomitur.
Quod ſi rigor prehendat tantiſper hominem,ma
gis etiam uomitio non ſolum citius, ſed etiam bi
lis erit plenioris:quũ ſoleat rigor magna ex par

te bilis efficere uomitionem, quemadmodum dũ
de ea ageretur,eſt proditum. Quinetiam ſiquid
bibat aut eſitet per illud tempus homo,adhuc ci
tius deuomet:quia pariter cum bile ingeſta ciba
ria in uentriculo uitiantur.

XXXI.

SI QVIBVS horum cœpit dolor primo
die quarto premuntur magis, †ſeptimo uindicã
tur. Pleriq̃ eorum incipiunt dolore uexari tertio
die,quinto fluctuant magis, deinde uindicantur
nono aut undecimo. Quod ſi quinto die incipi
ant dolore uexari,& alia quoque ſecundum ra
tionem ipſis ex prioribus accidant: quartodeci
mo morbus finietur.

† In alig bus cod. additur. Et quinto

Tres dixit differentias ex tempore ductas do
loris capitis:& item tres terminos iudicationis ea
rum. Itaq̃ prima differentia eſt,ſi prima die ægro
tationis,capitis incipiat dolor.altera ſi tertio die.
tertia,ſi quinto. Sed omnibus his commune eſt ſe
ptimo quodammodo die à quo incepit,deſinere.
Si igitur incipiat primo die, ſeptimum habet de
cretorium. Si tertio,quantum in ipſum agitur ſe
ptenarii numerum,decimum. Sed quia hic nequa
quam decretorius eſt,ad nonum aut undecimum
deuenit iudicatio:quę citior aut tardior quã ſepte
narius impetus,uno die eſt. Cæterum in animum
turſus reuocabis ut nonum diem hoc loco com
memorauerit tanquam decretorium,quemadmo
dum(ut antea docui)tertium, non per quaterna
riam aut ſeptenariam circuitionem habentes iudi
cationem:ſed ea ratione q̃ intercidant, quemad
modum libro de iudicationibus definitũ iam eſt.
Quin etiam tertia differẽtia doloris capitis quin
to incipit die,& ad quartũdecimum prorogatur,
propterea q̃ nõ admodũ calidus ſit,neq̃ feſtinet,

indicio est q incipiat quinto die, & quia adiecto septenario primis quinq diebus omnes fiãt duodecim. Duodecimum uero non esse decretorium, neq etiam fieri posse, ut unum anticipes diem. Ostensum enim iam est eum esse limitem acutissimorum morborum proprium, itaque merito in quartumdecimum excidit.

XXXII.

HÆC ACCIDVNT uiris & mulieribus potissimum in tertianis. Minoribus natu accidunt ét in illis, potissimum in febribus continuis, & in ueris tertianis.

In hominibus perfectis, de quibus assolet fere uirorum ac mulierum appellationem, in omni febre tertiana hæc accidunt, propterea q ætas biliosissima existat. In minoribus uero natu, nõ in omnibus, sed solũmodo in ueris tertianis, quæ inquã biliosissimæ sunt. Porrò accidunt per morbos acutissimos. nam hi quoq biliosissimi sunt: constatq; ut perfectis multo magis eueniant. Id enim prædictis consequens Hippocrates nequaquam adscripsit: quia à nobis intelligi facile posse.

XXXIII.

QVIBVS PER talem febrem dolet caput, & pro tenebris ob oculos offusis hebetudines subeunt oculorũ, ac splendor obuertitur & pro uẽtriculi dolore circa ilia aut læua parte aut dextera aliquid cõtenditur neque cum dolore, neq cum inflãmatione: sanguinem de naribus in his fluere, pro uomitione expectandum est: magisq; in adolescentibus sanguinis fluorem expectari oportet. Agentibus uero trigesimum annum aut etiam adultioribus, minus: sed uomitionem in talibus expectari oportet.

Talem dixit febrem, qualem inter initia sermonis per hanc indicauit dictionem: Si quis in febre nõ exitiosa dixerit caput dolere. Id igitur cõe in utraq; seruans febre, cõmune ét fore dicit, ut finiãtur per excretionem. proprium uero utriq; adiecit in genere excretionis: in priore quidem biliosam uomitionem: in sequẽti uero sanguinis fluorem. At uero signa id indicantia in priore quidẽ uisa tenebricosa ac uentriculi dolorem: in sequenti uero hebetudines oculorum & splendorem: & item intenta ilia citra dolorem & inflammationẽ: indicia maxima sursum uersus tendentis humoris. Porrò supra dixerat sanguinis fluorem comitari decretorie inflammationibus quæ in iliis fatigẽt: magisq; in minoribus natu, in quibus sanguis exuperat: & rursus idipsum nunc adscripsit, & item ut biliosæ accidant uomitiones in consistentibus per ætatis uigorem. Cæterũ libro de morbis uulgaribus ét lachrymari sponte dixit eos quibus sanguis è naribus erupturus est. Hæc igitur cuncta componens, atq; adiiciens eis quæcunque aliubi docui, nunquam non præsenties futurum sanguinis fluorem, potissimum si clare ex pulsu cognoscas indicium excretionis quod usquequaq; antecedit decretorium sanguinis fluorem.

De conuulsione.

XXXIIII.

PVERIS conuulsio accidit, si febris acuta fuerit, nec aluus deiiciat, ac uigilent, paueant, lugeant colorem mutent, & croceum, aut liuidum, aut rubidum trahant. Hæc igitur nuperrime ædi tis pueris promptius accidunt ad septimum usque annũ. Adultiores uero pueri uiriq; nõ in febre prehẽdũtur cõuulsione, nisi aliquod indiciũ extitit ualidissimum ac deterrimum, qualia per

phrenitidem accidant.

De conuulsione hoc loco disputat, quæ non in parte una corporis, sed in omni eo infestet, quæ in pueris promptissime euenit, potissimum lactentibus: nõ minime uero propter usum lactis, magisq; quoties fuerit crassum: & quia plurimo alimento & inopportuno utuntur, nihil aliud agnoscentes uiuendo præter esitandi commoditatem omne enim neruosum genus in illis debile est. Quum. n. tres uires genere existant, ex qbus gubernatur corpus: duabus quidem pueri quàm cæteri fortiores habentur: una uero debiliores, quæ in neruis innexa est: & ob eam rem promptissime cõuelluntur: & rursus ad habitũ naturæ facillime remeant. Perfectis uero nec facile consistit, neque desistit conuulsionis affectus, propter ualentiam in neruis facultatis. Itaq; conuulsio accidit etiam sine febre in forti admodum frigore, & copia humoris crudi crasiq;, & item inflammatione in neruis ac tẽdonibus, quoties originem ad consensum agant. Sed hoc loco de conuulsione docet quæ per febrem consistat, quemadmodum inter initia subiecit persequi prædictiones in morbis acutis, & in aliis quicunque ex illis decidentibus consistunt. Itaque cõuulsiones per tales morbos in auctioribus illa significabunt indicia q̃ maxime p̃ phrenitides difficiliores existunt: sed potissimum si partes in uultu peruertuntur, aut dentes strident, aut oculi crebro mouentur, aut peruertũtur. in pueris uero sufficiet si uigilent tantummodo, interdum si metuant admodum, quod inquam pauere nominauit. Si lugeant intente, & aluus haudquaquam deiiciat. Hæc igitur ceu causæ sunt: indicia uero conuulsionis ad has causas, colores præter naturam habentur indicantes humorum prauitatem, ex quibus cõuelli assolent.

assolent. Pallidus enim aut liuidus prauum qualitate significat humorem, rubidus uero, sanguinis copiam indicat.

XXXV.

CONVALITVROS monturosq; pueros & alios scrutari cõuenit omnibus signis, prout in singulis singula relata sunt.

Id etiam antea dixit, & nunc quoq; commemorat & rursus post paulum dicet: propterea q̃ utilissimum sit: attamen non id intelligunt pleriq; medicorum: sed interdum aliquod prauum uidentes indicium, ex quibus contingit uiuere hominem, criminantur ceu mendacem: quemadmodum rursus bonis apparentibus interempto ægro falsissimum esse Hippocratem dicunt: nondum cernentes ut interdum à multis bonis indiciis unum malum uehemens peruincatur, & rursus econtrario à multis malis unum bonum, si uehemens sit.

XXXVI.

HÆC INTELLIGO de morbis acutis & aliis quicunque ex his consistunt.

Id scripsit Hippocrates, quo modo ante dictũ etiam præceptum, uaticinatus negligentiam pariter & audaciam eorum qui sint eius uolumina lecturi, & item quæsituri quo pacto commemoret quadragesimum diem atque etiam sexagesimum, suppurationem q̃;, & aquam inter cutem, necnon febrem quartanam. Quũ. n. eo clare scribente ut non solum agat de acutis, sed etiam de his qui ex horum decidentia in longam temporis seriem extenduntur, attamen talia quærant quidnam agerẽt, nisi id effecissent?

XXXVII.

OPORTET eum qui sit recte prædicturus

ſanitatem ac mortem,in quibus morbus pluribus diebus fatigaturus eſt,& in quibus paucioribus: indicia ediſcendo omnia interſtinguere,æſtimãdo uires eorum inter ſe, quemadmodum tũ de aliis ſcriptum eſt, tum de urina & ſcreationibus, ubi pariter pus bilemq; excreet.

Omnia aſsidue oportere ſpectari indicia, nec uni credere,etiam antea definitũ iam eſt.Sed nunc adiecit ſermoni rem utiliſsimam:id uero eſſe dico uires æſtimare indiciorum oportere non ſimpliciter has,ſed conferendo eas inter ſe. Sunt enim quædam indicia ipſa per ſe praua ,magisq; & minus,quorum uires †menſurari oportet uocabulis: ut antea quoq; explanauit,aut exitioſum dicendo, aut,exitioſius aut admodũ exitioſum:&itẽ adiicĩdo uerbũ,iã. Nec ſecus in bonis indiciis rurſus ſimiliter,aut ſalutare,aut ſalubre ſimpliciter:aut magnã obtinet uim,aut ẽt cũ uerbo admodum.Plus eſt enim ſi dicatur,admodum magnam uim obtinet:quàm ſi nudum ac ſolum,magnam uim obtinet.Sed nunc conferri oportere dicit uires indicio rum inter ſe,non modo ſimilium uerbi gratia bonorum cum bonis,ac malorum cũ malis,ſed etiã bonorum cum malis.nãque ob hanc comparationem,ea quoque quæ fiunt prẽter rationem,innuit. In primis enim agnoſces quidnam præter rationẽ eueniat,tum aũt haudquaquam terreberis,& deinum conſiderabis quamobrem exiſtat,aut quidnam ſoleat indicare.Sed hæc omnia in noſtris cõmentariis definita iam ſunt,maximeq; libro de iudicationibus:nec ab re erit nunc quoq; gratia exẽpli reuocare in animum quædam,à communi initio incipientes omnis præſentiendi facultatis.Cõſideres enim conueniet in primis,utrum præcipue pars una in corpore affecta ſit, an morbus ſit humoris in conceptaculis conditi:deinde per'quam potisſimum facultatem periculum ægro immineat(etenim perpenſum iam eſt triplicem eſſe facultatem)tum deinceps facultatis illius mala ac bona indicia . Fingamus enim facultatem de cerebro manantem,imperpeſſam haberi,atque etiam corporis partes, imperpeſſas:ac omnem morbum ex putri materia fieri dũtaxat, quæ inquam febris eſt: deinde his ita habentibus,ab initio cuncta exiſtere in urina bona indicia:hunc hominem mori impoſſibile eſt. Quocirca quanquam aliquod exiſtat indicium terrificum,non ſolum non terreberis(quẽ ad modum pleriq; medicorum)ſed etiam id iudicationem præmonſtrare exiſtimabis.etenim dolẽt caput,ac delirant,& intuentur tenebricoſa quædã ac flaua,& hebetudines ſubeunt oculorum,atque etiam uentriculi dolor:& item ſpirant difficulter: & ilia contenduntur ratione iudicationis , & rurſus deiectiones malignæ,& ſcreationes,atque etiã uomitones quædam:& item partes nigreſcentes putreſcẽtesq; & intermoriẽtes hominem exhibẽt per omnia meliorem. Sæpe enim ex talibus ſecretionibus ægri facilius ſpirant , melius appetunt, melius dormiunt,dolore leuantur,ac reſurgendo leuiores,& in totum faciliores euadunt:perſpicue indicãtibus iis quæ euacuantur,expurgari corpus, natura præter ſpem ſuperiorem conflictum repellente.Sed hæc omnia poteſtate ſunt prodita,atque hoc uolumine definita:prẽcepta de pulſibus tantummodo addenda ſunt:quæ omnia in commentariis de pulſibus clare perſcripſimus,prorſus ſilẽtio diſsimulantes ſphingis ænigmata,qualia innumera ſcripſerunt Archigenis ſectatores. Itaq; hæc omnia prõptoanimo obſeruãdo inſpice,cõferẽdo ea interſe.ex his.n. poteris prẽdicere ea q̃ ab infirmis,omittũtur:iterdũ ẽt neceſſariis ipſis haudquaq̃

† In ant. cod.legit ξμ'τρηπε.i. metitus eſt:& forte melius.

exquisite perspecta: quemadmodum sæpenumero me uidistis in iis qui strideant dentibus ex natura, in illis haberi accidens pronunciare, ita ut existimarent familiares audiẽtes non ex medendi facultate, sed ex arte uaticinandi talem extitisse prædictionem: interdum etiam in dormientibus inconniuẽtibus oculis: ut id quoq; in eis ex natura existat: & quodã in uentrẽ cubãte id ipsi quoq; natura necessariũ. Porrò mulieris cuiusdã uisus est aliq̃do adeuntibus nobis dexter oculus alterũ insigniter superare: de qua dixi talẽ ante morbũ extitisse excessum: & itẽ in alio caua admodũ tẽpora. quo ꝑspecto tunc dixi per naturam haberi affectionem. Itidem aliorum cruentos oculos esse per naturam, conuulsam uero in alio supercilii partem, aut oculorum, aut labrorum: & item nonnulla ante morbum ex quadã causa fuisse exteriore. Quin etiam intermittentem pulsum, atq; etiam pulsus uarietatem, & alia generis eiusdẽ ex natura in quibusdam haberi dixi, uel ipsis ægris haudquaq̃ perspecta. Quandoq; etiam simulatq; conualuerunt, restare uisa sunt, Voces asperas, raucas, clangoris æmulas, in hoc ex natura, in illo ab ægrotatione committi. de quibus quum libro de præsagiis latius docuerim, nihil insuper necesse habeo hoc loco recensere: sed sufficiet summam † in hac hæresi dicendo sistere orationem. Quoties enim ex omnibus aliis sine periculo uideatur morbus, tale accidens terrificum ex natura adesse sciendũ est: aut prorsus ante ægrotationem fuisse propter aliquã causam euidentem. Quocirca mihi & Hippocrati credentes, considerabitis (quemadmodum dictum est) uires indiciorum æstimantes, quemadmodum ipse prædixit. Exempli enim habuit mentionem quoties pariter pus bilemq́; excreet: idq́; ab eo dictum est per dictionem illã, quæ ita incipit: Quæ-

† εὑρέσεως habeat ut sic uertat, si summã horũ inueniendorũ dixero & sic sermoni finem faciam.

cunq; suppurantur dum screatio biliosa est, exitiosa admodum sunt, siue uicissim bilis ac pus, siue pariter excernantur. Per hanc uero dictionem censuit cõsideranda esse exq̃sita ratione omnia, q̃ in ęgris existunt: & q̃dã eoꝝ enarrauit à bonis ita exorsus: sunt, facile ferre morbum, facile spirare, dolorem sedari, sputum facile excreari. Tũ autem deinceps ubi ea omnia simul recẽsuit, à malis rursus exorsus Mala uero his aduersa habentur. difficulter ferre morbum, spirationem magnam & crebram esse, dolorem non sedari, sputum uix excreari, sitire admodum, corpus ab igne inæqualiter detineri. Sed hoc tibi & prauorum signorum initium doctrinæ est ab eo antea proditæ ex prędicta materia, quam de excreatione scripsit. Vt igitur in his dixi, ita in cunctis agas, nihil omittẽdo, sed seorsum æstimãdo singulorum uires indiciorum, deinde ea inter se conferendo.

XXXVIII.

OPORTET & impetum populariter crassantium morborum cito considerare, necnon tenere temporis conditionem.

Ad prænoscenda futura in ægris accidentia, maxime conducit populãtium quoq; morborum cognitio, qui iã præsentes, & item futuri sint: quos perstrinxit breui summa per sentẽtias singulis exuperantes temporibus, atq; etiam præsentem & anteactam sequentes conditionem. Vere enim (ait) atræ biles, furores, & alii deinde, quos enumerauit, qui inquam ueris & aliorum temporum proprii sunt, quoties scilicet propria seruent temperamenta. Si minus seruent, exuperaturos alios ait morbos anteactæ conditioni congruentes: atq; qui nã ex his docuit postea futuri sint, & quinam statim in prima cõditione. De iis igitur, qui postea futuri

sint,ita docuit: Si hiems squalida & aquilonia fuerit,uer uero pluuium australeq; & alia quæcunq; deinceps dicit. De iis uero quę in præsentibus accidant conditionibus,dum ait: Conditionum anni squalores salubriores (quod in totum dixerim) quã imbres,& alia quæcunque deinceps existunt. Itaq; per sententias summatim morbos uulgarios seu exuperantes perstrinxit:libro uero de morbis uulgariis hæc particulatim excoluit. Quanta uero horum utilitas habeatur,quanquã uideantur comprehendi sermonibus uniuersalibus, explicabitur in cõmentariis de morbis uulgariis ab his ordine perscribendis. Nunc uero summam totius dicam præsensionis,de qua sermonem in præsenti dictione Hippocrates fecit. Indiciis enim proditis hoc uolumine prognostico,morborum ipsorum propriis censet adiicienda esse ea quæ ex aeris conditione ducũtur. Finge enim aliqua uisa esse indicia ex ratione morbi sanguinis fluoris,esse uero & tẽpus uernum: adhuc magis sperabis fore sanguinis fluoré. q; si præsens cõditio calida & humida fuerit,multo magis. & itẽ præteritorum duorum uel trium tẽporum conditio si sanguinem gignat,adhuc ẽt magis sperabis fore sanguinis fluorem. Vt igitur sermo de sanguinis fluore, ita de omnibus aliis est. Sed abunde erit dicere singulare exemplũ futuri sudoris: per æstus squalentes febres prope dixerim sine sudore eueniunt: per imbres cum sudore magis infestant. Itaque constat ut præter alia signa quæcunque ægrotationis propria habentur futurũ demonstrantia sudoré, circuncurrentis præterea aeris conditio accedens spẽ futuri sudoris firmiorem subscribat.

De signis & indiciis quonam modo differant inter se & item aliqua de temperie regionum.

XXXIX.

ID AVTEM bene nouisse oportet de indiciis ac signis,ut nõ lateat,ut quouis anno,& quouis tempore mala malum,bona bonum denunciant.

Non apud medicos solum,sed etiã apud rhetores quæri agitariq; solet quonam discrepet à signo indicium,quod græci τεκμήριον dicunt: ut quæstio non in uerbis solum habeat locum, quemadmodum aliubi,sed etiam res ipsas attingat. Oportet enim duplicem inueniri naturam rerum ex quibus medici præsentiunt: rhetores demõstrant,aut suadent. In iis igitur quæ sumuntur in demonstrationes,siue scientiarias,siue uerisimiles,differentia una est necessaria & assidue habens alterum altero subsequens,ex quibus propositio conficitur. alia uero nõ necessario,nec assidue,sed magna ex parte duntaxat. Quinetiam ex alia differentia, hæc ex obseruatione empirica,illa ex rationali seqla est: quod inq; demõstratio est. Hæc igitur rerum differentia habetur: nominibus uero in eis non omnes æqualiter utũtur: sed elegantiores (prætereo enim sponte alios) in prima sectione de eo quod perpetuum est,unumquodlibet indicans,censent utendũ indicii appellatione: signum uero nominant alterum. in secunda uero sectione,quod ex obseruatione est,signũ: quod uero ex demonstratione est, indicium dicunt. Cæterum ut authores ita nominibus utantur,nõ medicis solum scire utile est: sed ẽt illis quibus arte congruit græcizare. At uero ut ad demonstrationes ac præsensiones prædictam rerum differentiã cognosci,utilissimũ sit, pspicuũ cuiuis esse existimo. Sed utrũ ambo suã assidue seruent uim,q̃cũq; bonũ denuntiant,& q̃cunq; malũ, dignũ cõsideratione est. Igitur in sententiis ita di-

xit: Per morbos minus ii periclitantur quorum na
turæ morbus conuenit, aut ætati, aut habitui, aut
tempori, quàm quibus non conuenit aliqua ex his
ratione. Hoc igitur nõ discrepat ab eo, qđ nunc est
proditũ. Malũ. n. significare aliquod dixit assidue
mala indicia: non tamen ut similiter, aut non simi
liter insup adscripsit prędicta sentẽtia: neutrũ uero
transfert in contrariam naturam: sed ex maioris
minorisq; existere dicit pro natura, ætate, & aliis
quæcunque enumerabit. quocirca ex hoc nequa
quam ab Hippocrate contraria dicentur. Illud ma
gis pugnare uidetur, dum ait: Iis quæ non ex ratio
ne leuant, confidendum non est: nec ualde metuen
da ea quæ præter rationem incidunt mala. Hæc
enim magna ex parte infirma sunt, nec perseuerare
aut immorari diutius solent. An idipsum est pro
pter quod etiam adscripsit nunc à nobis proposita
dictionem? Accidentia enim de prauis in bona,
atq; etiam de bonis in praua mutantur: signa uero
nequaquam uerti in contrarium solent: sed magis
ac minus aut malum significare, aut bonum: non
tamẽ nunc bonũ, rursus uero malũ: aut malũ nunc,
rursus uero bonum. Igitur quæcunque in urina do
cuit esse mala signa, hæc haud unquam bona eua
dent: quemadmodum neque bonum ullum mal
lum. Itidẽ quæcunq; de screationibus uel deiectio
nibus tanquam bonis aut malis dixit, nullum in cõ
trarium uertitur. Pari modo nec quæcunq; circa
uultum fieri docuit signa aut ex colore, aut mole,
aut figura, atq; etiam decubitu deq; liuidis aut ni
gris partibus, aut alia quauis tali affectione. Omnia
enim uim retinent propriam, non secundum scili
cet magnitudinem (antea enim dictum iam est, ut
recipiant maioris minorisq; discrimen) sed secun
dum genus, propterea q; nullum bonum ad genus
euariat malorum, nec ullum ex illis ad genus bo

norum, quoties scilicet cum propriis finitionibus
considerantur. Non tamen in accidentibus ita res
habet. Quidam enim spirant difficulter, atq; etiam
delirant, & ilia conuelluntur, ac splendorem intue
ri credunt, & obuersari tenebricosa quædã ratio
ne iudicationis. Quin etiam cor dolore afficitur,
& infernum labrum intremiscit: & abscessus secun
dũ auriculas, aut aliquo alio loco erũpit. Constat
enim ut hæc omnia quandoq; eueniant (ut dixi
mus) ratione iudicationis: quandoq; uero grande
scentibus morbis comitentur. Ita fit ut illud sit ab
eo merito proditũ, Decretoria haudquaq; decernẽ
tia partim inferent abolitionem, partim difficilem
iudicationẽ. Sed de his omnibus tũ alio, loco tũ et
libro de iudicationibus perpensum iam est: ita ut
nihil insuper ad præsensionem desideretur. & ob
eam rem quod assidue moneo, nunc quoque per
sequi non dubitabo. In primis enim maximeq; stu
dendum præcipio, discere quæcunq; medicinalis
artis officia sunt: alia uero quæcunq; partim in uo
ce ac signficatione quæstionem habent, partim
rationalem comitantur contemplationem: post,
& in maiori ocio aggredi: quemadmodum nunc
de significationibus uerbi indicium, ac signũ. Quũ
enim quod ad artis officia utile est, dictum iam sit,
adiiciam aliquid huic consequens enarrationi, ali
ud ab iis quæ dixi: id uero tale est: De accidenti
bus decretoriis afferri uerbum signum conuenit,
indicium uero nequaquam conuenit. Sola enim il
la signa & indicia nominantur, ex quibus licet scru
tari aliquid de salute & abolitione ægri. quæ com
prehendens uno capite dicet aliqs haberi significa
tiones uirium gubernãtiũ corpus, quo pacto robo
re aut imbecillitate sint prædite: in quibus, scilicet
cruditatis etiam aut concoctionis signa continen
tur: ex accidẽtibus uero decretoriis nullum talem

habet naturã,ſed indicant fore iudicationem quo modo ẽt per excretionẽ,aut abſceſſum:& ad hæc p quã excretionẽ,aut abſceſſum,uerbi gratia,ſanguinis fluorem,aut uomitionem,aut abſceſſum q propter auriculas erumpat. Sed utrum bona iudicatio futura ſit,an mala: p hæc ſigna nequaquam ſcrutari licet. Conſtat.n.ut omnes tales iudicationes nihilominus in ſanitatem q̃ ad abolitionem finiantur: docuitq; finitionem earũ firmiſimã,non ex quibuſdam accidẽtibus ductam,ſed ex quibuſdam ſignis indiciisq;. Concoctio.n.(dixit) celerẽ iudicationẽ,ſecuram ſanitatẽ ſignificat: cruditas uero aut incoctio,aut malum abſceſſum,aut nõ fore iudicationem,aut temporis longitudinem,aut dolorem,aut mortẽ,aut horum ipſorum reciditas oſtendit. Quocirca fore iudicationẽ,ex accidentibus decretoriis (quæ ẽt ſigna decretoria nominari conuenit) præſentire poſsibile eſt. Sed utrũ in bonum an in malũ iudicatio ſit abitura,per cõcoctionem cognitio eſt: quæ rurſus haudquaq̃ fore iudicationem præmonſtrat,ſed cõualiturũ hominem aut moriturũ. Cæterum hæc erit ad eas quæ p̃dictæ ſunt,appellationũ alia enarratio uhà cũ rebus utilioribus ad artẽ prodita. Itaq; ſciendũ,ut ſigna decretoria accidentia genere exiſtant indicantia futuras excretiones aut abſceſſus: hæ uero cauſæ ſunt,ut morbus ſoluatur, aut ut exoluatur facultas,pri maria ratione: ſed ex accidenti ſigna quoq; exiſtunt.

XL.

CONSTAT VT in Libya,in Delo, in Scythia hæc prædicta ſigna uera ſint.

Non ſecundum ſolitam ſibi breuitatem de terris habuit mentionem. etenim prælatæ dictioni duabus adiectis ſyllabis,nihil inſup hac dictione

opus fuit. Igitur adiiciens ego eas,oſtẽdã qualiſnam ſermo fuiſſet. Id autẽ de indiciis ac ſignis, bene nouiſſe oportet,ut nõ lateat ut quouis anno,& quouis tẽpore,& terra,mala malũ,bona bonũ denunciẽt. In hac dictione uerbũ terra adiiciens,indicaui tibi ſuperuacuam eſſe nunc proditam dictionẽ. Nihil enim aliud per eam oſtenditur,q̃ ut ſigna tum bona,tum etiam mala ſibiipſis idem alterutra denuncient quouis tempore,ſi calidum,ſi frigidũ, ſi modificatum ſit. Libyam enim tanquam calidã, Scythiam tanquam frigidam,Delum táquam modificatam mediamq; inter utranq;,gratia exempli commemorauit.

Quo pacto prædictiones medicorum in morbis ratæ ſint.

XLI.

ITAQVE probe ſciendum eſt,ut in ipſis terris multiplicia conſequi nequaquã difficile ſit, ſigs ediſcendo ea iudicare & recte colligere ſciat.

Quod nos antea diximus ex uſu orationis, id hoc loco Hippocrates ſcripſit: ut ſi recte ediſcas uires indiciorũ q̃q̃ nõ aſsidue exq̃ſita ratione præſentias futura: ratæ ſaltẽ prædictiones multo plures erunt q̃ irritæ. Qua in re alter altero peritior eſt in cuiuslibet rei præſenſione. Nunquã.n.hallucinari,ſupra captũ hominis eſt: ſed quamminime oberrare,ſolius artificis eſt. Sed cũ magna ea in re diuerſitas habeatur: qui uicies preſagiẽdo oberrat ſemel,multo melior eſt quàm qui decies prædicendo,oberrat ſemel: quemadmodum rurſus melior q̃ is ipſe eſt,qui centies prædicendo oberrat ſemel: quemadmodum rurſus q̃ is ipſe melior eſt qui ducenties prædicẽdo oberrat ſemel. Igitur nõ rectẽ nos interrogãt Empirici,utrũ theoremata q̃

magna ex parte eueniant, adiectione ratiōis intrāſ-
ducibilia ac ꝑpetua faciamus. Deinde non ualētes
indicare, demonſtrare exiſtimant coarguiſſe tanq̄
ex ſuperabundanti rationē adiicientes. Nā ſi non
perpetuo, ſed ſæpius q̄ illi finē artis conſequimur,
quemadmodum præſentiendo futura in ægris, ita
etiam illis medendo.

XLII.

EXPETERE oportet nullius nomē morbi:
ſi nō hoc loco perſcriptum ſit. Omnes enim qui
temporibus prædictis iudicentur, his ipſis agno-
ſcas ſignis licebit.

Id mihi uidetur adieciſſe in calce orationis, q̄a
de morbis acutis & itē aliis q̄cunq̄ ex his fiūt, hoc
loco diſputari cōmonuit. Itaq̄ commemorans ut
multa ſigna à ſe prodita, tū bona, tū ēt mala, ſim-
pliciter dicta de cunctis in commune morbis ſunt,
pauca uero de q̄buſdā definitis: hoc in animū re-
uocauit adiiciens nihil eſſe ꝑ ſermonē omiſſum:
quod forſitan nos falſum exiſtimauiſſemus: quia
quorundam habuit mentionē nominatim, alioꝝ
non nominatim: id.n. hoc indicat non temere à ſe
factū, nec ſine cauſa. Sed quoniā præter alios q̄dā
morbi præceptis egebant propriis, ob eā rē eorū
mentionē habuit ſeorſum: omnes alii omiſſi, ſub
cōmunibus ſignis collocantur. In primis ab eo ꝑ-
ſcriptū quē appellāt uultū exitioſum in omni mor-
bo acuto, exitioſum uere dictū eſt. Pari ratione q̄-
cunq̄ de accubitu ſcripſit, aut ſpiratione, aut ſom-
no, aut inſomnio, aut aliis quæcunq̄ cōmunia ſunt
omniū, qui prælatis tēporibus iudicētur. Non.n.
de diutinis cōmentariū eſt, ſed (ut ipſe dixit) acutis
& aliis q̄ ex illis cōſiſtant: quoꝝ tēpus ipſe ēt indi-
cauit, in q̄buſdā uigeſimū diē, in q̄buſdam quadra-
geſimum aut ſexageſimum terminum ponens.

rhetici Hippocratis librum Commen-
tarius primus, Ioanne Vaſſæo
Meldenſi interprete.

SENTENTIAM Hero-
phili qui præſenſionem re-
rumq́; futurarum ſcientiam à
prædictione certo & incerto
diſtinguere conatur, probare
non oportet. præſentimus ſi-
quidē modo utroq̄, & præ-
dicimus, ueluti & cætera om-
nia, omni in arte. Imbres ſiquidem ſiccitatesq́;, &
frigora & æſtus, & uentos & uentorum tranquilli-
tates quibuſdam ex ſignis præſentiunt tum nauiū
rectores, tum ruſtici. atque interdum quidem tum
exacte, tum certo, interdum & ad probabilē uſque
expectationem. De ſignis autem huiuſmodi, cum
alii pleriq̄ tum Aratus in libri, eorum quæ in aere
conſpiciuntur, calce ſcripſit. At quonam quis pa-
cto futura prædicere ualebit, niſi ea præcognoue-
rit? Quòd ſanè demōſtrauit Hippocrates in exor-
dio prognoſtici ita ſcribens: Præſentiens enim, &
prædicens coràm ægris. Præſenſio autem in ani-
ma eſt noſtra: prædictio uero eorum quæ multis
ſunt præcognita, per uocem efficitur. conſtatq́; nō
alia quidem in anima nos opinari, alia uero præ-
dicere. Cæterum quonam pacto liber inſcribatur,
cęteris qui opera artis non ualde curauerunt, per-
ueſtigandum relinquentes, quæ in libris ſingulis
ſunt conſcripta, ipſi contemplemur. quomodo in
aliis quoque fecimus, quę antea expoſuimus. aliis
quidem diſtinctiones aliquas, tum neceſſarias, tum
à ſcriptore prætermiſſas adiicientes: alia uero nō
eſſe uniuerſalia demonſtrantes, neque in ea eſſe di-

ctionis figura formaq; qua de eiusmodi author differre uideatur.

1.

QVI COMATOSI inter initia fiunt, cum capitis, lumborum, hypochondrii, colliq; dolore uigilantes, phreniticine existant: stillatio è naribus his pernicioſa, tum aliàs, tum ſi quarto cœperit die.

Complura ueterum exemplaria uerbo, phrenitici, uerbum, existant, non habent adiectum. hinc exorta est quæstio utrumne eos qui ita habẽt, quis iã phreniticos appellabit, an fore expectabit. Adiecto uero uerbo existant, atque in hunc modum ſimul ſcripta oratione, phreniticine existant: quæstio est an qui ita affecti sunt, iam phrenitici sint, uel nõ sint. Quæstioni autem eiusmodi iam & alia quædam non momentanea annectitur quęstio, quam & de febrilium accessionum principio mouerunt. Nempe in illis rationi consentaneum esse uidetur, nõ postea uenturam præcognoscere nos accessionem: sed incipientem iam dignoscere ex permutatione pulsuum. Quoniam uero nondum insignem acceperit magnitudinem, ut ægro quidem tanquã dicenda conſpicue uideatur, à nobis uero ut tanquam iam facta cognoscatur, res hæc non aliter quàm plãtæ recens, è terra ortæ dignoscitur. quas rusticus quidam, uel qui in herbis omnibus dignoscendis est peritus, confestim internoscit: cæteris uero incognitæ manent. Agros siquidem herbas germinatione simillimas sæpius ferre cõſpicimus, quas nos quidem non internoſcimus, rustici uero internouerunt, quidnam scilicet ex his herba sit, quid triticum nuper enatum, quid hordeum, quid zea, & quidnã aliorũ unumquodq;. Ad hunc quoque modũ res habet in arboribus. Nempe & eas

cum omnibus ſuis partibus abſolutæ ſunt, uniuersi cognoſcimus: cum uero enaſci incipiunt, omnino à paucis cognoſcuntur. Sermonem igitur hunc ueluti admodum probabilem cõmendare oportet. Sed deinceps est inquirendum quidnam per phrenitim oporteat intelligere. Nempe Hippocrates in libris epidemiorum morborum, ut in eorum docuimus commentariis, continuam eam quæ cũ acuta febre est dementiam phrenitim appellare uidetur. continuam inquiens, quia nonnunquam in uehementium febrium uigoribus desipientiæ ſuę perueniant: ſed in declinationibus confestim deſiſtant. μαίνεσθαι ſiquidem, id est insanire omnes homines dicũt eos qui desipiunt citra febrem. φρενιτίζειν uero, qui cum febre id patiuntur. Quod uero in febris uehementis uigore accidit, appellant & παραφέρεσθαι & †παραχθῆναι & παραλήρησαι & παραφρονῆσαι. phrenitim uero non appellant, nisi febriat æger, & continue deliret. Cõtinuitate igitur demẽtiæ, quodq; simul cum febre fiat, phrenitim agnoſcemus. Videmus & phreniticos esse qui comatoſi existentes ſapiunt: ſed & delira loquuntur, atq; à præſentibus expergefacti ſtupefactis ſimiles uidẽtur. In hũc itaq; modum, & in epidemiorum tertio ita ait: Nullus autem phreniticorum uehementer insaniuit, ut in aliis: ſed alia quadam ueternoſa in ſomnum delatione capite grauati moriebãtur. Sermonẽ itaq; hunc tanq; maxime uerisimilẽ recipio: uocariq; omnes ab Hippocrate phreniticos existimo, q. mẽte leſi cõtinue fuerint. quo modo & μανικοὶ appellãtur, q. ſola febre ab his discrepãt. Sed quoniã his magna ex parte insit, ut palpebris aptis uigilent, ob id quãplurimi medicorũ uigiliã ẽt huiuſmodi inter ea q. phrenitidẽ indicant, ſcripſerũt. Dixi huiuſmodi, quoniã & cũ comate uigilię fiãt, ut Hippocrates ipſe in epidemiorũ tertio oſtẽdit

Phrenitis apud Hip. pocratem.

μαίνεσθαι φρενιτίζειν.

†παραχθῆναι alibi legitur.

Cum Coma te vigilia.

inquiens: Prehendebat autem eos uel coma con-
tinuum, non somniculosum, uel peruigilium labo-
riosum. Vt coma sit in somnum delatio, nequeun-
tibus qui ab hoc occupantur symptomate uigilan
tium munia obire, sed tum palpebras claudere cu
pientibus, tum dormire sperantibus. Contingit au
tem interdum horum quibusdam, ut clausis palpe
bris dormire nequeant, sed plurimum uigilent,
quod Hippocrates coma non somniculosum ap-
pellauit. De eo autem quod per uocabulum co-
ma, significatur, librum habes integrum nostrum,
in quo pluribus testimoniis Hippocratē cataphō
ram omnem, id est ad somnum delationem coma
appellare demonstrauimus. Quo fit ut impræsen
tiarum eosdem comatosos & uigilantes dici mi
rum non sit. Si itaq; comatosi absque uigiliis fue
rint, nō q̄sierim phreniticos ne eos uocare opor
teat, an iam existentes uel futuros. Perpetuo siquid
dem ita me audias, ob ea quæ primam rerum om
nium generationem, nō solarum affectionum præ-
grediuntur. Neque uero si neruosæ partes male cū
uigilia inter morbi initia afficiantur, ne ita quidem
quæsierim an phreniticos eos appellare opus sit.
Nempe qui sine uigilia comatosi existunt, nullo
pacto sunt phrenitici. At qui sine comate peruigi-
lant, si id per initia cum prædictarum partium do-
lore perpessi fuerint, de necessitate phrenitici exi-
stunt: si uero uigilia comati annexa fuerit, ambigui
tatem res habet. atque ob id in oratione, ἆρα con-
iunctionē, id est ne, adiecit, qua tono circumflexo
utimur cum de quibusdam rebus addubitamus.
Quod autem & in sequentibus memoria tenere
commodum existit, id semel intellectum perpe-
tuo habere in promptu debemus, & quæ propter
causarum externarum aliquam facta sint, & quæ
morbi ratione superueniant, distinguentes. Nam si

quis

quis contente ambulauerit, uel alia ex actione lassi
tudinem senserit, uel & unà cum his exustus simul
febrire cœperit, capite itē dolere, & lūbis, & hypo
chondrio, & ceruice: nullam magnam profectò ex
his accepturum te, uel ad futurarum, uel iam nascē
tium affectionum discretionem speraueris notam.
Verum si absque externa causa prædictas partes
infestauerint dolores, si uigiliæ quidem ægro con
tigerint, absque ea quæ in somnum sit delatione,
deliraturum eum sperabis. Quòd si unà cum co-
mate hæc coniungantur, tunc diem unum expe-
ctes in quo motionē ægritudinis dignoscas, opor
tet. Phrenitis siquidem quæ exquisita est, & nulli
alteri morbo permiscetur, fit cum bilis flaua locum
in quo princeps animæ pars residet, prehenderit:
lethargus uero, cum locum eundem humectarit di
lueritq; pituita. Nam quæ partibus in aliis ex bi-
le & pituita noxæ cerebrum ipsum ad sympathiā
trahere possunt, continuæ hæ non sunt. Quoties
igitur uterque humor cerebro molestus fuerit, pre
hendunt contraria hominem symptomata, ita ut
tum uigilet, tum leniter in somnum deferatur. Cū
uero & ad somnum defertur, simul & desipit, mi-
xtam ipsi permanere affectionem est putandum.
Nonnunquam & in horum alterum res ita defle-
xit, ut uel bilis, uel pituita supior sit, ægerq; redda
tur aut phreniticus exquisite, aut lethargicus. Ego
uero quoties ad finem usque tum desipientia, tum
coma perfistunt, affectionem hanc ex phrenitide
& lethargo mixtam appello. quidam τυφομανίας
uocauerunt, ut & in libro de morbis ab Hippocra
te est scriptum. In tertio uero epidemiorū, ut pau-
loante dixi, phreniticos omnes appellat qui cōti-
nue desipiunt cum febre. Iam reliquum est, ut que-
ramus quam ob causam dictionis principio dixe-
rit, Qui comatosi initiainitia fiunt: in calce aūt, tū

alias,tum si quarto cœperit die. Nempe principii nomen indicat quidem & primum morbi ingressum insultumq;, indicatq; & eum qui secundum latitudinem ad tertium usque uel quartum extenditur diem. Indicat præterea & primum morbi tempus,cum morbum in quatuor diuidentes tempora,constare ex principio,incremẽto,statu & declinatione pronunciamus. Sed de his ex principii nomine significatis in primo de iudicationibus est demonstratum. Nunc autem in quo significatu dictum hoc nomen sit,consideremus. Arbitror equidem Hippocratem in prima dictionis parte principium dixisse morbi totius ingressum qui secundum latitudinem intelligitur. In calce autem cum ait,tum aliàs tum si quarto cœperit die,dicere tũc solum incipere prædicta symptomata ægro iam quatuor ante diebus febre correpto,ut in eo quod secundum latitudinem sumitur principio generentur tum coma,tum uigilia,tum partium neruosarum dolores. Nempe primo uel secundo die præcopia sanguinis propter bilis permixtionem tum acris tũ mordentis potest reddi idẽ æger tum comatosus tum uigilans,grauata quidem ob sanguinis copiam cerebri facultate:sed à bile usque adeo irritata ut somnus inhibeatur. Quarto uero die copia iam imminuta,& præsertim si medicus eam uacuare præuerterit,atque acrimonia cocta,desinere utrunque symptoma tum coma tum uigilias par est. Si ergo quo tempore cessasse debuerunt ea fieri uideantur,bilem uel pituitam cerebrum inuasisse,non sanguinis copiam id commonstrat. De potentia autem quarti diei in libris de diebus iudicatoriis est dictũ, cum inibi mentem Hippocratis explicaremus,quo modo & in prognostici commentariis. Nempe hunc ait indicem septimi esse. quod est:eam habere naturam ut qualisnam septimus futurus sit,indicet. Cum ergo signum malum quarto apparuerit die, malus de necessitate septimus est futurus:si uero salubre & bonum,septimus bonus erit. Nam proportione uirtutis signi, tum magis tum minus uel bonum uel malum fore septimum sequens est. Quæ autem signa magis minusq; tum perniciosa,tum salutaria existunt,in prognostico ostendimus. Septimum igitur proportione quarti magis minusq; tum bonum tum malum fieri continget. Cum itaque stillatio è naribus semper malum signum sit,absoluta morbi malitia significatur,si quarto fiat die. Videtur siquidẽ natura collectam in cerebro abundantiam conari expellere:sed nequire. Talium autem signorum genus deterrimum esse constat. Nempe q̃ uel tubercula uel pustulę ex imo ad cutem enata recurrerũt, grauissima omnium existunt. Sudores quoq;,qui cœperunt quidem,sed protinus cessauerunt,praui sunt: deiectiones item & quæ per sanguinis eruptiones,uel in mulieribus per uterũ uacuantur. Omnia siquidẽ hæc deteriora his sunt quæ nullo apparẽt pacto,si ubi cœperint,cessent. Cõtingit enim interdũ coquentẽ adhuc cõtristãtia naturam nondũ ad horũ expulsionẽ excitari. In illis uero quæ cœperunt quidẽ,sed protinus desierunt:apparet uelu ti excitatio quædã, natura excernere quæ molesta sunt conante, atque ita ob imbecillitatem quod proposuerat perficere nequeunte.

II.

VENTRIS ualde rubẽs proluuies mala quidẽ in oĩbus morbis,nõ minime uero ĩ prędictis.

Signorum singulorum uires docet in prognostico Hippocrates. uultq; in calce libri uiribus dictorum signorum æstimatis perpensisque, id est inter se collatis, fieri ita prænotionem.

Nempe signorum quædam ὁμοειδῆ, id est speciei eiusdem existunt. cum autem ὁμοειδῆ dico, quasi & ὁμογενῆ, id est eiusdem generis iam dixerim, ita me audias. alia uero neque genus habent idem neque speciem. Speciei ergo eiusdem sunt, quę in una aliqua fiunt affectione. quæ quidem per sputa excernuntur, affectionis tum pulmonum, tum thoracis, tum asperæ arteriæ, tum gutturis, atque (ut in summa dicam) respirationi subseruientium instrumentorum signa sunt. horum autem ipsorum quæ & in respiratione uitium per se & primum contraxerunt. Nam ab his separatur, quæ per consensum afficiuntur. Cerebri quoque & mębranarum quonam afficiantur modo signa sunt, per ea quæ excernuntur, quæ per nares, & palatum uacuantur: per functio num uero læsionem, quæ in cataphoris, uel uigiliis, uel desipientiis, uel conuulsionibus, uel totius corporis tremoribus uisuntur. Si quis igitur simul tum desipiat, tum conuellatur, quod affectio ea grauior sit, quàm si alterum illorum duntaxat fuerit, liquido constat omnibus. pari modo si dilucidius spirans, protinus & nigra expuat. Sed forsan hæc non recte inter se quis permiscuerit, iuxta eam quæ in libris esse debeat, doctrinam. Sufficit enim cuiuslibet uirtutem recensere permissa discentis arbitrio omnium in ægrotantibus cõtemplatione. Signorum autem diuersi generis connexio prorsus inutilis est, & cum in libris scribitur. & cum in exercitationem per eam quæ sermonibus fit conuẽtionem, accedit. Nempe definita cuiusque simplicium uirtute satis est postea semel duntaxat discere quod dixit Hippocrates, perpendendas scilicet signorum uires, conferendasq; inter se, ut de ægrotantibus quippiam enuncietur. Si quis autem signum malum esse urinas nigras dixerit, adiecerit q; & peius esse si nigra quoque expuerit: & de

inceps hoc rursum peius si & nigra deiecerit, atq; si inter initia id contigerit: præterea & peius adhuc esse, si quarto id fuerit die, adiecerit q; & his tum quod in exordio prognostici est scriptum, tũ faciem illam, quam priuatim mortiferam medici appellant, uanam sanè signorum permixtionem scripserit. Nullus siquidem ita amens, ut non intelligat minus male eum habere cuius pulmonem uel thoracem morbosa urget affectio, deterius uero eum cuius partem utranque fatigat: sicuti & adhuc deterius quem unà cum his uentris exercet affectio: atque adhuc deterius quem uel iecoris uel cerebri affectus premit. Quæ igitur uniuersi uel non scripta norunt, ea frustra temereq; scribũtur, nisi quis uel chartas uel tempus perdere uoluerit. quod perpetua seruari memoria uelim. Sed ad institutum redeamus. Capite dolentibus non absque ratione lumborũ dolores, ceruicisq; & hypochondrii adiecit. nempe pluribus generis eiusdem simul factis signis non solum species uel genus cõpertius erit, uerum quoque & magnitudo ipsius dignoscetur. Quum autem desipientiæ coma adiunctum fuerit, eaq; cerebrum male habere demõstrent, securior nostra erit cognitio, uidebiturq; affectio maior. Quum uero & è naribus stillatio accesserit, iam non securiorem cognitionem esse dixerim: sed scientificam & certam, cum signa uictam à morbo cerebri facultatem commonstrẽt. Quòd si & quarto die factum esse id adiectum fuerit, certissime ita cerebrum in magna quidem esse affectione cõstabit, sed perniciose hominem habere, quibus si adiecerit quis frigidum tum è naribus tum ex ore expiratum, pernicioſum quidem in omnibus esse, non minime autem in prædictis, uerum quidem aliquid enunciabit: sed doctrinæ qua liber pollere debet, superuacaneum. quo modo & si his

adiecerit nigra ſputa.nempe & hæc quidem mala ſunt,ſed alteram à prędictis cõmonſtrant affectionem,ueluti & urinæ. Nam & hæ ſi nigræ fuerint, uitioſam præſtant notam.uitium tamen aliud oſtẽdunt. In prognoſtico igitur ſeorſum ſignorum ſingulorum uirtus declaratur.atque eorum quæ affectionem unam indicant,concurſus aliquando eſt ſcriptus,ut in exordio quidem in ea facie quæ mortem portendit,infra uero in ſuppurationibus,hyderis,& aliis quibuſdam:in hoc autem libro ſępius in una diuerſi generis ſignorum concurſione complura ſuperfluę implicantur. quo fit ut ualde rubens proluuies quæ in iecoris ſit affectionibus perperam hoc in loco cerebri uitiis adiuncta ſit. Eſt ſanè & ea per ſe non bonum ſignum, iecinoris ſcilicet imbecillitatem oſtendens:ſed adiecta cerebri affectioni,duo ob ualentia uitia periclitari hominem prænunciabit.,ſed quidnam hoc?Nam ſi pleuritis & peripneumonia uno fiant tempore, periculoſius id exiſtit,quàm ſi horum alterum diutaxat factum ſit. Nec minus ſi præter hæc dyſenteria quoque æger uexetur,aut quæuis alia cum his oboriatur affectio. Sed nemo permixtiones huiuſmodi ſcripto docet. Ventris autem περιπλύσεις,id eſt proluuies,appellat tenuium ſubſtantia humiditatum deiectiones.ut ſi quis abluto aqua ſanguine conſperſo uentre aquam excreuerit.ſic & biliоſa dicitur proluuies,cum quod excernitur,tale apparet,quaſi ex aqua & pauca bile mixtis fiat. Imbecillitas autem retentricis facultatis eſt hepatis,atque ut plurimum ſanguificæ ſymptoma comitatur. hoc autem ſuperfluis quæ reuomuntur proportione reſpondet. Nam quum uentris concoctio inculpata fuerit,nullum ſymptoma huiuſmodi ſubſequitur.quum uero ob copiam uel corruptionem uel & ſuperfluas humiditates non ualde utiles in ore

uentris relictas grauata fuerit, uenter ad horum excretionem inſurgit,& uomitum facit. Tale quippiam & quum ſanguis in iecinore generatur contingit. atque ob id cruentæ interdum fiunt deiectiones:interdum autem & impenſe rubentes proluuies : aquoſa ſcilicet ſimul & cruenta tenui humiditate ex hepate in uentrem confluente:uel modico ſanguine tum acri tum mordente & uelut ſemicocto tenuibus & aquoſis humiditatibus permixto,atque colorem illis præſtante.

III.

DENSÆ linguæ,atque aridæ:phreniticæ.

Scriptum eſſe τραχεῖαν,id eſt aſperæ,nõ δασεῖαν id eſt denſæ,erat melius. Nam cum lingua connatam naturalemq́;,tum ex uaſis,tum glandulis,quas à fundenda ſaliua σιαλοχόους uocant, humiditatem habeat,primus quidem ipſius defectus δασύτητα i. dẽſam,eam facit:maior uero,aſperam. Immoderatior autem ſiccitas perrumpit eam,ſed madentẽ:nõ ſecus quàm pinguem terram diutini ſqualores. quapropter ut lingua ſicca ſimul,& denſa ſit,fieri non poteſt. Melius eſt igitur,ut retuli, aſperam ſcribere. Neceſſe eſt ergo ſit alterum è duobus,nempe aut ſcriptor neglectim enunciauit:aut qui primus adſcripſit dictionẽ, uitiauit. Talis uero lingua ſiccitatis immoderatæ nota eſt.quo fit ut & ardentibus ſuperueniat febribus. idq́; oſtendiſſe ei qui ſecundum prognoſtici legem ad doctrinã accedit, fuerit ſatis.nempe qui diſcit,ſiccam linguam ratione eadem fieri intelligit,tum in huiuſmodi febribus,tum in phrenitico.ſiqdẽ & phrenitica affectio quã flaua bilis parit,calida & ſicca eſt. Præſtat igitur mea ſententia dictionẽ uitiatã eſſe affirmare,quo modo & alias multas ita uitiatas eſſe demonſtrauimus apud pleroſq; me ſupiores ueteres,nõ meo

dicos modo: uerum quoque, & grammaticos, & rhetoricos. Sunt ex libri expositoribus qui hoc ipsum defendere sunt conati, linguas densas dici quæ densam efficerent uocem affirmantes. nẽpe uoces quasdam ita appellari aiunt, à quibus qui eas proferunt, δασυστόμους, id est densi oris, appellitari dicunt. uoces ergo huiusmodi cum sicca lingua phreniticas esse aiunt: perinde quasi scriptor dicere non potuerit, densæ uoces cum sicca lingua phreniticæ. Sed pro uocibus linguam dicere absurdum uidetur. nempe & hoc pacto quis dixerit, tum graues, tum acutas, tum paruas, tum magnas linguas, ubi uel grauem, uel acutam, uel magnam, uel paruam indicare uocem uoluerit. Adde quod neque uoces illas densas appellari audierim, quemad modum nigras & albas per metaphoram quosdam appellare intelligam. proinde nec noui quidem quasnam uocent densas. Raucas quidem, & nigras in libro de uoce, propter uoci deputatorũ organorum humiditatem fieri ostendi. Densas uero si alias quasdam præter has dicãt, explicare debuerunt. & si ex his aliquas, uoces sanè eiusmodi ob humiditatem potius, nõ ob siccitatẽ fiũt. sicuti tũ acutæ, tum clãgẽtes ob uocaliũ instrumentorũ quæ circa gutur sita sunt, ariditatem. Cæterum linguam non uocale, sed uocis ipsius explanatorium instrumentum esse constat. atque ob id quũ ea patitur, balbutiem blæsitatemq; in locutionibus fieri contingit, & non raucam habere uocem, uel nigrã. cuius generis esse quosdam suspicor eas existimare quas ipsi appellant densas. Ego enim, ut retuli, neminem qui ita uocaret audiui: tametsi plerosq; medicos audiuerim dicentes palpebras densas, quæ asperitatem quandam exiguam haberent, sicuti est densa lingua. nempe absolutas densitates non amplius densitates appellant, sed aspitates propor

tione igitur linguæ asperitati hæc respondent.

IIII.

VRINÆ IN turbulentis uigilibusq; decolores, nigræ, sublime petentes, atque in sudore: phreniticæ.

Solœco in dictione participant non paucę libri huius orationes: ut ob eam rem iure suspicati quidam sint librum Hippocratis non esse. nempe & ob sermonis breuitatem reiectus erat, Mochlico quidem inter libros Hippocratis confesso receptoq;. neque eo solum: uerum quoque, & aphorismis ipsis. qui quanquam maxime cum breuitate enuncientur, non tamen quod solœci particeps sit in ipsis reperias. Adde quòd enunciationes adeo excellant, ut planè dicant grauem eius libri authorem esse. Præsens uero liber absurdam in multis orationibus habet enunciationem. Vt quum in præsenti dictione de urinis agit. Nẽpe hoc pacto improprie dictum est sublime petentes, cum quæ in urinis sublime petant, dici ita debeant, non urinæ ipsæ. Ob eam causam nonnulli permutata dictione ita scripserunt: Vrinæ in turbulentis uigilibusq; decolores, nigris sublime petentes. Sed pro culdubio repitur & in ea scriptura solœcophnes, etsi quammaxime uitare ipsum uideantur qui dictionem permutant. nempe hæc oratio, sublime petentes, manifestam ad urinas relationem habet. Hæ igitur ipsæ & phreniticæ dicuntur, id est phrenitim uel significãtes, uel faciẽtes. quòd faciant nõ consentaneum uidetur, quòd significent non uacat ratione. Quòd si indicent, phrenitidem cum effectrice causa quadantenus communicare indicant. Demonstratum autem est nigras urinas ob serum bilis atræ unà cum excrementis aquosis emissum, procreari. Gemina uero bilis atræ existit genera-

tio.nempe & ex bile supra modum exusta, assataq́;,uel ex crasso sanguine. Supra modum autem assatur propter uehementem caliditatem. Iure ergo in febribus quæ causi appellantur, & phrenitidibus talia meiuntur, quum tum calidæ, tum siccę affectiones eiusmodi existant. Inter urinas autem quæ per se totas nigræ sunt, deteriores his habentur quæ enæorema duntaxat nigrum habent. In præsenti uero dictione, neque an urinas totas nigras dicat, uel sola enæoremata, conspicue est explanatum. Vult autem dictionis huius author quicunque fuerit, urinas huiusmodi, cum in turbulentis uigilibusq́; apparuerint, phrenitidem indicare. Vt ταραχώδεις, id est turbulentos eos intelligamus, qui †non insigniter turbantur. quod offensa leuiter mente fieri consueuit. Adaucta uero huiusmodi quæ exigua fuerat offensa: non ταραχώδεις simpliciter, sed iam παραφρονοῦντες, id est desipientes, tum dicuntur, tum sunt. De uigilia autem quid attinet dicere? quòd ex phreniticis symptomatis unum sit. Superuacaneum præterea in dictione est uerbum hoc, decolores, in urinis, cum per nigras consignificatum sit. Oratio autem hæc, in sudore, sudores quidem circa caput fieri ostendit, præ copia cõflictari indicãtes. quod & si inter cætera phreniticum sit, improprie tamen enunciatur, quum quidnam intelligere oporteat, excogitare nequeamus, ubi dicitur, in sudore: an urinas, quanquam ipsa totius enunciationis sequela hoc uideatur maxime uerisimile intellectu: an passa corpora: an præter hæc & affectiones. Sed quouis modo qs intellexerit, ꝙ enũciatio impropria nõ sit, effugi nõ potest. Omissa igitur ea quouis modo habuerit, scripta cõsideremus. Vigiliæ igitur, & turbationes ægrotantiũ re uera sunt phrenitica. urinæ uero & sudores, nullo pacto. Nem-

† ἀλόγως .i. præter rationem

pe quomodo succitum arteriarum, tũ uenarũ habeant, urinæ indicant. Signa uero phrenitica cerebri ostendunt affectionẽ. Pari modo sudores quanquã aliarũ quarundã affectionũ notæ existant, de qbus mentionẽ sæpius fecimus, nõ tamẽ cerebri affectionẽ sufficienter demonstrare possunt. Sunt sanè nonnulli ex his qui librũ hunc exposuerunt, qui ex scriptis in libris epidemiorum ægris desipientes colligant, qbus pati quippiam contigit eorum quæ hic referuntur tũ symptomatũ, tũ signorũ, uel in deiectionibus, uel urinis, uel uomitibus, uel sudoribus, uel pustulis, uel sputis, uel partem aliquã infestantiũ, cũ sanè talia signa phrenitica non sint, quanq̃ ægris de necessitate insint. Fieri siquidẽ nõ poterat, ut talis, uel nõ talis, urina in his nõ inueniretur. Pari modo, & de sputis deiectionibusq́; & cæteris omnibus est dicẽdũ. Si igitur in ægro quopiã deiectio eiusmodi, uel tale aliud quippiã unà cũ signis phreniticis uisum fuerit, atq; deinde ęger phreniticus reddatur, ꝑperã quis ea omnia phrenitidis indicatoria esse pronunciauerit. Necesse est enim ut propriis morborum signis alterum è duobus insit, nempe ut uel perpetuo, uel solis contingant. Cum autem neque solis insint neque perpetuo, propria illorum non sunt. Ob eam causam phreniticorum signorum ea sunt certissima, quæ perpetuo, & solis insunt phreniticis: deinde ab his quæ perpetuo quidem, sed non solis. quæ in suis tractationibus distincte sunt tradita à nobis, demonstratumq́; neque in urinis, neque in deiectionibus, neque in sudoribus, neque in sputis, neque in uomitibus, phrenitica esse signa. Consueuerunt autem libri interpretes propemodum omnes, ut dixi, adnotare ex epidemiis ægros, neque solum in præsenti dictione, uerum quoq; & similibus huic omnibus

Eam ob causam qui sese eorum æmulos præstant, ii apud ægros quotidie multa quidem effutiunt, sed quantum ad prænotionem attinet, idiotis consimiles. Nempe quod in omnibus prognosticis speciei morborum signis in affectorum locorum methodo exercitati esse debeant, est perpetuum. De ea autem methodo à me seorsum scriptum est, ueluti & de his quæ iudicationes significant. In quibus parum exercitati quidam ueterum libros exponere audent, planè ignorantes quòd bonum enarratorem oporteat esse idoneum prius indicare quæ bene, & quæ perperam ab authore dicta sunt, ne his quæ perperam dicta sunt, patrocinatus opinionem uel ignorantiæ, uel contentionis reportet. Verum quoniam non in hac dictione solum, sed etiam per librum totum inserunt quos ex epidemiis collegerunt ægros, præsentem sermonem totum ad finem usq; perducere satius esse arbitror. Quòd siquis prolixitatem moleste tulerit, proprium dictionis huius sermonem, non libri totius communem esse existimans, ubi à nobis audierit quonam pacto expositoribus quidem in omnibus ferè dictionum expositionibus, quas perperam in medium afferunt, non prolixus modo, sed ediscentibus etiam ipsis nocuus sermo sit: quæ uero à me nunc semel dicta, & commodissima sint, & dicendorum omnium breuem compendiosamq; faciant explanationem, desinet certe prolixitatem incusare, habebitq; mihi gratiam tum ob eorum quæ ostensa sunt, utilitatem: tum ob eorum quæ dicentur, breuitatem. Erit autem sermo tanquam in exemplo phrenitidis: sed morborum omnium communis. Quoniam igitur phrenitica signa omnia methodo inuenire proposuimus, ab affectionis notitia exordiemur. Nempe ut optimum omnium dicendorum principium sit

rei quæ inquiritur, notitia: in libris de demonstratione est ostensum. Quum ergo phrenitim mortales omnes eam appellitent affectionem, in qua φρὴν νοσεῖ, id est mentem læsam esse uideant, quam tum φρόνησιν, tum διάνοιαν, id est sensum, & intelligentiam ét uocant: prius qua corporis in parte animæ intelligentia sit, inuenire oportet. id quod primum in libris de Hippocratis & Platonis placitis demonstrauimus. quare ab ipsis nunc exorsi summatim quandam uelut epitomen eorum quæ in libro de affectis locis descripta sunt, recensemus. Necesse etenim dico esse, ut affectio siue quum incipit, siue quum absoluta iam est, ex functionum partis affectæ noxa, & ex his quæ in ea apparent, reperiatur. Dixi autem & antea exordientis affectionis notas prognostica signa esse eius quæ iam completa est. Qui igitur cerebri naturaliter habentis munia nouerit, is ex offensa horum, primum quòd perpessum sit, deinde qualisnam is morbus sit, inuenire ualebit. inuenta autem à nobis sunt hæc: arbitraria functio, intelligentia, sensus, & memoria. Offensæ igitur horum cerebrum ipsum tali uexari malo, qualis fuerit offensæ species, demonstrabunt. Verbi gratia, Functionum arbitrariarum instrumenta musculi existunt. Fiunt autem hæ, tum his, qui per manus cruraq; agunt munera, tum his qui caput spinamq; mouent, atque his qui loquuntur, uociferantur, & respirant. Demonstrata est enim & hæc functio primum motionis initium habere neruos à cerebro ad thoracis musculos peruenientes. Quum igitur functio quædam ex dictis læsa esse uidebitur, inquirendum est tibi an affectio ea propria sit eorum qui functionem hãc obeunt musculorum, an ob eam quæ à principio in ipsos procedit uirtutẽ offensa hæc oriatur. deinde si offensam ob eam quæ à principio est facultatem, esse inue-

neris, morbum quempiam qui principiũ infestet, reperiendũ esse puta, si quæ apparet offensa non leuis fuerit, incrementumq; effatu dignum habuerit. Verbi gratia, ut sermo conspicuus fiat, ubi thoracis musculi à quibus respiratio conficitur, affectione uacauerint, peruestiga num quædam cæterarum partiũ, per quas spiritus in respirationibus, tum intro, tum foras feratur, perpessa sit. Nam si nullam ex his læsam inueneris, cerebrum lęsum esse existimabis. Vt autẽ & res exquisite definiatur, considera quoq; & quæ unà cũ thorace moueantur partes. nempe & eas respirationem lædere in libro de difficultate spirandi est demostratum. Si ergo hæ omnes planè morbi expertes inuentæ fuerint, tunc difficultatis spirandi speciem inspice, quãnam scilicet cerebri affectionem indicare possit: quomodo, ut exemplum integrum sit, ait in prognostico Hippocrates: Spiritus frequens quidem significat dolorẽ aut inflãmationẽ quæ locũ septo transuerso superiorem fatiget: Magnus uero & ex longis interuallis deliriũ. Vocat autem spiritũ ex lõgis interuallis etiam rarum, ut in cõmentariis de difficultate spirandi ostendimus. Nam rarus proprium simul & inseparabile desipientiæ est signũ. Demõstrauimus quoq; & in libris epidemiorum omnes quibus magna, & rara respiratio fuerit, desipuisse. Si quis igitur in urinis uel deiectionibus, uel sputis, uel uomitibus, uel sudoribus, uel aliorũ quopiam signũ aliquod demõstrare possit, quod seorsum desipiẽtiæ soli propriũ insit, uel si nõ soli quidẽ ab ea tamen inseparabile, iure id phrenitica inter signa collocauerit. Si uero neq; ex rei natura demonstrationẽ aliquam expromere possit, neque in libris epidemiorũ desipientiis omnibus inesse, uel perpetuo, uel si non perpetuo, saltem his solis ostendere queat: non rationabiliter signum huius

modi inter phrenitica cõstituit. hoc siquidem unũ duntaxat asserere potest, quòd phreniticis quibusdam adfuisse uisum sit. Eadem uero ratione contraria phreniticis signa esse intelligimus. Iam age ponamus uisos à nobis phreniticos, quorum aliis supprimi aluum, aliis plura quàm naturæ iustum sit excerni contigerit. nempe & cum signis phreniticis scribat aliquis alui suppressionem. deinde existimemus quænam eorum quæ ad phrenitidẽ perduxerunt eos quibus aluus suppressa sit, rei huius testimonium esse possint. Nã si proteruus quidã in suis enũciationibus suppressam aluum phreniticum esse signũ scripserit, potest sanè & alter qui etiam proteruus sit sermoni nõ subscribere, eosq; asserere phreniticos esse, quibus perturbatam aluũ cõspexerit. Sanè quum Hippocrates in epidemiis scribat omnia quæ ægris contingunt, necesse est qũo in phreniticis, ita & peripneumonicis, & cynanchicis aliisq; omnibus, ut is quidẽ si aluus suppressa sit uel fluat, unà cum propriis morbi indiciis, & hæc scribat: expositores uero ea morbi esse signa existimẽt, non cognoscentes alia quidem esse pathognomonica, id est affectionem indicantia, prognosticaq; morbi propria: alia uero, & inseparabilia. ueluti pauloante dixi in ea quæ magna, & rara est respiratione. † quæ quum nobis desunt, nõ quidnam proprium uel inseparabile morbi indiciũ sit, est requirendum: sed an perniciose salubriter ne æger habet. Consideratio uero tunc necessaria existit, cum omnia in corpore, tum signa, tum symptomata apparuerint. Continentur autem in his, & quæ indicationes præmonstrant. Sed rursus orationem ad principium reuocantes, dicamus qũo author in ꝓposita dictione, urinæ in turbulẽtis uigilibusq; decolores, nigris sublime petẽtes, atq; in sudore phreniticæ, propria, et inseparabilia

† ἀπορεῖμεν legit in ant. cod. sicut τῷ, nõ τὸ ut is sit huius loci sensus. At quãdo de his nõ dubitamus, ꝙ nullũ inquiramus propriũ uel inseparabile morbi indiciũ sed an ꝑnitiose uel salubriter habeat æger tunc omnia erit necesse considerare quæ in corpore apparẽt, tã signa, q̃ symptomata.

phrenitidis signa scripsit, quum inquit, in turbulentis uigilibusq; : nõ inseparabilia uero, neque ei soli propria, cum ait, atque in sudore: quãquam sudor cum affectum occupauerit locum unà cum prædictis demonstrare possit. Quæ de urinis dicta sunt, à phreniticis quidem separata sunt: sed ad inspiciẽdum utrum pernicioſe an salubriter æger habuerit, conducunt. Immo uero cũ ad ægros introducimur, primum inueniri cõuenit an laborante uno ex principiis tribus uel duobus, uel etiam omnibus æger pernicioſe ægrotet: uel principiorum quidem nullum affectum sit, sed quippiam eorum quæ ab horum aliquo enata sunt, uel quouis modo societate coniuncta obstrictaq; . Si ergo cum in turbulentis uigilibusq; urinas inspicis nullum in ipsis prauum signum uideatur, neque etiam in pulsibus uidebitur. nempe & id dignotionis exactissimæ gratia adiecisse est necesse. nihil quidem minus ita affectum hominem phreniticum fieri posse, ubi phrenitidis signa huic adfuerint, uerum inter hos periclitantur minus qui principes facultates reliquorum duorum principiorum illæsas habent. Hæc, ut dixi, semel à me sint dicta, totoq; libro memoria non excidant, uelim: ne sæpius ea eo gar repetere.

V.

INSOMNIA quoque in phreniticis conspicua.

Satyrus Quinti discipulus quem ante Pelopẽ habui præceptorem, dictionem hanc ita exposuit: Eorum quæ in phreniticis cõspicue uidentur, atq; ab ipsis fiunt, quæcunque & cerni & fieri à nobis uidentur, re uera nõ existunt: sed insomnia omnia conspicua. Quòd ergo & alii quidam è somno surgentes obambulent, dormientes quidem, sed apertos uigilantium instar oculos habentes, in multis

multis, est narratum scriptumq; . Si uero talia sint, quæ à phreniticis fiunt, inter ea quæ nobis conspicua non sunt, reponuntur. Sed quouis modo uerũ hoc sit, ita tamen exposuisse nihil adprænotionem contulerit. Si uero prægrẽdientia phreniticorum insomnia conspici euidenter dico, ita ut exturbentur cum uel è somno exiliunt, uel loquuntur, propter uisorum conspicuitatem præsensioni morbi huius adiumentum id confert. Nempe siccitas ipsa uigiliæ causa est, & repræsentationis somniorũ. Sic sanè & melancholicis ob siccitatem prorsus euidentia uidentur in somnis phantasmata. atque ex sanorum genere his quidem, qui ieiune parciusque sunt cibati, somnia manifesta fiunt: repletis uero temulentisq; ita ut uisis uidui destitutiq; uideantur, phantasmata propter obscuritatem paruitatemq; ita effluunt, ut ne reliquias quidem, & uestigia in memoria relinquant, sic & affectiones quæ cum cerebri humiditate fiunt, comatosæ sunt, somniculosæ & uisis destitutæ. Prauus itaque est eorũ sermo qui neque somnium phreniticis uideri conspicuum putant, quod utique, ut dicunt, ii ueluti somno destituti somnia prorsus non uideant. Prõpte siquidem primum illud adsumunt, solos uidelicet eos morbos, qui cum sua magnitudine absoluti sint, propriis nominibus appellari, † quòd (nõ pauco sanè à nobis inter initia facto sermone) multum futurum pathema à medicis præsentiatur, cõfirmantes. Verum eorum quæ iam principium qui dem generationis habent, sed nondum multis propter paruitatem cognita sint, facta ab artificibus cognitio, idiotisq; pronunciata, præsensio apud illos existit, ita ut & phrenitici iam ab artificibus cognoscantur, affectione in cerebro nuper consistente. Ceterum & siquis non permiserit iam phreniticos appellari eos qui nondũ conspicue delirant, tamẽ

† τὸ πρόδρομον dicit ipse i. despiciẽtes sermonẽ illũ, quẽ nõ exiguum inter initia habuimus, nẽpe q nullus futurus morbus à me dicis prænoscatur.

quòd phrenitici fient, prænoscere ex insomniis est possibile. ut dici in præsenti dictione potuit: In futuris phreniticis somnia prægredietia omnibus his conspicue uidentur.

VI.

SCREATVS frequens & si aliud quodpiam signum adfuerit, sunt phrenitica.

Commodius forsan erat si sermoni adiectum fuisset, nullo per eum exeunte sputo. Nam si quid expueretur, quo modo in destillationibus interdiu usu euenit, ob ea quę in os ipsum per narium foramina confluunt, fieri id consueuit. Contingit autē & aliquando frequens huiusmodi screatus, ubi respirationis robur externum quippiam attraxerit, meatibusq; in ipsis tum adhæserit, tum impactum fuerit. Sed, quod antea dixi, propter eos qui uel negligentius uel simplicius citra distinctionem enarrant, quæcunque in huiusmodi doctrinis dicuntur, quòd ea omnia seclusis externis causis dicantur, meminisse oportet. Ob eam igitur causam screatus qui ex arbitrariis functionibus una existit, frequēs oblæsa redditur cogitatione, quomodo & arbitraria alia quæuis functio. Nonnulli quidem cum stre pitu flatum excernunt, †superne prorsus id molientes fieri audiente aliquo. alii manum absque ratione mouent, uel crus, aut quiduis aliud simile uel faciunt uel dicunt. Communi igitur ratione functionum arbitrii omnium præter rationem uel exuperantium uel deficientiū, phrenitica inter signa screatio annumeratur. quanq̄ non usque adeo ualens sit ut uigilia: & potissimum quæ παραχωδης, id est turbulenta existit: nempe propria hæc phreniticorum est. Turbulenta autem existit, ut dixi, cum per uisiones uel exclamant, uel exiliunt, & uix familiares agnoscūt. bene itaque in screatione adiect. & si alid

†Ad ant. cod. fidē sic uertere locum hunc: qui quū extra morbum fuerint sū mopere sibi cauerēt ne id agerent, in primis uero si quis audiat. in impressis .n. deest δὲ, & φωλαῤῥεσθαι & μένων legēdum: ἐξωθεν.

ud quodpiam signum adfuerit. Nempe signum hoc quod parum momenti habeat, alia quæ subscribant patrocinenturq;, expostulat. Quando igitur frequens screatio cōtigerit, atque ob glutinosum sputum quod in canalibus à naribus ad os pertingentibus infarctum sit, ut ea deliraturis quibusdam propter calidam & siccam cerebri affectionem obtingat, impossibile non est. Quod autem in orationis calce dictum est non singulariter phreniticum, sed pluraliter phreniticа, uel ad signa uel ad morbos prorsus referetur. Modo uero utroque absurdam facit enunciationem.

VII.

QVI IN hypochondrio refrigerata febre ardores relinquuntur, tum aliàs, tum in sudoribus mali sunt.

Secure protulit, refrigerata febre: non enim uere dixisset, remissa sedataq;: nempe in præcipuis manet partibus, quanquam in superficie placata fuerit. febrire siquidem existimamus non eum modo qui in cute & superficie exteriori igneam habet caliditatem, uerum etiam & hoc magis qui eam in corporis imo & uisceribus continent. Letalis igitur causus interna quidē extorret, externa uero ne mediocriter quidem calefacit. Febrem similem recensuit Hippocrates in aphorismis cum inquit: Si in febre non intermittēte frigida exteriora fuerint, & interna exurantur, sitimq; æger habuerit, letale. Cæterum cum orationem hanc in sudoribus dicere consueuerit, interdum de his qui ex capitis thoracisq; sedibus oriūtur, sudoribus: interdum quoque & de his qui per totum corpus, sed exigui effluunt, utrum impræsentiarum dixerit, signum bonum non est. Nempe qui per totum corpus ita

fiunt sudores sed exigui, quòd non flammeam illã quæ hypochondrium fatigat soluant caliditatem, ob id boni non sunt. neque etiam boni sunt qui in superioribus oriuntur partibus, cum geminam ob causam fiant, nempe ob uel languentem uel præcopia grauatam facultatem.

VIII.

PRÆLANGVENTIVM desipientiæ pessimæ. ut & Thrasynonti contigit.

Pessimæ prædebilitatorum desipiẽtiæ ita sunt, ut nullum ex ipsis sanari speraueueris. sed de his intelligendum desipientiis, quæ ex sapientis in nobis partis laborantis affectione fiunt. Temporariæ siquidem aliæ ab externis eueniunt causis: ut ex carbonum caliditate, uel uini potione, uel domo calcis seruante qualitatem. noxiæ enim tales sunt, si prælanguentibus accidant: sed letales planè sunt, eorum qui ex phrenitica cerebri affectione desipiunt. Nempe magnitudinem quandam in uirtutis debilitate ostẽdit nomen προεξαδυνατησάντων, id est prædebilitatorum, propter adiectam ἐξ præpositionem nomini huic προαδυνατησάντων, quod & per se sufficientem uirtutis læsionem ostendit. atque in exemplaribus quibusdam ita scriptum reperitur. Neque desipientiæ solum uirtutem expostulant robustam, ut æger sufficere morbi coctioni possit: uerum quoque & peripneumonia & pleuritis & angina, & graues aliæ affectiones id desiderant. Præcedit autem & ex abundantia desipientiã tum uigilia, quæ uirtutem non minus exoluit quã sensibiles euacuationes, tum qui in motionibus multis inordinatisq; committitur error. Quod autem dicitur, ut & Thrasynonti contigit, commẽtarium magis quàm opus id decet. Neque enim in prognostico aphorismisq; & libris de fracturis

articulisq;, neque in libro de uictus ratione in morbis acutis, neque in libro de capitis uulneribus, sicuti neque in aliis ullo pacto nominis meminisse uidetur, præterquam in libris epidemiorum. In quibus duntaxat propositum est, ut docta uniuersaliter, perquirat per ea quæ particulariter in unaquaque ægrotatione uidentur.

IX.

PHRENITICA uehementer trementia finiuntur.

Aduerbium νεαρικῶς pro γενναίως uel σφοδρῶς uel ἰσχυρῶς, id est generose uel uehementer uel ualide dixit Hippocrates. In medio autem horum nominum, phrenitica & trementia, ordinatum potest, quantum ex ordine est, cum utroq; enunciari. sed si secundum rei ueritatem sermo perpendatur, non potest cum hoc nomine trementia, ordinari. fieret siquidem talis intellectus: Phreniticæ affectiones in tremorem uehementem finiri consueuerunt. quod maniste falsum existit, cum solas uehementissimas phrenitidas cõsequatur hoc symptoma. Nempe neruorum infirmitates propter affectionis siccitatẽ, phreniticis diutissime insunt. Exoluta autem uirtute tum uigiliis tum motionibus multis, simul uero & neruis supramodum arefactis, tremores fiunt.

X.

QVI IN capitis doloribus æruginosos uomitus habent, uigilantq; cum surditate, cito hi uehementer insaniunt.

Si migrationem humorum cum aliorum tum atræ bilis in memoria tenueris, quòd æruginosi uomitus progressu ad nigrum humorem fiant, mẽte concipere difficile nõ est. Nempe atram bilem

ex flaua supra modum assata & crasso sanguine fe-
ri nouisti. Flaua autem bilis, cum supra modū assa-
tur, primum quidem in æruginosum migrat succū,
deinde in nigrum. supra modū autem assatur pro-
pter febris magnitudinem. Cum igitur flaua bilis
in phreniticis affectionibus cerebrum prehéderit,
febrisq; uehementia assatum hunc succum melan-
cholicum reddiderit, propter atræ bilis malignita-
tem uehementes fiunt insaniæ, quas μανίας & ἐκ-
libris epidemiorum appellauit Hippocrates. Ae-
ruginosus igitur humor siue per uomitū, siue per
uentrem inferiorem, siue per sputa, siue per
urinas apparuerit, & succum ex quo ortum ha-
bet & morbum uehementer tum calidum tum
siccum esse demonstrabit. At quum perspicuum
non sit, quantum ex humore est qui uacuatur, an is
progenitus sit non adfecto præcipuo aliquo loco,
an principe aliqua parte erysipelatosam habente
affectionem, coniunctis id dignoscitur distinguiq;
turq; symptomatis. Nam & ob iecur ita phlegmo-
ne adfectum æruginosus generatur succus, cuius
nunc meminit. Quæ igitur dictarum tum partium
tum affectionum propria sunt, ea dignotione per
symptomatum aliorum societatem efficiunt. Nam
& uigilia, & capitis dolor, & surditas morbum in
capite esse demonstrāt. Gratuiter autem adfecto ce-
rebro uentris os excitari ad uomitum nouimus, né-
pe de his dictū sæpius. Ratione igitur optima hor-
mo hic ex sicca & calida capitis intemperie propa-
ter flauæ bilis supra modum assatę redundantiam,
uehemēter insaniet. Cito aūt id fiet tū propter affe-
ctionis magnitudinē, tum propter speciē redundā-
tis humoris. Nam quę ex frigidis uel crassis uel lē-
tis uel omnino dimculter mobilibus affectiones
oriuntur, tardius hæ ad uigorem ascendunt. Verū
quæ ex tenuibus substantia & temperatura calidis,

& qualitate mordentibus procreantur, non multū
hæ cunctantur, sicuti neque quæ Philistæ scripto
in tertio epidemiorum facta sunt. quem uomuisse
quidem bilioſa pauca flaua primum, mox ærugi-
nosa plura, deinde simul accidisse homini surdita-
tem, atque demum uehementer insaniuisse eum
pronunciauit. Recte igitur nunc non solum quòd
insanient ita affecti, uerum quoque & quòd uehe-
menter insanient, ostendit: cū uerbum hoc ἐκμαίνε-
adiecit. quod magnæ desipientiæ indicatorium
existit.

XI.

IN ACVTIS morbis faucium sine tumore
dolores & pusilli & strangulantes, atq; cum æger
hiauerit, non facile os tum cogere tum claudere,
mentis aberrationem portendunt. ex his phreni-
tici fiunt, & pernicioſe habentes.

Quòd ex symptomatis huiusmodi phrenitis
interdum oriatur, quodq; si fit, prorsus pernicioſa
sit, recte est pronunciatum. Neque tamen quòd ex
dictis symptomatis necessario futura sit phrenitis,
intellexeris. Nihil enim eorum quæ adfectum ce-
rebrum commonstrant cōcursioni adiacet. Ex quo
autē æger is male in faucibus absque tumore præ-
ter naturam affectus, cum hiauerit, prompte tum
maxillam reducere tum os claudere nequeat, coni-
cere quis posſit principium neruorum aliquando
adfectum esse. Nempe ut in eminentibus conspi-
cuisq; nobis partibus affectiones exordium aliqđ
sumunt, & non uniuersim totæ uel inflammantur,
uel œdema uel erysipelata cōtrahūt, sed in uno ali-
quo harum loco: ita & his quæ in imo corporis
positæ sunt, fieri est uerisimile. Quum igitur cere-
brum ipsum magnitudinem insignem habeat,
multas q; neruorum propagines, phlegmonen ipo-

sius alias ab aliis earum primum exordiri par est. Qua uero parte membrum adfectum fuerit, ea & neruorum propagines adfectæ musculos quibus inseruntur mouere non possunt. Quũ igitur maxillam inferiorem musculi quidem alii aperiant, alii uero claudant, cum in aperientium musculorum neruis affectio fuerit, difficulter aperiunt: ubi uero in claudentiũ, nõ facile claudunt. At quũ fieri possit, ut soli ipsi musculi interdũ absq; neruorum principio sint affecti, q; phrenitis prædicta symptomata subsequatur necesse nõ est. Neq; enim quod ipsum maxime adduxit, ut affectum esse musculorum principiũ suspicaretur (id est autem fauces nõ tumere) necessarias inter † partes censetur. fieri fiq; dẽ potest, ut faucium musculi inflãmati strangulationis efficiant symptoma, nequeant tamen uideri, ẽt si plurimũ quis os aperuerit. Si igitur absq; horũ inflãmatione prædicta fiant symptomata, inspiciendum est an solorũ musculorũ maxillã inferiorem mouentiũ propria q̃dã sit affectio. nã si neq; hi neq; qui in gutture existunt, aliquatenus affecti fuerint, ratione optima offensum esse neruoꝝ principium quis pronũciauerit. Quòd si ob principiũ neruorũ oborta sint huiusmodi symptomata, grauissimam esse talem affectionẽ rationabile est, ut & conuulsio subsequuta sit. Nẽpe eas musculorũ quæ ob principiũ fiunt tensiones conuulsionem seq didicimus. Nõ feci aũt in eo quẽ pcurri sermone mentionẽ eorũ qui anginam ex colli uertebris in anteriorẽ partem luxatis perferunt, tum q; raro cõtingat affectio, tũ q; gutturis musculi tunc quoque simul inflammari mihi uideantur.

† In cod. ant. nõ est μορίων. ut sic dicat inter necessaria censetur.

XII.

IN PHRENITICIS principio simpliciter & clementer habere, sed crebro permutari, malum id est. malus quoque & frequens screatus.

Nihil quod phrenitidi peculiare sit, sermo hic habet. nempe & in cæteris affectionibus si permutetur huiusmodi clemẽtia, uires uinci à morbo significatur. quod circa morbi initia existit, nec forsan aliàs fore potest. Nempe in principio permutationes assiduas uidemus, nõ autem quum morbi traxerint. Contingunt q; hæc ex ratione in his affectionibus quæ ex copia uel qualitate fiunt malignorũ humorũ in aliam aliàs partem interdum quidẽ in principem, interdũ uero in non principẽ transmigrantium. Quæ igitur in principes partes transfluxiones fiunt, morbi clementiã corrumpũt. quæ uero in nõ principes, quo maxime tempore medicis ad infestantiũ uel copia uel qualitate humorum uacuationes procedendũ sit, ostẽdunt. q̃ sanè morborũ omnium, ut dixi, commune existit. Cæterum frequens screatus & propter os uentris ex humiditate imbecillũ, & propter cerebrum humiditatibus refertum oritur. ex quibus nõnihil & in os confluit lachrymæ tenui quæ ex inflammatis oculis manat, simile. Nunc ergo quòd phreniticis crebrum sputum fieri ait, cerebri male affecti, id est repleti signum existit.

XIII.

PHRENITICIS alba deiectio mala est, ut Archecratian & in his uetemus fiat? pessimus autem & in his rigor.

Quòd albę deiectiones & ob ciborum colorẽ fiant, liquido constat. Videmus siquidem eos qui lac solum ingesserunt, uel panẽ purum, uel chondrũ, uel lupinos, uel tale quippiã, deiectionem habere albam, si his cõparentur q lenticulã ederunt, uel brasicas, uel decoctum leporinũ sanguinẽ, uel ius nigrum eoꝝ quæ cum multa cõficiuntur sapa. At certe his qui alba ingesserũt edulia, flauæ bilis

quiddam adueniens deiectionem colorat, ita ut ingestis pallidior efficiatur. Quum igitur medicũ quempiam audieris dicentem albas esse morbo regio deiectiones, quòd ad naturales eas comparet, conferatq;, quodq; ad collationem harum sermo ipsi sit, oportet. Quo atque modo plerique alii medici deiectiones in morbo regio albas fieri dixerunt, ita & nunc in phreniticis dixit: quasi eas prorsus flaua carere bile dixerit. Fit autem id cum ea non amplius in uentrem confluat: sed unà cum sanguine qui in uniuersum corpus distribuitur, sursum fertur, idq; uel propter adstrictionem quandam eius qui bilem ad uentrem defert, canalis, ueluti in morbo regio laborantibus usu euenit: uel propter uehementem ardorem qui in superioribus iecinoris partibus existens sanguinem unà cum bile sursum rapit. Priore igitur modo emergente in totum corpus bile, cerebrum lædi- 10
tur, iam & antea bile ipsa affectũ. Posteriore modo bilis distributio non solum causa noxia, uerũ
quoque & caliditatis multæ quæ in ipso esse demonstratur, signum erit. Oratio autem hæc, ut Archecrati, operi quidem non admodum conuenit, ut retuli, sed commentarium magis decet, & potius fuerit, ut ob extinctã uirtutem iã cõquiescat. Nempe desidia huiusmodi nõ propter humorem: sed propter uirtutis extinctionem facta est. fieri autem nequit, ut qui ita desides facti sint, seruentur. Estq; id symptoma commune omnium ob immoderatam intemperiem morientium, & non proprium phreniticorum. Si igitur ueternus Archecrati factus sit, hac occasione factus est. atque prorsus obiit, non q̃ alba deiecerit, ueterno uel morte accita: sed propter morbi magnitudinem, cuius signum alba deiectio fuit. Rigorem uero ipsis contingere pessimum, non simpliciter est intelligendum. Nempe & interdum criticus rigor phreniticorum morbum sudoribus soluere uidetur. Sed sanè rigorẽ perniciosum dici eo tempore est existimandum, quo alba excernunt. Nempe in libro de iudicationibus, crudo in morbo iudicationem bonam fieri non posse est demonstratum. Crudus autem est in quo unà cum sanguine bilis sursum fertur, quocunque tempore id fiat: magisq; tale quiddam contingit, cum igneæ caliditatis in cerebro collectæ immoderatio fuerit.

XIIII.

MENTE OB melancholiam aberrantibus tremores superuenientes maligni.

Melancholicã ecstasin, id est mentis motionem aberrationẽq; intelligere oportet uehementẽ & ferinã, quæ diluente cerebrũ assata flaua bile oritur. Nempe & ex hoc cõmentario pmutari eã in nigrã didicimus. Quũ igitur talem ob affectionẽ tremor fiat, uehemẽter exiccatos ostẽdit neruos: atque ob id hominem letaliter habere. quod sanè perperam enunciauit cũ dixit cacoethes, id est malignũ. Nã quod summe pnicios̃um existit symptoma aliam exigebat appellationem. Qui ergo ex atra bile mẽtem aberrantem superuenientes

tremore certo moriturum affirmat, non fallitur. κακοηθεῖς autem morbos, id est malignos appellamus quicunque periculum minantes spem salutis non adimunt. Melius igitur erat scriptam concursionem dici uel pernicioſam uel moriferam uel quiddam huiuſmodi.

XV.

MENTE ABERRANTES acute ſupfebrientes cum ſudore phrenitici fiunt.

Aſymphonam & à cõſonantia alienã talẽ dicimus enunciationem: ſed obſcura horũ intelligẽtia ideo fit, q̃ nomina inter ſe omnia tũ cõiungi tum ſeparari poſſunt. Componuntur ſiquidẽ uno tali hæc modo: Mente aberrantes acute: deinde altero principio, ſuperfebrientes acute. Rurſus quoq̃ & alia eſt orationis huius, cũ ſudore, cõpoſitio. q̃ aliquando q̃dẽ præcedenti, aliquando uero & ſequẽti coordinatur. poteſt præterea & ita dictio legi, ſuperfebrientes cum ſudore: deinde altero principio, phrenitici fiunt. Poteſt autẽ & qui hæc ſcripſit, quòd cum ſudore phrenitici hi fiunt, enunciare. Conſtat itaq̃, quod ſemper dico, nihil obſcuras enunciationes docere. ſiquidem nos qui intelligimus, dictioni q̃ rationem admittere poteſt, ueritatem accommodare oportet, aut temporis plurimũ conterere, nihilq̃ proficere. Quatenus enim ſingulis dictionibus ab authore acceptis ueritas accommodanda nobis eſt, eatenus iuuamẽ quodam à nobis dictioni accedit periclitanti ne uideatur uitioſa, cæterum nihil ab ea docemur. Quanquam uero hæc ita habeant, uideaturq̃ conſpicua eſſe obſcurorum inutilitas, non pauci tamen libentius in obſcuris quàm manifeſtis uerſantur operibus. Nemo igitur expoſitionis prolixitatem mihi obiiciat: ſed irrationabile accuſet eorum deſideriũ

qui libros huiuſmodi ſtudioſe cupideq̃ legunt. Nempe quòd inuitus ad horum explanationes ueniam, familiares mei omnes nouerunt: & potiſſimum qui me ad ea quæ nunc ſcribuntur incitauerunt. Quum igitur librum hunc perperam omnes expoſuerint, aggreſſus ſum & ipſe expoſitionem, ab iis perſuaſus qui me impulerunt. à qua rurſus incipientes dicimus. Si quidem ſimul coniunxerimus & mente aberrantes, & aduerbium acute: deinde ſilentio facto dicamus ſuperfebrientes cum ſudore: & deinceps, phrenitici fiunt: talẽ faciemus expoſitionem. ſed primum quidem lectionũ omnium commune dubium conſideremus. Nã mente aberrantes acute dixit per exordia, quos in calce dictionis phreniticos fieri dixit. tanquam mente aberrantes nõ iam phrenitici exiſtant. Diſtrahi ergo dictionem laxariq̃; dicimus per uerbum ſuperfebrientes. quæ oſtendit prius eos qui mente aberrarunt, acute febriẽtes, poſtea deſinere: deinde rurſum ex reuerſione febrire cum ſudore: quos phreniticos fieri ait. quòd phrenitici quidem fient ex uehementi ea quæ ipſis antea facta eſt deſipientia, quam per orationem mente aberrantes, indicauit, arbitratus: ex eo uero quòd cum ſudore reuerſio fit, confirmans ſuſpicionem. quoniam tales febriũ ingreſſus ſiue ab initio, ſiue cum reuerſione fiant, plenitudinem ſignificare nobis conſtat. At quoniã quæ ex ſuccis uel quãtitate uel qualitate ſuperflua in corpore colliguntur, fluere in affectos locos cõſueuerunt, in his autem eſt affectum cerebrum. nõ enim mente moti acute: ſi ſuperfebrierint, & præſertim cum ſudore. Ratione igitur optima phreniticos ita fore eſt ſperandum. Nota ſiquidem tota horum affectio ita euadet. Copia bilioſorum acriũ protinus ab initio ad cerebrum fluente, mente moueri cuiquam contingit. quæ ſi rurſus aliam

in partem transfluat, desinit mentis motio. si uero cum sudore hi superfebrierint, in affectum locum recurret biliosorum copia, ita ut phrenitici fiant. Si uero aduerbium ὀξέως, id est acute nomini superfebrientes, composuerimus, talis erit sermo: Mente aberrantes deinde desinentes, & rursum superfebrientes acute cum sudore phrenitici fiunt. Sed prædictio tum hæc, tum antedicta quod continue perpetuoq; sit non habet: sed quod magna ex parte sit, ueluti & aliæ multę. Verum si orationi huic, cum sudore, orationem hanc, phrenitici fiunt, coniunxerimus, sermo secundum alteram earum quæ in capite enarrationis dictę sunt lectionũ talis erit. secundum priorem quidem: Mente aberrantes acute, deinde superfebrientes, phrenitici cũ sudore fiunt. secundum uero alteram: Mente aberrantes, deinde acute superfebrientes, phrenitici cũ sudore fiunt. Potest quidem & qui hæc scripsit talem ægrum uidisse, sed, quod sæpius prædictum sit, non habebit. Multa uero & alia ex his quæ in hoc libro scripta sunt, non magna ex parte fiunt. authore quidẽ libri huius nonnullos tales ægros contemplato, & nõdum siue quod cõtinuum est, habuerint, siue quod magna ex parte, cognoscente. Nempe ex obseruatione magis, nõ ex peculiari affectionum cõditione author has enunciationes uelle facere est uisus. Qui autem medicinalẽ speculationem ita congerit, aceruatq;, is non centum, sed mille annis opus habet, atque ob id paruam humilemq; eam plurimum adauxit Hippocrates: & quæ ex historia didicit, ea & ipse inspexit, logicam adiiciens censuram. Ex multis igitur, librum hunc Hippocratis scriptum non esse qs existimauerit. Multa siquidem loquitur empirice ipsum commentus, nec theoremata ad uniuersale rationabiliter reducere ualens.

XVI.

PHRENITICI modico utentes potu strepitum tentantes tremorem incurrunt.

Non hi ψόφου καθαπτόμενοι, id est strepitum tentantes, sed ὧν ὁ ψόφος κατάπτεται, id est quos strepitus tentat, dicere erat melius. Quod uero dicitur, uerum existit. Nempe ob strepitus tumultuãtur, non secus quàm timidi, cum magnũ aliquod tonitruum derepente audierint, uel feram aliquã propius conspexerint. Prorsus item βραχύποται sunt phrenitici, id est bibendi desiderium his exiguum est, quanquam affectionem habeant calidã & siccam, ita ut & linguã præ multa siccitate asperam habeant. sed docuit nos Hippocrates mentẽ his ægrotare, in eo aphorismo qui ita habet: Quicunq; parte aliqua corporis dolent, atque ut plurimum dolores non sentiunt, his mens ægrotat. Præterea in tertio epidemiorum ubi de pestifero agit statu, de phreniticis idem inquit: Non ualde autem hi sitibundi erant. Non autem phrenitici omnes tremorem incurrunt, sed qui deterrime habent, ut diximus. Sunt qui non βραχύποται, sed βραχυτόπαι, id est parum suspicantes scribant, intelligi uolentes ὑποτοπουμένους, id est suspicantes breuissime. aiuntq; rei huic fidem facere quod dicitur ψόφου καταπτόμενοι, id est ταραττόμενοι, id est turbati propter breuissime ὑποτοπεῖσθαι, id est ὑποτοπεύειν, quod suspicari dicimus.

XVII.

EX VOMITV graui fastidiosoq; uox clangosa, oculiq; concretum puluiculosum habentes, uesaniam ostendunt. ut Hermozygi uxori, quæ uehementer furens & muta obiit.

Si æstiuo tempore & uehementissimo æstu & uia puluerulenta proficiscentes quosdam uideris reficcatis ita oculis, ut puluere pleni uideantur, eosq; animo fueris complexus, quid præsens dissectio indicare uelit intelliges, nempe id eorum quæ in ea dicuntur maxime proprium existit, communi nimirum & tabescentium uel uehementer insanientium. neque ei cognitu difficile qui ex tabescentibus unum aliquando etiam conspexerit. Nempe tabescentibus colliquatum est id omne, quod tum in facie tum in temporibus carnosum existit, factis una & cauis admodum oculis. Phrenitici uero absque his oculum habent ἐμπ'χυσιν, quasi puluerulentum puluisculosumq;. Præterea phreniticis, aspectus audax feroxq;: marcescentibus, timidus existit. Vomitus autem κατασθησις, id est fastidiosus commune quidem symptoma talibus est phreniticis cum malignis quibusdam febribus: ueluti & uox clangosa. fit autem huiusmodi uomitus ex humore tum bilioso, tum mordenti: Vox uero clangosa propter siccitatem uoci afferuientium instrumentorum, ut in commentariis de uoce ostendimus. Quum igitur phreniticis hæc obtigerint, μαινεσθαι desipiunt: quod idem cum σφοδρως, id est uehementer uult significare, fitq; tum propter humoris malignitatem, tum propter immoderatã siccitatem. quo fit ut & muti euadant.

XVIII.

SI IN ARDENTE febre aurium sonitus cũ caligine fuerit, proueneritq; in naribus grauitas, mente ex melancholia aberrant.

Febris ardens tum ob alias causas tum propter cerebri inflammationem æque fit. Nempe & huic succedit ex propriis phrenitidos signis continua desipientia. Ex ea uero quæ in capite redundat humiditate

humiditate spiritus flatuosus procreatur. quapropter & aurium tinnitus fiunt. Pari modo excæcatio caligoq;, cum crassus quidam humor uel spiritus oculos inuadit. Naribus præterea ingruens humoris copia sensum grauitatis in ipsis facit. Probabile est autem & nonnunquam dictorum symptomatum concursionem propter assiduam fieri febrem ex bilioso materia quæ per uenas fertur, inibiq; est condita. à qua flatuosi spiritus ad caput mittuntur, ad aures, ad oculos, atq; ad nares humoris copia. Quòd si flaua bilis quodã modo adusta siue in capite, siue in toto corpore fuerit, ad id quod melancholicum magis est, uergit: atq; hinc in cerebrum ipsum emittitur. ob idq; mente ex melancholia alienantur.

XIX.

VACILLATIONES mentis cum uoce clangosa, linguæq; conuulsiones cum tremore, & uoces ipsæ obtremiscentes, mentis indicãt alienationem. duritiesq; his perniciosa.

Quanquam ex phrenitide quæ calida & sicca est affectio, desipientia proficiscatur, atque ex ipsius siccitate q̃ asperæ arteriæ cõmunicata est, uox clangosa fiat, ueluti & ex humiditatibus imbibitis rauca: non tamẽ propria phrenitidis existunt. Nẽpe & aliis in morbis reperiuntur, & non perpetuo simul phrenitidi insunt. Tremor linguæ accidit debilitata propter siccam prædictæ affectionis intemperiem animali facultate. Conuulsiones uero siccitatem musculorum ipsius unà cum capite affectorum cõsequuntur. sicuti & uox obtremiscit propter infirmitatem quæ ab horum contracta est intemperie. Prædicta autem hæc omnia symptomata quæ ob siccitatis capitis intensionem remissionemq; fiunt, mentis motionem subesse indicant. Vniuersis autẽ

his induratis pernicioſum propter immoderatam eam quæ in cerebro facta eſt ſiccitatem.

XX.

LINGVÆ obtremiſcentes ſignum non conſtantis mentis.

Dixi ſæpius linguas ob facultatis animalis imbecillitatem contremiſcere, eſtq; ſignum non conſtantis mentis, quòd ex phrenitide fiat. Patiente ſiquidem cerebro, calidaq; exiſtente affectione quieſcere non poteſt. Nempe ut frigidi eſt tum ſtabilia tum retarda tum immobilia ea efficere in quibus moram facit: ſic calidum ſemper mouet, & non ſinit quieſcere. Oſtenſurus igitur Hippocrates qualiſnam capitis affectio ſit, non conſtantem mentem nominauit. Non eſt autem hic tremor linguæ peculiare phrenitidis ſignũ, ſed per ſympathiam cõpatientium alteri cuidam primum patienti, uel propter uicinitatem, uel propter ſocietatem quæ in eas ſunt partium.

XXI.

IN BILIOSIS ſyncerisq; deiectionibus ſpumoſus ueluti ſurſum erumpens flos, malus, tum aliàs, tũ ei qui lumbis ante doluerit, atque eiuſmodi deiectiones inteſtina permearint.

Quòd ſpuma tum propter frigiditatem tum propter caliditatem fiat, indicium faciunt tum uenti in aquis ipſis ſpumam concitantes, tum efferuescens ea quæ in lebete eſt caliditas. In biliosis igitur deiectionibus ſpumoſum ἐπαφρισμα, id eſt ueluti flos ſuperne incumbens bilis huiuſmodi feruorem non modicum oſtendit. Sed lumbis ante dolent propterea, quòd bilis per inteſtina penetrans acris ſit & mordax. talibus ſiquidem excrementis per inteſtina deductis tralatisq;, non ea modo, quæ

lumbis adhærent, uerum quoque & reliqua dolores ſubſequuntur.

XXII.

RARI IN HIS laterum dolores deliriam oſtendunt.

Comminute hoc pacto indiſtinctéq; prolata de laterum doloribus oratio obſcuritatem non uulgarem efficit. Nos uero qui obſcure ab eo dicta, perſpicue docere omni ope affectamus, explanationem attingemus. Dolor rarus in lateribus progignitur cũ ſpiritus quidã flatuoſus in ipſis procreatur. Nempe is tũ extenuatus, tũ diſcuſſus dolorẽ ſedat, deinceps rurſus procreatus alter dolorem ipſum inaugebit. quo modo ſi rarus fiat dolor, deſipientiam non indicat. Quum uero latus inflammatum fuerit, & interdum quidem continue dolorem ſentit æger, interdum uero & per interuallum, mentem ægrotare indicat. Hoc itaque non planè eſt ſignum deſipientiæ.

XXIII.

APHONIÆ CVM ſingultu peſſimæ.

Aphoniæ fiunt quidem & propter uoci aſſeruientium inſtrumentorum læſionem, & propter principii neruorum affectum. Singultus autem eſt uelut conuulſiua quædã oris uentriculi affectio: quod ex humorum copia grauatur, uel mordetur, uel propter frigiditatem contriſtatur, quam ergo uocalium inſtrumentorum læſionem ſubſequutus eſt ſingultus? Relinquitur itaque aut copiam humiditatis quæ aphoniam procreauit, in os uentris defluxiſſe, aut q̃ acris ſit aut frigida.

XXIIII.

QVÆ cũ exolutione fiũt aphonię, ualde malæ. ſpiritusq; in aphonia ueluti his qui ſtrãgulantur,

promptus, malus. an & tale delirium portendat?

XXX.

Strangulantur iure optimo quoniam aeris copia non sit, estq; ipsi consuetudo ut talem spiritum φαινόμενον, idest apparentem dicat. Videtur autem omnes qui talem inspirant inspirationem, scapulas mouere totas, ita ut per uestimenta motio conspicue appareat: táquam ualide ipsi superioribus thoracis partibus operentur. Non igitur absque ratione hoc in loco talem spiritū προσχέιρον, id est prómptum appellauit. quem in secundo epidemiorum dixit μετέωρον, id est sublimem elatumq;. προσχέιρον quidem, quoniam προχείρως, id est tum ἑτοίμως tum ῥᾳδίως, id est prompte faciliterq; his qui ægrum cernunt, uidetur. quoniam & nos ipsi cōsuetimus τοῖς ἀποκρυπτομένοις, id est absconditis latentibusq; & μὴ φαινομένοις, id est nō apparentibus τῷ προσχέιρον opponere. μετέωρον uero uocauit, quoniam qui ita respirant, altiores sublimesq; thoracis partes mouere uidentur. Potest sanè respiratio huiusmodi & propter respirationi delegatorum instrumentorum fieri angustiam, & ob affectum neruorum principium. quod si læsum fuerit, magnam efficere respirationem recte Hippocratem existimare ostēdimus. Quum ergo possit & aphonia contingere ipsis uocalibus instrumentis læsis, etiam ob affectū neruorum principium, pariterq; spiritus prōptus: incertum erat, quantum ad hæc, an futurum esset ut desiperent. atque ob eam rem ambigue protulit an & tale delirium portendat? Quod uero malum signum sit, non dubitanter, sed certo pronunciauit. Si enim non perpesso neruorum principio, sed ob læsis tum respirationi tum uoci deputatis organis, talis respiratio cum aphonia facta sit: periculum non qualecūq; affert, cū qui ita affecti sint, celeriter

strangulentur.

XXV.

TANTVLVM feroces desipientiæ ferinæ sunt, & solum si tantulo fiant tempore.

Forsan quis orationem uitio uerterit desipiētias quæ ualde feroces sunt, ferinas magis esse quàm quæ tantulum feroces sunt, inquiens. sed neque ut has cognoscamus, opus habemus. Eas uero quæ non ualde feroces, deinde desinunt, suspectas habere admonet: ipsisq; tanquam non redituris haud fidendum esse. Nam quæ in calidis febribus fiunt desipientiæ, ferocitatem non habent. Phreniticis uero appellatis id inest. Talis igitur potentia ferino erit. Quum uideris quēpiam cum ferocitate desipientem, & si paulopost sedetur, cognosce mentē eius non febris ratione læsam esse, sed phreniticam subali affectionem, quæ post adaucta, ferina tibi uidebitur. Ferinas autem desipientias appellat, in quibus ægri calcitrant, pedibus feriunt, mordicus impetunt, & excandescunt, eos qui ingrediuntur, tanquam hostes existimantes.

XXVI.

QVÆ CVM refrigeratione nō sine febre superioribus sudāti partibus fiunt morbi, implaciditates inquietationesq;, phreniticę existūt. ut Aristagoræ. præterea & pernicioſæ.

Nonnulla quidem, ut & antea dixi, incipientium morborum indicia certa sunt: alia autem magna quidem ex parte sunt, sed certis propè accedentia: alia uero etsi non propè quidem accedant, non tamen iam longe recedunt: alia præterea ambigua, & alia his iam inferiora. De quibus cum scribit, interdum sese incertum addubitantemq; confitetur: interdum quoque & nominatim mētionē ægrotā

facit,in quibus tale fieri conſpexit.ſicut & nũc omnia quæ percurrit ſymptomata, aliarum quoque ſunt febrium.Phrenitim quoque & ex ipſis fieri eſt posſibile,& potiſſimum propter partium ſuperiorum ſudores.Quòd autem tales affectiones ſiue phrenitim inferant ſiue non,pernicioſæ ſint,his cõſtat qui non incurioſe hucuſq; dicta intellexerunt, atq; eorum meminere quæ in prognoſtico recenſentur.

XXVII.

FREQVENTES in phreniticis permutationes conuulſionem indicant.

Supra quidem ſimplicitatem clementiamq; in his qui circa morbi initia permutantur,non boni ſignum eſſe dixit:nunc uero de quorum agat permutationibus explanare propoſuit.Poſſunt ſiquidem & ſymptomata uiribus contraria inuicem trãſmigrare,ut in ſequentibus ipſe dixit: Summæ corporis partes ſi celeriter in utranq; conditionem tranſeant,malum.ſitisq; huiuſmodi mala.Nempe in utranque conditionẽ intelligere oportet in ſummis quidem corporis partibus,ut uehementer calefiant,deinde rurſum refrigeſcant ualide:in ſitiuero,ut uehemẽs ſit,& poſt paulo prorſus reſtinguatur.quòd cum clementer & cito tranſmutari idem non eſt.Nempe in hoc ex bono ad prauum eſt tranſitus:in illo uero ad naturalem habitum fit regreſſus.In nunc uero propoſita dictione ex prauis ſymptomatis ad praua oſtenditur permutatio.Migrationes autem huiuſmodi ex migrantibus fiunt humoribus. Nempe firmatos ſtabilitosq; una in parte,ſpecies una ſymptomatis tum naturæ partis tum humoris uirtuti peculiaris,conſequitur.Atquiquòd phrenitis in ipſis perduret,ex eo firmatum in capite cum qui affectionem parit,humorẽ quis

fuerit ſuſpicatus. Vere igitur in cerebro ipſo tranſfluxio eſt,aliàs in alia quapiam ipſius parte orta, ſpeciem quidem affectionis ſeruans,ſed pro parte adfecta ſymptomata ipſa permutãs.Et ſanè libri huius author nunc de huiuſmodi pmutationibus agit,ut ſcilicet uel floccos euellentes, uel feſtucas colligẽtes in qete multa,poſt paulo exiliant,uel & qppiã uiolẽtius agant,deinde rurſus cõquieſcant, aut externũ qppiã qđ præſens nõ ſit,incuſent.quo modo& expelli iubent tubicinas,tibicinasq;,quãq; ex his adſit nemo.Vt.n. floccos euellere,& feſtucas colligere ſenſus uidendi eſt offendiculum, ita hoc audiendi.Fit quoq; & in olfactu ſymptoma non diſſimile: cum ſcilicet graueolentes quoſdã odores qui non adſunt,inculpant.Sunt qui iucumbens quippiam ſuſtolli iubent:tanquam graue admodum uel calfaciens,uel mordens,uel refrigerãs portent, ſenſu' tactus in huiuſmodi ſymptomatis oblæſo.Quòd igitur libri huius author migrationes ſymptomatum permanente phrenitide culpet, conſentaneum eſt.Vidimus ſiquidem ſæpenumero tales dementias perpetuo quidem delirante adhuc ægro:ſed modis formisq; ſecundum uniuerſa functionum animalium genera uariante.Quo autem modo in ſenſitiuis percurrit, ita in ratione, mente,memoria, & cogitatione permutationes phreniticis fieri uidemus,ita ut nunc excãdeſcant, nunc lætentur deſipientes ipſi, uel ſtudioſa quadam detineantur cogitatione.Nempe &rhetorem cum deſiperet meditantem audiui,grammaticũq; librum legere,putantem Bacchiſidion uel Sapphicon : alium arithmeticum uel geometram theoremata artis narrantem. Si igitur hæc honeſte caſteq; proferentes poſt paulo turpia obſcœnaq; commemorent, quod in epidemiis αἰσχρολογεῖν, id eſt turpia loqui uocauit,permutatio hæc

non ex uitiosis ad clementia, sed ex prauis ad praua est. Quo pacto audacissimi interdum tempore aliquo uisi desipientes, post paulo timidi formidolosiq; & perterriti uidentur. Talia siquidem circa ipsos uidẽtur symptomata, ita ut interdum ne horrendissima quidem timeant, interdum uero & minimis perterrefiant. Talium permutationum exemplum scripsisse mihi uidetur & in sequenti dictione cum inquit: Mictus in nõ sentientibus recordantibusq; perniciosi. Imaginare itaque mihi ægrum aliquem dictas permutationes omnes habuisse, & circa urinas, & circa alia quibus memoria in nonnullis offenditur. Imaginator item & in sensilibus repræsentationibus uicissim offensas fieri, pari modo & in intellectualibus. In tali, causa quidẽ in cerebro existit: sed aliàs alium ipsius locum infestat quod transfluit. Demonstrauimus autem transfluxiones huiusmodi fieri unaquaque partium suscipientium in alteram à sese quod superuacuum est expellente. Si igitur aliàs ex alia cerebri parte in aliam defluens, qui contristat humor, ab omnibus reiiciatur, ut enatis ab ipso neruis aliquando obrepens conuulsionem inferat, est uerisimile. Nempe affectionem hanc à repletione & inanitione fieri dixit Hippocrates.

XXVIII.

VRINÆ excretio in non recordantibus perniciosa. Excernatur ne & his tanquam subsidentiam returbaueris?

De phreniticis quod dicitur intellige. Comparat siquidem author meientes ex præsentium admonitione, cum his qui absque illa meiunt. Quidã enim neque matellam petunt, sed citra ordinem rationemq; urinam in lectum effundunt. Quod igitur longe hi deterius habeant, quã qui nullo pacto

nisi admoniti urinam excernunt, liquere arbitror. in his enim seruatur naturalium intellectus functionũ una, cum urinam in lectum excernere auersentur: in illis autem periit & ea. Quod autem in calce orationis adiacet, ubi inquit, Excernatur ne & his tanquam subsibentiam returbaueris? ob id adiecisse arbitror, quòd talem urinæ speciẽ in uno uel duobus ita meientium conspexerit. Quum igitur ex rei natura fieri non possit, ut † uia demonstrationis uniuersaliter hoc pronuncietur, neque præter hoc probabile quippiam experimento ipso habuerit, propterea quòd res ipsa sæpius uisa non sit, coniũctionem dubitandi ἄρα, id est ne adiecit. Audebimus itaq; nos uniuersaliter pronunciare, ut antea in aliis. fecimus, quod copiæ crudorum humorum † uel coctorum uel in flatum uersorum talis urinæ species symptoma sit, & nõ phrenitidis. immo & hoc phreniticis aliquando fieri potest & non fieri, ueluti & symptoma aliud quoddam eorum quæ phrenitidi neque propria neq; contraria existunt.

† ἐν δεικτικῶς.

† Qui uel coquũtur

XXIX.

PALPITANTES PER totum an uoce destituti moriantur?

Constat quòd & hic palpitantem aliquem uiderit, uel toto corpore uel quauis parte. non etenim liquet utrum dicat oratio hæc, per totum. deinde ægrum proxime mortẽ uoce priuatũ uidens, neq; empirice neq; logice ꝙ uocis priuatio palpitationẽ de necessitate sequatur, reperire ualens, ob id q̃rens & addubitans sermoni cõiunctionẽ, an, adiecit. Nos sanè rursum & in præsentia pronunciabimus palpitationẽ quatenus demõstratũ sit, flatuosum ob spiritum fieri, congesta scilicet ob frigiditatem flatuoso spiritu. Quum igitur corpus totum palpitauerit, fieri potest, ut qui ita affectus sit,

propter frigiditatem uoce destitutus pereat, non amplius mouentibus guttur musculis, aut iis qui in eos proruunt neruis suo fungi munere nequeũtibus. Quare ut hi per totum corpus palpitationis motum habeant, intelligere est melius. neque enim ut cuiuis parti, uoci asseruientes partes compatiantur, experientia demonstrauit, neque rationi est consentaneum.

XXX.

SI IN PHRENITICIS frequens cum refrigeratione sit screatus, nigra reuomuntur.

Quoniam nihil aliud suspicari liceat per uocẽ πτυαλίζειν significari q̃ sæpius πτύειν, id est spuere, uel os ipsum assidue sputo plenũ esse, ob id tum ego, tum cæteri omnes qui librũ exposuerunt, ita intelleximus. Adde q̃ & os ipsum uomituris sputo tenui plenũ esse uideatur propter mẽbranæ cõtinuitatẽ, q̃ ori toti interno cõtinua est, faucibus q̃ & stomacho & uẽtriculo. hinc fit, ut labrũ inferius interdũ cõcutiatur uentris ore ad uomitũ excitato. Nẽpe labii concussio mẽbrana eã quæ ab ore in uentrẽ extenditur, tũ morderi, tũ uellicari, tum concuti ostendit. In his igitur qui suã affectionẽ recensere possunt, κακοδαιμονίας, id est stomachi morsus, futuri uomitus signum exiguũ non est. Dolent præterea & hi capite, & atra quædam ante oculos obuersantur. quo fit ut in prognostico dictũ sit: Si quis per febrẽ letalem ait se capite dolere, & atrũ quippiam ante oculos cernere, stomachi quoque morsus huic aduenerit, bilioſus aderit uomitus. In phreniticis uero q̃ affectionẽ sermone aperire nequeunt, solis his q̃ cernimus prænotionẽ adstruimus. Cernimus aũt in phreniticis tenue substantia sputũ. quod ut uomitum indicet, est maxime idoneum. Non enim alias phrenitidi, quæ siccus mor-

bus est, in qua & sæpius lingua siccissima est, superfluere, in ore ipso uideretur tenuis humiditas. Perfrictio autem huic aduenies uomendi humoris qualitatem ostendit. Quòd ergo frequens ob sputum uomitus fiet, quodq̃ ob frigiditatem nigra reuomentur, licet prænoscere.

XXXI.

SVRDITAS, urinæq̃ absq̃ residentia prærubræ, & sublime petentia mentis aberrationem portendunt. quibus morbus regius malo est, mala quoq̃ & ex morbo regio fatuitas. hos uoce quidem priuari, sed sentientes contingit. uenterq̃ arbitror, his copiose fluit: ut Hermippo factum est, unde obiit.

Dixi antea q̃ in q̃bus morbis neq̃ multos obseruauit ægros, neq̃ certã naturæ rei demõstrationẽ habet, in his cõsueuit homines nominatim perstringere in q̃bus symptomata cõspexit. aut de his ubilibet enarrationẽ fecit, quæstigare adhuc & adubitare sese fatetur quatenus ueritatẽ habeat. uidetur igitur & nunc q̃ in præsenti recẽsentur dictione symptomata in quodam conspexisse Hermippo: qui & mente aberrarat, & morbo regio fuerat correptus, cum surditate & urinis prærubris non subsidentibus. Surditas autem unum est ex signis quæ cerebrum affectum indicant. Prærubræ uero urinæ à subrubentibus, quas in prognostico diuturnitatis non periculi signa esse pronunciauit, discrepant. Quas uero alias intelligat quis prærubras quàm quæ à cunctis uocantur cruentæ? quales in nephriticis multis excernũtur, quas si indicare uoluerit, proportionabile quippiam significat ei quod ante est dictum. uentris ualde rubens proluuies. quo igitur modo uentris ualde rubrã proluuiẽ affecto iecinore fieri

diximus, ita prærubram urinam ex renibus ſuo perperam fungentibus munere effici affirmamus. In urina uero † craſſamenti ſubſidentis priuatio, ſimulq; craſſiora quædam tota urinarum ſubſtãtia ſublime petere uiſa, perturbationem in uenis unà cum caliditate præter naturam eſſe demonſtrant, non pauco congeſto acerua toq; flatuoſo ſpiritu. Vt igitur in dictis ſymptomatum cõuentionibus delirare ægrum contingens eſt: ſic & non neceſſarium. Nempe ſignorum permiſtio non omnium eiuſdem generis exiſtit. Surditas etenim, caput affectum indicat: prærubræ urinæ, renes: priuatio ſubſidentiæ, & ſublime petentia, primum quidem & per ſe, crudorum humorum in uenis perturbationem ſignificant, per accidens uero, & ad deſipientiæ generationem conferunt. Quod autem poſtea ſcriptum eſt, morbum regium his malo eſſe, uerum quidem eſt: ſed & ſignorũ diuerſi generis concurſiones facere in talibus diſciplinis nõ oporteat, ſupra eſt demonſtratum. Præterea & ex morbo regio mala fit μωρωσις, id eſt fatuitas, dictum eſt antea, cũ, ubi in phreniticis dixiſſet deiectio alba malum, ſubintulit, an & ex his ueternus fiat? nempe ſermonẽ in alias transfert uoces, pro alba quidem deiectione quæ ictericorum peculiare ſymptoma eſt, affectionem ipſam commemorans: pro ueterno uero & ignauia, ſtoliditatẽ. hos igitur, inquit, uoce quidem priuari, ſed ſentientes contingit. Qui autem in acutis morbis ἄφωνοι, id eſt ſine uoce fiunt, quidam horum non ſentiunt, propter principii affectionẽ utriſq; ipſos ſequentibus ſymptomatis: alii duntaxat uoce priuantur. atque horum quidam læſis quoque & aliis omnibus, quæ ex arbitrio ſunt functionibus: alii ſola uoce oblæſa. Si igitur tum uocis tum functionum aliarum oblæſio fiat, principii neruorum affectio

eſt: ſi uero ſolius uocis, ſolorum uoci aſſeruientium organorum. Sed in prædicta concurſione cum iã prope mortem uentum ſit, aphoniæ conſequitur ſymptoma. Quod item in orationis calce dicitur, uenterq; his copioſe fluit, ut Hermippo factum eſt, unde obiit: ita authorem dixiſſe probabile eſt, quoniam neque ſæpius ſymptoma hoc præſentem concurſionem ſequi uiderit, neque ratione inueniri potuerit.

XXXII.

SVRDITAS IN acutis, turbulentis, ſuccedens, mala.

Fit ſurditas & ob humorem quendam in audi-
toriis meatibus impactũ infarctumq;, nihil quod malignum ſit habens. Fit quoq; & interdum extincta audiendi facultate: quã in acutis turbulentisq; morbis contingere cernimus: quam nunc pronunciauit malum eſſe ſymptoma, neque adiecit conſunctionem, an, neq; nomen ipſum ægroti, quoniam certo de talibus ſymptomatis pronunciare licet.

XXXIII.

TREMVLÆ, obſcuræ blandæq; & cõtrectabiles deſipientiæ, ualde phreniticæ, ut Didymarcho in Co obuenit.

Fit & talis quædam deſipientiæ ſpecies non raro, ut æger quiætus iaceat, neq; ſolum non tumultuoſe exclamet, exiliatq;, ut antea, ſed neq; prorſus loquatur, neq; figuram decubitus permutet. læſiusq; qui ita affecti ſunt, familiaribus præbent opinionem, & mox ſint, ſi quod fiat ſilentium, dormituri. Clauſis itaq; feneſtris conquieſcunt cuſtodes, tempusq; in his interdum longum conterunt, dormire ægrũ & neq; loquatur neq; moueatur, arbi-

trati, ægro ipso non dormiente & manus quiete mouente non secus quàm qui per leuem cõtrectationem aliquid uel tangere uel inuenire uolunt. Deinde his ita se habẽtibus quidam clausis palpebris hæc agunt, & si quis accedens cum eis colloquatur. quidam neq; prorsus oculos aperiunt. alii posteaq̃ aperuerunt, aut paulopost clauserunt, aut immotos obseruant. alii neq; si quis eos inclamauerit, uel stimulauerit, palpebras aperiunt. De phreniticis huiusmodi Hippocrates in tertio epidemiorum, ita scripsit: Nullus phreniticorũ uehemẽter insaniuit, ueluti aliis usu uenit: sed alia quadã ueternosa ad somnum inclinatione capite grauati peribant. Cæterũ hos ipsos in præsenti dictione phreniticos, obscuros nominauit. perinde atq; multis cognitu difficiles dixisset, neq; idiotis solum: uerũ quoq; & medicis. Nempe solos illos opinantur esse phreniticos qui exclament, uel exiliant, Hippocrate mente oblæsos ita appellante. tametsi in quadã in somnum propensione perpetuo fuerint. Desipientia igitur unà cum comate statim ab initio simul inuadit. Nẽpe in libro de comate apud Hippocratem, ad idem utrasq; appellationes tũ cataphoræ tum comatis referre ipsum demonstrauimus. Atqui tales phrenitides quietem obscurã non habent: sed, ut dictum nunc est, obscura phrenitidis species ex procedente tempore efficitur. Omnesq; quos ita affectos uiderim, languidum durumq;, & angustum, & exiguum habuerunt pulsum, ita ut quies fieri ipsis languida reddita uirtute coniiciatur, qui scilicet ualidissime moueri nequeant. Quidam horum, ut manus quiete pacateq; mouent, sic & breuissime loquuntur. id quod multos latet, solisq; illis patescit, qui propiores facti sese in eos inclinauerunt. sunt autem qui aurem prope faciem ipsorum deponere tentant, ut manifeste audiant. Præterea manuum motio his exigua & tremula existens multos etiam latet, solis his qui diligenter inspiciunt conspicua. hoc igitur arguit uirtutem horum languere, atque hecticam quandam esse affectionem phrenitidis, ueluti febrium earum quas ob id hecticas appellamus. Sed de his dictum est in commentariis de differentiis febrium, atque in libris de morbis curandis, præterea & in libro de marasmo, solidas animalis partes prehendisse tales febres, non ex putri humore fieri indicantes. Phrenitide igitur ipsa ex bilioso succo generationem habente, cum is in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius nondum toti cerebri corpori permixta confusaq;, tumultuosæ fiunt desipientiæ: procedente uero tempore simile quippiam contrahitur lanis quæ à tinctoribus appellatis, tincturam accipiunt. nempe & hæ uix eluibiles redduntur, non secus q̃ quæ proprium ab initio colorem habent. Talis igitur cerebri ueluti tinctura desipientiam hecticã habet. atque ob id affectio horum, ut febrium hecticarum praua est. quas quidem quum formãtur, uix solui: exquisite uero constantes absolutasq;, solui non amplius posse demonstrauimus. Recte igitur pronunciatum est tales desipientias phreniticas esse. Dictionem hanc ueluti & alias quasdam medicorum, prætercurrentes expositores in sophisticis quæstionibus cunctantur trahuntq;. Voco autem (ut scitis) sophistica, quæ nihil ad melius sanandum conferunt. Talia autem non pauca & in expositionibus reperiuntur. quorum nõnulla ab eo quod sanationi cõmodat, recesserũt magis: alia uero minus. quo modo profecto & causam peruestigare ob quam in calce præsentis dictionis adiecit, ut Didymarcho in Co, obuenit. Nempe in eo qui præcedit sermone,

φ author nominatim ægros in illis aſcribat dictionibus in quibus nõ audet rei de qua agit, unũ quippiam quod commune ſit, uniuerſaliter pronunciare, eſt demonſtratum. Nunc autem uerum dicere uidetur de omnibus ita habentibus uniuerſaliter pronuncians non tanquam dubius: ſed tanquam ualde certus perſuaſusq;. Adiecit autẽ ſermoni, ualde phreniticæ, quanquam ſimpliciter phreniticæ dicere potuiſſet. Videtur autem mihi & ſermoni adſcripſiſſe ægroti nomen, φ multos non idiotarum modo, uerum etiam & medicorũ in talibus falli contingat. Immo & de quodã aliquando quis quæſtionem mouit ita deſipiente, neque hunc pernicioſe habere, neq; prorſus phreniticum eſſe exiſtimans. Et forſan huic qui prædictionem hanc ſcripſit, talis quæpiam dubitatio cum aliquo facta eſt: ideoq; nominatim ægrum memorauit.

XXXIIII.

EX RIGORE deſidiæ non ualde apud ſe ſe exiſtunt.

Haud ſcio cur libri huius author orationibus in multis aliena utatur dictione. qui interdum ab affectibus ad affectos homines pertranſeat, interdum uero & ab affectis ipſis ad affectus. Præfatus igitur & nunc, Ex rigore deſidiæ: ſubintulit, nõ ualde apud ſeſe exiſtunt. cũ dicere potuiſſet, Ex rigore deſides non ſibi admodum conſtant. Quod ergo inquit tale eſt: Cum rigore conſequetur deſidia ignauitasq;, hi non admodum incolumi mente exiſtunt. Nempe corpus uehementer refrigeratum ex eo quod contigit, oſtenditur. Conſtat autem totius corporis intẽperaturas conſequi mentis læſionem, affecto non ſecus quàm totum corpus cerebro.

Circa

XXXV.

CIRCA umbilicũ dolores palpitantes, quod mentis permutationem oſtendat quippiam habent. circa iudicationem uero his ſpiritus uiuer ſus cũ uehementi cupiditate penetrat. ſuræ quoque dolores in his, mentis aberrationem indicant.

Quidam non ſolum ἄλις quod ἀθρόον, id eſt ſimul, totum, uniuerſumq; ſignificat, ſcribunt: uerũ quoque & συχνόν, id eſt multum uerbo ἄλις adiiciunt. alii μόνω per γ ſcribunt & nõ per τ, τόνω, adiiciuntq; μόνω εἰκελον, id eſt ſimile, totam dictionem talem facientes, μόνω εἰκελον διέρχεται, id eſt geniturę ſimilis penetrat. alii pro πνεῦμα, id eſt ſpiritus, φλέγμα, id eſt pituita ſcribunt. Palpitationem ergo flatuoſo à ſpiritu proficiſci demonſtrauimus. Ideo circa ſeptũ tranſuerſum collectus lædit non nihil & mentem, propterea φ neruoſis partibus principium compati aſſueuit. Quum uero aliam quandam earum quæ inibi ſunt partium, occupauerit, mens quidem incolumis manet: ſed iudicatorie his pituita multa μετὰ τόνου, id eſt μετὰ προθυμίας ἰσχυρᾶς, id eſt cum uehementi cupiditate, qualis in teneſmis fieri ſolet, deorſum agitur. Tales tenſiones euenire conſueuerunt ex craſis lentisq; humoribus uix ad internas inteſtinorum ſedes commeantibus. In exemplaribus quibuſdam non eſt ſcriptum per τ, τῷ νω διέρχεται quod uacuatur, ſed per γ, μόνω εἰκελον, id eſt genituræ ſimile. Si uero uel ſubſtantia, uel colore, uel utroque uelit genituræ ſimile eſſe quod uacuatur, non conſtat nobis. Qui autem à Praxagora uitreus appellatur humor, φ uitro fuſo ſimilis ſit, eiuſmodi eſt ut maximos uehementesq; inferat dolores, cum per inteſtinorum meat tunicas. Eſt autem temperatu

ra omnium qui in corpore ortum habent humo-
rum frigidissimus. Quòd autem & ex crassiori-
bus humoribus spiritus flatuosus oriatur, id antea
audiuisti cum de palpitatione ageremus. Non ta-
men qui suram infestant dolores desipientiam in
ipsis indicant. Vnde fit ut qui dictioni opem præ-
stant, subaudiri uelint, κατα πωσαμενοι, id est abs-
ratione de repente occultati. citantq; scriptum in
tertio epidemiorum ægrum, qui in Dealcis orto
iacebat. in quo præfatus Hippocrates q genibus
& tibiis doluerit, sedatis ipsis consequutam ait
insaniam. Sed dixi antea expositiones faciendas
non esse per talium ægrorum citationem. Omnia
siquidem omnium signa hac ratione erunt. Præter
ea suræ dolores mentis perturbationem indicatu-
ros q sese occultauerint, cum in oratione non sit
appositum eiusmodi cessasse dolores, absurdissi-
mam habet enarrationem. Nam hoc pacto licer
ret quicquid uellemus in contrarium trahere, ut si
& capitis dolorem scriptum alicubi inuenerimus,
non qui existit, sed qui placatus sit, audire opor-
teat. Tussim item, & spirandi difficultatem, aurium
etiam strepitum, atque quodcunq; aliud.

rhetici Hippocratis, Commentarius
secundus, Ioanne Vassæo Mel
densi interprete.

I.

SI QVIPPIAM in urina sublime petierit occultato co-
xæ dolore, delirium portẽdit; & quæ circa aurium sonitus ta-
lia existunt.

Multa quidem in libro toto carent perspicuitate: sed quem sensum habeant, deinceps uideamus. Si occultato, ut interpretes dicunt, coxaq; dolore quippiam urina sublime petierit, nos securius certiusq; de futura desipientia pronunciabimus. Non tamen uerum est quod dicunt, si tanquam uniuersale proferatur. Nempe enæorema, id est quod sublime petit, optimum est tum album, tum læue, tum æquale. Non est igitur simpliciter dicendum futuram esse desipientiam si quippiam in urina sublime petierit, occultato coxarum dolore, sed si enæorema prauũ fuerit. Neq; hoc satisfacit: sed si unum delirii signum simul cum dictis apparuerit. Nam fieri potest ut, si delapsus in coxam humor recurrerit, pars quędã alia capite inferior, eo recepto ipsa quidem afficiatur, caput uero lædi inhibeat, si coxæ dolor apparere desierit, atq; enęorema comparuerit, capite nihil patiente. quoniam est urina inculpata quæ enęorema non habet. Sola siquidem una est inculpata, quæ colore quidem subluteo mediocriter fuerit, & substantia moderata, quæ scilicet tũ crassæ tum tenuis urinæ medium obtinet. Ego sanè quæ in libro indistincte prolata sunt, atq; ob id legentes offensura, perpetuo attempero definioq;. Nam

quę indistincta est expositoribus doctrina, nouitios ea lædit magis quàm iuuat. Virtutem siquidem expositionis existimant esse, si scripta omni ope, omniq; pacto, etiam si conspicue falsa fuerint, defendãt. Quod ubi in manifestis cõspicuisq; studio se faciant, multo utiq; magis in obscuris absconditisq; nihil ipsis curæ est ueritatis. Quod in calce dictionis dictum est, & quæ circa aurium sonitus talia existunt, bene per se scriptum fuisset, sine urinarum cõsideratione, ut sermo particularis esset, quę pauolante uniuersalem dixi. Nẽpe dolores coxæ, si qui eos fecit, humor recurrerit, possunt aliquando desipientiam inferre, si ad caput humor peruenerit. Ascensus igitur humoris ad caput signum erunt quæ in eo apparent symptomata: quo è numero habentur & sonitus. Scribunt autem nonnulli: & quæ in uesica talia. Aiunt siquidem orationem hanc ostendere non solum consideranda esse urinarum enęoremata tanquam delirii signum: uerum quoq; & si aliud quippiam tale uideatur ex his quę ex uesica excernuntur,, tanquam citra hoc affirmare ꝙ scriptor enunciare hoc pacto uoluerit, nequeuntes.

II.

MVLTOQVE magis si urina in sublime elata sit, & quæcunque alia in ea fiunt, desipientiæ signa.

Rursus & in præsentia memoria tenere tyrones ipsos oportet, nullum in urinis esse signum quod delirium portendat. Nempe hæc partium hepatis renumq; & uesicæ affectionem indicant, uasortiq; sanguinem cõtinentium, & uirtutis succos generantis tum robur tum imbecillitatem. Affectionum uero cerebri alia sunt tum symptomata tum signa, de quibus antea audiuisti.

III.

QVIBVS aluus liquida, lassitudo, capitis dolor, sitis, uigiliæ, obscuritas, & impotentia fuerit, ut hi mente moueantur spes est.

Liquida aluus (ita autẽ appellatur in qua liquida deiiciantur) & lassitudinis sensus, qui scilicet ægro sit, morbosa quidem sunt symptomata: sed delirium non portendunt, si quę ante dicta sunt, memoria non exciderint. ubi quonam pacto singulorum morborum signa, atque alia omnia quæ in ægri corpore appareant, cognoscere oporteat, percurrimus. Quædam enim sunt, ut morborum singulorum differentiæ inter se' disiungantur seperanturq; : alia uero, ut singularum affectionum mores cognoscantur, uel futura cognoscatur iudicatio, qualisnam futura sit, & quando. De singulis autem tum symptomatis tum signis ita docendum esse ostẽdimus: quo modo Hippocrates in prognostico fecit, singulorum uires aut per se aut cum pluribus eiusdem generis demonstrans. quo modo libri huius author capite dolẽtes commemorauit, uigiles q; & obscuros. Nã si κ'σαφεῖς, id est obscuros dici intellexerimus eos qui obscure loquuntur, uel propter uocem explanantium organorum offensam, quam ex neruorum uitio contraxerunt, uel propter mentis læsionem, tria eiusdẽ generis' erunt signa. Dolor siquidem capitis ferè locum affectum demonstrabit. uigilia uero quæ in diuersis cerebri affectionibus, uigiliam somnũq;, & uigilias comaq; fiunt, cognoscenti ostẽdet. De asaphia quam obscuritatem diximus, quo sensu intelligentibus delirium portendat, nuper egi. Hæc igitur uel genere uel specie, uel quouis modo quis appellare uoluerit, inter' phrenitica connumerantur signa. At quoniam maxime siccam phreniticam

affectionem cernamus, quæcunq; siccitatis in uicinis capiti instrumentis existunt, aut quamuis cum eo societatem habeant symptomata, ea quoque & futuram desipientiam commonstrant. Quo signorum in genere in præsentis dictionis morbo dictum est, sitis. Lassitudo quòd † sæpius fiat, ut in commentariis de tuenda ualetudine demonstratum est, nobis manifesta est. nihilq; aliud indicat quàm lassitudinem sensum ulcerationis habentem, quæ ob mordentes acresq; humores efficitur, & lassitudinem tensionis ob copiam, & phlegmonosam ob utrunq;. Si lassitudo uel ulcerosa uel phlegmonosa fuerit, ad spem desipientiæ generandæ quippiam conferet: si tensionis sensum fecerit, nihil. Sic & aluus liquida, bile quidem flaua syncera exeunte, uel & ex colliquamentis, de generatione phreniticæ affectionis quippiam demonstrabit: magisq; si spumosæ fuerint deiectiones. Quum uero non adiecta sit, in dictione exeuntium qualitas, sed dicta simpliciter aluus liquida, nihil ad morbi huius prænotionem ex ea adsumere ualebimus. Nempe ut antea dictum est, de propriis affectionis signis, quæcunque generis in quo affectio est, indicatoria existunt, ea quippiam demonstrant. Primum siquidem non affectionis ipsius indicatoria talia existunt, sed generis in quo affectio continetur, quæ calida & sicca est. Quoniam uero unumquodq; genus speciebus familiare sit, ad prænotionem specierum conferet, si signorum generis propriorum quædam apparuerint. Verbum autem impotentia, in dictorum signorum concursione adiectum nihil prorsus ad affectionis delirii præcognitionem affert auxilii, sicuti neque ad magnitudinis ipsius cognitionem. Nempe inquiens, ut hi mente moueantur spes est, delirii quidem affectionem fore ostendit, non tamè hanc uel paruam uel magnam, unde

† πολλάκις græcè, quare uertēdū, est q̄ pluribus modis fiat, ut in cōmentariis &c. nihil nobis manifesti indicat. Quū n. lassitudo quæ ulcerationis sensum habet, ob mordētes & acres humores fiat. quæ uero tensionis, ob copiā fiat, quæ phlegmonosum, ob utrunq;.

igitur magnitudinem ipsius accipit? Neque enim æruginosus neque niger uomitus factus uidetur, non urina, non deiectio talis, sicuti neque alia quæ ἔκστασις, id est commotionis mentis signa recensuit. Non igitur dictam nuper syndromen in phrenitim finituram speramus & periculosam, propterea q̄ uerbum impotentia, adiecit. talem autem sequi phrenitim ὡς τ' ἔκστασιν, id est ut mente moueatur, neq; ipse sperabis, neq; alteri prædicere audebis. Talis siquidem fieri potest: sed prænotio non ex his quæ rarenter contingunt signis fit, sed ex his quæ continua sunt, uel magna ex parte ueritatem habent. Volumus siquidē in prædictionibus ipsis perpetuo si fieri possit, uoti compotes esse. Quo fit ut si quis octies animi sententia frustretur, bis uero ei succedat ex uoto, is idiota abiectior, & contemptibilior sit. Potest siquidem idiota corā ægris pronuncians semper quod euenit, si sæpius assequatur quod uelit, uera loqui uel falsa.

IIII.

SI QVI sudantes & præsertim capite in acutis paulum implacidi fuerint, malum: tum aliàs tum ex urinis nigris. Turbidus quoque & in his spiritus malus.

Pernicioſa quidē & absque aliis est nigra urina uerū si & illa adiecta fuerint, præcognitionē ualde augebunt. sed quidnam indicet θολερὸν πνεῦμα, id est turbidus spiritus, inter obscura collocare oportet. & potissimum q̄ neque in prognostico, neque in aphorismis, neque in legitimo alio libro Hippocrates spiritum turbidum dixerit, quo pacto urinā. Sed quænam urina sit turbida, non nos modo ex his qui turbidas aquas perpetuo dicunt intelligimus, uerum quoque & Hippocrates ipse docuit quum inquit, tanquam subsidentiam returbaueris.

assimilat quoque & eam subiugalium urinis. non tamen quid per spiritũ turbidum intelligere oporteat, liquet: quoniam nullus dicat, ut aquam turbidam, ita & aerem turbidum, nisi quis uapore plenũ intellexerit. quo modo expositores quidam huius orationis intellexerunt. Quo etenim pacto sudorem in animi deliquiis foras effundi conspicimus, ita effluuium humiditatum in his qui intus diuaporantur ægris, internum fieri dicunt. atque ob id per exspirationem uaporem effundi perquã multum, idq; turbidum spiritum esse. Si uero ut nonnulli primam syllabam non per ,ο,θολερὸν, sed per α,θαλερὸν scripseris, non amplius qualisnam sit spiritus θαλερὸς coniectura est colligendum. Faciẽ enim θαλερὰν forsan quis intellexit ueluti bene habitam & bene coloratam. sed quidnam significet spiritus θαλερὸς nosse non est: nisi uehementer magnum indicare uoluerit. Nominum siquidem alienus usus, causam præbet his qui uolunt quoquo pacto euenerit, intelligẽdi. Proinde quidã ꝑ ο scriptum θολερὸν graueolentem intellexerunt, ut alii raucum. Alii rursus turbatum, ut difficultatem spirandi ab eo significari uelint. ueluti ac si ita dixisset, spirandi quoque difficultas in his mala. Neq; tamen libri huius author posse simpliciter spirandi difficultatem indicare uidetur, sed unam quãdam eius differentiã. siue enim ꝑ,α,θαλερὸν, siue per ο,θολερὸν scriptum sit, uidetur ea appellatione speciem unã difficultatis spirandi, non simpliciter difficultatem spirandi omnem indicare uoluisse.

V.

QVÆ PRÆTER uacuationis uasorum rationem contingunt impotentiæ, infirmitatesq;, non existente uasorum uacuatione, malæ.

Quod dicitur neque obscurum est, neque ipsius

causa inuentu est difficilis. Nempe quod dicitur tale est: inualidos languentesq; in operationibus, sicuti plurimum uacuatos, in periculo esse existima, si nulla in ipsis facta fuerit insignis uacuatio. Nam si uirtus sine ulla manifesta uacuatione imbecilla fuerit, grauantem ostendit copiam, uel unius principiorum intẽperiem. Quum uero tria sint, ut didicisti principia, cerebrum quidem functionum earum quæ ex uoluntate oriuntur, cor uitalium appellatarum, iecur uero earum quæ alimoniæ inseruiunt, quas & naturales uocant, naturalis uirtutis uitalisq; imbecillitas deterrima est, & cito hominem tollit. Nempe & unà cum ea quæ à cerebro est, confestim exoluitur. quæ si afficiatur, non protinus cor ipsum læditur. Sed de huiusmodi cunctis in multis nostris lucubrationibus didicisti.

Tria principia. & eorũ usus.

VI.

SI INTERCEPTA aluus parua, nigra, & in spyras circunducta ad necessitatem demiserit, & per nares eruptio fiat, malum.

Σπυραθοῦν uocant caprarum deiectiones. sunt autem hæ siccæ, atque id quod excernitur propria circunscriptione rotundum circunductumq; existit. Quum igitur quis hoc pacto sicca, & circunducta deiecerit, σπυραθώδη, id est in spyras uoluta appellantur. fiuntq; talia & ꝙ plusculo tempore retineantur, & propter copiam igneæ caliditatis. Si igitur præterquàm ꝙ talia existant, nigra quoque fuerint, flagrantem ardentemq; circa medium corporis affectionem esse declarant: atque ob id mala existunt. Sermoni adiectum est, & per nares eruptio fiat, ueluti in aliis multis dictionibus. scribente quod multorum commune est tanquã proprium authore: ꝙ sermone uno uniuersali doctri-

nam comprehendere non possit. Est autem commune in ipsis tale, bilis uacuationem multam tanquam turbationem uehementem, atque multis in morbis commode factam non sustinent reficcati, neque rigorem, neque alui excretionem, neque sudores, neque parotidas insignes, uel quampiã materiam aliam. Ita enim eos qui in epidemiis facti sunt abscessus incusamus, uel minores, ut dixi, tanquam nihil iuuantes: uel maiores, tanquam sustineri nequeant. Sanguinis itaque eruptiones hoc modo non ferunt qui ante sunt arefacti. Talis autem est prædicta affectio cum ne uni quidem per morbi initia, rotunda circunductaq; exeant excrementa, neque ea simpliciter: sed cum medici diligentia & operatione uel per clysterem uel glandulam. Nempe hæc oratio πρὸς ἀνάγκην, id est ad necessitatem, tale quippiam ostendit.

VII.

QVIBVS lumborum dolor diu perseuerans cum æstu fastidioso fit, si sudent, malum. an & his tremor fit, & uox ut in rigore uidetur?

Rursus concursio dictorum symptomatum ratione caret. atque ob id ipse quoque de hoc addubitans inquit, an & his tremor fit? Malam uero ait concursionem, de ea re non dubitans, q̃ lumborum dolor unà cũ æstu fastidioso diutius maneat. sudor autem his aduenies certiorem efficit præcognitionem. Siue nanque sudorem exiguum toto fieri corpore ab ἐφιδρώσεως nomine significari intellexerimus, signum bonum non est, cum ab eo, etsi non lumborum dolorem certe fastidiosum æstum solui oportebat: siue sudores eos qui circa thoracem caputq; fiunt, intellexerimus, q̃ perpetuo hi mali sint, constat, uirtutis imbecillitatem, uel in his partibus copiam indicantes. Ob hæc quidẽ

omnia prædicta signorum concursio mala est. Quum uero multæ in lumbis sint partes, non liquet quænam ex dictis patiatur, in qua dolor diu perseueret, & æstus fastidiosus non desinat. sed signis aliis diiudicare conuenit. Si igitur renes fuerint perpessi, scis horum affectiones per urinas cognoscendas esse: si uero aliquis uel eorum qui inibi sunt, uel dorsalis medullæ musculorum passus fuerit, iam tibi & cum alio adiecto signo constat. Nempe affecta dorsali medulla, sensus torporis erit in his partibus quæ ex affecto enascuntur loco. Didicisti aũt ex dissectione neruorũ dorsalis medullæ, & qui ab unaquaq; uertebra enascantur nerui, & partes corporis ad quas dispertiantur. Si igitur signum aliquod patientis dorsalis medullæ tibi adfuerit, tum tremorem, tum aliam omnem neruorum affectionem ferè expecta. quas inter una existit tremulæ uocis oblæsio. Nempe oratio hæc, ut in rigore uidetur: uocem tremulam indicat.

VIII.

SVMMÆ corporis partes si celeriter in utrãq; conditionem permutentur, malum. sitis quoque huiusmodi mala est.

Quidam cum præscripta dictione præsentem annectunt copulantq;. atque ob id eam cum coniunctione autem, hoc scribunt pacto: Summæ autem corporis partes si celeriter in utranque conditionem permutentur, malum. Sed quæ in ea dicuntur, ab ante dicta concursione distingũtur. quapropter & scriptor qui cum illis ea scripsit, ueluti & multa alia inter se coniunxit, q̃q̃ nullam habeant communitatem. Nos igitur horum expositionem seorsum moliri oportet. Nam si summæ corporis partes facile in utrãq; permutentur conditionem, malum signum est. Summæ corporis partes pedes

sunt, manus, aures & nasus, quæ & in his qui cũ frigore fiunt accessionum ingressibus, primæ omniũ frigescunt. Quòd autem oratio hæc, In utranque conditionem, caliditatem dicat & frigiditatem, liquido constat omnibus. Quum igitur secundum naturam habemus, temperate habent summæ corporis partes nulla repentina facta in his mutatione. Nam tametsi q̃ maxime hieme frigidæ & æstate calidæ fuerint, paulatim tamen sensimq̃; talem assequuntur permutationem: nõ celerem quidem nec usque adeo ualidam, ut uel hieme similiter glaciei refrigerentur, uel æstate his quæ ab igne multo calefacta sint, assimilẽtur. In morbis autem summe malignis permutatio harum hora una ad contraria efficitur: interdum quidem ut hieme perfrigescant, interdum uero tanquam æstate calescant. Id autem cõtingit cum propriam caliditatem nõ habuerint, atque à febrili calsiant. quæ à corporis medio incipiens, flammæq̃; similis corpus totum depascens, extrema cõcalfacit: quæ & cum trãspirauerit, statim ea refrigescunt, restincta scilicet naturali caliditate. Sitis quoque huiusmodi (inquit) mala est. ubi uerbum huiusmodi, ꝙ eam dicat quę celeriter in cõtraria permutatur, ueluti de summis dictum est partibus, nemo ignorat. Permutatio autem sitis ad contraria fit, quum pauloante sitiens confestim sine siti reddatur: & rursum post paulo sitiens erit, non desinente siticulosa affectione: fieri siquidem non potest, ut æger pauloante ualenter exiccatus ita perfecte humectetur, ut sine siti fiat. Quidnam ergo est quod in ita affectis contingit? Sanè quod his qui toto die totaq̃; nocte atque interdum nullo pacto secernunt urinam. Prius siquidem neque corporis affectiones mens ægri consequuta est, collectaq̃; urina nondum ualenter uesicam distendit. At posteaq̃ mens consequuta est, &

uesica impleta, ob hæc ambo sensit affectionem æger. quo igitur modo id desipientiæ est signum: sic & quod in siti dictum est. cum ægri quidem sitiendi affectionem semper habeant, sed non sentiant donec eorum anima sensu prædita magis redatur, & sitiendi affectio ad summum augeatur. Summarum igitur corporis partium ad contraria permutationem malum esse putandum, utpote quæ caloris natiui imbecillitatem ostendat, & eius qui præter naturam est, robur. Sitis uero permutationem, languorem quidem sensificæ facultatis, robur uero siticulosæ affectionis.

IX.

EX COMPOSITO modestoq̃; homine ferox responsio, mala.

Sermone hoc generalior uniuersaliorq̃; existit alius, qui non solum hunc continet, uerum & alios quosdam non paucos. Omne siquidem quod præter naturam propriã malum, genus horum est atque multorum aliorum sermonum. Cui enim propria natura composita est, is non solum cum incõposito desipit, perniciose affectionem habere demonstrat: uerum quoq; & cũ ferocitate respõdens prope ad phrenitidem accesit. Cui uero uice uersa responsio in feroci natura composita est, ut is uel in cataphoram uel lethargum uenturus sit, spes est.

X.

QVIBVS VOX acuta est, his hypochondria intro tracta sunt.

Secundum naturam sanè dicendum erat. Quibus in morbis uox acuitur, trahuntur his hypochondria ad internam sedem. Cur nam uero libri huius author ita enũciationibus alienis oblectetur,

haud scio. Relicto igitur de hac re studio, ad eorũ quæ dicuntur intelligentiam ueniamus, quæ neq; ipsa uniuersalis est, ut aliæ multæ eorum quæ in hoc libro dicuntur, uera tamen ita enuncietur, q; plerisque qui in morbis uocem mittunt acutã, ad internam sedem trahantur hypochondria. Nẽpe id, uerbum ἀ῾ρυ᾽ατω significat. neq; q hypochõdrium ipsum propria quadam affectione intro accurrat, sed q interna magis ipsum trahant. Nempe septum transuersum symptomatis eiusmodi causa est, quum uel aresçit propter igneam caliditatem, uel à membrana costas succigente retrahitur: quũ rursus & ob phlegmonem, & ob siccitatem tenditur. Suntq; ex medicis plerique qui retractum hypochondrium inter ea quæ simul cum phrenitide adsunt, scripserunt. nam plerique phrenitici ita affici uidentur. Sed præsens oratio retrahi hypochondria non dicit, sed ad interna trahi. Tu autem si uerum prorsus loqui lubet, ex dimidio utrunq; compones, dicesq; intro sursumq; trahi hypochondrium, neque immerito id fieri propter obliquã septi transuersi posituram. Incipit enim ab ossis pectoris, qd῾ ϛέρνον appellatur, termino: atq; hinc sensim oblique descendens, tum intro tum infra ad lũbos peruenit ita, ut plurimum quidem totius ipsius substantiæ profundis hypochondriis subiaceat, supernum uero principium altius sit. Ob hæc igitur ad internam supernamq; sedem trahi uidetur. Quòd si hæc inter se comparaueris, plus intro quàm sursum transmutatum esse tibi uidebitur. Relicta itaq; quæ præter naturam ob instrumentorum siccitatẽ phlegmonenq; musculorum acuitur uoce, quoniã angina hæc affectio uocetur, de ea quę aliis in morbis acuitur uoce pronunciauit inquiens, his hypochondria intro trahuntur. Vocem præterea acui ex uocaliũ instrumentoq; angustia in cõmentariis

de uoce demõstrauimus. Atq; ob id tũ spadones, tum pueri, tũ mulieres uocem reddunt acutam. In febribus uero siccitas horum angustiam efficit.

XI.

HEBETATVS oculus uitiatusq; & concretus immobilisq; & tenebrosus si fuerit, malum.

Oculus ἀ῾μαυρῳ῾μενος, id est hebes obtususq;, & ἀ῾χλυω῾δης, id est turbulentus tenebrosusq; tum ipsi ægro tum uidentibus fit manifestus. ægro quidem, cum non amplius conspicue uidet, quo modo antea, in hebetibus conspectibus, ueluti in turbulentis: præter id q obtuse respicit, adhuc per quandam turbulentiam uidere putat. Vocant autem ἀ῾χλυ῾ν aeris θο῾λωσιν, id est turbationem, quæ medium tum nubis tum nebulæ habet crassamentum: ita ut q̃ nebula quidem magis concreuerit, q̃ nubes uero minus. Fit autem tale in oculis pathema & non paucis qui febre carent, ueluti & ἀ῾μαυ῾ρωσις, quæ obscura imbecillaq; instrumentorũ sensio existit sine turbulentiæ apparitione: iam uero laborantibus multis. Est autem ἀ῾μαυ῾ρωσις ἀ῾χλυω῾δους ὄ῾ψεως, id est turbulento aspectu, generalior. Nempe cum in utroq; obscure cernatur, ægris tamen ipsis ueluti sensio turbationis cuiusdam in turbulentis conspectibus euenit: extrinsecus uero uidentibus oculus acie inertior hebesq; nullam humidi prẽter naturam habere uidetur substantiã. Periit autem ex eo tum splendidum tum lucidum quod in acute uidentibus oculis inest. Hebetes itẽ imbecilliq; mortuorum oculis similes existunt. multisq; morientium, atque adhuc tamen uiuentium tales oculi uidentur, ueluti & his quos extrema habet senectus. Turbulenti uero non omnibus, sed solis his quibus turbatum in pupilla uidetur humidum: quod sanitatis tempore tum lucidum

tum candicans erat. Ex dictis itaque affectiones oculorum utrasq; prauas esse manifesto liquet. Concretus oculus propter mouentium oculos musculorum immobilitatem fit. Immobilitas autē ea propter omnium ipsius musculorum uel resolutionem uel æquam & quæ in neutram partem uergat tensionem proficiscitur, uel propter exactam mouentis musculos potentię imbecillitatem. Talis constitutio ei qua oculi intus agitantur ex aduersum pugnat. Nempe instabiles incōstantesq; sunt, non secus quàm qui equum appellatum habent, ita ut nunquam conquiescant. Contra autem, concreti nunquam mouentur. Si igitur causas talis constitutionis oculorum intellexeris, constat & eas prauas esse. Scribunt aliqui in dictione, Et concretum turbulentum malum, turbulentiam quandam concretum esse in oculis uolentes ex affectionis tum siccitate tum caliditate.

XI.

VOX CLANGOSA mala est.

Nonnulli quidem κλαγγώδης, id est clangosa: alii, κλαυθμώδης, id est querula plorabundaq; scribunt. Quòd autem clangosa uox fiat cum siccitas uocificorum organorum intenditur, est demōstratum. Plorabunda uero secundum eandem noscitur intensionem, sed difficilior quàm clangosa existit, quanto maiorem indicat affectionem.

XII.

DENTIVM stridor pernicios⁹ quibus non est sanitatis tempore assuetus. suffocatio quoque in his ualde mala est.

Quum libri huius author memorare non consueuerit quæ in prognostico scripta sunt, nunc tamen de stridore dentium mentionē fecit: adiecitq; in calce

in calce & suffocatio in his ualde mala sit. At cum didiceris quonam pacto stridor dentium procreetur, quonam item modo suffocatio, nihil in hac ēt dictione fusius recensere est necesse. nempe ex illis uniuersa ipse cognosces.

XIII.

FACIEI COLOR bonus, & mœstitia multa malum.

Quòd sæpius fallat coloratior facies, putentq; hanc uel sanguinis per nares eruptionis iudicatoriæ, uel abscessuum post aures significatoriā esse, ob id iure etiam si cum multa tristitia fiat, malum esse signum scripsit. fieri siquidem nequit, ut ægri ita bene colorentur, ut qui optime ualeant, pro ea quidem quæ in illis est affectione. sed ob caliditatē multam impense rubros ipsos factos, & bene coloratis similes uideri relinquitur. Quod autem ualde rubrum est, id ad melancholiam idoneum esse ait in epidemiarum secundo. cuius signum mœstitia existit: atque si multa ipsi adfuerit, multo magis. Quum itaque florida quidem apparuerit facies, æger autem ualde tristis fuerit, quædam incerebro ualde calida affectio esse uidetur, quæ sanguinem exurit, eamq; ob causam bilem atram, ut demonstratum est, procreat gignitq;. Sed forsan alienum non erit, ut sicuti quædam per totum libri sensu carentia simpliciter commemoraui, ita & nunc faciam, scribamq; ex enarrationibus sensu & intelligentia carentibus aliquā gratia exempli. Neque sanè eum qui primus de his dixit, sum admiratus. Commune siquidem id omniū est uitiū, ut quo modo filios, ita & quæ ab illis excogitantur, diligant. nisi quis ualde securus Æsopi fabulā perpetua in memoria habuerit, quæ duas nos gestare manticas ait: anteriorem quidem uitiorum

alienorum plenam,posteriorem nostrorum.atque ob id delicta aliorum uidere nos,nostra uero non cernere.is etenim solus ad uerorum cognitionem sese exercebit. Nõ igitur,ut dixi, eum qui primus expositionem scripsit,demiror: sed eos qui dicta prius inepte laudant. quo modo & nunc quidam laudibus extollit eorum explicationem,qui intelligendum esse aiunt faciei quidem bonum colorẽ ad ægrotantis ipsius colorem: mœstitiam uero multam in medico colorem hilarem præter naturam ut signum malum cernente. Nam si id docere uoluisset prorrhetici author, ita dixisset: Faciei color hilaris ualde mœstum reddit medicũ, neque ad hoc in calce postea ascripsisset,malum. Absurdum siquidem admodum atq; ab omni intelligentia alienum dicere faciei colorem hilarem ualde mœstum signum medico,malũ. uel rursum hoc pacto: Faciei color hilaris ualde mœstũ reddit medicum,est signum malum. Nempe uel id mœstum reddit medicum & signum est malum: uel malum esse colorem hilarem duntaxat dictum fat fuerit.sed ut utrunque simul dicatur,fieri negt. Adde q etiam cõiunctio, &,appositа clare indicat in ægroto hæc ambo contigisse:tum coloratã faciem,tum uehementem tristitiam. Vt ergo quis prætermissa huius lectionis demonstratione ad id quod recẽsetur,ueniat,falsus est eorum qui ita exposuerunt sermo. Non enim de necessitate color faciei hilaris ualde mœstum reddit medicum,sed interdum hilarem magis q̃ antea reddit. cum scilicet faciei colorem hilarem uel sanguinis eruptionis uel abscessuum post aures iudicatoriorum signum esse sperauerit. Si itaque dictione ipsa, summe tum ambigua tum obscura existente talia quædam excogitarent,ueniã hi à nobis mererentur: sed quoniam rem commodissimam clare distinguens docet,quando sanè quidem bonum existat

signum bene colorata facies, quando uero non bonũ, qsnã ipsis ignoscere: sicuti & his q præsentẽ sermonẽ de mutua inter se transmutatione boni faciei coloris,& mœstitiæ esse dicunt. Existimant siquidem quũ hæc sibi inuicem succedunt,quando scilicet colore hilari desinente æger ualde mœstus reddatur, rursusq; & mœstitiam illam subsequatur color bonus,difficile signum esse,ac si ambo simul esse nequeant,uel ipse de contrariis antea non dixerit mutuam in sese transmutationem non bonum signum esse.inibi siquidem generatio alterius,tollit alterius essentiam.quo fit ut simul esse nequeant. Sed quod mœstitia simul cum colore hilari consistat, non est impossibile.Si igitur quæ in unaquaq; oratione ab aliquibus perperam dicta sunt,redarguamus, commentariorum prolixitatẽ non pauci incusabunt:si uero non reprehensa prætermittamus,iam postea erunt qui auditam peregrinam expositionem tanquã à me prætermissam uitio uertant,& maxime quũ expositionis tum utilitium tum uirtutem nondum discernere queant. Quum ergo fieri non possit, ut incusationem deuitemus,qua uel superuacue sermonem protrahamus,uel utile quippiam prætermittamus,ad alterum diuertam,quod lecturis scriptas à me explanationes commodius fore credidi.

XIIII.

DEIECTIONES in spumosas sinceras q; desinentes exacerbant.

Causam cur qui librum exposuerunt,ut multas dictiones alias,ita & hanc perperam obaudierunt, non noui. Nempe quum dixerit,desinentes,expositionem hi faciunt deiectionum spumosarum sincerarumq;. At idem non est,aut cui talia deiiciuntur exacerbãdũ morbum,aut cui desinent deiectiones

in talia. Prauæ igitur affectionis signa sunt spumosæ & sinceræ. si memoria tenuerimus deiectiones sinceras appellari, quæ duntaxat unum qui excernitur humorem cæteris impermixtum habent. nō est tamen ut talia excernentibus morbus exacerbetur, necesse: cum fieri possit, ut cocta paulatim affectione in qua talia excernebātur, cōquiescat æger. Quādo igitur necesse est ut morbus exacerbetur? cum scilicet deiectiones præter id ꝙ non desinant, in spumosas quoq; sinceras q; permutabūtur. Nēpe hæ aliis quę ante excernebantur deteriores, exacerbandum morbum indicant.

XV.

VRINARVM in morbis acutis ex refrigeratione interceptiones pessimæ.

Morbi acuti ex calidiore materia ortum habēt. Si ergo urinarum retētio ex uesicæ refrigeratione fiat, malū. Nēpe ex tali intēperie secretorię quę in uesica est facultatis factam imbecillitatem, uel sensus ob refrigeratum ipsius neruum priuationem, neruumq; ipsum quod contristat haudquaquam sentire ostendit. Refrigeratio autem uesicæ fit discusso euaporatoq; ab eo qui præter naturam est, naturali uesicæ calore. Sed forsan quis obiecerit, quam ob causam si febris totum occupauerit corpus uesica refrigerata est? Quæstionem sanè diluit partis idoneitas & aptitudo. non enim omnia naturam eādem pariter sortita sunt.

XVI.

PERNICIOSA sine signis leuantia, mortē indicant.

Sine signis, inquit, uel excretionis uel concoctionis. non autem aliud docet quàm uniuersale illud in aphorismis ita scriptum: Quæ non ex ratione

leuant, his fidendum non est: neque ualde formidāda mala quæ præter rationem eueniunt. Præsens siquidem dictio ab uniuersali recedens eorum quę uniuersali subiecta sunt, quippiā edocet. De pnicio sis siquidem duntaxat pronunciat, non de prauis omnibus. Neque enim prorsus quicquid prauum fuerit, mox idem & pernicioſum existit. Demonstramus siquidem in prognostico malorum signorum differentias non paucas dictas esse, in quibus Hippocratem ipsum ex nominum propriorum adiectione magnitudinem horum indicare ostendimus. De prauis igitur simpliciter & non pernicios nosse id duntaxat satis est, non esse his fidendū si absque signis desierint. redibunt siquidem, sed nō tollent hominem. Quæ uero eò prauitatis deuenerunt, ut & inter pernicioſa censeantur, quòd hęc quidem mediocriter prauis infida magis sint, nequeantq; secure, & cum fiducia sine manifestis signis sedari, in libris de iudicationibus est latissime à me demonstratum. Nempe ubi talia tractu temporis læsionem habitualem indissolubilemq; confecerint, reuertētur pro malitiæ suæ magnitudine periculi magnitudinem afferentes. Nam causæ aliquæ eorum quæ in corpore procreantur, potentia uirtuteq; tum uirus rabidorum canum, tum letalia ea medicamenta repræsentant, quæ etsi in affecto loco nullum protinus, quod notabile sit, pariāt symptoma, post quatuor tamen uel sex menses, uel longinquiorem temporis usuram, hominem perimunt. Scimus autem nonnullos & à canerabido morsos, qui postea tum aquas formidauerunt, tum à morsus initio post duos uel tres uel quatuor, uel multo plures mēses interierūt. Noui sanè & quēdā q exacto anno eā incurrit affectionem, quam ὑδροφόβον, id est aquæ timorem, uocant. De quo mediciis omnibus summa in solidis animalis partibus

siccitas esse uicebatur, atque unà adaucta naturalis
caliditas, & in igneam conuersa. Affectionem hãc
caninum uirus parit longo tempore paulatimq;,
atque ob id immedicabilior existit, & partium so-
lidarum substantia in aliam transeat conditionem,
ueluti in uitiliginibus, leucis appellatis fieri consue-
uit, nempe & altius descendit hæc præter naturam
affectio. Cum autem hæc alterent quidem solida
corpora: sed nondum alterauerunt, simul ut uacua-
ta sunt, solidorum quoque alteratio cessat, inter-
dumq; die uno, interdum uero citius etiam ad na-
turalem redeunt habitum. Nempe cum affectio fit
& nondum facta est, breuiter separata efficiente ip-
sam causa, sedatur: si uero completa ea fuerit, etiã
si uacuata fuerint, quæ affectionem procreauerint
humida, nihil in sanatione rationis amplius existit.
Simile quippiam in lignis ipsis contingit, quæ pro-
xime mediocrem ignem sunt apposita. calefiunt si-
quidem ualde: sed nondum inuruntur. quæ si prius
ab igne separaueris quàm accendi inuriq; incipiãt,
celeriter contractum caliditatẽ exuunt, deponũtq;:
si uero tantum in se exceperint, ut inuri incipiant,
etiam si ab igne tollantur, nihil minus inuruntur.
Quòd si lignum humidum in ignem eundem cõ-
iiciatur, non protinus accenditur, ut si uel stuppã,
uel calamum siccum, uel ellychnium coniecerís:
& si post paulo lignum huiusmodi sustuleris, breui
post interuallo deponet eam quam ab igne contra-
xerat, alterationem. Non est igitur absurdum, ut
talis in corpore paulatim progenitus sit humor,
qualis est & rabientium canum, & tractu temporis
longiore corrumpentium medicamentorũ: ita ut
plerosque medicos lateant. quo modo in eo qui
ob lassitudinem, ut uidebatur, maxime modicam
febrit, qui post quartũ diẽ urinã secreuit substãtia
quidẽ tenuẽ, sed colore nigrã, ut in utroq; eã q ex

pauco atramento scriptorio aquæ multæ diluto
consurgit, mixturam repræsentaret. atque modo
alio si non atramentum ipsum dilutum intellexe-
rimus, certe eam, quę à multis ἀναβολὴν appellatur,
fuliginem. Visus est æger hic quarto die bene ha-
bere, ita ut sequentibus diebus lauaret: deinde die
septimo uesperi cum febrire cœpisset, tabefactus
obiit. Docetur autẽ in præsenti dictione, id quod
optimis medicis opem affert, nõ uulgaribus. Ne-
que enim pernicioſorum morborum signa hi no-
uerunt. Adolescens præterea quidam excernebat
cum febre imbecilla rubidam proluuiem non pau-
cam: sæpiusq; die uno nocteq;: cum tepida febre,
qui hinc mediocrius habere est uisus, ita ut tertio
die à febre immunis esse uideretur. Ego itaque uri-
nas ipsius quæ tum tenues, tum albæ aquæ instar
essent conspiciens, iecinoris infirmitatem permane-
re conieci, præcepiq; ut occurrerent huic idoneis
tum epithematis, tum esculentis, & ratione uiuen-
di uniuersa. Deridens uero me medicus quidam à
Thessalo edoctus, qui non solum ipse nunquam
urinas contemplatus erat, sed & contemplantes
fullones appellabat, prohibuit ne homini præsi-
dium ferretur, sola post inanitionẽ refectione utea-
dum esse inquiens. Sed morbus septimo à princi-
pio die superueniens patuit omnibus esse hepati-
cus. Talia igitur omnia quæ ualde utilia sunt, præ-
termittunt expositores, tempusq; interdum circa
dictiunculas nullo pacto utiles conterunt.

XVII.

IN ACVTIS biliosis albicantes, spumosæ
& pericholæ deiectiones, malæ. malę quoque &
urinæ huiusmodi. an & his iecur laboret?

Quod sæpius iam & antea dictum est, dicam &
nunc. Qui librum hunc composuit, uidetur quidẽ

eiusdem cum magno Hippocrate esse artis: sed ipso longe est inferior. atq; ob id quidam librum hunc, Draconis Hippocratis, alii Thessali esse putauerunt. Duo siquidem magni Hippocratis filii fuisse perhibentur, Draco & Thessalus: quorum utriusque rursus filius Hippocrates. Siue igitur ab horum altero, siue ab alio quodam scriptus sit liber, siue qui scripsit, priusquam græcis publicaret, obierit: peruestigare superuacuum uidetur. Nam quæ de ipso dicta sunt sufficiunt. At legentes conquirere intelligentiam eorum quę dicuntur studeant, sitq; gemina inquisitio, quod ab ipso dicatur, tum ad librorum Hippocratis confessorum, tum ad rerum ueritatem referentibus nobis. Et nunc sanè quod proponitur, ita inuestigabimus: quòd author plerunque symptomata implicet, permiscеatq;, quorum uniuscuiusque uires per se in prognostico didicimus. Nempe quòd deiectiones, ti albicantes, tum spumosæ, malæ sint, dictum est in libro illo. Quòd præterea minus periclitentur quorum naturæ conuenit morbus, ex aphorismis constat. quare quibus non conuenit, hi magis periclitantur. Biliosæ igitur deiectiones & biliosa uesicæ excrementa, cum biliosis hominibus, biliosis & morbis familiaritatem habent, & cognationem: non biliosa autem, & albicantia his præter naturā sunt, atque ob id praua censentur. Spumosa uero deiectio naturis omnibus mala est. quæ si tantummodo in oratione dicantur, nulla oborietur quæstio. Verum si adiceris perichola, maximam mouebis quæstionem. Quo etenim pacto fieri potest, ut albicantia simul & biliosa deiiciantur? Vitiatam equidem & illam dictionem ueluti & alias multas existimo. Nempe commodius fuit, ut in ea scriberetur nō perichola, uel omnino omissa fuisset hæc dictio perichola. Si uero dictionem tanquam uitio

carentem existimare cogimur, è duobus alterum ut sit oportet. Nam uel uno tempore albicantia, in altero perichola deiici est putandum, uel si tempore uno secerni utraque quis asserere uoluerit, albicantia quidem tum constantium, tum durorum excrementorum colorem indicabunt. perichola uero excrementa, ea bilem substantia tenuem circiter habere, atque ea circumuolui ostendent. Cōsueuerunt autem tales excretiones περίχροα, id est circiter coloratas appellare. Vrinæ autem permiscеri quidem hoc pacto non possunt, sed in his alterum eorum quæ dicta sunt, uel alterum intellige re est necesse: atque utraque esse mala, & albicans, & pericholum. In urinis autem pericholum quod superflue biliosum est, de necessitate est intelligendum. Neque enim fieri potest, ut quo modo in deiectionibus perichola cum albicantibus fieri possе retuli, ita & in urinis intelligatur. Quod in calce dictionis scriptum est, an & his iecur laboret? recte est dictum. Nempe aliis dolet, & aliis nō, propterea quòd hæc ob tum phlegmonen, tum obstructionem, tum flammantem quandam affectionem, & per uentrem, & per uesicam excernantur. sed de talibus omnibus unà cum peculiaribus demonstrationibus in nostris tractationibus diximus. Vt neque nunc singulis in dictionibus physicas audire demonstrationes conueniat, sed solis his quæ ex ipsis demonstrata sunt, unumquenque contentum esse oporteat.

XVIII.

SI IN FEBRIBVS aphoniæ conuulsiuo modo in motionem mentis cum silentio transeant, pernicioſum.

Quanquam uetera omnia exemplaria ita scripta sint, libriq; interpretes omnes hoc pacto recipi-

ant,quidam tamẽ ex his qui tum heri,tum nudiuſ
tertius nati ſunt,in eam quæ expoſitu ipſis facilis
ſit,tranſcribunt dictionem.Ego uero eum qui de
expoſitione dubitans,uitiatã eſſe dictionẽ ſuſpice
tur,& ad id qđ uerũ appareat,trãſcribat non incre
po.ſed quòd expoſitionem faciat,ut ipſe tranſcri
bere eſt auſus,perinde atque ab initio ita ſcriptum
ſit,increpatione dignum eſſe arbitror. Quum uer
ro plurimis in orationibus fecerint id nonnulli,ma
lam ipſorum in omnibus adulterationem memo
rare longum eſſe puto.Quo autem modo & alia
multa hoc toto libro ſcripta ſemel aut bis adnota
ui,ita & hoc.Dicta igitur à me ſunt hæc propter
eos qui prorſus à præſenti oratione auferunt uer
ba hæc duo, σιγὴ ὁ λεθριον,id eſt cum ſilentio pernic
ioſum.Ego autem ſenſum talem eſſe autumo:Si
in febre aphoniæ quæ cõuulſiuo modo fiunt,deſi
nant in eam quæ cum ſilentio ſit ecſtaſim,pernicio
ſum.pernicioſum autem uel pathema uel ſympto
ma ſubaudire oportet:libri authore ita ex conſuet
tudine enuntiante.Nomẽ igitur σιγὴ,id eſt cum ſi
lentio in caſu dandi eſt intelligendum,& cum uerg
bo ἐξίστανται, id eſt mente mouentur,conſtruendũ
ordinandumq;.In caſu autem dãdi intellectum nõ
amplius ipſum ſignificat:ſed tãtum hoc:ſi in mẽtis
ſcilicet, motionem trãſeant cum ſilentio,ualde ma
lum.Nam rurſus eum nomini ſilentio,uerbum,pe
nicioſum, ſubieciſſe conſtat.quod ſanè intelligen
dum pro latenter & obſcure uulgo. Quum ergo
aphoniæ multis fiant modis,ut dictum eſt,nunc eã
quæ conuulſiuo modo fit,in eam quæ cum ſilen
tio efficitur ecſtaſim deſinere ait. Sed quorumnam
conuulſiuum modum intelligemus:dixerit quis:
uoci aſſeruientium organorum.quæ tum quòd re
ſoluta ſint,tum nullo pacto à uoluntate moueãtur,
aphoniæ cauſa exiſtunt.quorum affectionẽm quæ

cum. conuulſione eſt,definiens,ob id inquit,ſi in
febribus aphoniæ cõuulſiuo modo.Non hæ igi
tur cum tumultu & clamore(non enim uociferari
poſſunt qui uoce ſunt deſtituti)ſed cum ſilentio in
ecſtaſim perueniunt.Nulla ſanè quæſtio eſt quonã
modo cum ſilentio mente moueantur qui nul
lo pacto uocem emittere poſſint.Vnde igitur inq
unt,mente aberrantes eos cognoſcimus?ridiculã
admodum interrogantes interrogationem,ſoliſq;
his interrogari dignam qui nũquam ægros mente
læſos conſpexerint. Nempe & ſi non loquantur,
quòd familiares conuenienter ipſi non uideant,ne
que cũ interrogantur affectionem dicant,uel ſcripto
to uel nutibus:quòd item motus oſtendant à ratio
ne alienos exilientes uel inordinate conuulſi,hæc
deſipientiam ipſorum indicant.& ſi ualenter horũ
affectio excedat,iam non deſipientiam ſimpliciter:
ſed ecſtaſim,id eſt inſaniam iure appellamus.

XIX.

QVIBVS ex dolore aphoniæ,hi cum dolo
re moriuntur.

Verbum δυσθανατοῦσι modo q tardius moriun
tur,modo qui cum dolore,ſignificat.quod opti
ma ratione in præſenti oratione dicitur.& maxi
me quia aphoniam huiuſmodi in antecedente di
ctione memorauit.Nempe conuulſio doloris ple
na eſt affectio.

XX.

FEBRES ex hypochondriorum doloribus
malignæ.

Orationem hanc ſiue libri huius author,ſiue ali
us ſcripſerit,non laudo.Niſi etenim limitetur,bifa
riam falſa eſt.quòd & gemina indigeat limitatio
ne.Quum ergo non paucæ in hypochondriis fit

ſint partes, febres non ſunt omnibus in his mali-
gnæ: ſed in ſepto tranſuerſo, uentriculo & iecino-
re. Scimus quoque & muſculos quoſdam qui ini-
bi iacent, ſi inflammentur, febrem accẽdere. Quin-
immo neq; ubi in iecinore, uel uentre, uel ſepto
tranſuerſo phlegmone oriatur, febris hæc conti-
nuo maligna eſt: ſed acuta forſan fuerit, quanquam
ne hoc quidem perpetuo, nondum uero maligna.
Quòd autem neque acutam perpetuo fieri di-
cam, teſtatur experientia & ratio demonſtrat, ab
externis inflammationibus conſpicuam reportans
fidem. Nam quũ inflammationũ magnitudinem
perpetuo febris ex proportione ſequatur, ut in hy-
pochondriis non perpetuo partem aliquam ex
præcipuis ualenter inflammari eſt neceſſe: ſic ne-
que febrem inferri acutam. Orationem igitur his
dimitto, qui & falſe dictorum cauſas falſas tanquã
ueras pronunciant. Ego uero, ut retuli, neque uete-
rum cuiquam patrocinari, neque illis pertinaciter
contradicere propoſui. ſed quæ uere tum fieri, tũ
apparere in ægris uidi, ea his qui medicam exer-
cent artem, narrare.

XXI.

SITIS, QVÆ non ex ratione in acutis mor-
bis ſoluitur, mala eſt.

Eſt & hic ſermo pars illius unierſalis qui omnia
non ex ratione leuantia, primum quidem ſuſpecta
eſſe ait: deinde & periculoſa ſæpius, cum & ea ip-
ſa quæ præter rationem leuant ſymptomata peri-
culoſa exiſtant. Dictus autem & alius quidam in
aphoriſmis uniuerſalis ſermo, in quo & id quod
nunc dicitur, eſt pronunciatum: Qui etenim parte
aliqua corporis dolent, & magna ex parte dolorẽ
non ſentiunt, his mens ægrotat. Quòd igitur in
acutis morbis ſitim præter rationem ſolui ſignum

malum ſit, declarat abunde quæ præter rationem
fit ſolutio. Quòd uero mentis læſio ſignificetur,
ex eo patet quòd æger manentem adhuc affectio-
nem non ſentit, quanquam affectio doloris expers
non ſit. Quodnam autem παραλόγως id eſt præter
rationem indicet, tametſi ſæpius pleriſq; in locis
dixerim, non perperam tamen & impræſentiarum
dicetur. Quũ igitur neq; per uomitũ, neq; ꝑ ſudo-
rẽ, neq; ꝑ deiectionem, neq; etiã per abſceſſum iu-
dicatorium ſolui ſitim contingat, non quòd affe-
ctio ſedata fuerit, ſed quòd ſenſus elanguerit: id ſi
fiat, ſignum bonum non eſt. quòd ſi & lingua ſicca
manente urinisq; crudis exiſtentibus ſitis tollatur,
certius adhuc malitiam affectionis dignoueris. at-
que adhuc ſi medicus nihil tum refrigerantium, tũ
humectantium exterius adhibuerit. quandoquidẽ
talia in acutis morbis magis ſitim non tollere, ſed
mitigare nata ſunt. Prorſus autem in acutis mor-
bis malum, ſi ſitis perfecte tollatur. Atq; hęc q̃ nu-
per dicta ſunt, in exemplo eius quæ præter naturã
eſt ſolutionis, memoria teneri uelim, ne ſæpius ea-
dem audire tibi opus ſit.

XXII.

SVDOR multus ſi cum febribus acutis fiat,
inutilis.

Ad nomen, multus, mentem potiſſimum con-
uerte. quoniam ſæpius qui in acutis aſſidue ſudãt
mediocriter, quanquam cunctentur quidem tra-
hantq;, non tamen moriuntur. Si uero multus fue-
rit ſudor, qui febrem non ſoluat, quòd ægri uirtus
cito exoluetur, liquido oſtendit.

XXIII.

ET VRINÆ coctæ malæ.

In non paucis exemplaribus οὖρα πέπονα, id eſt

urinæ coctæ scriptũ est.libriq; interpretes ita scriptum norunt. nisi quòd Rufus uir ephesius ueteres scripturas obseruare conatus,hoc in loco Zeuxidem increpet,tum uetustissimum empiricum,tũ qui in omnes Hippocratis libros commentaria scripsit,his usus uerbis: Zeuxis autem: si utique & ipsius meminisse oportet,cum diu effugisset inscitiæ opinionem,hic aperuit.obuiam enim uitio factus,in ipso immoratus est. Vult enim urinas coctas scriptas esse ut purulentas & prauum continẽtes crassamẽtum:nequaquam quòd hæ inter præsentissima numerarentur auxilia,conspicatus. hæc Rufus non ingenerose aduersus Zeuxim scripsit, uitiatam quidem scripturam qua οὖρα πέπονα, id est urinæ coctæ scribatur,asserens, atque huic οὖρα ἐπίπονα,id est urinæ quæ cum labore excernuntur, præferens. Qui scripturã πέπονα recipiunt,hi nonnulla quidem tum improbabilia, tum memoratu indigna effutiunt:sed probabile quiddam, quod uulgus in errorem pellere possit, hoc est. uidetur siquidem dicere Hippocrates: Iudicatoriorum nõ iudicantium alia letalia, alia difficilem faciunt iudicationem. Ob eam causam & coctas urinas, ubi morbum non soluunt,non bonum esse signum ait. Ignorant hi iudicatoria ab Hippocrate appellari tum symptomata,tum signa quę iudicationem indicant,uel ex sese etiam faciunt: ut est sanguinis eruptio,per uentrem uacuatio,urinarum copia,uomitus,muliebre profluuium,hæmorrhois,parotides,collectiones,& quicquid aliud, quorum alia coctionis signa existunt.de quibus in primo epidemiorum ait: Coctiones celeritatem portendunt iudicationis,securamq; sanitatem. De urinis autem in prognostico scripsit: Vrina optima est si quod subsidet,album fuerit, læue & æquale per totum tempus donec morbus iudicetur. securitatẽ enim

morbumq; breuem fore ostendit. Tibi autem qui in libris epidemiorum morborum enarrationem legeris,constat nullum ex his qui mortem obierunt,coctas urinas excreuisse. Cæterum te latere non debet exẽplaribus in multis simpliciter scriptum esse,urinæ etiamnum coctæ,non adiecto nomine,malæ. Nempe paulopost tum his tum deinceps dictis urinis adiectum est nomen, malæ.

XXIIII.

RVBRA QVOQVE ex his epanthismata si retinentur,ac æruginosa,mala:atque exigua paruaq; uelut stillæ superapparentia.

De urinis iam dictis est sermo:sed claritatis gratia copulanda sunt hæc,ut tota dictio talis fiat: Vrinæ etiamnum coctæ & rubra ex his epanthismata si retinentur,& æruginosa,mala. Orationem itaq; hanc,ex his,uult indicare,ex urinis quæ cum labore excernuntur,& non ex coctis. Nunquam enim ex coctis urinis epanthismata colore rubida neq; æruginosa superueniunt. Verbum, si retinentur, adiectum est talibus urinis,uel quòd ægre excernantur,uel quòd prorsus detineantur, indicans. Sed forsan quis dixerit fieri non posse, ut cuiusnã coloris sint cognoscatur,si retinentur:uerum cum talia prius minxerint,& post retentionem excreta fuerint,ubi uel ægri vi expresserint, uel arte sua medici prouocauerint.atque unà cognitis tum colore,tum retentione quisquis ita excerni dixerit, nequaquam mentietur. Ex eo autem quod sermoni adiectum sit,atque exigua paruaq; uelut stillæ superapparentia:adhuc quoque coloris ipsorum notitia euidentior erit & retentionis ueritas. Volo autem ut memoriæ mandes quæ de subrubentibus urinis in prognostico dicta sint, his uerbis: Vrina subrubens si fuerit,sedimentumq; tum sub-

rubrum,tum læue,hoc priore quidem diuturnior, ſed ualde ſalubris. Subrubens igitur urina, cuius meminit in prognoſtico,ab impenſe rubra,de qua nunc agit,ualde diſtat. Nempe quòd impenſe rubra cruda & incocta ſit,ſupra explicauit. Subrubentem uero commendat quidem tanquam ſalubrem,ſed diuturnioris temporis ſignum eſſe ait. Quòd uero rubens urina in medio tum impenſe rubræ tum ſubrubentis conſtituta, medium tum laudis tum uituperii obtineat, palàm eſt omnibus.

XXV.

VOMITVS QVOQVE cum uarietate, mali: tum aliàs tum ſi mutuo ſeſe prope conſequantur.

Permutauerit quis interpretationis abſurditatem,qua libri author delectari uidetur.erit autem ſermo talis: Vomitus quoque cum uarietate eorũ quæ uomuntur, malum ſignum exiſtit,tum aliàs tum ubi quæ uomuntur,propius,id eſt non multo poſt tempore,ſeſe conſequantur.atque per adiectum illud,cum uarietate,eorum quæ uomuntur, mentionem facit. Neque enim omnium quæ in prognoſtico dicuntur, uidetur meminiſſe,niſi quis adiicere maluerit. Nẽpe in prognoſtico de uomitibus ita ſcriptum reperitur: Si uero quod uomitur,porri colorem repræſentet,uel liuens uel nigrum fuerit,quicunque horum fuerit color,malũ eſſe eſt exiſtimandum.quòd ſi colores omnes ideo homo uomuerit,ualde perniciosum exiſtit. Clare quidem in prognoſtico explanata ſunt hæc,uarietatem eorũ quæ uomũtur accuſante Hippocrate: quòd affectiones multas in ægri corpore quę pra uæ ſint,demonſtret. At in præſenti dictione,ut mo do dixi,adiectum eſt q redũdantes præter naturã in corpore

in corpore humores continenter uicisſim uomuntur. Quòd autem qui continue uacuantur,deteriores his ſunt qui intermittunt,cuiuis patet. Plerique uero eorũ q librum hunc expoſuerunt,dictionem unam ex omnibus conficiunt quæ ante dicta ſunt ab hoc principio: Sudor multus ſi cũ febribus acutis fiat,malus.copulata eſſe omnia uolentes ad uſque orationem hanc,tum aliàs,tum ſi propius ſeſe conſequuntur.ut in ægro uno concurſionẽ ſcriptorum in medio nuper dicti principii,& finis huiuſce præſentis dictionis comprehenſorum exiſtiment. fieriq; poteſt,ut hoc ſenſu ab authore libri coniuncta fuerint prædicta hæc ſymptomata. Nẽpe & ex diſſimilibus genere concurſiones interdũ facere uidetur.

XXVI.

QVÆ IN iudicatoriis diebus cum proiectu & inquietatione & abſque ſudore perfrictiones ſunt,malo exiſtunt.atque ex his ſuperuenientes rigores mali.

Quòd concurſionem orationis huius ex his aceruauerit quæ ſeorſum ab Hippocrate dicta ſunt, nemo ignorat. Nempe quòd ἀλυσμὸς,id eſt inquietatio,ſemper mala ſit: pari modo & perfrictiones tanquam conſequentes,malæ ſunt. Quòd uero omnia quæ iudicatoriis diebus apparent,cæteris fideliora ſint,ab ipſo Hippocrate didicimus. hoc autem in loco inquietationi perperã adiacet abſque ſudore. Nempe inquietatio cũ ſudore nõ mala eſſe uidebitur. aut ſi eſt,nihilo minus:immo mala magis. Non ſolum igitur ſuperuacue oratio hæc,abſque ſudore,adiecta uidebitur,uerum quoque & in detrimentum librum legentium: qui eam quæ ſine ſudore eſt inquietationem ea quæ cum ſudore eſt deteriorem eſſe exiſtimabunt. Præterea

quod in calce orationis dicitur, atque ex his superuenientes rigores mali, falsum est simpliciter ita dictum, ut nunc dictum est, nisi ut, inquietationi, ita &, rigori, adiectum sit, absque sudore, magisq; rigori, tum familiaris tum commoda adiectio existit. Nam quæ sine sudore inquietatio est, minus mala est. Rigor uero sine sudore maius malũ. Nã si iudicatorius rigor ex inquietatione fiat, morbũ soluit, superuenientibus sudoribus, uel uomitionibus commodis, uel aluo subducta.

XXVII.

VOMITIONES sinceræ atq; implacidæ malæ.

Compositæ sunt rursus hoc in loco signa duo ex his quæ ab Hippocrate mala esse dicta sunt. Nempe & cum uniuersaliter sinceras humorum uacuationes, & implaciditatem omnem in morbis mala esse doceret, didicimus. Non solum igitur uomitiones sinceræ & implacidæ, malæ sunt, uerum quoque & deiectiones, & sputa, & urinæ, & quiduis aliud.

XXVIII.

SOPOR an ubique malus?

Ambiguitatem nobis mouet dictio, quia significatum ex uoce κα'ρος, id est soporis non clare dictum sit. Neque enim cum ex liberaliore uini potu soporatum quempiam dicamus, ut Plato in conuiuio de Poro affluentiæ deo dixit, morbosam illam affectionem ostendimus. Caros autem, quemquis interpretando dixerit ratione longiore, profundum, ægreq; excitabilem somnum, hic uidetur significare non bonum. Præterea quæstio non parua de morboso caro oborta est, an eandem genere causam habens, cum eo qui ob uini potionem obortus est, difficilem solutionem

assumpserit, an alterum genus causæ existat. Iure igitur ambigit de sopore quærens an omnino esse eum existimandum sit, an interdum etiam bonum & medium inter ea quæ bona & quæ mala dicuntur. Si enim & profundus & excitatu difficilis somnus, carus intelligitur, nullamq; genere disfidentem affectionem carus morbosus habeat, erit sanè aliquando carus bona tum causa, tum nota. Vidimus enim in ægris quibusdam qui tribus uel quatuor deinceps diebus uigiles permanserant, difficilẽ excitatu somnũ supuenientẽ, qui prorsus nocte dieq; perseuerans magnum attulit auxilium. Sæpius quoque & in infantibus somnum eiusmodi superuenientem non uno die solum: uerum quoque & duobus ex ordine diebus magno ipsis fuisse cõmodo conspexi. Si uero morbosi cari alia genere fuerit affectio, somnum profundum à caro discrepare asseremus, atque quod κα'ρωδες, id est soporosum sit, ubique malum esse. Demonstrauimus autem uigilantiam quidem fieri propter tum siccitatem, tum caliditatem primæ sentientis partis, id est cerebri: somnum uero ex contrariis, quum scilicet ex humidi utilis copia grauetur corpus, quo modo ex crapula profundus somnus oritur. quẽcarum si lubet, appellare potes. Non discrepante autem affectione in nomine solum controuersia est. Quum uero cerebrum ob pituitam tum humectetur, tũ refrigeretur, in lethargicis affectionibus coma erit. quod & ipsum si lubet, carum appellare poteris. Sunt qui ubi æger tum motu, tum sensu tempore aliquo priuatur, etiam si uel stimules, uel ferias, uel inclamites, carum appellant. quales in quibusdam uisitur, ubi temporalibus in musculis uehementer percussi fuerint. Videtur quoq; sæpius & in febrilium, morborum accessionibus, in quibus neque stimulantes, neque ferientes, nedũ

inclamitantes sentiunt ægri. Si ergo pathema eiusmodi quis carum appellauerit, difficilem uero excitatu constitutionem & coma & cataphoram, tertium autem ab ipsis somnum profundum cuius primum meminimus, nunquam quòd coma bonũ sit, nedum quòd carus, dicere oportet. Si uero quis de recensitis affectionibus dubitauerit, alias eas esse affirmans, uel non ut ego nũc dico, in re controuersus erit. si uero, ut dictũ est, fieri cõcesserit, nominibus aliter usus, in his solum à nobis disidebit.

XXIX.

IGNORANTIA cum rigore, mala: mala quoque & obliuio.

Siue μετὰ ῥίγεως, id est cum rigore in generandi casu, siue μετὰ ῥίγος, id est à rigore in casu accusandi scriptum sit, non admodum disident inter se sermonis utriusque intelligentiæ. Nam cum rigore ignorantia & obliuio uictũ calorem natiuum ab ea quæ symptomatica est refrigeratione, indicant. Quòd enim non cognoscãt familiares, neque factorum recordentur, ex cerebri refrigeratione enasci id constat. patetq; utrunque per se malum symptoma esse: & si ambo simul fiant, geminari perniciem.

XXX.

EX RIGORE refrigerationes quæ non recalescunt, malæ.

Languorem caloris natiui extinctionemq; talis refrigeratio indicat.

XXXI.

SI EX perfrictione sudantes recalescant, malũ. ex his quoque laterum æstus cum dolore, & rigor superueniens, malus.

Ἀναθερμαινομένους, id est recalescentes, nunc intelligere oportet eos qui rursus febricitant. Sermo autem talis est: Si in morbo quis, posteaquam sudauerit, frigidior quidem protinus quàm naturæ cõueniat, fiat, rursusq; febricitet, non sine periculo afficitur. Quòd autem & idipsum malum sit, cuiuis patet. Connectit autem huic ueluti & in aliis symptomata quædam, quę diuersas concomitantur affectiones. lateris siquidem æstus cum dolore, signum est phlegmones quæ partem eam infestet, ob quã febricitauit: si uero & rigor ipsis superuenerit, suppuraturam expecta plegmonen. Quo autem modo fieri potest, ut ex latere phlegmone obsesso æger rursum febriat, sic & ex pulmone, ex hepate, uel uentre, uel quauis alia parte. Particularis igitur sermo & is est, & non uniuersalis, præterea & secũdum compositionem dissimilis generis signorum.

XXXII.

AESTVOSI rigores quadantenus pernicioſi, flammans quoque cum sudore facies in his, mala. posteriorumq; refrigeratio in his, conuulsionem accersit.

Siue κωματώδεις, id est æstuosi prima syllaba per α, & υ, scriptum fuerit, siue κωματοδεις, id est comatosi per ω, difficilé grauemq; uerbum utrunque indicat affectionem. Nam qui uniuersaliter de rigore intellexerũt, perpetuo eos meminisse oportet, quòd si uel tertio uel quarto die fuerit, talium febrium, peculiare est symptoma. In morbis uero posteà apparens si iudicationem non intulerit, deterrimum existit. Scis etenim quod iudicatoriorũ non iudicantium quædam letalia sint, & quædam difficilis iudicii. Rursum huic symptomata coniunxit affectionum quæ non necessario cum rigore fiunt. Dictum quoque antea quòd quanto plura

periculosa homini fiãt symptomata, tanto fideliorem in eo efficiant prædictionem. quo modo si & signorum salubrium multa appareant, eo certior sit salutis expectatio. Neque ignoramus flammantem sine rigore & cum sudore faciem, malum esse signum: quoniã & unum ex iudicatoriis sudor sit. Cum igitur non iudicauerit, malignitatem morbi ostendit. Ex his autem, refrigeratis posterioribus partibus conuulsionem non absque ratione sperauerit: quoniam & partes neruosæ sint, & frigus cõuulsionem pariat.

XXXIII.

SI IN sudoribus uigiles recalescant, malum.

Si quod de ita complicatis dictum est, memoria non excidit, non est quod amplius nostra indigeatis explicatione. Nempe talia omnia subiacent tãtulo huic uniuersali: Iudicatoriorum non iudicantium quædam letalia, & quædam difficilis sunt iudicii.

XXXIIII.

EX LVMBORVM recursione oculi peruersio mala.

Fieri non potest ut aliud quippiam intelligatur quàm lumborum dolores ad superiorem transire sedem: principiumq; neruorum affici possibile est, cuius symptoma est oculorum peruersio. Nã quæ à cerebro neruorum propaginem assumunt partes, non affecta tali quopiam spinali medulla, suas affectiones demonstrant. hic sermo his similis est quæ in prognostico ita dicta sunt: Qui cum febre circa lumbos & inferas sedes fiunt dolores, si septum transuersum relictis infernis sedibus attigerint, letales admodum existunt.

XXXV.

DOLOR pectoris firmatus & ægre auferibilis cum torpore, malus. superfebrientes hi si acute ardent, moriuntur.

Miscuit rursus dictione in hac duarum affectionum symptomata. Dolor etenim pectori ἱδρυθεὶς id est στηριχθεὶς δυσλύτως, id est firmatus & ægre auferibilis, thoracis indicat phlegmonen: torpor uero cerebri humiditatem, uel frigus, uel utrunq;. Quòd in talibus sermonibus omnibus meminisse te oportet, coniunctionis disiunctiue significantis, cuiuis patere potest. Non est tamẽ necesse ita affectos si caustici acute fiant, mori. si utiq; nomen καυστικοὶ idem quod uelut καυσώδεις, id est ardentes significat. Quidam uero torporem mouendi difficultatem corporis, intellexerunt. Nẽpe quod sæpius dixi in obscuris & luce carentibus dictionibus, cuipiam ut lubet intelligere conceditur.

XXXVI.

NIGRA REVOMENTES, cibos fastidentes, deliros, in pube parũ dolẽtes, q̃bus oculus ferox claususq;, purgare nõ oportet, p̃niciosum enim.

Quod hi omnes perniciose habeant, ut in calce dictionis retulit, ueritati est consentaneum, sicuti & quòd eos non oporteat φαρμακεύειν quod est καθαίρειν, id est purgare. sæpius enim est demonstratum φαρμακεύειν hoc ipsum significare. Hic autem sermo illi dissimilis non est. Corde uulneratis promitttenda curatio non est: morientur enim. Siue igitur singula ea quæ in dictione continentur, seorsum quis intelligat, prauæ affectionis signa ea sunt, siue multa quoque simul æque perniciosa fuerint. Quod ergo primo dictum est, reuomere nigra, inter perniciosissima censetur signa, etiam

ſi abſq; aliis ſolum fuerit. Deinde ſcriptum eſt ἀπόσιτοι qđ eſt, ἀνόρεκτοι, id eſt cibos auerſantes. quod quanquam longe minus quàm illud malum exiſtat, ueruntamen & ipſum malum. Pari modo παράφοροι, quod eſt παρανοοῦντες, & παραπαίοντες, id eſt deliri. Verũ oratio hæc, parum in pube dolẽtes, neq; apta exiſtit, neq; q librũ expoſuerũt, idẽ cenſuerunt. Quidam.n. utrunq; ſeorſum explicantes, nomine pubis: pubertatis ætatem intellexerũt, parum uero dolentes, unum & ipſum ex ſymptomatis quorum catalogum fecerũt, alii autem in pube parum dolentes, de parte dictum eſſe aiunt, in qua ueſica ſuam poſituram habet. Vult ſiquidẽ partem eam grauiter eſſe affectam oſtendere: ſed eos deſipere, quòd ægri exiguam habeant à principio ipſo ſenſionem. Deinceps autẽ duo alia ſcripſit ſymptomata, quæ manifeſte phrenitida oſtendunt: ferocem oculum & clauſum. Duo ſiquidem ſunt hęc, quãq; de parte una dicãtur. Poteſt ſiquidẽ alterum ipſorum per ſe ſolum conſtare, ut oculus ferox quidem interdum exiſtit, non tamen clauſus: interdum uero clauſus quidem, nõ tamẽ & ferox. Claudi ſiquidem oculorum palpebras contingit, uel propter conuulſiuam claudentiũ oculos muſculorum tenſionem: uel propter aperientium imbecillitatem. Qui igitur ita affectos purgare ingreditur, is indoctus eſt, & artis medicinalis planè inſcius. Neque ſanè qui non purgare cõſulit ſapiens eſt. nec uero quòd hi pernicioſe habeant noſſe magnum quippiam exiſtit. Nullam itaque artificioſam ſpeculationem quæ libro digna ſit, nos docet dictio. quomodo nos uniuerſaliter docuit in aphoriſmis una in qua inquit: In acutis morbis raro, & in principiis medicamentis purgantibus uti. atque alia in qua dicitur: In acutis purgare ſi turgent, eodem die. Hęc ſiquidem medico inſigni digna ſunt,

ut in horum explicatione demonſtrauimus: quæ uero nunc dicuntur, ſuperuacua. Nullus etenim ita affectos purgare ingreditur, ut dictio oſtendit, cum hoc quod procedente morbo fieri hæc commonſtret, & non circa principia, quando in acutis ſolũ purgandi eſt occaſio.

XXXVII.

NEQVE intumeſcentes, uertiginoſosq;, neq; in errando deficientes, neque cibos auerſantes, neque decolores.

Ac ſi libri ſcriptor luculentum quippiam promere ſit ueritus, ita tum propria, tum perſpicua ubique nomina pertrãſiens, aliis uti ſtudio ſibi habet. Nempe ſi per orationem hanc, ἐν τῷ πλαμᾶσθαι ἐκλείποντας, id eſt in errando deficientes, hos ſignificare uoluerit, qui quanquam quiete leuiterq; moueantur, λειποψυχοῦσι tamen ἰχυρῶς, id eſt forti animi deliquio corripiantur, is per nomina quæ nũc dico clare explicare poterat. Præter hęc quoque ſatius erat ita in uniuerſum quod medicis omnibus eſt confeſſum, & non minime idiotis notum dixiſſe: Imbecillas habentes uires purgandos non eſſe. Nempe ex eo quòd intumeſcant, ſintq; σκοτώδεις, id eſt uertiginoſi, quod eſt in motionibus obtenebrentur, purgatione indigere uidebuntur qui per præſentem ſignificantur dictionem: ex eo uero quòd uires collapſę ſint, uacuationẽ nõ ferẽt.

XXXVIII.

NEQVE IN febre comatoſos, inclinatosq;, pernicioſe etenim habent.

Κατακεκλιμένους, id eſt inclinatos in hac dictione rurſus propter obſcuritatẽ dicere maluit. quoniam clare dicere potuiſſet, ἐκλύτους, id eſt exolutos. Subiacent etenim hi uniuerſali ſermoni omni-

bus planè cognito. Quis enim non nouit, aut quis non dixit exolutos purgandos non esse? Superua cue igitur est adiectum uerbum κωματώδεις, id est comatosos, bifariam scripta prima, syllaba & per κ, & ω, & per κ, α, & υ. Quum enim in confesso sit, nullum exolutorum esse purgãdum, licebit nobis hinc unumquenque affectũ assignando mille particulares sermones conficere.

XXXIX.

STOMACHI dolor cum hypochondrio cõtento, dolorq; capitis malignum, & † suspiriosum quippiam. An repente hi moriantur? ut in Dysode, cui & urinæ fermentatæ erant uehementer, & faciei rubor.

ἀσθματώδεις.

Quòd quærat an sicut uidit hæc in Dysode accidere, ita de ipsis uniuersaliter pronunciare conueniat necne, clare ostendit. De talibus autem antea dixi, quum ostenderem quæ in uno affectu fiunt symptomata, commode continuo inter se ordine doceri: quæ uero in diuersis, non recte copulari, cum nulla quæ artificiosa sit doctrina ex eorũ miscella fieri soleat. In ægris itaque utilissimum est omnia cõtemplari, nihilq; prætermittere. quod utrunq; fecit Hippocrates, tum in prognostico, tũ in aphorismis prænotiones per uniuersalia efficiens, in epidemiis uero quæ ægris contigerunt, omnia scribens. Docentur quoque & in his ipsis libris quædam citra ægrotantium mentionem uniuersalia. In hoc uero prorrhetico sæpius confusa est doctrina, his omnibus quæ in ægris uidentur unam in congeriem reductis, quanquam in diuersi generis affectibus fiant. quo modo & nunc in Dysode inquiens, καρδίας πόνος, id est oris uentris dolor cum hypochõdrio cõtento, & capitis dolor, adiecit, & suspiriosum quiddã. deinde post hæc in dictionis calce, & urinæ fermentatæ erant βιαίως.

Nam & sermoni adiectum, ut hic inuestigemus an fermentatas uehementer urinas factas dicat βιαίως pro σφοδρῶς, id est uehementer accipiendo, an cũ aduerbio βιαίως subintelligere oporteat excretæ eiectæq;, ostendente authore urinas tum ægre tũ cum uiolentia excerni eiiciq;. Quinetiam in oratione dictum est, fermentatæ, quod neque in prognostico scriptum est, neque in libris epidemiorũ. Præterea iam cum omnia percurrerimus, nihil amplius nobis accedit: sed qa explicare instituimus, de fermentatis quoque dicamus. Quum igitur in terram acetum acre effusum fuerit, protinus intumescens sursum quasdam terrę partes simul tollit: fitq; compositum quoddam ex terrestri substantia & aceti humiditate, & ex facto uaporoso spiritu. Simile rei huic contingit qnũ atra bilis in terram effusa fuerit, nempe & in utroque spirituosa quædam motio euidenter fieri uidetur, ei similis quæ in feruente musto apparet. Simile quoque & in panibus quotidie fieri uidetur, cum remixta aquæ tritici farina mixto illo & fermento mediocriter macerari permiserint, fermentatio fieri uidetur, fusa simul & intumescente quæ fermentatur substantia. Quapropter & urinæ quæ fermentantur, ut prorsus crassitiem notabilem habeant, oportet: deinde & in ea leuem quandam efferuescentiam, quodq; pars spirituosa motionem nacta, tumorem habeat maiorem quàm cũ excerneretur habebat. Quòd autem urinæ eiusmodi fiant perturbatis agitatisq; crudis humoribus, in commentariis de iudicationibus didicimus. Præterea ante dictus æger, forsan non multo post repente defunctus, quæstionẽ scriptori mouit: an omnes ita affectos repente morituros dicere oporteat nec ne. Constat uero & quonam pacto nos respondere oporteat ita inter-

rogantibus, ut pronunciauit ſcriptor, an hi repẽte moriantur? reſpondebimus enim ueriſimile eſſe hominem repente ſtrangulari. Nẽpe id ex aſthmate ſignificatur. Sed quænam fuerit affectio in qua efficitur hoc ſymptoma, eſt diuinandum: ꝙ nõ fuerit loquutus author. Nempe & ob flatus pituitęq; multæ ex capite in pulmonis bronchia per aſperã arteriam delapſum, atque ex pleuritide in ea tranſlata, & pure multo propter affectionem aliam medium inſtrumentorum duorum occupãte locum, aſthmatica acuta oritur ſpirandi difficultas, crebre ſcente admodum reſpiratione, & ualde ſeſe dilatante thorace. Quum igitur fuerit talis difficultatis ſpirandi ſpecies, rubens iure optimo reddetur facies. Si uero & capitis dolor ſimul fuerit, nil miri ſi ualde rubens fuerit. Omnes ſiquidem in morbis eiuſmodi capitis dolores cum caliditate multa fieri conſueuerunt.

XL.

CERVICIS dolor malus quidem in febre omni: ſed peſſimus quibus inſania ſperatur.

Particulare & hoc quoque tanquam uniuerſale ſcripſit. Nam ſi dolor uel propter affectum cerebrum, uel ſpinalem medullam, uel ipſas cerebri membranas oriatur, malum eſt ſignum: ſi uero affectis quæ extrinſecus uertebram circũiacent partibus enaſcatur, malum non eſt. In quibus autem inſaniæ ſpes eſt, quænam affectio deterior eſſe poteſt quàm ea quæ cum inſania exiſtit?

XLI.

FEBRES CVM comate, labore, lucis turbulentia, uigiliis, & ſudoribus, malignæ.

Ex ſupradictis manifeſta ſunt quę hic dicuntur. Nempe catalogum malorum ſymptomatum efficiunt, nullamq; ut ſimul fiant, habent neceſſitatem.

XLII.

EX DORSO frequentes horrores celeriter in aliam tranſeuntes conditionem, implacidiq;, urinæ interceptionem cum dolore indicant.

Præfinita in uerbo, implacidi, priore dictionis parte, ſecundam efficere licet, urinæ interceptionẽ cum dolore indicant, quaſi ita dixerit: Ex dorſo frequentes horrores celeriter in aliam tranſeuntes conditionem implacidi ſunt inquietiq;, atque adhuc urinæ ἀπόληψιν quod eſt ἐπίσχεσιν, id eſt retẽtionem cum dolore indicant. ſed melius eſt quòd urinarum retentio ex dictis omnibus ſignificetur, protuliſſe. Conſtat ſiquidem uidiſſe ægrum quendam affecto in lumbis dorſo, uel his quæ circa ipſos ſunt, membranis, uel utroque: deinde affectus participatione urinarum interceptionem cum dolore habuiſſe. Nempe quòd qui celeriter tranſmutantur horrores implacidi, ex dictarum partium phlegmone fiant, ueriſimile eſt.

XLIII.

QVI CVM faſtidio & ſine uomitu exacerbãtur, male habent.

Debuit author adieciſſe an nauſearent, necne. quidam enim nauſeant, & non uomunt, alii ciborum ueluti ex repletione faſtidio correpti nunquã nauſeauerunt: quos per præſentem dictionem ſignificare mihi uidetur. Bifariam enim ægri ἀσωδεῖς, id eſt faſtidioſi fiunt. uno modo cum uirtus à corpore grauatur, nullamq; figurã facile ſuſtinet: altero modo cum os uentris à prauis mordetur humoribus. Priores pernicioſe afficiuntur, nauſeabundi ſunt poſteriores.

XLIIII.

REFRIGERATIO cum duritie signum malum.

Duobus modis corpora indurantur, interdum quidem cum in imo tota uehementer refrigerantur, interdum uero cum ualenter exiccantur. Refrigeratio autem si ita uiolenta fuerit, ut tota omnino refrigerentur corpora, indurescantq;, extinctionis signum existit. si uero & siccitatem acceperint, nomine utroque signum bonum non est. Quòd si in solis accessionibus id fiat, moderatius indicat malum: si diutius permanet, maius: si uero perpetuo, in foribus mors est.

XLV.

SI EX VENTRE tenuia non sentienti ægro exierint, si extra se non sit, malum, ut hepatico.

Bene fecit author cum adiecit, ut hepatico. Nępe & nos tenuia excrementa morsu carentia hepaticis nonnullis fieri narrauimus: quanquam talia excremẽta magna ex parte mordeant. uidetur igitur in his uel non generari bilioſos humores ob caliditatis hepatis imbecillitatem, uel non defluere ad intestina. Si uero proprie orationem, non sentienti ægro, intellexerimus, dixerimusq; nunc ab authore factum esse sermonem de his quæ inuoluntarie excernuntur, & non de morsu carentibus, absurdum quippiam cõtinget. Nempe cum duobus modis inuoluntarie excernat æger, aut quòd mens ægrotet, aut quòd partes per quas excretio fit, minime sentiant: ᾧ mens quidem non ægrotet, explicuit ingens, ἓὁ'νπ πως ἑ ωυτ̃ , quod est κατα νοῦ νπ & σωφρονῦ νπ, id est & apud se fuerit, cognouerit, & sapuerit: reliquum uero non uerisimile existimandum. Frustra quidem in sermone dixerit de

excremẽtis, tenuia, cum partes sensiles ea quæ per ipsas transeunt non sentiant, nullum quoque aliud in dictione scriptum sit symptoma, quod neruorũ affectum indicare possit. Nempe hæc oratio, ut hepatico, aliis quidem tenuibus excrementis iuncta esse potest: per sympathiam uero neruorũ inferre noxam non potest. quòd solum tum cerebro, tum spinali medullæ neruorum propagines condolere uideantur. Neque enim cõdolentiam huiusmodi hepar sequi uidimus: neque id natura commõstrat uisceris, quod minimis neruis participat.

XLVI.

SI VOMITVS exigui bilioſiq; fuerint, malum: tum aliàs, tum si ægri superuigilauerint. nariſq; in his stillans malo est.

Excerni pauca in ægris unum quoddam ex signis est, quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nares excernatur, siue deorsum per uentrem, siue per uomitus tale quippiam † quod supernuum sit, excernatur. Idem & in sudoribus est, & his quæ per uterum excernuntur. Nihil etenim eorum quæ decretoria existunt, exigue secerni conuenit. Sed quę ita uacuantur, omnia duorum alterum subeunt. nam uel quod nõ queant tolerari, ob copiam ab affectis effunduntur partibus: uel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere, sed nequit. hoc igitur uniuersali intellecto particularia inuenire opportet. idq; est quod nunc de bilioſis pronunciatur. cui adiecta est ex signis propriis uigilia, quæ bilioſos consequitur humores, & non pituitoſos. Nempe cataphoræ in talibus fiunt, & non uigiliæ. Quum igitur pituitoſi exiguum uomatur, longiusq; & tardius soluto dormire uideantur, ex cataphoricis morbis quempiam expecta, seruans in memoria

† περίτ'πω μα. i. excrementum.

aphorismum illum: Somnus & uigilia utraque si modum excedant malum.

XLVII.

SI MVLIERI à partu alba cum febre retineantur, surditasq́; fiat, atque lateris acutus dolor, perniciose uehementer insaniunt.

Quod item nunc dicitur, ueluti & quod antea est dictum, atq; alia multa quæ in hoc libro scripta sunt, uniuersalibus subiecta sunt theorematis. Non enim in albis solum, si eorum quæ à partu uacuantur, retentio fiat, praua est tum causa, tum nota: uerum quoque in biliosis, & sanguine ipso. Nempe λοχία purgatio est: atque etiam ex nominis ratione purgatio uitiosorum quæ gestationis uteri tempore in uenis aceruata sunt. absumpto q̃dem in fœtus alimentum utili qui in ipsis erat sanguine: sed permanente uitiosiore, qui singulis mensibus antea per uterum excernebatur. Quum igitur is uacuatus nõ fuerit à mulieris puerperio, aut uterum ipsum in phlegmonen agit magnam, aut ad superiorem aliquam sedem delatus parti excipienti proprium affectum, periculumq́; infert. ad quam autem peruenerit, mox apparentia symptomata indicabunt: quo modo & nunc tum thorax, tum caput uitiosum sanguinem ab utero sursum latum exceperunt.

XLVIII.

IN ARDENTIBVS febribus cum aliquantula perfrictione deiectionibusq́; aquosæ bilis multisq́; oculorum peruersio: signum malum tum aliàs, tum si catochi fiant.

Rursus hoc in loco malorum tum signorum, tum symptomatum catalogum fecit: quorum singula seorsum & per se ab Hippocrate praua esse didicimus,

didicimus, in morbis quidẽ febrem ardentem, in deiectionibus uero hydatochola, id est aquosæ bilis excrementa. Signorum autem malorum quæ oculis obuenire solet, unum existit & peruersio. De catoche, id est detentione occupationeq́; quid dicere attinet? Si igitur signorum prauorum nomina omnia recensere uoluit, longe plura prætermisit quàm recẽsuit: Si uero tanquam cõgeriem unã, non sunt generis eiusdem quæ dicta sunt. Nam febris ardens cum refrigeratione grauissimum est symptoma. Quæ uero deiiciuntur, & planè omnia quæ in oculis contingunt, diuersi hæc sunt generis. Catoche uero generis alterius symptomatum existit. Palpebrarũ peruersiones rursum alterius sunt differentiæ.

XLIX.

SVBITANEIS apoplexiis si febris mediocris solutaq́; & diutina superuenerit, perniciosum. ut Numenii filio.

Declarauit quidem & hic sese ex ægro uno ad uniuersalem peruenire enunciationem, simulq́; ex consuetis quippiam circa dictionem facit. Nam ἐπιπυρετήναντι λελυμένως, id est mediocriter & solute superfebrienti dixit, à propriis nominibus discedere constituens: ut curiosarum expositionum materiam sophistæ haberent. ut uerbi gratia sunt in hoc loco qui aduerbiũ λελυμένως pro μετρίως, id est mediocriter in apoplecticis intelligunt. alii transferunt in proprie dictas paraplegias, in quibus ad partium aliquarum immobilitatem sensusq́; priuationem decumbit morbus. Nempe & has apoplexias dixisse uolunt per abusum. Præterea quum hę bifariam fiant, ut Eresistratus in cõmentariis de resolutione ait (nam hæ membrorum cõpositiones contrahunt contenduntq́;: aliæ uero

exoluunt laxantq;) ſpeciem paraplegiæ in neruo-
ſorum corporũ exolutione & relaxatione conſi-
ſtentem ab eo nũc dici aiunt. Sed in talibus omni-
bus neruoſi generis affectibus, cum ob pituitoſos
& frigidos fiant humores, ut ſunt tum apoplexiæ
tum paraplegiæ, febris calida ſuperueniens non
modico adeſt iuuamento. Quæ igitur in aphoriſ-
mis dicta ſunt, hic nos docet: Febrem, ſcilicet, à cõ
uulſione fieri melius, quàm à febre conuulſionem.
Item: Si ebrius quispiam repente obmutuerit, cõ-
uulſus moritur, niſi febris prehenderit, uel ubi in
horam qua crapulæ ſoluuntur, uenerit, loquatur.
Accidit itaque ut dictio oſtendit, Numenii filio,
quòd oborta apoplexia, non acuta & calida, ſed
debilis & diuturna ſubſequuta febris nihil pro-
fuerit.

L.

EX LVMBORVM dolore ad os uentricu-
li recurſiones febriles cũ horrore, aquoſa tenuia
& multa reuomentes, mente aberrantes, uoce pri-
uatæ, nigra uomentes, moriuntur.

Congeſta ſunt & hoc loco praua & multa, ſym-
ptomata, atq; unà inepte pronunciata. Nam recur-
ſiones dixit & uomentes & mente aberrantes, ubi
ægros & uomentes & mẽte aberrantes dicere de-
buiſſet. Tu uero qui ſymptomatum ſingulorum
uires nouiſti, non magno negocio inuenies ad
quantum periculum æger ueniat. Hoc uero in ca-
ce prognoſtici ſufficienter admonuit Hippocrates.

LI.

OCVLI clauſio in acutis mala.

Iam ſupra inter plurium ſignorũ aceruationes
quas ſyndromas empirici uocant, oculi clauſionẽ
ſcripſit, ſunt qui κατακλασιν ρ α, & nõ κατακλασιν

per ει, ſcribunt: nõ magno ſanè circa amborũ ſigni-
ficata exiſtẽte diſcrimine. Vult enim oſtendere pal-
pebram uel confractam, uel clauſam. In quo duo-
rum alterũ: nam uel robur contentionemq; clau-
dentium ipſam partium, uel imbecillitatem aperiẽ-
tium ſequitur affectio.

LII.

AN IN faſtidioſis, nõ uomentibus, & lumbos
dolentibus ſi ferociter delirauerint, ut nigra pro-
currant, ſpes ſit?

Ad hoc quoq; prompte tibi reſpondemus, q̃
non omnibus, ſed quibuſdam id erit ut ſupra eſt
demonſtratum.

LIII.

FAVCES dolentes abſque tumore cum im-
placiditate, ſtrangulãtesq; ſupra modũ pnicioſę.

Memineris uelim eius orationis quę in progno
ſtico eſt, hoc principio: Anginæ grauiſſimæ ſunt,
& celerrime enecant, quæ neque in faucibus neq;
in ceruice conſpicuum quippiam habent, plurimũ
uero doloris inferunt, ac ſpirandi quæ non niſi re-
cta ceruice fit, difficultatem. Nempe hinc uiri docti
interpretationem rerum earum quas promit, com
parare poteris cum interpretatione errantis in cõ-
curſionibus, propterea q̃ eas ad uniuerſale reduce
re nequeat. Nam Hippocrates & nomen affectio-
nis prædixit, & differentias omnes cõtinuata ſerie
recẽſuit, à grauiſſima earũ exorſus, cuius nũc di-
ctionem adnotaui. Qui uero librum hunc ſcrip-
ſit, primum quidem peccauit, fauces ſtrangulantes
inquiens, cum angina ſtrangulans dicere debuiſſet.
neque enim eſt dicendum q̃ parte affecta pro affe-
ctu ſit abuſus. Primo neque ita affectis affectæ quip
piam ſunt fauces, ut Hippocrates oſtẽdit, grauiſſi-

mas inquians esse anginas, nequa in faucibus neque in collo conspicuum quippiam efficiunt. Qui autem prorrheticum hoc scripsit, ait: Fauces dolentes absque tumore. Nempe uox ἀχνώ, id est sine tumore, idem potest quod nihil conspicuum habere. Adiecit hoc modo frustra, cum implaciditate, quod alterius symptomatum generis existit: deinde & uerbum, strangulantes. Qui quidem librum hunc scripsit, indistincte & communiter est loquutus. Hippocrates uero proprio differentiæ nomine appellauit, inquiens orthopnœam, id est rectam spirandi difficultatẽ inferre ipsas. Vocant autem ipse tum cæteri omnes orthopnœam illam difficultatis spirandi speciẽ, in qua iacentes suffocãtur & uix recto thorace sufficiũt nihil dilatato dorso. Nã cũ aspra arteria principiũ à gutture habens in pulmonẽ diuidatur, quoties quidẽ thoracé cũ collo recte extẽdimus, arteriã ipsam dilatari contingit, atq; ét quæ ex ea in pulmones distribuũtur, propagines omnes. atque interim regionem augeri eis internã. Ob id sanè & in peripneumoniis orthopnœa fit, & in appellatis asthmaticis affectibus. Ob idipsum & in grauissima angina, in qua phlegmone obsesi gutturis interni musculi uiã respirationis intercludunt. Intẽditur aũt & huiusmodi affectio cubantibus, susciptẽte augmẽtũ angustia. Præterea & anginarum differentias alias in prognostico scripsit Hippocrates tum euidentissime, tum accuratissime in ea libri parte in qua dicta à me nunc, recensetur dictio. In hoc autem prorrhetico etsi faucium sæpius meminit libri author, nihil tamen nos quod manifestum articulatũq; sit de his qui inibi sunt morbis docuit.

LIIII.

QVIBVS spiritus retrahitur, uocẽq; strangulabunda est, & uertebra intro fugit, his in fine uel

lut contrahentis cuiuspiam spiritus redditur.

De spirandi difficultate commentarios scripsi, quot in singulis ipsarum differentiæ omnes sint, demonstrans: quænam item causæ cuiusq; effectrices, & quid significare natæ sint. Demonstraui quoque & in eisdem commentariis eas quæ ab Hippocrate in legitimis ipsius libris dictæ sunt spirandi difficultates, neque sanè differentiam ullam reperi qua spiritus retrahitur, neque ab Hippocrate didici: atque ob eam causam, quodnam difficilis respirationis genus dicat libri author, perueſtigaui. Sunt sanè & aliæ duæ orationis huius scripturæ: quarũ hæc quidem significat, ab altera parum quidem uoce euarians, sed intellectu eodem. Nempe in ea uocẽ ἀνεʹλκεται, id est retrahitur, litera, ω, interiacet post duas primas literas α. & ν. ut dictio talis sit, quibus spiritus ἀνωεʹλκεται, id est sursum trahitur. Recentiores autem quidam ualde discedentes ἀνεʹρχεται scribunt, nullo ex antiquioribus agnoscẽte scripturam. de qua quidem circa finem agemus. de prioribus uero quæ tum certorum, tum confessorum sunt, considerabimus. de quibus qui quod probabile esset, diceret, ne unum quidem reperi: alios uero palam conuitiantes, quemadmodum eos qui in uocem ἀνεʹρχεται transcripserunt. siquidem quasi priores scripturæ sine præsidio essent, ad transcribendas eas accesserunt. Videtur autem mihi author spiritum retrahi, uel sursum trahi dicere, quem superius tum promptum tum sublimẽ dici asserui, cum uidelicet thorax inter inspirandũ partibus superioribus magnam efficit respirationẽ ita ut scapulæ moueri uideantur. & quam ob causam qui suffocantur, omnes hoc respirent pacto, demonstraui. De his item qui strangulatione afficiuntur, non propter pulmonis angustiam, neque

propter musculorum gutturis inflammationem: sed propter eorum qui tum gutturi tũ stomacho incumbunt, dixi. De musculis autem spinalibus qui partibus anterioribus adiecti sunt, tum alibi tum in hoc prorrhetico libro recensui. atque in his quibus secundum epidemiorum librum exposui, ubi inquit: Erant autem angina laborãtium affectio nes eiusmodi. Ceruicis uertebræ ad interna uerte bantur, aliis quidem magis, aliis uero minus. Ex teriusq; ceruix euidentem ostendebat cauitatem, doloremq; qui hac parte tangebatur, sentiebat. Erat etiam cuidam sub ea uertebra quam dentem nominant: sed non adeo est acuta. Quòd autem uertebram secundam totam particulariter dentem appellauit, uel solam ipsius propaginem illam quã nonnulli dentiformem, alii planè dentem, quòd canino denti appellato similis quodammodo uideatur, constat omnibus. Quia autem ubi dixerat, Erat autem cuidam sub ea uertebra quam dentem nominant: adiecit quòd non similiter acuta est, ostẽdit qui hæc scripsit uertebram hanc periculum non similiter inferre acutum. ueluti & cum in aphorismis puerorum affectiones recensens dixit: Vertebræ quæ in occipitio ad interna luxationes: non aliam intelligere oportet uertebram, quàm eam quæ dicta est. Quũ enim adiacentes partibus anterioribus musculi uel inflammati, uel quouis modo intensi uertebram totam ad se traxerint, posterior sedes cauatior uidetur, in angustum guttur redigitur, & ob id strangulantur ægri. Talis autem angina rarissime cernitur. Nunc igitur uertebra ipsa ἐγκαθεῖσθαι, id est intro fugere dicta est. Periculum autem affectus per propositam dictionem est demonstratum quũ inquit, his in fine ueluti contrahentis cuiuspiam spiritus efficitur. In fine autem, quũ moriuntur significat, uelut uero contrahentis,

quòd morientibus his conuulsiua efficiatur respiratio, uehementer quidem trahẽte thorace: spiritu uero uiam sufficientem non habente, sed per angustum foramen uiolenter inspirato. Id igitur & ex uoce ἀνέχεται quidam significari putantes scripserunt: Quibus spiritus ἀνέχεται id est cohibetur.

LV.

CAPITE dolentes, cum catoche delirantes, intercepta aluo, oculoq; feroci, & florescentes, in scapulas rigent.

Supra demonstrauimus uirum hunc signorum diuersi generis concursiones quas in ægro uno uel duobus conspexerit, scribere: atque ob eam rem sæpenumero coniunctionem ἄρα, id est an, adiicit: quam si & in hac dictione adiecisset, satius fecisset dicendo, an in scapulas rigent? Nempe capitis dolor caput ipsum affectum ostẽdit. aduerbium uero κατόχως, id est cum catoche, cerebrum ipsum: quo modo & uerbum, delirantes. demonstratum est quoque antea symptomata huiusmodi nequaquã controuersa esse, quo pacto existimant quidam, fieri non posse asserentes, ut æger catocho laboret, simul & mente uacillet. Sed de his antea egi cum primam omnium enarraui dictionem, atque eam ubi dicitur: Tremulæ, obscuræ, blandæq; & cõtrectabiles desipientię, ualde phreniticę. Quocirca nihil amplius de his dicendum uidetur, satiusq; est exponere reliqua duo hæc quæ præsenti in dictione sunt adscripta. unum quidem quo ait, intercepta aluo: alterum uero quo dicitur, oculo feroci. Nempe intercepta aluus, id est retenta, affectionis cerebri signum proprium non est: auget tamen, & deteriorem ipsam reddit. Oratio uero, oculo feroci, de necessitate concursioni adiecta est. Nã quòd κάτοχοι proprie appellati tẽsos aptosq;

habeant oculos norunt tum Archigenes, tum Phi-
lippus: non ut comatosi & cataphorici clausos. In
his siquidem humiditas affectionis causa est, neruo
rum dissoluens firmitatem, roburq́;: in illis uero
propter siccitatem tensio oritur. Quidam etiam
ex nostris cōdiscipulis, cum assiduo disciplinarum
studio se fatigaret, malo hoc correptus est. Iacebat
enim ueluti lignum prorsus inflexus rigidusq́; at-
que extensus, uidebaturq́; oculis apertis nos ita
intueri ut ne conniueret quidem: nihil tamē loque
batur. Is quoque tempore eodem quæ loquere-
mur audire se dixit, quanquam non euidenter cla-
req́;. nonnulla item & memoria tenens referebat,
pręsentesq́; omnes sese conspicere dixit, ita ut quo
rundam actiones recordatus exponeret: sed neque
loqui posse, neque membrum ullū mouere. Qua-
re & in dicta cōcursione exoritur ambiguitas, quo
nā modo adiectum sit, delirātes. Nam in ea dictio-
ne ubi dicitur: Tremulæ, obscuræ, blandæq́; & cō
trectabiles desipientiæ: non prorsus immotos esse
ita affectos ostendit. Quo igitur modo neque in
comate desipientes, neque in catochis prorsus im-
motis dementiam cognoscere ualemus: sic forsan
uidit catochi speciem ut immotum quidem & con
cretum corpus totum esset, exiguum tamen homo
quippiam loqueretur, unde dignosci poterat desi-
pientia. uel desipientiam ueluti ducem subsequuta
est catoche, scribendumq́; secūdū eā expositionē:
Capite dolentes, cum catoche delirantes. Fieri au-
tem potest ut secundum primā ipsius cōpositionē
declaretur loquentibus ipsis desipientia, comple-
ta uero catoche non amplius loquantur ægri.
ἀνθηρὸς uero, id est florescentes uocauit eos, ut par
est, sicut pauloante ἐξερυθρῶν, id est impense rubē-
tes nominauit: quod copiæ in capite unà cum ca-
liditate collectæ signum fuerit. huic & antecedens

capitis dolor, atque ab hoc sequens ὀπισθότονος, id
est in scapulas rigor. sed & hæc quidem in ipso-
rum generationem quis prius signum acceperit:
posterius uero interceptam aluum semper capitis
symptomata exacerbantem.

LVI.

IN OCVLORVM peruersione cum febre
& lassitudine rigor perniciosus: comatosiq́; in
his male habent.

Demonstrauimus etiam supra libri huius au-
thorem permiscere inuicem implicareq́; grauia &
difficilia symptomata. de quorum singulis per se
dicendum simul erat: quum quoties plura inter se
permisceātur, grauius ægris quidem ex ipsis peri-
culum reddi, nobis uero certiorem effici pręsensio
nem intelligere ualeamus. Nihil igitur noui dictū
est. Nempe quonam in affectu peruersio oculorū
fiat, quænam item lassitudinum differentię, & quā-
do rigorem commode apparere oporteat, præte-
rea qualenam coma sit, & quænam cerebri affectio
ipsum pariat, didicimus.

LVII.

IN FEBRIBVS ad hypochondrium do-
lores sine uoce, sudore si soluuntur, maligni. his
ad coxas dolores, cum ardente febre, & si aluus
profluxerit, perniciosum.

Dubitationem legentibus pariunt non obscurę
dictiones modo, uerum quoque & ex perspicuis
quæ contra euidenter apparentia pronunciantur.
Quædam modo utroque ambiguitatem inferunt,
in quo genere præsens dictio collocatur. Exuperat
tamen in ea quòd quę in ipsa dicta sint, minime his
consentiant quæ in ægris cernuntur. Prompte igi-
tur talem quendam sermonem ostendere præsens

dictio uidetur: in febribus ad hypochondria dolores cum aphonia sudore, si soluuntur, maligni. At quũ falsum esse uideatur, ut solutiones cum sudore malignæ dicantur, in hoc ipso primum ambiguitas quædam nos occupat. Nam quæ absque ullo auxilio uel artis uel naturę cessauerunt affectiones, quòd suspectam infidamq́; habeant solutionem in confesso est. Quæ uero cum tali quodam qualis nunc sudor dictus est, non suspecte certeq́; solutæ esse uidentur. Contrario siquidem prorsus modo quoties sudore uel aliquo alio naturæ auxilio non soluantur, morbus malignus existimatur. atque ob eam rem probabiliter quis deficere in ea dictione negationem non, aiebat, atque ab eo qui primus librum transscripserat, prętermissam, quo modo & alia multa sæpius in libris multis nemo negat, alia quidem prætermissa, alia uero permutata esse: nullo postea delictũ emendare auso. Verus siquidem erit sermo, si ita scripserimus: in febribus ad hypochondria dolores sine uoce, sudore si non soluuntur, maligni. Sed plerique hominum relictis tum claris tum notis, ænigmatice dictis pronunciatisq́; oblectantur. Sunt etiam qui patrocinari manifestis erratis documentum sapientiæ arbitrentur, eorum instar qui apud tribunalia rhetoris obeuntes munus, manifeste uel cædis uel talis cuiuspiam flagitii conuictos à iusta liberant pœna, iudices ipsos cum sermonum rudes fuerint, & subdolas eorum improbasq́; uafritias ignorauerint, decipientes, & mente uacillare facientes: sic sanè nonnulli in præsenti oratione ἀμ᾽ἀνδοος, id est sine uoce, pro ἀλόγως, id est sine sermone dici putauerũt: quia λόγος, id est sermo in φωνῆς, id est uocis genere sit. Dicitur autem apud ueteres φωνὴ non ita solum, uerũ quoque ἀνδὴ: atque hoc tralatu ἀλόγως ex ἀμ᾽ἀνδοος significari dicimus. Quæ autem absque ra-

tione desierunt, infida omnia & suspecta existunt. At quum sermoni huic aduersentur, & quòd tales excretiones non suspectæ malignæ dicantur, & quòd non absque ratione cum sudoribus soluantur, ut ipse dixit. Quidam alii sapientia ualidiores sine ratione solui dicunt non solum quæ nullo auxilio uel artis uel naturæ facilitata sunt, uerũ quoque & hæc facta quidem, sed non pro magnitudine morbi: tanquam scriptor exiguum factum sudorem dixerit, etsi absque ulla adiectione scripserit, sudore si soluuntur: subintelligendum autem, modico, aiunt. Forsitan uero & alius quispiam audacius cæteris pronuncians, multo & immoderato subintelligendum uolet. Deinde pueris tum rudibus indoctisq́; tum disciplinæ omnis inexercitatis de symmetria, multa nugatus aliquis sapiens uidebitur. Quòd si prorsus ut licet, orationi, sudore si soluuntur, uerbum, multo, adiectum fuerit, melius erat adiecta syllaba, non: & scripta oratione, si non soluuntur, à negociis nos extricare. Nam hypochondriorum cum febre dolores quos sudor non soluit, maligni existunt. Re ipsa igitur ostendit & nunc quo modo iam sæpius in obscuris multis dictionibus nihil quidem eorum quæ non nouimus ab ipsis doceri: sed insumi tempus ueluti in ænigmatis, si quæ nouimus dictioni accommodauerimus. Itaque & quod in fine dictionis recensetur, non paruam habuit quæstionem. quare, si uenter καταρραγῆ, quòd est ἀθρόως ἐκκριθῆ πολλὰ, id est confertim multa excreuerit, letalem morbum indicabit? Nã ut inquit Hippocrates: Deiectiones multitudine æstimandæ non sunt: sed si talia deiiciantur qualia conueniunt, & ęger facile tolerat. Hic quidẽ sermo quòd & manifestus sit, & uniuersaliter quippiam doceat, contemnitur: quæ uero ænigmatice

dicuntur, ſophiſtis quidem iure affectantur, ut diſcipulos mirum quippiã docere uideãtur: diſcipulis uero propter primarum diſciplinarum, in qbus antiqui pueros alebant, ruditatem. Inexercitata autem horum cogitatio neque quæ dicuntur aſſequitur, neqꝫ ueritatem in ipſis diſcernere poteſt. Nam quis ſine limitatione profluentis alui pronũciationem aliquam audiens, non continuo ſermonem incuſat tanquam nihil docentem? Nempe aluus in quouis morbo profluens ſine quidem cõfectionis ſignis, quæ ſæpius audiuiſti, nihil iuuat. ſi uero implacidius operata fuerit, præter id qꝫ nihil iuuat, noxam etiã attulit. Cum his uero iuuat, magisq; ſi contriſtans humor uacuetur, atque adhuc magis ſi æger poſt uacuationem placidior ſit: certiusq; cum in die iudicatorio apparuerit quippiã quod per indicem ſignificatum fuerit. Qui ergo hæc nouit, dictam dictionem neglectui habet, atqꝫ alias omnes quæ particularium ſymptomatum, uel morborum mentionem faciunt. Nempe in qbus aluus confertim fluit, uel morbis, uel ſymptomatis, ſi cum ea quam nuper dixi fiat limitatione, ſecuram efficit cognitionem. Abſque ea autem limitatione nunquam uerus erit ſermo, qui profluentem aluum uel iuuare uel nocere aſſerit. In omnibus ſiquidem utrunque fit. At in definitis limitationibus nihil eſt dicere in hepatis quidem inflammatione uitioſum eſſe ſymptoma profluẽtem aluum, in alio uero quodam bonum. Verũ in omnibus ut dictum eſt, & bonum & malum fit cũ propriis limitationibus.

LVIII.

QVIBVS uoces cum febre deficiunt poſt iudicationem, hi cum tremore & comate pereunt.

Hæc item dictio his quę in obſcuritatem deduſtria nituntur, ſimilis exiſtit. Quidam enim uerbum, deficiunt, de ſolis uocibus intellexerunt: alii uero & febres uocibus adiecerunt, dictum eſſe qꝫ utraque deficiant aſſerentes: & uoces, & febres. ut ſermo talis ſit: Quibus apparente ſoluta febre aphonia fit, & poſt iudicationem: hi cum tremore & comate pereunt. febribus ſcilicet nõ ſine ſignis, ſed cum mala iudicatione uiſis deſiiſſe. Conſtat autem malas dici iudicationes, quæ cum naturalibus uacuationibus, uel abſceſſibus factæ non ſolũ ægros nihil iuuerunt, uerum quoque & deterius habere quàm antea fecerunt. Alii autem non uocẽ cum febre: ſed ſolam uocem deficere exiſtimãtes totum ſermonem ita efficiunt: Quibus uoces manente febre deficiunt, ſi id fit poſt iudicationem, hi cum tremore & comate moriuntur. Atqui rurſus impræſentiarum diſcordia alia inter expoſitores orta eſt. Quidam enim quum in dictis tremant, perire hos aiunt tum trementes, tum comatoſos. Alii autem comatoſos factos ita interire. Nemo autem inter eos ex rerum natura logicam ſcripſit demonſtrationem, neque atteſtantem experientiã oſtendere poteſt. Neque enim in prædictis & trementes & comatoſi magna ex parte interire uidẽtur. Quòd ſi quidam rarenter tales fiant, ab arte tũ prognoſticæ partis tum prorrheticæ deſciuerunt. Non enim ad prædictiones talibus utimur, ſed his quæ uel aſſidue, uel ut plurimũ fiunt. Immo uero & his quæ dubie contingunt, nõ tamen raris. Nullus enim uult ſæpius animi uoto fruſtratus ſemel aſſequi quod petiit.

LIX.

QVIBVS deurentia, fatuitatem inferentia, inducentia catochen, uariantia hypochondria, uentriſq; tumor cibis intercluſis, cum ſudoribus, an

his turbidus ſpiritus, & genituræ quippiã ſimile ſuꝑueniens ſingultum indicet: uentriq; tum ſpumoſa tũ biliosa procurrant: emictũ in his ſplendidum iuuat, & uenter his perturbatur.

Aceruauit iterum hoc in loco affectionum diuerſi generis ſymptomata, in quibus nullam artificioſam doctrinam eſſe ſupra demonſtrauimus. Omnia ſiquidem quæ in ægro ſunt, contemplari, nihilq; neq; negligere, neq; otioſe inſpicere oportet. ſingulorum uero horum uires ſeorſum diſcere conuenit: ut confeſtim uerbi, καυστικὰ, id eſt deurentia. quod primum omnium dictum eſt. Nempe intelligi poſſunt affectiones cauſticæ, id eſt deurentes, quaſi calidas & urentes dixerit. poſſuntq; & eiuſmodi intelligi excrementa, quorum uirtus eſt morbum & acutum & uelocis iudicationis reddere, præterea & periculoſum ſi uehementer talia fuerint. μεμωρωμένα, id eſt fatuitatem inducentia uocat quæ μώρωσιν, id eſt fatuitatem menti inducunt. Ea autem eſt ſymptoma citra delirium ęgros naturalibus fatuis ſimiles reddens, quales etiam ex iis qui dicuntur conſeneſcere, nonnullos fieri nouimus. Cui pathemati ſimile quidem eſt, quanquam non idem, quod uocant ἀγνοίαν, id eſt ignorantiam. de qua & Thucydides ſcripſit in his qui ex peſte ſeruati ſunt, hoc pacto: Ignorauerunt q; tũ ſeipſos, tum familiares. Quo autem modo differat τῆς λήθης, id eſt ab obliuione, non eſt ut in præſentia cõſideremus neceſſe. Quum autem κάτοχα, id eſt quæ catochen uocatam inferant, intelligamus, alii morbos ſtabiles, firmosq; & ueluti hærentes appellata eſſe catocha dicunt. uariantia, item aſſidua contrarias in ſymptomata permutationes facientia quidam intellexerunt: ſeparantesq; à uoce hac, hypochondria, uno contextu

legunt, uentrisq; tumor. Alii autem uno etiam cõtextu legentes, uariantia hypochondria, per ſe rurſus legunt, uentrisq; tumor. aiuntq;, uariantia, de hypochondriis dici. Nam ut antea in his quæ in toto corpore ad contraria fiunt tranſmutationibus dixerunt, ſic in hypochondriis fecerunt. Qui uero totam hanc copulant dictionem, hypochondria uentrisq; tumor, ſignificari aiunt eos qui præter naturam his partibus intumuerunt, quo modo & per orationem, cibis interclusis, cuius deinceps meminit. Nonnulli quidem cibos auerſantes dictos eſſe aiunt, ac ſi dixiſſet, à ciborum exhibitione excluſos: Alii eos qui uentrem habent retentum. Nempe & in libro de uictus ratione in morbis acutis uocem hanc de deiectionibus dictam eſſe aiunt. Præfatus igitur hæc omnia qui librum hunc ſcripſit, adiectoq; in calce, cum ſudoribus, (quod & ipſum totius corporis ſudorem exiguum ueluti humiditatem ſignificare poteſt, uel eum qui thoracem & caput ſolum occupat) his ſuperintulit ænigmaticam magis quàm ea ipſa, dictionem, inquiens: An his turbidus ſpiritus, & genituræ quippiam ſimile ſuperueniens ſingultum indicet? Nempe & hic θολερὸν πνεῦμα, id eſt turbidum ſpiritum, ueluti iam antea, ambiguum habere intellectum reperimus. At in ea quidem dictione turbidum ſpiritum ab eo de expiratione dictum eſſe ut enarratum eſt, ueriſimile uidebatur. Nunc autem & ipſum de ructibus dictum eſſe quidam nos exiſtimare iubent, quo modo alii de flatibus. diximusq; antea uerbum θολερὸν à quibuſdam δυσῶδες, id eſt graueolens, & ab aliis ἀτμῶδες, id eſt uaporoſum intelligi. quo modo, & θαλερὸν quidam per α, ſcribentes id ueluti θᾶλλον, id eſt germinans, & ἀκμάζον, id eſt florens, & μέγα, id eſt magnum

dictum esse aiunt. Prædixi quoque & Hippocrate
sæpius in libris qui omnium doctorum consensu
ipsius legitimi censentur, alias alibi difficultatis spi
randi differentias quũ enarrarit, in secundo & se
xto omnes deinceps, nusquam tamen turbidum
nominasse spiritum, sicuti neque turbidum singul
tum, neque turbidum flatum, neque aliud quip
piam tale. Magis etiam ænigmatice & hoc geni
turæ quippiam simile superueniens, dictum est: si
ue urina fuerit, siue deiectio. Post hæc & quam ob
causam adiecerit singultum significare & turbidũ
spiritum, & genituræ quippiam simile superueni
ens, difficile est reperire. Nempe in symptomatum
causis singultum fieri demonstrauimus, quũ uéter
ad excernenda ea humida, quæ tunicis obstinatius
adhærent, mordentesq; habent uires, excitatur.
Non contentus autem author symptomatũ mul
titudine, deinceps adiecit: uentriq; tum spumosa,
tum bilios a προδιέρχεται, id est procurrant: quod
& ipsum rursus bifariam scribunt, alii quidem in
prima syllaba σ. adiicientes, alii auferentes. quod si
adiiciendum sit, tempus prædicto succedens signi
ficabit: si uero auferendum, quod præcedit. Non
est tamen par neque simile alterum alteri succede
re, aut præcedere. Nempe quod præcedit signum
erit futuræ excretionis: quod uero excernitur à
præcurrente nunciabitur. Quum igitur tanta in his
omnibus existat obscuritas, neque ex his quæ post
ipsa inferuntur, licet quippiam ad præsentium ex
planationem accipere, sicut neque ad illa: inquit
enim, emictum in his splendidum iuuat. Duplex
autem & in hoc sermone est obscuritas: una qui
dem est quidnam λαμπρὸν δὲς, id est splendidum si
gnificat: scriptum quidẽ ab aliquibus per duplex
ππ. ab aliis uero p μ. & π. Altera uero in hac ora
tione, in his. Nempe in quibus dicit: an prædictis

accommodabit,

accommodabit, an ultimis? & quibusnam ulti
mis? possunt siquidem etiam ultima dici omnia
quæcunque post principium dixit: An his turbi
dus spiritus, & genituræ quippiam simile pro
currens singultum significat? an sola hæc ultima
dixit: uentrique tum spumosa tum bilios a pro
currant? Præterea his omnibus in fine adiiciens,
uenter his perturbatur. atque hic sermonem ab
soluens nullius gratia uidetur eorum quæ in prin
cipio sunt meminisse. Nempe fatuitatem infe
rentia, & inducentia catochen, magnam mem
bri principem animæ partem habentis noxam
indicantia frustra dici uidentur: & sine deuren
tibus quidem interficere ualentia, cum illis uero
magis. At certe nihil de morte dictum est, sicu
ti in aliis antea non paucis: sed adiectis uarian
te hypochondrio, uentris tumore, & cibis in
tercluſis, copulato insuper cum his sudore, an
his (inquit) turbidus spiritus & genituræ quip
piam simile superueniens singultum indicet? qui
busnam his? quibus prædicta omnia symptoma
ta insunt. Atqui cum his omnibus turbidus spi
ritus factus unà cum excretionibus genituræ si
milibus singultum indicat. Quodcunque ergo
uel unum ex dictis deficit, singultus non erit.
Et forsan quis semel in annis pluribus talem cer
nit ægrum. Quod autem dictorum omnium est
absurdissimum iam tibi referam. Quum mul
tos ægros sim contemplatus, & mille futura præ
fatus, neque tamen experimento signis ex tali
bus singultum adfuturum noui. neque ex rerum
natura demonstratiue uel ipse inueni, uel in scri
ptore aliquo legi. Sed præsens dictio, ei quod
in ludo prouerbialiter dicitur, similis est: Par
turiebat mons, & murem peperit. Multa siqui
dem ubi recensuit pathemata, alia quidem sum

me pernicioſa, alia his minus, alia uero mediocria, ſingultus prædictionem prius ſcripſit. Deinceps ſplendidum, inquit, in his emictum iuuat. Sed quibuſnam his inquit? deurentibus ſcilicet fatuitatem inferentibus, uel inducentibus catochen, uel quibus uariantia hypochondria, & uenter intumuit, uel cibos auerſantibus, uel quibus aluus retenta eſt, uel quibus ſudor, uel quibus turbidus ſpiritus, uel quibus excretio genituram repræſentans, uel ſingultientibus, uel quibus uenter ſpumoſus & bilioſus προδιῆλθεν, id eſt procurrit: quoniam & hoc ipſum bifariam ſcriptum eſt, cum σ, & ſine σ. † congruitq; unumquodque dictorum. ¶ Nam ſiue quibus unumquodque dictorum, ſiue quibus omnia dicta eſſe aſſeritur, admittere eſt conſentaneum. Nempe uox, his, ſingulis apte cohæret, quapropter omnino ſimul intelligitur, etſi dictum non fuerit. Nempe & unumquodque horum iuuat ſplendidum emictum. atque etiam ſi duo, & tria, & plura concurrerint, auxilium his præbet. Mirum autem fuerit tot passiones diuerſas differentesq; aliarum atque aliarum partium ſequentia affectiones cum ſplendido iuuari, prorſus quidem ſpumoſo exiſtente, ſi utique album quod in urinis detinetur, ſplendere nouimus. Omnes autem ſpumoſum inquiunt appellari, facta utique ſpuma cum flatuoſa ſubſtantia, uel crudis pituitoſisq; humoribus, uel pinguitudinibus * tabi remixta fuerit, atque cum ea limitatione quòd rei huius enunciationem, & in ea quæ hanc præcedit dictione, in his quæ iudicatorie excernuntur, dicere oporteat. ¶ Omnia ſiquidem tum bonarum tum malarum iudicationum communia diſtinguuntur, præſertim quidem & primis coctionis ſignis quæ perpetuo bonum quippiam indicant: ſed cum ipſis, ut dixi, facili ſcilicet tolerantia, & contriſtantis humoris uacuatione, & diei quo hæc fiunt fiducia & ſecuritate. prætermiſſa à nobis inueſtigatione ſi non λαπτῶδες ſcriptum per duplex π, ſignificat λαμπτῶδες: quod per μ. & π. quidam ſcribũt. Vt enim per eos ſcriptum ἀπὸ πῆς λαμπῆς, ita λαπτῶδες ἀπὸ τῦ λάπτειν appelletur. Hæc igitur omnia congeſta ſunt ueluti ænigmata, etiam ſi quis omnia percurrerit. Scripti etiam in calce ueluti epodi, & uenter his perturbatur, ratio afferenda non eſt. Neque enim ratio neque experientia eorum quæ ut plurium dicta conſequuntur, uentrem perturbari oſtendunt.

†Ex antiquo cod. hæc ſupuacanea in impſſis græcis uidentur.

* Ex græco ſic ego uertere: colliquationi remixta fuerit, ut præterea tamen eandem definitionem hæc expoſcat enunciatio, quã in præcedenti dictione de his q̃ iudicatorie excernũtur protulimus.

GALENI IN TERTIVM PRORrhetici Hippocratis, Commentarius tertius, Ioanne Vaſſæo Melidenſi interprete.

I.

QVIBVS coma ſpumoſis prodeuntibus oritur, febris accedit acuta.

Primam omnium præſentis libri dictionem † ab expoſitione libelli, ¶ cui titulus eſt, De comate ſecũdum Hippocratem, ſcripſi: in quo ſignificatũ uocis huius, delationem in ſomnum eſſe oſtendi. uigilare quidem apertis oculis neque ũtibus comatoſis, at non prorſus dormientibus ubi eos clauſerint, atque interdum uigilantibus. Docui autẽ id ſignificari per ea quæ Hippocrates in confeſsis germanis libris, tum primo tum tertio legitimorum epidemiorum recenſuit, ex his quæ ſimul cum comatis nomine explicantur, uel apparent, uel quouis modo quis nominare

†Ex græco ſic uerterem: Expoſiturus, libellum.

uoluerit. Solum enim hoc pacto significatum ab unaquaque uoce reperitur. Nec tamen hoc in libro fieri potuit hucusque, ut quod à comate significatur, per coenunciantia inuenirem: dictionibus nempe omnibus ænigmatice pronunciatis: immo neque in sequentibus fieri potest, ut quod significatur, per coordinata ipsi nomina inueniatur. Quo fit ut in obscuris dictionibus securius existimauerim uocem eam ita intelligendam, ut usus est Hippocrates. esse autem cataphorã, id est in soporem delationem, ut in quibusdam docui commẽtariis, atque his quos de affectis locis confeci. Interdum quidem grauato ob utilis succi copiam cerebro, ut in ebriosis. Interdum uero & propter pituitosum humorem, uel & propter ægre separabilem absque humore frigiditatem. Quum autem uigilantiæ coma iunctum fuerit, succi mordentis permixtione fieri affectionem hanc ostendi. In libris igitur epidemiorum siue ex coordinatis siue ex his quæ simul enunciãtur quis nominare uoluerit, demonstratæ sunt comatis differentiæ. atque unà demonstratum est Hippocratem distincte interdum quidem profundum coma, interdum uero somniculosum, & interdũ uigilans, uel quippiã tale dixisse. In præsenti uero libro neque ex eiusmodi distinctionibus, neque ex coenunciantibus differentiam comatis intelligere, neque ex his certam comperiamq; constituere prænotionem ualemus. Vbi igitur uel desipientiam, uel phrenitin, uel fatuitatẽ, uel catochen in ea quam scripsit cõcursione, prædicit, differentiam comatis scire commodum existit. In præsenti uero concursione prorsus inutilis existit talis notitia. Vt enim libri huius author in cæteris concursionibus non pauca symptomata in eam quam pronunciat prædictionem, nihil conferentia adiecit, pari modo & nunc inutilis est ad præ-

sentem iudicationem mentio comatis. Nempe febrem in spumosis deiectionibus proritari ego quidem continue uidi, singuliq; alii eorum qui ipsimet uiderunt, reminiscantur, non tamen in comatibus febres omnino accedunt. Sed fortasse quendam uidit comatosum simul & spumosa deiicientem, deinde febrem accedentem, atque ob id coma inuadenti febris accessioni conducere putauit. Vocaui autem planè spumosam deiectionem quomodo fecit Hippocrates in prognostico inquiens: Deiectio autem si ualde aquosa fuerit, uel alba, uel pallida, uel admodum rubens, uel spumosa, mala hæc sunt omnia. atque in epidemiis sæpiuscule. Quidam interpres libri huius dicebat Hippocratem uocare ὑπαφρα, quæ spumam sursum uectam habent, tanquam fluxilibus quibusdam existentibus uel deiectionibus uel urinis, uel succis. in quibus spuma poni alio ordine apparet. Quare autem in solis febribus ad instar ignis urentibus spumosum deiiciatur, dixi sæpius. sicuti & quòd usitata nomina permutare studiose contendat qui librum hunc scripsit, quanquam id facere nequiuerit. significata itaque permutando, simul & horum syntaxin, id est constructionem ordinationemq; suo arbitrio statuendo, figuras committit solœcas. Quòd si non syntaxin appellare lubet, potes eam synthesin, id est compositionem uocare.

II.

SI EX capitis dolore aphoniæ fiant, atque cum sudoribus febrientes soluantur, & mala repetant, diutius perdurant. & superrigere his malum non est.

Discordia quædam non parua inter dictionis

huius expositores orta est: aliis aliter eam exponẽ-
tibus. Ego uero quæ ex dictis in ea ueris adiunge-
re potero, facere id conabor. Quod aũt reliquum
est, nõ mea, sed obscuritatis scriptoris culpa existit.
Nempe quòd uiri eiusmodi qui adhibita multa di
ligentia quæ dicũtur, & declarare & defendere uo
lunt, omnes male credituli uideantur, scriptoris est
culpa. Videntur autẽ mihi ex dolore capitis apho
niæ ob id dici, quòd capitis dolorem uelit signum
esse adfecti neruorum principii, nõ autem localem
ipsius aphoniæ affectionẽ. quales fieri sæpius con-
sueuerunt uel propter tensionem uehementẽ, uel
propter uocificorum tum musculorum tum ner-
uorum exolutionem & laxamẽtum. Oratio autem
hæc, cum sudoribus, tenuis humiditatis copiam,
uel retentricis facultatis exolutionem indicat. hæc
autem, χαλωντας ἐφ' ἱδρωτους, id est soluantur (si qui
dem ut quamplurimi expositorum intellexerunt,
de his scilicet quæ præter uoluntatem excernun-
tur, ita & nos intellexerimus) uel mentis ostendet
læsionem, uel sedem claudentiũ tum musculorum
tum neruorum. Si uero uerbum χαλᾶν, ut nonnul-
li existimãt, de affectione exponatur, quod est mo-
deratiorem ipsam efficere, & remittere, ob sudo-
res quidem, inquiunt illi, morbum diuturniorem
fieri continget. Ob eam causam prætermittunt hi
uerbi ἐπαμιεν'τα, id est & mala repetant, expositi-
onem: quoniam idem dicere cogerẽtur quod in
uerbo χαλᾶν antea dixerunt. Ob id igitur permu-
tantes ε. literam, scribentes q: ον, in ea quæ finẽ præ-
cedit syllaba, ἐπαμιὸ'ντα dici aiunt, declarantes per
uerbum ἐπαμφιχο'μενα τοσημ'ματα. Vocant autẽ ita
morbos qui parum quidem remittuntur, modera-
tioresq; fiunt, sed rursus accessione repetunt. Si ue
ro oratio χαλωντας ἐφ' ἱδρωτους de inuoluntariis
deiectionibus dicatur, totus sermo talis erit: Si ex

capitis dolore aphonia fiat, febriente ægro cum su
dore, & absq; arbitrio superflua excernũtur: & si re-
petitio quædam symptomatum pari modo fiat, in
longius mutãtur morbi eiusmodi tempus. Quòd
autem in dictis grauibus symptomatis non dicen-
dum erat solum quòd morbi protraherentur, sed
ante hoc an sperandum esset seruandos qui ita æ-
grotant, an morituros, constat omnibus. Præter-
mittens autem hæc scriptor de diuturnitate tãtum
explicauit. Sed rursus rei huic aduersatur quod in
calce dictionis narratur, Superrigere his malũ non
est, in quo quidam erratum esse dicunt. Nam ma-
lum sine negatione: non cum ea non malum scri-
bendum fuit. Concessa uero ea quæ in exemplari-
bus omnibus cum negatione reperitur scriptura,
iure inquiunt rigorem dici non malum esse, pro-
pterea quòd exolutam excitet naturam. Quòd au
tem exoluta sit, tum aphoniam tum inuoluntariam
superfluorum excretionem, tum sudores id osten-
dere.

III.

QVIBVS manus tremulæ, capitis ceruicisq; do
lores, subsurdiq; fiunt, & nigra densataq; meiunt,
his uentura expectare nigra pernicioſum.

Capitis dolor caput his affici, ueluti & sensus au
ditorii læsio cerebrum ipsum, ostẽdit. quo fit ut &
colli dolor & manus tremulæ neruorũ principiũ
offensum esse portẽdant. Quòd uero nigræ urinæ
principii alterius affectionem indicent, sæpe est dic-
tum, firq: hoc propter uehementissimam calidita
tem. Vrinæ uero densatæ ex eorum sunt numero
quæ ad obscuritatem tendũt, ueluti & alia libri hu
ius multa, adeo ut impræsentiarum quoque nuga-
ri possint quibus id placet. Nempe Hippocrates
in prognostico differentias urinarum omnes quæ

in acutis morbis fiunt, enarrans, nullam de densis mentionem fecit: sicuti neque in epidemiis neque in aphorismis. At qui talia quidem pronunciare audent (de quibus notitiam exquisitam habere non possumus, neque si habuerimus, plus aliquid his quæ scimus, habemus) uere autem commoda non agnoscunt, inæqualem habere superficiē aiunt urinas densas, eminentiis scilicet tum paruis tum albis ueluti capillis exasperatas. suntq; inter hos nonnulli qui spumosas tales urinas esse dicant: spumam scilicet tenuem in superficie inæqualiter dispersam habentes. alii uero crassas quidem eas duritiem in superficie sabuli instar ualde tenuem obtinentes. Sed sanè percurrentibus omnia hæc nobis nihil commodi accedit. Nempe author ipse ad dictionis calcem, uentura expectare nigra, scripsit, & huic rursum ipsi adiecit, pernicioſam. Dixit uero antea nigra meiere ægrum. quare spes uenturorum nigrorum de his relinquitur, quæ uel deiiciuntur, uel uomuntur, intelligēda. superfluum autem existit illa expectare in gratia prædictionis eum qui pernicioſiora uidit signa, urinas scilicet nigras. Adde quòd neque perpetuo, neque ut plurimum nigratum urinarum excretionem cōsequuntur per uentrem uel uomitū nigra. Eamq; ob causam uidetur Dioscorides subnigras tales scripsisse urinas, sub, præpositionem adiiciens, ut prorrheticum quippiam tametsi exiguum sermo haberet. Superuacanea autem prorsus erit cæterorum symptomatum adiectio. Nam subnigræ urinæ, ut nigræ fiant inclinationem habentes, febris speciem expostulant, quæ certioré definiat prædictionem: aliud uero nihil. Si enim abunde tum acris tum ignea febris fuerit, subnigræ urinæ in nigras prōpte transibunt: si uero non talis neque magnopere ignea fuerit, huic tremulæ manus erunt, ueluti

& dolor capitis, subsurditas, & ceruicis dolor. Hęc etenim omnia phrenitica sunt signa.

IIII.

QVÆ CVM exolutione fiunt, & catoche & aphoniæ, pernicioſæ sunt.

Rursus hoc in loco particularem scripsit sermonem ueluti & antea cum dixit, Desipientiæ pessimæ. Communiter autem talibus omnibus inest, quod & idiotis ipsis patet, ut magnæ uehementesq; affectiones uirtute languentibus pernicioſæ fiant. sed quod ibi prælanguentium dixit, id imo præsentiarum, cum exolutione, dixit. Potest autem quispiam & cum exolutione uel infirmitate uel imbecillitate inquiens, multitudini indoctisq; quasi aliud quippiam dicant, præbere opinionem. Potest quoque & de particularibus affectionibus ita agere, ut interim aliàs alia dicere uideatur. Nam & peripneumoniæ & pleuritides quæ cum uirtutis fiunt imbecillitate, omnis item huiusmodi fortis affectio pernicioſa est. Si enim neque ex ipsis qui uiribus ualent omnes seruantur, quòd nemo ex his qui imbecillam habent uirtutem seruari possit, liquido constat omnibus. hoc igitur in loco duo symptomata quæ cerebri læsionem concomitantur, memorauit. quorum qui uel alterutrum tantum dicit, uera loquitur. Nam catochæ cum exolutione prauæ sunt. Aphoniæ item cum exolutione similiter his habent.

V.

LATERIS dolor ex sputis biliosis si absque ratione euanuerit, in furorem aguntur.

Sermonis quoq; huius uniuersale sæpius est dictum: quòd scilicet omnia sine ratione euanescentia malum quippiam portendant. Adest quoque

& impræsentiarũ particulare aliqd' malum, quod ex biliosis sputis in pleuriticis affectionibus repente euanescentibus fit, neque tamẽ perpetuo, neque sæpius: sed quum biliosi humoris ad caput ipsum transitus fuerit, tunc solum ægri ἐξίστανται, id est in furorem aguntur. Atqui sueta iam enunciatione usus qui librum scripsit, alienam fecit dictionem, quum nõ habeamus cuinam orationem, in furorem aguntur, ordinemus componamusq́; Nempe quantũ quidem ex dictione est, lateris dolori ordinamus: dicente utique ipso, Lateris dolor absque ratione si euanuerit, in furorẽ aguntur: ualde uero improprie dictum fuerit, Lateris dolor absque ratione si euanuerit, in furorem aguntur. Nam & si pro ἐξίστανται scribamus ἐξίσταται sine ν, syllaba quæ finem pręcedit per sola τ, & α, scripta, non minus & sic absurda fuerit interpretatio, atque priore deterior longe. Nempe in illa ab affectionibus ad ægrum per solœcismum transitur. Hoc autem ἐξίσταται tametsi absque ν, enuncietur, ne sic tamen prorsus quid prius illud significet inuenire queas. Cæterum secundum naturã dixisse licebat, Lateris dolore ex biliosis sputis absq; ratione occultato, ægri ἐξίστανται, uerbo illo uidelicet significante dementiã uehementem & maniæ participẽ.

VI.

EX ceruicis dolore cum comate & sudore uẽter inflatus, si ad necessitatem liquida dimiserit sublutus, ex his bile carentia in ecstasin aguntur. Talia autem si seruentur, diutius æger laborabit. An & his bile carẽtes proluuies mitiores meliorisq́; moris existant, & flatuosum adiuuerint tumorẽ?

Aceruantur quoque in hac dictione dissimilis generis symptomata. Ceruicis etenim dolor cum comate morbosam in cerebro affectionem esse

ostendit. Sudor uero tanquàm symptoma & nõ iudicatorius, aut redundantiam, aut retentricis facultatis imbecillitatẽ indicat. Venter autem inflatus eam ipsam partem affectam esse indicat, uentrẽ scilicet. Ad necessitatem autẽ liquida demittere, sublutumq́; id facere iecur ostendit affectum. ἐξίστασθαι autem quod est παρακοπτειν σφοδρῶς, id est ualde desipere eos ait, etsi nullũ fortis desipientiæ quam ἔκστασιν uocant, signum effectum fuerit. Dictum est enim comatosum cerebri tantum affectionem esse ecstasi cõtrariam: nisi quis ceruicis dolorem signũ ecstasis esse dicat. quod neque simplicem desipientiam absq; signorum aliorum coniunctione significare potest. ut sunt uigiliæ, capitis dolores, ferox oculus, responsio audax, somni turbulenti, aut aliqua in sensibus uel motionibus arbitrariis offensa. Iure igitur quidam pro ἐξίστανται, id est in furorem aguntur, ἐφίστανται, id est cohibentur, de alui excrementis dici aiunt. atque melius copulari illis, ut ita continuetur dictio: Venter inflatus si ad necessitatem liquida demiserit sublutus, ex his bile carentia excrementa cohibentur. Post hæc uero inquiens: Talia autem si seruẽtur diutius æger ægrotabit: tandem scripsit, An & his bile carentes proluuies mitiores, meliorisq́; moris existunt? & quod flatuosum est tumori adiuuerint? quasi ita dixerit, & flatuosum tumorẽ adiuuerint? quod rursus idem in significatu potest quod & flatuosis tumoribus opem ferre. Quòd si aliena tibi uideatur constructio, ignoscendum est his qui ita enarrant. Permulta siquidem talia libro in hoc uidentur pronunciari nominibus inusitatis. Iure aũt optimo inuestigare uidetur, an bile carentes proluuies tales iuuent tumores: flatuosos non à bile sed à frigidis humoribus substantia aquosis & flatuoso spiritu fieri coniiciens. Secundum hanc igitur

expositionem consentire hæc inter se uidentur,& non perperam à quibusdam scriptum est, σωίστανται uel ἐφίστανται, id est consistunt uel cohibentur, atque ad necessitatem uix demittuntur: hoc est cum medici auxilio. superflue autem interiniá cõiunctum esse uidetur,ex ceruicis dolore cum comate: & sudore. nullo pacto uentris sympto matis cohærens quadransq;. Quo igitur modo concursiones alias multas in uno uel duobus con templatus ad eas scribendas peruenisse est ui sus, ita & nunc fecisse est uerisimile non præscripto ægrotantis nomine, ut in aliis fecit. Et si res ita habet, fieri potest, ut in principio quidem morbi copia quædam humorum & temperatura frigidorum & substantia tenuium particulas circa caput ceruicemq; infestauerit: defluens q; in uentrem & fiatuosam in eo molem pepererit, & deiectiones tum tenues, tum aquosas fecerit, atque ob id manentes in uentre & non penetrantes quo penetrant modo quæ tum bilioſæ tum mordentes existunt. Cæterum non parum interest,an authore libri quæ cuipiam euenerũt narrante causas nos reddere eorum probabiles tentemus, quemadmodum in opere de epidemiis fecimus,an ueluti uniuersales sermones indagare. A capite enim ad uentrem defluere potest humor,ueluti &in fauces gutturq;,& pulmonem,& thoracem, & septum transuersum,& lienem, & hepar,& quiduis aliud, ueluti & ex unoquoque horum rursus ad caput deferri. Sed quòd uel perpetuo uel magna ex parte in unum dictorum permeatio fiat, falsum existit. id quod plurimæ libri huius dictiones ostendunt, in quibus simpliciter enunciatur absque adiectione coniunctionis dubitatiuæ, uel nominis ægrotantis. uerum in hac dictione inquiens,an & his acholæ proluuies βελτίστερα, id est melioris

moris existantś sese haudquaquam sermoni uniuersali confidere declarauit. βέλτιστερα autem significat quidem & κακοηθέστερα, id est maligniores, & sæpius in hoc significato plerique ueterum usi uidentur. uerum & βέλτιοποι significat, id est miliores,& ut uertantur promptiores. usi siquidem sunt & in hoc significato quidam ex antiquis,iuxta quod & nũc dictũ esse uidetur. Nempe id cõmonstrat quod in calce dictionis dictum est,adiuuerintś

V-II.

VENTRIS circumtentio ad necessitatem liquida demittens, cito intumescens conuulsiuum quippiam habet, ut Aspasii filio. superrigere his letale. conuulsusq; ex his & inflatus diutius ægrotabit,superuenietq; in ore putredo uiridis.

Quòd medicinalis speculationis doctrina ab Hippocrate in legitimis omnibus librisper uniuersalia facta sit,atq; aliquando particularia quædam gratia exempli ad eorum qui discunt perspicuitatem ab eodem exprõpta sint, antea exposuimus. Sed quoniam nõ satis est præcepta uniuersalia condiscere,ut ea prompte in operibus absq; exercitatione dignoscantur,ob id gratia exercitationis ægros in epidemiis scripsit.in quibus nihil eorũ quę his contigerunt est omissum. Quòd uero quæ à prorrhetici authore emanauit doctrina nõ habeat uniuersale nisi utique rarenter,iam sæpius est ostensum. Deficit quoq; & ea ab exquisita illa particulari explanatione quæ in epidemiorum ægris descripta est.ubi primum quidem si quoquo pacto causæ præincipientes indicare ualeant, indicat recensens,si quis,uerbi gratia,uel ex laboribus uel exercitationibus intempestiuis,uel ebrietate ægrotare cœperit. Deinde q; primo quidem die hæc circa ægrum contigerunt: & secundo alia, & ita tertio,

& quarto, & deinceps omnia quæ fuerunt, explicat: his qui ab ipso didicerunt præceptionem uniuersalem consentaneam iis esse, quæ in ægris apparuerunt ostendens. ducitq; simul interdum is ad exercitationem, ut in horum explicationibus ostendimus. Qui uero ægros in hoc scribit libro ab huiusmodi explanatione ex quibusdam semel uisis iam uniuersalia præcepta constituere intendit, non parum in multis errans, ut in hoc quòd alteri factum sit, alteri attribuere: quo modo & nunc. Nempe ubi Aspasii filio uentris symptomata solum scripsit, ea conuulsionis quippiam habere ait. Tria autem sunt ab eo scripta symptomata. unum quidem est uentris distentio: alterum ad necessitatem ὑγρὰ χαλᾶν, id est liquida demittere, quod in quibusdam διαχωρεῖν, id est deiicere, dicere consueuit. Tertium ab ipsis est cito intumescere, significat autem cum hoc & quòd uenter minuatur forsan ex liquidis deiectionibus. nempe mox post ipsas dictum est, cito intumescens. Solis autem his symptomatis iunctam conuulsionem quandam, si quis in ita ægrotante homine prædixerit, falletur sæpissime, uerum aliquando uel etiam in paucis semel uoti fiet compos. Is quoque qui hæc scripsit, ubi dictis nunc uentris symptomatis similia in antecedente dictione commemorauit, de conuulsione nullum fecit sermonem, etsi cruicis dolorem factum cum comate dixerit. Ita autem habet oratio: Ex cruicis dolore cum comate & sudore uenter inflatus, si ad necessitatem humida demiserit sublutus. Quòd igitur symptomata uētris hæc similia his sint, quæ nunc sunt dicta liquido constat omnibus. Sed præter hæc cruicis adiectus est dolor neruosæ partis & prope cerebrum sitæ & dorsalem medullam continentis, cum hoc quòd cerebrum

iam erat affectum. Nempe comatosum illius symptoma uerisimilius erat in ita laborante scriptum esse habere conuulsiuum quippiam, non autem in præsenti. in quo fieri potest, ut symptoma aliquod aliud conuulsionis indicatorium factum sit, quod in expositione omisit, nisi ipsum superrigere, in ea dictum, quis conuulsionis signum esse existimauerit. quod sane & ipsum à quibusdam expositoribus est dictum. qui quotidie tertianos quartanosq; circuitus quibusdam cum uehementissimo rigore fieri nihil conuulsionis habentes non uident. Verum qui talia scribunt, adeo in re medicinali sapientissimi sunt, ut rigorem neruorum affectionem esse, ut conuulsionem tremoremq; existiment. Neque sanè cur Aspasii filius conuulsionē passus sit, poterit quis dicere, non scriptis omnibus quæ ipsi contigerunt. neque cur χλωρὰ, id est uiridis, putredo in oris locis facta sit. succi etenim uitiosi sobo-
les sunt eiusmodi pathemata. quam unde aliquando aceruauerit est incertum: quum quonam pacto † cibatus sit, ignorenus. Neque uero quæ in ipsius uentre facta sunt, putredinosi & succi uitiosi signum præferunt. adde quòd neque quamnam dicat putredinem uiridem manifeste cognoscitur: quoniam χλωρὰ & quæ ærugineum & quæ pallidum habent colorem, uocitant.

† διηνθᾶ ait ipse. i. quonā uīctu sit usus.

VIII.

QVIBVS lumborum tenues & diuturni dolores ad hypochondrium euntes, & ciborum auersio cum febre, dolor his ualens contentusq; ad caput perueniens, cito cum quadam conuulsione perimit.

SIVE ὑπὸ λεπτὸν siue κατὰ λεπτὸν, id est tenues scribatur (utroque enim modo scribunt) mul

tam habet obscuritatem. Eam ob causam quidam ὑπὸ πλάδρον, id est sub costam. Qui ergo uel ὑπὸ λεπτὸν uel κατὰ λεπτὸν scripserunt, sententiis sunt diuisi. Nempe alii tenue intestinum dici asserũt. alii latum os & sacrum appellatum. sunt qui horum tertium quippiam fecerunt, ita ut simul utrunque dicant, rationemq; simul his quæ inferuntur adiungant. Nempe à iecoris superficie uenæ propagines scissurasq; plurimas in mesaræo fieri aiunt. quibus affectis lumborum dolores non continuos, sed tenuibus quibusdam interuallis infestantes succedere. quas ad dextrum hypochondrium in iecinoris portas tum reduci tum contrahi & ueluti conuelli aiunt, ubi uelut radicem esse affectionis uenæ huius unà cum propaginibus omnibus inflammatæ admonent. Quare autem ita intelligendum sit uerbum γριφῶδες, id est griphi modo eũtia, prætermittunt quidem hi, sed quidam alii παρὰ τὸν γρίφον nomen accepisse aiunt. uocatur autem ita rete quoddam piscatorium, non ut hi existimant per φ scriptum (nempe aliud uocis huius significatũ existit) sed per π. Quare quidã in præsenti dictione scribunt γριπώδες. alii inuolutas membranas γριφωδῶν dici ex consuetudine inquiunt, cũ quis digito describserit discreueritq;. atq; ob id per metaphoram dolores qui morsis descriptisq; fiunt, γριφωδῶν uocatos. alii & à principio dictionis dictũ esse aiunt lumborum tenues diuturnosq; dolores, quasi hoc pacto dixisset: dolores κατὰ σμικρόν, id est exigui minutiq;, qd est imbecilli. Condonantes igitur tum his qui ita exponũt, tũ his qui portas iecoris pati affirmant, recte dicta esse omnia (nam ciborũ auersionem argumentum quoddam affecti iecoris esse inquiunt) ab eo quodnã ex sic dictis futurum sit nobis emolumentũ audiamus. Inquit enim orationis

scriptor:

scriptor: Dolor his ualens contentusq; ad caput perueniens, cito cum quadam cõuulsione perimit. Num igitur hæc omnia nos admonent quo facilius accidentia prædicere queamus? Nempe φ infestantium commutatio non solum in caput, uerum quoq; & in quãlibet aliam partem, siue mesenteriũ, siue & hepar pati uelint, fieri queat, condonet quis. At certe quo nam pacto commutatio fiet, prænosse posibile non est prius, quàm peculiaria parti symptomata adsint, quanquam facta cognosci queat. & præsertim cum quæ prius infestabant, conseserint. Quinetiam commutationes eiusmodi in ægrotis, in epidemiorum libris scriptæ sunt, qualis & nunc scripta est. Nam si quibusdam dictis uentris symptomatis postea repente occultatis doluerit uehementer in capite æger, diximus in ipsum cõmutationem factam. neque tamen quid faceret, certo licebat dicere prius, quàm aliquod aliud signũ compareret, uel cataphoræ, uel delirii, uel conuulsionis. nempe & id fieri potest. potest quoque & natura morbo robustior proritata sanguinis per nares eruptionem moliri, uel parotidas suscitare. didicisti siquidem horum omnium incipientium esse signum. sed priusquam incipiant capitis dolorem solum existentem suspicionem quidem omnium præbere, certam uero nullius ex ipsis prænotionem.

IX.

SVPERVENIENTES rigores & nocte magis quodam modo exacerbantes cũ uigiliis & uenarum agitationibus in somnis, atque urinas præter arbitrium excernentes in comatosas aliquando finiuntur conuulsiones.

Libri huius author ut in singulis dictionibus uel nomen aliquod inusitatum, uel compositionem

inueniret, magnopere laborauit. quo modo & nũc utrũq; fecit. At quæ in singulis dictionibus inuisitata fit cõpositio, transeũte eo uel ab affectionibus ad affectos, uel ab affectis ad affectiões, prætereunda nobis est propterea q̃, quantũ in ipsis est, nullã sermo sit habiturus † perspicuitatẽ. In præsenti uero dictione φλεβοσφυγμάτα nouũ peregrinumq; nomen fecit, uenas agitari, quantum ex uoce est, ostẽdens. uel etiam ut quidam nomen scripserunt per φλεβοπαλμάτα uenas extendi. siue igitur proprie apellatas uenas siue arterias ipsas, q̃ has interdum uenas antiqui appellant, agitari uel extendi audire oporteat, mirari licet quo modo nũc primum eas memorauit. Nam si arterias indicare uoluerit, uel tẽdi uel agitari, quod de uibratitia motione est intelligendum, de ipsis aliquid multis ægrotantibus dixisse oportebat. Nam si author circa arteriarum motiones usque adeo diligens, erat, ut & uibrari eas & tendi obseruaret, nequaquam alias pulsuum differentias ignorauit. Quo modo igitur de ipsis nihil scripsit: Si uero proprie appellatas uenas tendi memorauit, quo modo & non huius symptomatis iam antea mentionem fecit, quod scilicet in uehementibus capitis doloribus fieri consueuit? Videntur siquidem in his & præsertim ubi cum multa caliditate fiunt, pulsantes & quasi uibrari tẽporum uenæ. Sæpius autem & colli iugularias, quæ uidelicet in superficie collocantur, motione pulsui cuidam non dissimili agitari uidimus. Videtur quoque & in temporibus ex subiacentibus arteriis motio accidere, quo tempore illæ maxime pulsant. Ambiguitates ergo huiusmodi quidã effugere uolentes pro φλεβοσφυγμάτα, φλεβοπαλμάτα in quiunt: nomen ἀπὸ τοῦ φλεβόω facientes. q̃ autem φλεβόω & φλυαρίας & λήρους, id est nugas & deliramenta quidam ueteres nominauerint, nõ

φλεβοσφυγμάτα, i. obscuritatẽ, ait ipse.

te prẽterit. Affectiones igitur (inquit) cum uigiliis existentes & in somnis delirantes urinam inconsulto χαλῶσιν, quod est ἀποκρίνουσι, id est excernẽtes. Nempe ab affectionibus ad ægrotãtes transiit, & rursum ad affectionem reuertens inquit, in comatosas aliquando finiuntur conuulsiones. inquiẽs autem, aliquando, nos à molestiis liberauit. Principio siquidem neruorum affecto, ut uigiliæ, nugæ, & urinarum inuoluntaria excretio ostendunt, nil mirum inde phrenitim fieri & coma & conuulsionem, & uocis priuationem, & quoduis aliud tale pathema. Superfluum itaque fuerit ad hanc prædictionem tũ supperrigere, tum nocte magis exacerbari. Sed quod iam sæpius est demonstratum, scribit etiam quæ prædictionibus ab ipso dictis minime cõueniunt, cõmunia à ꝓpriis separare nescius.

X.

QVI PRINCIPIO sudant urinis coctis, deuruntur q̃, & absq; iudicatione refrigerantur, & celeriter peruruntur, torpidi item comatosiq; & conuulsi perniciose habent.

Rursus hoc in loco, qui principio sudant urinis coctis, superuacaneum est. Nempe & deuri, & absque iudicatione refrigerari, perimere hominẽ suffi ciũt. Deinde & celeriter deuri, ueluti & quæ principiũ alterũ faciũt, ꝑ se ipsa ægrũ corrũpere queunt. de quibus ita scripsit, torpidi itẽ comatosiq; & cõuulsi ꝑniciose habent. Ab his utrisq; principio sudãtes cũ urinis coctis, scripsit: quod ꝑinde est atq; quispiã aiat, In periculo mortis uideri hominem, quoniam & cerebri membrana perforata sit, & thorax simul perforatus, atque in coxa ulcus culum æger habuerit, aut si quis periclitari hominem dicat propter aquã inter cutẽ & unguiũ abscessũ. Quidnã ꝑinde adhuc desideremus quasnã

dicat urinas coctas: de quibus antea dixi Rufum ephesium, Zeuxidem empiricum increpasse. nempe falsum esse id, neque malum esse aliquod ubi tales urinæ factæ fuerint. Verum autem esse quòd laboriosæ urinæ malum aliquod significēt. nempe eas indicari quæ cum labore excernuntur. Secundo uero loco scriptum hoc de urinis coctis in utraque dictione æque sermonem uitiasse non amplius credibile est, ut Rufus censuit Zeuxin redarguens. Sed forsan author coctas urinas crassas & albas uocauit. quoniam subsidentiam huiusmodi & in uere coctis urinis uidit. Quę uero returbatę sub iugalium modo, non coctæ.

XI.

VTERVM gerentibus si capitis dolores, soporesq́; cum grauitate fiant, uitiosi sunt. forsitan uero & his conuulsionis aliquid prodest.

Quidam rursus præsentem nominum compositionem solœcismum, habere uidentes, uerbū, his, permutauerunt: talem efficientes dictionem: Forsitan uero & hæc conuulsionis aliquid pati iuuat. Verum, ut antea retuli, dum intelligentia ipsa maneat, scribere unicuiq; suo arbitratu concedentes, de eorum quæ referuntur ueritate disseramus. At de ea certe iam disserere non sinit dictioni adiacēs nomen, ἐπιφόροισι, id est uterum gerentibus, quod explicatione eget. Non solum etenim nominum inusitatā cōpositionem dictionibus in singulis excogitare contendit author: uerum quoque & ex nominibus ipsis unum duntaxat, atque interdum & duo & tria inserit uel planè peregrina, †uel in eo significatu qui apud græcos usui fuit. Quidam igitur ἐπιφόρου grauidas eas quæ non longe à conceptione absunt, intellexerunt: alii prompte concipientes, atq; assidue uterū gerentes. inquit igitur:

† Impressi cod. corrupti sunt pro μὴ. n. habēt μὲν quare ad. de nō, ut ita legat uel nō in

Si capitis dolores soporesq́; cum grauitate fiant, uitiosi existunt. Sed commune omnium ita habentium nomen ἐπιφορὰς adiecit: †quo modo & orationem, cum grauitate, ut peruestigemus utrum ne ut cum hoc laborāti totum corpus graue uideatur id adiecerit, uel capitis dolores cum capitis grauitate, uel soporem cum grauitate. Sed ubi quis uniuersa hæc transcurrerit, ad prædictionem nihilo plus assequetur, neque secundum hunc scriptorē. inquit ergo: forsitan uero & his conuulsionis quiddam prodest. Quum autem uirum audieris dicentem, forsitan, atque ex particularibus tanquam uniuersalem inconsulto fecisse orationem, raro rem usu euenire liquido cognoscas. Quæ uero rarenter cōtingunt, à prorrhetica speculatione desciuisse sæpius tibi diximus. Nam si tanquam contingētia fieri quis dixerit, sæpius iam audiuisti affectum cerebrū posse quoduis symptoma uel in sensibus uel arbritariis motionibus comitari. Si uero tanquam sæpius fieri, non solum non fit sæpius, sed neque dubie quod nunc dixit.

Ant. cod. habent πάλιν δὲ τὸ μετὰ. i. item & illud cum grauitate hic, ut &c.

XII.

FAVCIVM sine tumore dolores strangulantes conuulsionis quiddam habent, tum alias tum à capite orti. ut Trasynontis fratris filiæ obuenit.

Ex hac quoque dictione librum hunc non esse legitimum Hippocratis quis dixerit, ubi inquit φάρυγγι ἰσχνῷ, id est fauciū sine tumore. Nēpe scripturam hanc habēt tum antiqua exemplaria omnia, tum interpretum commentarii, nisi scribentis uitio id uertatur, quo modo & alia multa in exemplaribus multis uitiata reperiuntur. Artemidorus tamē & Dioscorides manifeste φάρυγγι ἰσχνῇ scripserunt. Nēpe ϙ φάρυγξ fœmineo scribatur genere, superioribus omnibus est confessum. Reperitur quoq;

& in hac dictione, φάρυγξ ἐπώδυνος ἰσχνὴ μετὰ δυσφορίης πνιγώδης, id est fauces sine tumore dolentes cũ implaciditate strangulãtes. Quòd aũt ęgros cernens concursiones horum scripserit, neque ex his quæ uiderit seipsum instruxerit, neque ad uniuersale particularia reduxerit, uel ex hoc palàm fecit. Non enim fauces semel memorauit, ueluti in prognostico Hippocr tes fecit, omnia quæ de eis sunt continuata serie, & non sæpius aliàs in alia libri parte percurrens. Quod ergo in præsenti dictione ait author, si sæpius seorsum dictorum memor fueris, etiam in hac cognosces quonam pacto ex inuento particulari in enunciationem uniuersalem transire ausus sit, nominatim Thrasynontis fratris filiam per stringens, in qua scriptam concursionem conspexit.

XIII.

QVIBVS tremores conuulsiones facti cum sudore redire consueuerunt, iudicatio his euenit ubi superriguerint. superrigent hi occluso in uentre ardore.

Dictionem hanc quidam in duas dispertiunt orationes. Vnã qdẽ quæ ita habeat, τὰ τρομώδεα id est tremores conuulsiones facti. fatentur uero hi orationem hanc mancam esse, subaudiendumq; aliquid de quo post paulo dicam, uolunt: alteram orationem principio altero efficiunt, τὰ ἐφ' ἱδρῶσι id est cũ sudoribus redire consueta, iudicatio his euenit si superriguerint. Qui uero orationem utrãque connectunt sine articulo, τὰ, scribunt: Tremores conuulsiones facti. ἐφ' ἱδρῶσι, id est cum sudoribus redire consuerunt. id quod quia falsum sit, ab expositoribus est damnatum. alterum uero, quòd mancum. At quod dictioni deest, scribentis delicto id accidisse potest, falsitas autẽ ipsa nullã admittit

excusationem. Nempe ꝙ tremores conuulsiones facti cum sudoribus redire consueuerint, falsum est, cum redire non consueuerint, sed letales existunt siue cum sudore fiant, siue non. Considerabimus igitur ea quæ hi dicunt. Tremores conuulsiones facti, mortem inferunt, Aut tremores uel conuulsiones per se legi præcipientes. Nempe & hoc intelligi pacto posse inquiunt: Tremores conuulsiones facti mortem inferunt. Posse autem & in hunc modum: Tremores uel conuulsiones si fuerint, praua existunt, ut prius quidem planè perfectã absolutamq; ex tremoribus in conuulsiones degenerationem doceat: posterius uero tremoris affectionibus ubi superuenerit conuulsio sequi mortẽ. utrunque siquidem est letale: sed prius quidem tãquam tremoribus ad conuulsiones ante hominis mortem transmigrantibus, posterius uero tanquà planè cum hoc factis, atque ubi firma fuerint, mortem inferentibus. Cui uero hæc placent, ipsis licet uti. Ego autem ad eos pergam qui principio altero dictionem cũ articulo ita legunt, τὰ ἐφ' ἱδρῶσι φιλυπόστροφα, id est cum sudore redire consueta. deinde subticentibus nobis & postea legentibus, iudicatio his euenit, si superriguerint, ut sermo huiusmodi sit: Cũ sudore desistere uisæ affectiones, rursumq; reuertentes, & rursum ignescentes, atq; iterum sudoribus solui uisæ, ueram certamq; habent solutionem iudiciumq; ubi superriguerint. Quod autem subinde dicitur, superrigent hi præcluso in uentre ardore, eiusmodi habebit sentẽtiã, uentris æstus antecedit superuenturo rigori.

XIIII.

LVMBORVM dolor cum & capitis & stomachi dolore, atq; ex screatu uiolento conuulsiuum quippiam habet, submutumq; cum iudicatione rigorem.

Quidam dictionem coniunctione, &, semel scripta exponunt, conulsiuum quippiam habere non ex prædictis quatuor fieri: sed ad ueritatem de omnibus prædici uolentes, quatuor dico lumborum dolorem, capitis stomachiq;, & uiolentum excreatum. Ita fit, ut hoc scribant modo: Lumborum dolor capite & stomacho dolenti. alii coniunctioné, &, bis scribunt: quo ego modo protinus initium scripsi, propterea ꝙ exemplaria complura ita habeant. Descriptio autem tale quippiam indicabit: Lumborum dolor si & capite doluerit quis, & stomacho uel cum screatu uiolento conuulsiuum quippiam habet. quanquam & dictio ita scripta utrunque simul ægrotanti factum significare possit & lumborum dolorem & cephalalgiam. Ego autē neque experientia neque rei natura conuulsionem prædictis consequentem esse pronūciare possum. Quinetiam author adiecit, conuulsiuum quippiā habet, quod idem est ac si dicas symptomata huiusmodi conuulsiua esse. Docui porrò antea quòd non similiter audire conueniat cautum hominem tales expromentem uoces: & eum qui facile de particularibus tanquam uniuersalibus pronunciat. Nam cum temerarius ille hæsitans dicat, conuulsiuum quippiam habet: uel exiguum esse uel raro contingere quod dicitur, ostendit. De singulorum autem quæ in omnibus tertii huius commentarii dictionibus referuntur symptomatum uirtute, paucis quidem docui in harum commentationum prima & secunda. Longe autem lateq; in prognostici commentariis, uberius uero ac fusius in libris de iudicationibus, & symptomatum causis. Nō pauca quoq; de his in libris epidemiorum sunt enarrata. satis ergo hoc loco fuerit solam dictionem explicare, atque insuper uerumne an falsum sit quod enunciatur, aut frequens, aut ambiguum, aut rarū,

sententiam adiungere. Post orationem conuulsiuū quippiam habet: scriptum est ὑπάφωνον nomen, id est submutum. quod quidam cum prædictis connectunt ita, ut fiat talis dictio: conuulsiuum quippiā habet submutum. Alii principium dictionis quæ infertur esse existimant, commutantq; iterum ii ipsi dictionem. Nempe alii sine articulo scribunt, alii neutrum articulum adiungunt talē fabricantes dictionem: τὸ ὑπάφωνον, id est submutus cum iudicatione rigor, uentris deiectiones subliuidæ turbationis plenæ, & urinæ tenues. Quidam legunt per se, cum iudicatione rigor, neque cum prædictis neque cum sequentibus ordinantes. alii totam dictionem commutant, atque ita scribunt, ὑπόφοβον ἅμα κρίσει ῥῖγος. i. subterrefaciens cū iudicatione rigor. Consequenter autem tibi utrorumque expositionem per se exacte scribam. Quidam igitur ἅμα κρίσει ῥῖγος, id est cum iudicatione rigor per se scriptam esse uolunt, multasq; fieri cum rigore iudicationes significare. Orationē uero ὑπόφοβον ἅμα κρίσει ῥῖγος dixi iam antea quosdam permutare, & pro ὑπάφωνον, ὑπόφοβον scribere. geminamq; faciunt expositionem: alii quidem pro φοβερὸν ἅμα κρίσει ῥῖγος dici putantes: alii pro μετρίως φοβερὸν quasi mediocriter terrificum dixeris: ut τὸ ὑπάφωνον simile sit τῷ ὑπόφοβον. Fuerit autem & tertia quædam scripturæ huius expositio talis. Componere quouis modo rigorem bonum non est. ueluti si uel per sanguinis eruptionem quis, uel uomitum uel uentris uacuationem uel sudores uel hæmorrhoidem iudicetur, uel mulier per menstruam purgationem rigeat. Sæpius autem fieri uidetur, ut bonam aliquam uacuationem antecedat rigor: cum uero iam excernunt, rigorem incipere malum. Quòd autem id uerum sit, qui multos ægros diligenter cōtemplati sunt, norunt. Si uero prorrhetici

author ita censuerit, est diuinandum. Principio si quidem neque an ab illo scriptum τὸ δ' πο'φοβον sit nouimus. In antiquis enim exemplaribus pluri mis non ita scriptum est.

XV.

VENTRIS deiectiones subliuentes cum per turbationibus & urinæ tenues aquosæq; suspi tionem habent.

De his utrisq; seorsum in prognostico disseruit Hippocrates tum liuentes uentris deiectiones pra uas esse inquiens, tum urinas tenues aquosasq;. Nunc suo more diuersi generis notas complectés nihilo plus docet. Potuit sanè & his author praua sputa coniungere, uel spirandi difficultatem, uel aliam quampiam uitiosam notam. Quidam uero expositores dictionem hanc huic, submutus cum iudicatione rigor, coniungunt, unamq; totam essi cientes super dictis omnibus illatū esse ab autho re deicunt, id quod in calce dicitur, ὑ'ποπτα, id est suspicionem habent. Nempe & his subliuentibus, scilicet uentris deiectionibus urinisq; tenuibus & aquosis, non absque ratione infertur, suspicionem habent. Si uero quispiam his addiderit & τὸ ὑ'πα'φωνον, id est submutum, non suspectam solum ait esse concursionem, uerum quoque & euidenter malam.

XVI.

FAVCES si parum exasperentur, uenterq; inæ nibus surrectionibus murmuret, & frons dolet, contrectatiq; fatigentur, atque in stragulis uesti mentisq; doleant, quæ ex his augentur, difficilia existunt. somnus multus in his conuulsiuus, & dolores in frontem graues, & mictio difficilis.

Ventrem tum murmurantem tum rugientem

cum inanibus surrectionibus quidam phreniticum esse symptoma contendunt. Nempe duobus mo dis errare eos, uel ꝙ quæ sub sensum cadunt non sentiant, quanq̃ cum dolore persæpe fiant, uel ꝙ quæ sub sensum non cadunt, sentire uidentur. alte ro autem modo desurgere quidem eos tanq̃ mor sos aiunt: sed nihil operari. quoniam neque quod morderet erat. morderi siquidem sese putant, sed non mordentur. Oratio autem, In stragulis uesti mentisq; dolentes, ex assueto sibi enunciandi mo do absurde mõstroseq; dicta est, quæ talem habet sensum: tactum eorꝝ quæ ipsis substernuntur, nõ se rentes, sed dolentes. An ne quidem & ob id quod ab incumbentibus grauentur (dura siquidem esse arbitrantur uel mordentia quæ substrata sunt, atq; inuisam habent quæ circũfunditur uestem stragu lam) aut si ob aliud quippiam ipsis cõtingit, prorsus est incertum. Deinde & alia deinceps recẽsens cum inquit, somnus multus in his conuulsiuus, so phistis præbet peruestigandi occasionem an pos sit aliquando somnus lædere. Nam aut iuuare ip sum inquiunt, aut si non iuuet, nequaq̃ tamen un quam lædere. De ea re autẽ in aphorismorum cõ mentariis antea disserui. Neq; uero si somnus mul tus lædit, conuulsionem efficere uidetur. at solum periculosum esse morbum ostendit. Mictio autem δ'υσκολα'νεσα, id est difficilis, miro modo ab au thore in obscuritatem est excogitata, ita ut inter ex positores alius dicat δ'υσκολα'νεσαν, eã quæ fit cũ dolore esse dictam. alius eam quæ retinetur. alius eam, quæ ægre fit, & eam quæ continue, & eã quę in stranguria fieri solet. eam uero quæ præpo tenter mordet alius. ubi uero omnia percurreri mus, nihil quod effatu dignum sit, ad prædictio nem consequemur, propter eam quam sæpe retuli causam. quòd scilicet multa diuersi generis con

fundit permiſcetq́; ſymptomata. Argumentum rei huius maximum eſt uel hoc quòd interpretum nonnulli eò quidem ierint, ut dictionem pertingere ad hanc uſque orationem, ſomnus multus in his conuulſiuus, exiſtimarent, principio alio quæ conſequuntur legi præcipientes. alii uero coniungant atque ex coniungentibus alii alia in parte cõſequẽter dictorum circunſcribi dictionem uelint. Si igitur omnia ad finem uſque quis perſequatur quæ in ſingulis ſuſpicionibus ſeparatim expoſitores dixerunt, longum ſanè efficiet ſermonem, nihilq; eos qui in hunc incident librum iuuabit.

XVII.

VRINÆ detentio & quibus rigores ex his cõuulſiones. ut & ipſa ubi inhorruit, ſudauit.

Si coniunctionem, &, permutauerimus, ſermo erit dilucidior, talis redditus: Vrinæ retentio quibus rigores & ex his conuulſiones. hæc particula, quibus rigores, dicta eſt & in libris epidemiorum in hac dictione: Ante rigorem urinarum retentiones. Quòd autem & in conuulſiuis affectionibus urinæ retineantur, præpoſuit author in præſenti dictione. Quæ autem temere à quibuſdam dictionis huius explanatoribus dicta ſunt, ſubticere eſt melius. Ego autem † perueſtigationẽ ad eam quæ idonea ſit prænotionem dico. Sequitur, & ita ubi inhorruit ſudauit. Quintus quidem ſolam hanc quum ſciret ſcriptionem, quam in antiquis ut ait exemplaribus reperit, fatetur ſe non intelligere. Verum in compluribus exemplaribus ſcriptum eſt, & ipſa ubi inhorruit ſudauit. Vt mulieris nomẽ ea uoce intelligamus, quam ubi inhorruit, ſudare contigit.

Ant. cod ἐξήγησιν habent. i. expoſitionẽ nõ ζήτησιν

XVIII.

SYNCERÆ deſiſtẽtes purgationes alibi quidem exacerbantes, his uero & ualde ſi fuerint, ex talibus parotides exurgunt.

Vt pro purgationibus uacuationes dicantur, præſtat. Nempe quum excerni contigerit quæ corrupta ſunt, purgatio eſt corporis. Quum uero excernantur, quæ ui morbi fiunt, uacuatio. Cuius autem φ de his dicatur, patet ex uerbo deſiſtentes, φ expurgantes corpus uacuationes principium quidẽ à ſynceris interdum habent, ſed deſinunt in benignas mitesq́; deiectiones. his uero & ualde tales exacerbantes eſſe uacuationes, ad antedicta relationem habet. Antea autem dictum eſt: urinæ retentio quibus rigores, & ex his cõuulſiones. Prænotio autem in ea re eſt, φ parotis ſuſcitari poſſit. atque ob id ſcribit quòd ægro cuidam ex his quæ in dicta ſyndrome relata ſunt, parotida habere cõtigerit nõ tamẽ perpetuo, ſed magna ex parte parotidas prædictã ſequi ſyndromẽ eſt rationi conſentaneũ. didicimus ſiquidem talium abſceſſuum notas.

XIX.

TVRBVLENTÆ ferocesq́; è ſomno excitationes conuulſiuæ tum aliàs, tum cum ſudore.

Iam antea concurſiones huiuſmodi explanauimus, nihil ſanè neque quod neceſſe ſit, neque magna ex parte habentes. atque ob id præſentem dictionem quidam his quæ inferuntur nectunt: cæteri autem diſtrahunt.

XX.

CERVICIS dorſiq́; perfrictiones apparentes per totum corpus, in his & ſpumoſæ urinarũ excretiones cum animæ deliquio, atque in oculis totius lucis impedimentum conuulſionẽ prope eſſe indicant.

In multis quidem exemplaribus dictio ita scripta est, perfrictiones apparentes: in aliis uero melius hoc pacto, apparentes per totum corpus, tãquam fieri non possit, ut totum simul refrigeratum sit corpus, atque ob id bene adiectum sit, apparétes. Quod deinceps dicitur, non paruam habet in scriptura controuersiam. quidã enim scribũt ἀφρώδεις, id est spumosæ mictiones. alii autem πυώδεις, id est purulentæ. sed ad totum rei sensum uerbum, spumosæ, est rationabilius. Nam purulentæ mictiones si proprie utique intellexerimus, & non ut libri huius author impropriis nominum metaphoris uti consueuit, pus urinis permixtum esse indicant. Puris autem generatio tantum abest ut cõuulsionem significare possit, ut etiam in aliquo qui conuulsionis incurrit suspicionem signum bonum sit, mor-
bum concoqui ostendens. Spumosæ uero siue ob colliquationem siue ob perturbationem quãdam, flatuosumq; spiritum exoriantur, suspectæ utroq; modo ad conuulsionem existunt: non tamen purulentæ his similiter. Si uero improprie purulentas dixit urinarum tum crudarum tum crassarum excretiones, neque ita suspectæ sunt, neque ad conuulsionis generationem proficiunt. Animæ autem defectio, & totius in oculo lucis impedimentum, quod ἀμαύρωσις dicitur, imbecillæ animalis facultatis signa existunt. Conuulsionem igitur non ea symptomata dictis adiecta, sed sola illa possunt indicare. illa dico, ceruicis dorsiq; perfrictiones una cum toto corpore: urinã item spumosam, aut crudam, aut incoctam. Totius autem in oculo lucis impedimentum ᵹ accidens conuulsionis expectationi fidem faciet, quòd principium neruorum affectum significet. Nosse autem oportet & concursionem hanc † uirtutum inferre conuulsionem, non tamen perpetuo, uel ut plurimum: sed ambigue

† Ego ἀνυμενίων legerem, nõ ἀωσῶν. i. eorũ quæ possunt inferre.

magis, si spumosas scripserimus. neque si scribatur purulentis, expers, ut dictum est, expectationis erit: medium utriusque obtinẽte si ὑπνωδεῖς, id est somniculosę scriptum sit, sed illis adhuc magis si crudæ & incoctæ uideantur. Quæ autem ex ipsis cessauerint, his prope esse tum conuulsionem tum mortem, & in oculis totius lucis impedimentum & apsychia indicant. Dicit autem animi deliquium. Dioscorides pro apsychia apopsychiam scribit.

XXI.

CVBITI ET ceruicis dolores conuulsiui. à facie autem hi, atque in faucibus, sonitus multi. sudores in his per somnos boni. an & sudore quã plurimos leuari non malum?

Orationem à facie autem hi, intellexerunt omnes ut æquam habeat conditionem cum hac, à capite. Nempe & supra in alia dictione dixit: tum aliàs, tum à capite orti. Quare autem conuulsiua hæc dicat symptomata, non est incertum his qui antedictorum meminerunt. Quidam uero primam dictionis partem per se tum scribunt, tum legunt, ut sermo talis sit: Cubiti ceruicisq; dolores conuulsiui. à facie autem hi. non amplius indigentibus nobis ad conuulsionis prænotionem cõsequente oratione. Hi autem coniunctionem. atq; tollentes, principium consequenter scriptorum hoc fecerunt. in faucibus sonitus frequentes. Quidam pro ψόχοι, id est sonitus, scribunt δόχλοι, id est tumultus, ita: in faucibus tumultus multi, ut Dioscorides. Capito autem ita scripsit: Atque in faucibus ὠχροί, id est pallores frequentes. Prõpte siquidem ut persæpe est dictum, recentiores in obscuris libris ueteres scripturas pro arbitratu mutabant. At hæc quidem quoquo modo habeant

ſymptomata, mala ſunt: uidenturq́; ad præſentis dictionis ueritatem quippiam conferre. Sed iuſta eſt quæſtio quam ob cauſam adiecit, ſudores per ſomnos in his boni. Nihil enim eſt peculiare hoc pacto laborantibus, ut à ſudoribus per ſomnos duntaxat iuuentur. Nempe commune eſt commodis ſudoribus tum in dictis affectionibus, tum in cunctis aliis limitationes habere alias, ut ſi ex morbi coctione fuerint, ſi per uniuerſum corpus, ſi diebus iudicatoriis, ſi febres & ſymptomata ſedauerint. Sudores autem qui in ſomnis fiunt, uigilantibus fieri ſuperuacaneum. Quidam uero ſermoni opem ferre cupientes, ſudores in his qui conuellũtur, ob morbi robur fieri aiunt. Si igitur corpore tum exoluto tum relaxato, quod in ſomnis fit, id oriatur, ſudare hos ſecundum naturam eſt exiſtimãdum. Quod deinceps dicitur, maiorem habet dubitationem ſcribente ipſo, an & ſudore quam plurimos leuari non malum? nullam ſiquidem ambiguitatem habet, quod manifeſte eſt bonum. ſi minus, at prorſus certe non malum.

XXII.

DOLORES ſi ad infernas dilabuntur partes, facile ab his perferuntur.

Quòd quaſnam infernas dicat non adiecit, propterea geminam expoſitores fecerunt ſcripturam: alii ſiqdẽ εὔφοροι. i. facile perferuntur ſcripſerũt: alii autem δύσφοροι, id eſt difficulter perferuntur. Nã ſi ad thoracem, & os uentriculi peruenerint dolores, maiorem inducent tolerandi difficultatem, quàm cum in ceruice cubitoq́; eſſent: ſi ad crura, morboſam totam affectionem inſigniter iuuabunt.

XXIII.

QVI IN febribus ſudant cum capitis dolore ſuppreſſa aluo conuellentur.

Ex breuiſſima interdum expectatione conuellendos ſcribit. Nempe forſan ſemel quendam ita habentem conuulſum uidit, non ſæpius. Liber aũt fere totus ad inſaniæ conuulſionisq́; prædictionẽ expenditur. Si quis igitur authori crediderit, & in febre capite dolentes cum ſudore & alui retentione conuellendos enunciare auſus fuerit, ſępius admodum priuatus animi ſententia, ſemel petitum aſſequetur.

XIIII.

ARENIDÆ & liqdę deiectiones ꝑfrictiones q́; nõ ſine febre uitiũ habent. rigores exhis tũ ueſicã, tum uentrem prehendentes opprimentes q́; dolorem pariunt. an & his comatoſum conuulſionem quandam habere fuerim admiratus?

Ψαδύρα per, δ, attici ſcribũt, per, θ, uero ψαθυρὰ cæteri omnes, uocantq́; ψατυρὰς carnes quæ duris membranoſisq́; & ægre diuellibilibus atque mandi contumacibus contrario habent modo. tales autem maxime ſunt quæ à multis σαχναὶ appellãtur, diem unum uel duos à iugulato animali repoſitæ. ἔωλας autẽ eas græci uocare conſueuerunt, quaſi biduanas uel triduanas dixeris. & ἐωλίζειν ita ante putrefacere. hinc eduliũ ſumme recens ἐπιβραχὺ προσεωλισμένον, id eſt parum ad putrefactum, mortificatumq́; dicitur. Conſtat autẽ ex eo quod poſtea ita dictum eſt: Senibus ad finem accesſit. Ego igitur oſtendi quænam dicant homines ψατύρα, in eduliis, & non excrementis orationem habentes. Sed libri huius authorem æquum erat nobis dicere quænam excrementa ὑποψάθυρα, id eſt ſubarenida uocet, nempe quod mediocriter ψαθυρὰ, id eſt arenida, conſtat. Prorſus ſiquidem ad eum ſpectabat nobis oſtendere quænam dicat ὑποψάθυρα. Quũ autẽ prophetę uatesq́; ipſi inter ſe cõtrouerſi

existant, maior adhuc nobis, qui prophetæ non sumus, existit dubitatio. Nempe est qui liquida nũc simpliciter dici aiat. alius cum aquositate liquida, crassitiemq; & substantiam nullam habentia. alii ea tanquam pinguitudine uacua. alii ueluti non lenta glutinosaq;. alii nescio quod ipsis uisum sit, aiunt ea quæ humidis aliis olei instar non miscentur. alii in liquida deiectione biliosos & incoctos globos. alii autem quę facile dissoluuntur, ut si arenam aqua consperseris, deinde digitis componens constrinxeris, & mox ubi solueris diuulsam dissolutamq; dixeris. Videnturq; hi cæteris probabiliores esse. Eadem uero potestate dicunt qui non glutinosa esse aiunt. quæ quis composita, & una uoce dixerit ἄγλισχρα, id est non glutinosa. si enim ab arenulentis eduliis ad deiectiones transferre similitudinem liceat, probabilius fuerit dicere ψαθυρὰ alui excrementa esse quę de facili dissoluuntur, nullãq; habẽt ægre dissolubilem unionem. Talia uero excrementa fiunt, & à cibis qui arenulentã, & solutu facilem habent substantiam. Vidi ego quum in agro essem hortulani pueros frumenti quidem indigos, piris uero abundantes, talia deiicere. Qui milium panicumq; edũt, uel hordeaceos panes similia his excernunt. Si uero triticeos panes quis edens talia deiecerit, quòd tenuis & dissoluens humiditas excrementis permixta sit, quæ mutuam prohibeat unitionem est suspicandum. Dioscorides ut multa alia in obscuris libris prompte commutauit, ita & uerbum ὑποψάθυρα permutauit, fecitq; ὑποψέφαρα, appellariq; is ita ait subnigricãtia Nempe & tenebras ψέφας, dictas esse apud Pindarum. Post uero ψαθυρῶν, ut uaticinium uel coniectationem, uel temeritatem (nempe quòd quis in talibus tanquam certe nouerit, enunciet, temerarium existet) ad consequentes pergamus dictio-

nes. ex quibus prima est, perfrictionesq; non sine ardore, quod rursus ipsum certo nosse quid sibi uelit temerarii est hominis. Coniicientes uero & in hac re, ut in aliis libri huius multis fecimus, perfrictiones nõ sine ardore dici asseremus, cum quis superficie quidem perfrixerit, in imo autem corpore sentiat igneam caliditatẽ. Has igitur uitiosas esse ait. Quis enim cute quidem perfrigescentem, intus uero ardorem sentientem uitiose habere non nouit? etiam nõ quærentibus nobis an fragiliuscula deiecerit. Nempe scriptis in prognostico contenti ad dignotionem tum bonarum, tum malarum deiectionum, non fallemur. Deinceps autem in præsenti dictione scriptum est ita: Rigores ex his tum uesicam tum uentrem prehendentes opprimentesq; dolorem pariunt. Quærere igitur rursus nos hoc loco uult scriptor quidnam significet uerbum ἐπιλαμβάνοντα, id est prehendentia. Nempe antea ἀπολήψεις, ἐπιχέσεις, id est interceptiones & retentiones uocauit. Nunc autem qui ἐπιλαμβάνοντα scripsit, aliis quidem in re eiusmodi nomen ferre uidetur de interceptionibus retentionibusq;, quas ἀπολήψεις uocant: aliis uero quòd ueluti admodum extendantur indicare. Quòd uero dicitur dolorem pariunt, sufficit ostendere ægrotationem quãdam significari per uocem ἐπιλαμβάνοντα. In cæteris quidem operibus plurima eorum quæ dubitationem afferunt, ex illatis dignoscuntur: in hoc uero libro maior perpetuo priore infertur quæstio, quo modo & nunc cum inquit: An & his comatosum quandam habere conuulsionẽ fuerim admiratus? Nempe uel tale est quod ait in his quę dicta sunt, uel tũ omnibus, tũ cõsequẽtibus. Nã & id patet comatosam affectionẽ habere qppiã simul existens qđ cõuulsionẽ repræsentet, ueluti in quo quidẽ & ipsa ẽt simul existit, ꝙ præ-

dicta comatosum sequatur. Sed neutrū horum ne-
que est necessarium, neque ut plurimum euenit. &
quidem author ipse consentit. adiecit enim coniun
ctionem dubitandi, an. Deinde ipsi acclamauit cū
dixit, non admiratus fuerim? Nempe ita in com-
pluribus & fide dignis exemplaribus est scriptum,
ueluti & in aliis quibusdam nullo pacto scriptum
reperitur.

XV.

QVÆ IN acutis morbis uomendo trahuntur, uitiosa. atque albæ deiectiones difficiles. Lentore carentia ex his percurrentia multo cum æstu in mentis eunt aberrationem. ex his comatosi, torpidiq; postea fiunt. morbus ex talibus diutius manet. an & circa iudicationem arescētes difficulter spirent?

Quæ in acutis inquit morbis uomendo trahuntur, uitiosa sunt. tale autem quippiam & antea est scriptum: nosque in similibus similia dicere cogimur. Adiiciam uero nunc & illud, quod ante dictū non fuit, quum nauseam fieri dicebam, quādo ad expurganda quæ contristant, uenter cietur. Quidā & ob phlegmonen ipsius nauseabundam fieri affectionem dixerunt. quod in supradicto uniuersali sermone continetur. Nam si phlegmone sua propria ratione nauseam pariat, nunquam uenter phlegmone obsideri citra nauseam reperietur. Incidit autem huic symptoma eiusmodi quum phlegmone obsidetur, duobus modis, altero quidem quum tenues quædam humiditates ex inflammatis paruiculis ad interiorem ipsius capacitatem decumbētes, collectæq; in eo loco os ipsius contristauerint. Altero autem quū permixtio affectionum fuerit: duabus siquidem inter se complicatis affectionibus, per se in utraque fieri solet. Permixta igitur

phlegmonæ ea quæ nauseam parit affectione, propter alteram earum nauseantes ægri fiunt, non propter phlegmonen. Contingit autem nonnunquam ut ex moderatis nauseis uomitus statim incidat, nō nunquam sanè & conturbatio quidem plurima & frequens fiat, uomatur uero uel nihil, uel prorsus paucum. quod coniicere licet his uerbis, uomendo trahuntur, ipsum uelle significare, quæ in præsentis dictionis capite sunt posita. Prauum autem est, non ut signum tantum: uerum etiam ut causa, symptoma huiusmodi. Nempe quatenus succi malitiam excerni contumacem contineri in uentriculo ostēdit, eatenus signum prauum est. Quòd uero continuis lacerationibus uellicationibusq; uentrem afficiat grauetq;, ob id rursum tanquam causa ipsius erit, phlegmones quidem nondum existētis tanquam modo futuræ, eius uero quæ iam adest tanquam incrementum susceptura. Præterea albicantes, ut inquit, deiectiones difficiles. quod quidam ab antedicto seiungunt, cæteri copulant, coniunguntq;. Cæterū quod de prædictis antea diximus, idem & de his nunc dicimus. albæ etenim deiectiones fiunt non defluente ex hepate in uentrem bile. quod sanè & per se & cum dicta ante oratione constare potest. Quia uero author dissimilia multa inter se commisceat, legentes ob id ea & copulare, & seiungere abinuicem possunt. sed quod mox post albicantes deiectiones scriptum est: Lentore carentia ex his percurrentia multo cum æstu in mentis eunt aberrationem: inter ea quæ semel forsan uel bis usa sunt author, est, nullam quæ necessaria sit, habentia consequentiæ causam: sed, ut sæpius iam dictum est, quæ fieri possint, interdum quidē quod infesti transmittantur humores, interdū uero quòd diuidantur, atque aliquando quòd increscente affectione plures occupent locos. adde quòd neque

comatoſos eos fieri inter neceſſaria annumeretur; ſed contingentia. quod & ipſe confeſſus eſt cum inquit, an ex talibus comatoſi: uiſus eſt ſiquidem & id ſupra perpetuo adſcribere, ubi enunciare quppiam non audet. Cætera quæ deinceps ad finem uſque dictionis dicuntur, ſimilem habent abſurditatem, ut forſan iam ab earum quæ huic libro ſuperſunt, dictionum explanatione temperandum ſit. Nempe qui exacte didicerunt, tum quæ in libris Hippocratis ſcripta ſunt, tum quæ in ipſorum explicationibus ſunt dicta, hi cognoſcere poſſunt quænam ſanè ex ſignis ſcripſit, quæ prognoſticen æqualiter perpetuo habentem obtineant, quænam magna ex parte, & quæ ambigue, uel raro: atque amplius quas in ipſis pro maioris minorisve ratione continuerint differentias: ut nihil ope mea ad præſentia indigeant. Cæteris uero qui priuſquàm illa didicerint, ſeſe ad hæc conferunt, prolixiſſime in horum ſingulis orationis eſt neceſsitas, ut non tribus, ſed triginta opus ſit libris. Ego uero conſentientes ueriſimiles q; fide dignorum exemplarium ſcripturas in præſenti percurri dictione. Sunt uero & aliæ multæ ſcripturæ, aliæ aliter pro cuiusque arbitratu, ſed ad infinitam, ut dixi prolixitatem incidere cogar, ſi omnes memorauero.

XXVI.

QVÆ EX lumbis ad collum caputq; redundant, reſoluuntq; paraplectico modo conuulſiua & mẽtis uacillationẽ parietia. an & talia cõuulſione ſoluantur: ex his uarie ægrotant p ea profecti.

In hac quoque dictione eſt incertum quonam pacto legere nos uoluerit qui librum hunc ſcripſit. an ex ordine uniuerſa connectentes ſymptomata: deinde ab his dicẽtes, an & talia conuulſione ſoluãtur: an ad hanc uſque orationem, reſoluuntq; paraplectico modo, ſerie continuata legere, mox ſiſtentes rurſum poſtea dicere, conuulſiua & uacillationem mentis parientia. Nempe quidam hoc modo, alii illo legerunt. Deinceps etenim inquit, an & talia conuulſione ſoluantur? Conuulſiua conuulſione ſolui, inter abſurda eſt. prædicta uero ſolui conuulſione probabilius quis intellexerit (prædicta autem ſunt quę ex lumbis ad collum caputq; redundant, reſoluuntq; pareplectico modo) poſtea ſcilicet fieri conuulſiua, & talia reddita paraplegiam ſoluiſſe. Hæc ſiquidem ſenſum quendam habere uidentur, propterea quòd paraplegia affectio unius partis corporis talis ſit, qualis eſt paraplexia totius, huicq; aduerſiſſimum ſit ſecũdum motionem pathema cõuulſio. Nempe quum paretes affectas motu priuet paraplegia, conuulſio ad motionem agit naturali uehementiorem, ita ut uiolenter hæ concutiantur. quòd ſi obſtructio uel humidorum aut craſſorum aut glutinoſorum impactio in neruis fuerit, ob id paraplegia iuuare uidebitur. Quod uero in calce orationis dictum eſt, ex talibus uarie ægrotant per ea profecti: in quopiam id factum conſpexiſſe mihi uidetur. Nempe & ſemel ego ita affectum quendam, permutationemq; uarie ſeſe mutuo excipientium ſymptomatum habentem uidi. Fiebant autem & illi hæc prægreſſis lumborum colliq; & capitis doloribus, manus tota ab his ægre tum ſentiebatur tum mouebatur. ſicuti & in dictione dictum eſt paraplectico modo, quum non eſſet exacta paraplegia. mox ſuperueniens conuulſio ſenſiliorem eam atque ad motiones expeditiorem fecit. Placata autem conuulſiõe ſenſim rurſum deterior reddebatur. Deinde rurſus tum lumborum tum colli tum capitis dolore correptus uniuerſam ſubitamq; habebat paraplegię in manu adductionem, atque rurſus

postea non parum conuellebatur.

XVII.

CONVVLSIONES in hysterícis sine fe-
bre faciles sunt, ut Dorcadi contigit.

Et hoc in loco quod à nobis cognoscitur dictio-
ni adaptabimus: nihil ab ea discentes. Nomen si-
quidem εὐχερὲς, quod facile dixi, ambiguum quã-
tum in se est, existit. Potest enim quis intelligere ex
eo rationabilem earum quæ in hysterícis affectio-
nibus fiunt, conuulsionum generationẽ. Potest quo-
que & dici securitas ipsarũ & à periculo recessus.
Nihil itaque dictio nos docet: sicuti neque alius
quí ambiguus sit sermo. Qui in rebus quæ dicun-
tur, ueritatem scire præuertunt, uni ambiguitatis
parti conueniunt, interdum autem & duabus: quo
pacto & nunc hi legunt. Nẽpe mulieribus hysteri
cis appellatis, quæ strangulationibus uteri capiun-
tur, fiunt & continuæ totius corporis contractio-
nes conuulsiuæ, nec simile cæteris conuulsionibus
periculum habent. Sed quoniam & in magnis utẽ-
ri inflammationibus conuulsiones interdum assi-
dent, ab his nunc dictas separauit, adiiciens dictio-
ni ἀπύρως, quòd sine febre est. Nempe quòd ma-
gnas uteri inflammationes febres consequan-
tur, neminem latet. At non sæpius fiunt ex uteri
inflammatione conuulsiones. si fiunt, periculosæ
sunt.

XVIII.

VESICA intercepta, tum aliàs tum cum capi-
tis dolore conuulsiuum quippiam habet. Quæ
ex his cum stupore exoluuntur, difficilia existunt,
nõ tamen perniciosa. an & in mentis pellat uacil-
lationem quod huiusmodi est?

ἀπόληψιν, id est interceptionem urinarum,

tum deiectionum pro retentione appellare consue
uit. cõuulsiuum autem quippiam habere ait, quod
idem cum hoc est, posse aliquando conuulsionem
prouocare: & præsertim quũ dolor capiti aduene
rit. Fuisse siquidem neruorum principium in socie
tate affectus uesicæ ostẽdit. Quod uero postea scri
ptum est, Quæ ex his cum stupore exoluuntur, bi-
fariam est expositum. Nempe quidam de urinis di
ctum inquiunt, tanquam ex retentione cum stupo-
re excretæ sint. uolunt siquidem ἐκκλυόμενα, id est
quæ exoluuntur, dictum esse pro ἐκκρινόμενα, id est
quę excernũtur. alii uerbũ exoluũtur, de corporis
partibus dictum esse intellexerunt. alii de uniuerso
corpore. quasi sensione quidem torpens ipsum, uo
luntaria uero motione exolutum fuisse dixerimus.
Volunt igitur hæc δυσκολα quidẽ, pro ἀκίνδυνα
dici quæ difficilia & periculo uacãtia dicimus, non
tamen perniciosa. An uero in dictionis calce dubi-
tanter enunciet in demẽtiam pellere quod tale est,
necne, sæpius mentem ipsius didicimus in quibus
addubitat.

XXIX.

ANET ossium quæ in temporibus sita sunt,
pertusiones disiunctionesq; conuulsionem acer
sant? uel temulentum sauciari, uel sanguinem ua-
lenter erumpere in principiis si id faciunt, con-
uulsiua.

Quod in calce orationis dictum est conuulsiua,
in exemplaribus quibusdam adiectum non est. ne-
que si non adiectum sit, quantum ad intelligentiam
rei spectat, quippiam refert. quia sub eo intelliga-
tur, quod principio dictum est, conuulsionem ac-
cersant? Dilucide igitur hoc in loco idipsum quod
in unoquoque ægrotante apparuit, demonstrauit,
cum iustum esse sibi scripturam interpretari uisum

fuerit, interdum quidem tanquam uniuersale enuncians, interdum uero addubitans. sicuti & nunc in aliquo cui os capitis positum in temporibus traiectum intercisumq; fuit, qui temulentus sauciatus est, confestimq; erupit uehementer sanguis, & tandem est cõuulsus. Quum ergo tria ipsi euenerint, unum quidem ossis temporalis traiectio, alterum quòd temulento id factum sit, tertium uero sanguinis eruptio, inquirit à quonam horum sit orta conuulsio. cui respondebo facile. Nam de ossis temporalis discissione ait Hippocrates: Quòd plagæ temporibus inflictæ letales sunt & perturbantes. quòd item in conuulsionibus distẽtionibusq; temporum musculi primi patiuntur. De ebrietate uero aphorismum illum dixit: Si ebrius quispiã repente obmutuerit, conuulsus moritur. De sanguinis autem eruptione, quòd conuulsio à repletione fiat, uel uacuatione, non autem totius corporis, sed neruorum ipsorũ. quo fit, ut ex sanguinis eruptione haudquaquam contrahantur, nisi refrigeretur, uel propter præsentiũ incuriam, uel quòd sedare uelint fluxionẽ sanguinis ꝑ refrigerantia remedia.

XXX.

IN SVDORE sputa præterfluentia febrienti ægro leuia. An ad dies aliquot uentres humectentur? arbitror. an his abscessus in articulum futurus?

Quidam dictionis antecedentis finem principium huius efficiunt, bifariam. alii quidem cum articulo τὰ σπασμώδεα, id est conuulsiua in sudore sputa præterfluentia. uerũ quod ad intelligentiam ipsam attinet, nihil interest siue adiectus, siue ademptus fuerit articulus. qui uero deinceps dictis, conuulsiua, præordinant magnam faciunt sensus permutationem. Atq; adhuc magis scriptura alia, quã

recentiores quidam moliti sunt, pro ἐν ἱδρῶτι, id est in sudore, nomen compositum, ἀνιδρωτὶ, id est non in sudore, & absque sudore facientes. Si igitur non sæpius in dictionibus multis, quæ nihil conferant ad prædictionem pro conferentibus adscripsisset, confestim culpassem eos qui dictioni, conuulsiua, præscribunt, præordinantq;. quum uero & ipse adiecerit quod nihil cõferret, ignosco his qui conscripserunt, conuulsiua, quãquam ad præsentia nihil quod effatu dignum sit, conferat. siquidem in febribus cum sudoribus non iudicatoriis præterfluentia sputa ob copiam immoderatam uel uirtutis imbecillitatem oriuntur. atq; ob id sunt εὐήθη, id est leuia, quasi εὔτροπα, id est non contumacia & uersu facilia dixerit. Absurdior autem fuerit intelligentia si ἀνιδρωτὶ, id est non cum sudore scripserimus. quanquam qui scripturam antiquam permutauerunt, tanquam sapiẽtius quippiam inuenissent, ita scripserunt, pro ἐν ἱδρῶτι ἀνιδρωτὶ facientes. Orationem autem hanc, an ad dies aliquot uentres humectentur? in ægro factum id uidelicet conspicatus ita scripsit, an multis euenire id possit, inquirens. Nihil autem certi, quãtum ex dictis est, quod ipsi respondeamus, habemus. Nempe quo pacto tali in ægroto cætera habeant, limitare oportet, de quibus dixit nihil. Modus idem est de futuris in articulos abscessibus. Constat enim quibusnam ex signis talia definire oporteat: & quibus in præsentia nihil dictum est.

XXXI.

QVÆ CVM tantula ferocitate in desipientiam pellũt, melancholica. si uero à muliebribus fuerint, ferina. amplius autem incidunt hæc. an & hæ conuellantur? an cum caro quoque aphoniæ cõuulsiuæ? quo modo coriarii filiæ obuenit. cœpit autem malum præsentibus menstruis.

Quānam appellet melancholicam desipiētiam dixi antea. Nam is dictionis eiusdem quam nunc retulit, scripsit principium. Præsens uero sermo, ut author fatetur, est ꝙ coriarii filiam ex menstruorū retentione ferociter delirasse conspexerit. demonstrauit autem per uocem hanc melancholici intentionem. Prompti siquidem ad inferenda propinqs mala, qui ex melancholia delirant. ubi autem ingētia mala designant, ferinas desipientias appellat. Sed quòd ex purgationis menstruorum retentione talis oriatur desipientia, neque prorsus uerum neque magna ex parte. Nam si melancholicus fuerit sanguis, atque in cerebrum ierit, desipientiam huiusmodi parit. Si uero biliosus, non talem sed consuetam familiaremq́; si copia pituitæ fuerit, cataphoram lethargumq́; magis efficiet. si uero mixtū ex his, mixtam etiam affectionem ex cataphora & uigilia, uel desipientia conficiet. ut autem horū nihil uniuersale ipsis inest: sic neque consequentium aliquid quæ coriarii filiæ euenisse scripsit.

XXXII.

QVIBVS conuulsis oculi fixæ relucent, non apud se hi sunt, diutiusq́; ægrotant.

Quidam pro παρ' ἑαυτοῖσι scribunt παρὰ σφῖσιν αὐτοῖς. sed quòd utraque oratio & παρὰ σφῖσιν αὐτοῖς εἶναι & παρ' ἑαυτοῖσιν εἶναι de his dicatur, qui tum intelligunt tum sentiunt, cuiuis patet. οὐκ εἶναι παρ' ἑαυτοῖσιν autem est non intelligere, sed mēte circumagi distrahiq́; iudicium. sed quòd nota habeatur ex oculis fixe relucētibus ut ex aliis quibusdam, ignorant. satis uero fuerit in eam rem quod ab eo dictum est: Oculi ferocitas desipientiam indicat. quo modo & idiotis ipsis dilucet qui non prorsus stupidi existunt. Nempe quòd id semper subaudire oporteat, constat omnibus. Vocamus siquidē in eiusmodi omnia testes idiotas, qui rudes tum existūt, tum uocantur, sed maxime quidem si fieri possit, natura prudentes: si non, mente desides ignauosq́;. In præsenti uero sermone supra modum relucere oculi ponūtur: quod per se ipsum signum irascentium erat. sed forsan id oculo ἀτενεῖ, id est fixo contentoq́; quod est θρασεῖ, id est feroci concurrens uehementiorem indicabit fore desipientiam. Superuacue autem ad prædicendum quòd deliraturi tales sint, conuulsorum meminit. Nam & sine procreari potest desipientia, & præsentibus his non procreari. Aegrotaturos autem diutius & temere magis dictum est. Nempe in quibus conuulsis fixe ferociterq́; relucent oculi, hos acute ægrotaturos, non diuturnius, rationi est consentaneum.

XXXIII.

SANGVINIS ad latus diuersum eruptiones malæ, ut si quum lienis magnus fuerit, dextra ex nare fluat. atq; res in hypochondriis ita habet. cum sudore deterius id existit.

Si quippiam aliud sæpius contingere ipse uidi, ita & hoc. Videtur autem, & Hippocrates ex multa experientia, quā ex particularibus sibi fecit, uniuersalia collegisse. Nempe & in epidemiorum libris ægrotos scripsit multos, alios quidem quibus sanguis salubriter erupit, alios uero quibus insalubriter. Causam horum alibi enunciantes considerauimus. Nunc id nosse satis fuerit, quòd qui asserūt quo modo ex hepate caua uena sursum per thoracem fertur, ita & ex liene aliam ortam partibus distribui sinistris, non uera dicant. quum una sola uena sit quæ ex partibus septo transuerso inferioribus ascendit. Quæritur autem non sine ratione ab expositoribus quam ob causam uerbo, lienis, adie

cerit,magnus:aiuntq; qui maxime probabilia dí-
cere uiſi ſunt,in paruo liene non admodum mani-
feſtam eſſe in utraq; uel præſidii uel offenſæ incli-
nationem.Ego uero ſermoni adiectum eſſe exiſti-
mauerim uerbum,magnus, quaſi uel tumefactus,
uel in molem aſſurgens, uel phlegmone obſeſſus
adſcripſerit. Nam ſi lienis ſimpliciter ſcripſiſſet,
rurſus alia oriretur quæſtio,quonam uitio lienem
affici dicat.Si igitur hoc non inquiramus ,ſed no-
bis cõſtet in omni tumore præter naturam lienem
fatigante in latus diuerſum ſanguinis eruptionem
nocuam eſſe,limitationis gratia uerbum,magnus,
adſcripſit.Exemplum autem hoc ipſum uidelicet
de liene omnium commune eſt,quibus ad latus di
uerſum ſanguis erumpit.atque ob id ſermoni ad-
ditur aduerbium,ut,perinde atque ſi ita dixiſſet,ut
ſi cum iecur magnum fuerit,ex ſiniſtra nare erum-
pat ſanguis.Cæterum ita à liene tanquam exẽplo
ad iecur tranſire in promptu eſſe arbitratus, iecó-
ris non meminit.Quòd autem à uiſcere ad uiſcus
migratio fieri poſſit,adiecit hypochondrium, in-
quiens: Atque res in hypochondriis ita habet, ne
tantum ex uiſceribus directas ſanguinis eruptio-
nes bonas eſſe exiſtimemus,uel malas quæ in la-
tus diuerſum fiant,ſed etiam ex hypochõdriis ip-
ſis.Quum autem uitioſa ſit quæ in latus diuerſum
fiat ſanguinis eruptio,deterius adhuc fuerit ſignũ
ſi cum deſudatione contingat.ἐφιδρωσαν autem,
id eſt deſudationem iam ſæpius quidem in hoc
ſcripſit libro : ſed nuſquam ita lucide ut cognoſca
mus nunquid ſudores circa thoracem caputq; ap
parentes ita appellet,an eos qui toto emanãt cor-
pore,ubi tum pauci , tum nihil conferentes ſint.
Prauum autem utrunque horum eſt : deterius au-
tem quod in ſuperis ſit partibus . Nempe cum
omnis deſudatio demonſtret uel copiam in ſudan-

tibus partibus, uel facultatis retentricis imbecilli-
tatem, utrũcunque eorum in locis tum thoracis
tum capitis fuerit,deterius eſt ſignum quàm ſi in
alia quapiam parte fuerit.

XXXIIII.

EX NARIBVS exiguo cum ſudore perfri-
gefcentia maligna prauaq;.

Rurſus hoc loco interpretatione eſt uſus , non
adiecto orationi ex naribus perpetuo erumpenti
ſanguine,quod nos de neceſsitate ſubaudire opor-
tet,propterea quòd nihil aliud intelligere uelea-
mus.Fiet autem ſermo integer,ſi ita interpretari li
ceat : ſi ex naribus ſanguis erumpat,quum ſudo-
res uel fuerint uel ſuperuenerint , perfrictionem
quidem aiunt malum indicare morbum.At quum
perfrictio tum in extremis fiat,tum per totum cor
pus ,' grauior certe difficiliorq; quæ per totum
corpus eſt.

XXXV.

POST SANGVINIS eruptionem deie
ctiones nigræ,malæ.prauæ autem & impenſe ru
bræ.an & quarto die talis eruptio fiat ? comatoſi
ex his conuulſione finiuntur.an nigris procurren
tibus & tumefacto uentre?

Rurſum & hoc loco ut in aliis multis ſermo-
nem manifeſtum utilemq; ab Hippocrate dictum
cõſtat.Eſt autem ipſius primum quidem uniuer-
ſale huiuſmodi: Iudicatoriorũ non iudicantiũ alia
quidem letalia , alia uero difficilem faciunt iudi-
cationem.Quum autem iudicatoria multa ſint,in
horũ ſingulis ſuus eſt ſermo.particularis quidem
ad eum qui dictus eſt relatus : uniuerſalis uero ad
ſubiectos ſubordinatosq;,qualis & talis : Sangui-
nis eruptio nõ iudicans,uel mortalis,uel iudicium

reddit difficile. Ita sudor, uel copia tum urinarum, tum deiectionum, tum uomituũ uel quæ per hæmorrhoidas uel uterum excernũtur, & parotides, & cæteri abscessus. Omnia siquidem hæc si non iudicant, interdum quidem letalia, interdum uero ἀδυ'σκριτα. id est ἄκριτα ποιεῖ τὰ νοσήματα. id est morbos iudicationis expertes faciunt. Communissima autem ex his efficitur oratio uniuersalissima generalissimaq; (uocet enim unusquisq; pro suo arbitratu) iudicatoriorum non iudicantium alia quidem letalia, alia non iudicabiles faciunt morbos. Præstat autem hoc loco quando sint letalia, & quando non iudicabiles faciunt morbos, definiuisse, id quod ab Hippocrate ipso est demonstratum. Quæ nanq; ex iudicatoriis nihil iuuant, sunt iudicatu difficilia. Quæ uero etiam in contrarium repunt, sunt letalia. Iam quæ ad contrarium inclinant, aliis ex signis certitudinem capiunt: quo modo & malignas scripsit hoc in loco deiectiones. accideritque aliter cuipiam altera talis affectio maligna, ut uomitus, uel prauę urinę, ueluti & perfrictio quæ cum difficultate excalfieri possit aut totius corporis aut extremarum tantum partium. sic etiam profunda sitis, æstusq; & caligo & implacabilitas & uigiliæ, atque prauorum aliorũ quippiam. Didicisti uero hæc eadem omnia ex commentariis de iudicationibus atque ex prognostico, quædam item ex epidemiis. Scripsit certo & hoc loco seruonem uniuersalem particularium speciem unam commemorans. Nempe qui modo artem ediscit, putat sola hæc maligna esse de quibus audiuit. Si uero acri est ingenio, potest & alia quædam talia esse suspicari, tempusq; expectare aliud in quo & ipsa perdiscat. Quòd si non ita didicerit, sed quæ particularia exist ũt, rursus expectabit inscius quantum doctrinæ adhuc ipsi desit. Qui uero uniuersale didicerit,

le didicerit, particularia omnia cognoscit. At qui prorrheticũ hoc scripsit, in particulari uersatur. atque ob id interdum quidem ex diuersi generis symptomatis concursionem aceruat: interdum uero ex uno ægro aut duobus uniuersaliter pronunciat: atque aliquando addubitat ambigitq; . quomodo & nunc inquiens, An & quarto die talis eruptio fiat? Nempe quòd quempiã uiderit cui quarto die sanguis erupit, omisso nomine sermonem fecit, quanquam dies ipsi uniuersalem in prognostico habent disciplinam. Rursus autem particularia enuncians prorrhetici author, nõ tanquam particularem, sed tanquam uniuersalem fecit sermonẽ, scribens, ita: Comatosi ex his cõuulsione finiuntur, non necessario fieri inquiens, sed interdum contingere, ueluti & aliud quippiam inutile quod habet generationem, sed id quidé simpliciter enũciauit. De nigris autem procurrentibus & uentre tumefacto, respondemus ipsi & hic posse quidem & ea fieri: sed neque perpetuo, neque ut plurimum.

XXXVI.

SANGVINEM profundentia cum desudatione uulnera mala. loquentes ita affecti occulte pereunt.

Quidam πρώ'ματα, id est uulnera per, τ. & ,ρ, &, ω, primã syllabam scripserunt. alii autem. προμω'δεα per, τ, ρ, &, ο, & usitatissimę quidem scripturæ hæ sunt tum exspositoribus tum scriptoribus, sed concursionibus raræ existunt. ueluti & quæ primam syllabam scriptam habet per τ, ρ, α, &, υ. Exordiendum igitur est & nobis à consueta usitataq;, quam per τ, ρ, &, ω, scriptam reperimus. & quæ idem significat cum ea quæ per τ, ρ, α, &, υ, scribitur. Nempe πρώ'ματα læsiones eas appellat etiam Hippocrates, quæ ab externis inferuntur causis. fecisse

igitur in præsentia sermonem non solum in uulneribus uel exanthematis, uel abscessibus, uel diuisionibus: uerum quoque & in sanguinis eruptionibus, par est. quin & in uulneribus: consonant enim magis hæc, quũ sola hæc sanguinem profundant. Quidam scriptorem hunc etiamnum de sanguinis è naribus profusione nunc agere dicũt, non in febribus solum: uerum quoque & in nuper dictis affectionibus † interficere. Siue igitur de omnibus his sermo sit, siue de uulneribus duntaxat, sanguinis cum desudatiõe profusiones malignę sunt, nec dissimili modo si & τρομώδεα, id est tremores scriptum fuerit. illud autem: loquentes autem eos occulte perire, tale quippiam indicare aiunt. quòd tales nihil mali habere uidentur: sed tanquã extra periculum constituti & præsentibus loquentes repente pereant. Quòd si aduerbium λαθραίως id est occulte hoc uelit ipsis significare, naturalem interpretationem alienis metaphoris permutare summopere studere uidentur. Putant nanque uirtutem esse orationis semper à communi loquendi consuetudine recedere: perinde ac si nihil referret si quis uel ad deterius recedat.

† In ant. cod. manuscriptis non reperitur θανατοῦν .i. interficere.

XXXVII.

POST MODICAM sanguinis eruptionem nigramq; deiectionem in acutis morbis surditas malo est. sanguinis deiectio in his perniciosa. surditatem uero soluit.

Continetur in hac syndrome uerum quippiam & uniuersale. Nempe in acutis morbis, nigris ex deiectionibus si sanguinẽ deiecerint, perniciosum uere existit. id quod & nos scimus & cæteri qui in artis operibus cõsenuerunt. Atqui symptoma esse uidetur eam secundum rationem qua in superpurgationibus ultimum excernitur quod sanguineũ

est: sed particulariũ est in qbus scriptor nominauit.

XXXVIII.

LVMBIS dolentibus stomachi dolores accedentes signa eruptionis sanguinis puto notamq; prægressam.

Non recte explanauerunt dictionem hanc plerique qui in hunc librum commẽtarios scripserunt: simulq; & pugnantia dixerunt. Videtur autẽ mihi quidam eam in discentium utilitatem exposuisse: sed hoc modo non meminit febrium uel acuti morbi ut consueuit. Vt ergo sermo eius in non febrientibus sit, uerisimile est: ex nulla manifesta causa plures consequentes dies lumbis dolentibus atque ore uẽtris. In his igitur uacuationem per hæmorrhoidas expectare oportet. Posses autem non solum id fore prædicere: sed & propter hæmorrhoidum retentionem ea fuisse coniicere: magisq; si eius qui hæc patitur, temperaturam uideas melancholicam, ut tibi ex dictis prædictio non solum futuri, uerum & præteriti & tertio præsentis sit. Nempe cum ab aliis distinctus fuerit lumborum & oris uentriculi dolor, præteriti quidem erit prę notio, ꝙ & antea fuisse illi per hæmorrhoidas uacuationem noueris. futuri ꝙ & nunc erit, præsentis autem affectionis perspicua sunt symptomata. Nẽpe copia in uenis aceruata tenue quoddam serum in uentrem confluens cardialgias parit in os ipsius ascendens, quòd omnium ferè partium maxime sentiendi facultate præstat. Bona autem abundantiæ portio ad inferum repens locum, in quem & primũ deferri cõsueuerat, lũborũ dolores efficiet.

XXXIX.

QVI statis certisq; temporibus sanguinem profundunt. siticulosi hi, difficiles & exoluti si nõ profuderint, epileptici moriuntur.

Hoc rursum loco satis erat uniuersaliter dicere, primum quidem quibus uacuatio sanguinis consueta retenta fuit, his morbos fore plethoricos, manante ipso ad eas corporis partes quæ rententis excretionibus propinquæ sunt, uel ad eas quæ imbecilliores existunt. particulatim uero de iis qui ex hæmorrhoide, ut pote excrementis existentibus melancholicis alunt uel melancholiam, uel phthisin, uel hyderum, uel scirrhos, uel cancrum, uel elephantem. præter hos autem unicuique in ea parte fore affectionem quæ cæteris manifeste imbecillior existit. Nō recte autem duorum symptomatum concursionem adiecit, sitis & exolutionis in sanguinis retentione. Nam sitis nullo pacto retentionis sanguinis proprium existit: exolutio autem immoderatas excretiones non retentiones consequitur. & recte dictum est in secundo epidemiorū: Sanguine multo fluente lassescere. ubi & quod ex uoce exolutionis significatur, exposui.

XL.

QVI COMPOSITI perturbantur, pernigilant, naribus stillant, sexto die leuantur, nocte laborant, postridie sudant, in somnū feruntur, delirantq;, abunde sanguinem profundent. an & aquosa urina tale quippiam indicat?

Dilucide rursus hoc loco ostendit quod in particularibus apparet concursionibus. Nempe profluuii sanguinis peculiaria sunt signa clare in commentariis de iudicationibus deinceps scripta. Nūc autem in homine q abūde sanguinē ,pfudit, omnia quæ sanguinis profusionem antegrediūtur scripsit.

XLI.

QVIBVS sanguinis eruptio multa fuerit, procedente tempore aluus male afficitur, si non urina concocta fuerit.

» Dixit in aphorismis Hippocrates: Quibus in
» febribus sanguinis quacunque ex parte copia eru
» perit, cum reficiuntur, alui his humectantur. hic autem simpliciter inquit πονήρως ὄντας, id est male afficiuntur. forsan in uerbo male afficiuntur, completi uolens & humectantur, & quæcunque in uentre perperam fiunt. aliis siquidem morsis, aliis inflatis, uel ructu acido correptis, uel prorsus nō coquentibus. Omnia autem caloris natiui inopiam consequuntur, ob quam & urina aquosa uidetur.

XLII.

IN IVDICATORIIS perfrictionibus sanguinis eruptiones uehementes pessimæ.

Conspicuus est sermo, nullamq; quæstionem habet si uehementes & pessimæ scriptum fuerit. si uero ut nonnulla exemplaria habent pro κακίστως, id est pessimę, scriptum fuerit κράτιστως, id est optimę: maxima oritur quæstio, quod defendentes nonnulli tale quippiam significari aiunt: quæcunque sanguinis eruptiones uehementes refrigerantur in iudicatoriis diebus optimæ sunt, tanquam refrigeratio sanguinis eruptiones retineat. Hi autem non scriptam enarrant dictionem: sed alteram qua ita dici oportebat: Quæ in iudicatoriis diebus fiunt eruptionum sanguinis uehementium refrigerationes, optimæ sunt. Adde quòd frustra additum sit, iudicatoriis diebus. Nempe quocunque die sanguinis eruptionibus uehementibus perfrictiones aduenerint, sanguinis eruptiones sistunt.

XLIII.

CAPITIS affecti grauitate, & sincipite dolentes, pernigilesq; sanguinem profundunt, tū aliàs, tum si quippiam in ceruice tendatur.

Sanguinem profundunt quidā & in huiusmodi

concursionibus, sed non multi.

XLIIII.

QVI PERVIGILAVERINT, repete cum ingestatione quadã sanguinẽ ꝓfundũt,tũ aliàs,tũ si quippiam nõ ante fluxerit.an & ubi ꝓfrixerint?

Concursioni quoque huic sermonem adiiciam eundem,quòd quidam horum sanguinẽ profundunt in capitis doloribus.

XLV.

CERVICIS dolores, impense rubri oculi,sanguinis eruptionem ostendunt.

Vere hæc quòd sæpius ad sanguinis eruptiones concurrant,inquit:cætera uero quæ ante dicta sunt,raro concurrunt.In re eiusmodi magna præstant uirtute impense rubri oculi.

XLVI.

QVIBVS uẽter tẽditur,sanguinẽ hi ꝓfundũt, superrigentq;.an uẽter intestinoꝝ incurrat lęuitatẽ,fiatq; durus,uel ascarides fatigent,uel utrũq;?

Verbum αἱμορραγέει, id est sanguinem profundũt,authorem uelle intelligere sanguinem è naribus fluere sæpius non semel ostendi. arbitrorq; eum adnotasse aliquem qui suppressa aluo sanguinem profuderit,deinde superrigerit,& postea intestinorum lęuitate correctus sit.Sed ꝙ aluus cum intestinorum lęuitate induruerit,controuersiam habet manifestam.Nempe quidam duritiem in ipso uentris corpore intellexerunt,non in excrementis. alii nihil id prohibere inquiũt:aliis quidem in sanguinem profundentium adhuc magis q̃ antea suo perinduratum esse uentrem.aliis uero contractam intestinorum lęuitatem,ueluti & habere ascaridas. Alii fieri posse inquiunt lienteriam duram,si quæ

permeauerint non solum qualitate uel inuertibilia, uel immutabilia manserint,uerum quoq; & dura, qualia deuorata sunt,citra ullam madefactionem. Dioscorides præsentem dictionem in duo secans seorsum quidem scripsit, quibus uenter tenditur, sanguinem hi profundunt,& superrigent.an ad sanguinis profusionem tale consequatur?deinde principio altero inquit, uenter intestinorum lęuitate correptus,uel durus,uel ascarides, uel utrunque. Scribit autem non ἐπίσκληρος sed ἐπίσκληρον per ν, & iuxta illud superne impones ν, utrunque pũctis includit,uult autem per uocem hanc ἐπίσκληρον, corpus induratum significari.

XLVII.

QVIBVS ad caput manusq; ex lumbis fit recursio,stupefacti hi,uentriculi ore dolentes,& saniosi sanguinem abunde profundũt,uenterq; turbatis his copiose fluit.

Diligenter rursum hoc consideres loco authorem,qui concursiones ita scribit, ut in quibusdam sanguinem profundentibus uidit. Et si quæ à me sunt demonstrata memoria tenueris,iudicare ipse quænam superfluę scripta sint sanguinem profundentibus facta indicia,poteris.Cætera quidem dictionis similiter quamplurimi scribũt.quidam uero non ἰχωρώδεις,id est saniosi:sed χολώδεις,id est bilioſi scripserunt.Si uero eorum quæ supra dicta sunt memor fueris,quonam modo utrunq; defendi possit,non ignoras.

XLIX.

QVIBVS ex copiosa sanguinis eruptione & frequenti,nigrorũ multorũ est deiectio, & tẽsio, sanguinẽ hi ꝓfundũt uẽtre dolẽtes.cũ quadã uero fluxiõe facile ferũt.An hi sudores frigidos habeãt multos?returbata his urina mala nõ est,neq;

quod residet genituræ simile. frequentius uero meiunt aquosa.

Conspicatus quoque hæc omnia, uniuersale in de comprehendisse ostendit, quòd singulorũ quæ dicta sunt, uires non cognouerit. quæ tibi constant, si es memor eorum quæ dicta sunt tum in his commentariis, tum in his quos in prognosticum fecimus, tum in libris de iudicationibus. Meditationẽ quoque eorum exercitationemq́; in epidemiis perdidicisti. Lectis autem aut semel aut bis talibus, ut memoriæ tuæ confisus à reliquo temperes non oportet. Vix enim eam tum facilem tum promptam habebit, qui etiam assidue in omnibus uersetur commentariis.

XLIX.

QVÆ EX naribus cum surditate & ignauitate parua est stillatio, difficile quippiam habet, uomitus his confert, uentrisq́; perturbatio.

Nescio quo modo paruum malum esse intelligat saguinem è naribus stillicidii instar fluentem. Nempe orationem ἔχει τὶ δύσκολον, id est difficile quippiam habet, in paruis dicere homines consueuerunt, sed non paruum id malum existit etiam si absque surditate ignauitateq́; fuerit. Quum his quæ cerebrum affectum esse indicant, letale signum erit sanguinis è naribus stillicidii instar fluor. An uero uomitus uel uentris perturbatio his conferat non potuit simpliciter absque distinctione pronunciari. Distinctio autem est quibusdam morbi in principio si uires ualentes, uel sanguinis redundantiam habeant, uel pituitæ, uel alterutrius bilis. † Nam si ualenter excernant, sanguinisq́; redundantiã habeãt, quòd sectione uenę nõ uomitu uel uentris perturbatione indigeãt, neminem latet.

† In cod. manuscriptis legi ὑγαρ ἰσχυρῶς κενοῖ. i. nõ. n. ualide uacuat.

Quòd uero in uomitibus uentrisq́; perturbationibus antea est dictum, patescit: quũ medicus uomitum ciere & uentrem perturbare uolens non de his quæ à natura fiunt enunciet.

L.

QVIBVS ex rigore febres laboriosæ fuerint, muliebria his decurrunt, ceruix autem in his dolens sanguinis indicat eruptionem.

Mulieribus quoq; recte ualentibus etiam citra rigorem cum febre mẽstrua fit purgatio, siue cum sensione quadam laboriosa. Quum igitur & rigores fuerint, maiorem totius corporis motionẽ parientes, & sanguine in eo redundante naturam ad superflui uacuationem excitent, magis utique muliebrium, id est menstruarum purgationum uacuationem fore spes est: si & purgationis quæ per circuitum repetit, tempus adfuerit. Si uero ceruix ex prædictis doluerit, uergentis ad superas partes humoris signum constituitur.

LI.

QVIBVS per nares quoq; spes est, ut per caput concutientia sonitusq́; sanguinem profundant, profundunt hi, uel muliebria deducuntur, tum aliàs, tum si spinæ æstus consequatur. forsan & id dysenteriam facit.

Rursus hoc loco nomen' unum adscripsit anceps ambiguumq́; totam dictionis seriẽ quæstionis cuiusdam opus habere efficiens. Nempe quænam sint caput σείοντα, id est concutientia, obscurum admodũ uidetur. Quidam enim capitis symptomata omnia ita dicta esse inquiunt: inuenta generali quadã hac uoce ab eo, ut antea cum de uentre ageret, uocem hanc πονηρεύεσθαι, id est male affici inuenerat. Alii in palpitationibus pulsationi-

busq; temporalium uenarum, uel tremulis, uel quodam modo uibrantibus, motionem quandam totius corporis. hæc igitur caput concutientia mouent interdum & sanguinis è naribus eruptiones, ueluti & menstrua. Sperat autem id fore magis, si mulier sensionem æstus ardorisq; circa spinam habuerit. Potes autem contristantium humorum ad caput impetum asserere, nisi per uterum uacuétur, uel dysenteriam procreent.

LII.

VENTRIS quoque palpitationes cum hypochondrii tensione sublonga, & tumente, sanguinis indicant eruptionem. inhorrescunt autem hi,

Incertum est de quonam symptomate dictum sit παλμῶν, id est palpitationum nomen. Nempe præter id quod neque appellationes antiquorum aperte discretæ sunt, ut & ostendit liber de palpitatione, in quo de arteriarum pulsibus disseritur, sic & libri huius author ad nomina constituenda uel ex abusu uel metaphora promptus exiitit. Non ignoramus autem quòd cum Hippocrates in prognostico diceret: Si uero pulsus in hypochõdrio insit, subintulit: perturbationem aut dementiam indicat. Cæterum & ibi quidam intellexerũt pro pulsu palpitationem dictam esse. nonnulli uero prorie de uehementi spinã perreptantis arteriæ motione. Quanquam autem & hi palpitationem scripserunt, non tamen sanguinis profundendi signum indicatorium pulsum hunc esse enunciauit in prognostico Hippocrates. Sed postea de hypochondrii inflammationibus scribens sermoni adiecit: Fit autem his & sanguinis per nares eruptio, & ualde iuuat. atque ut magis fore quis ex naribus sanguinis eruptionem speret, interrogandos esse

ait an capite doleant, aut oculi caligent. Nam si horum quippiam fuerit, in eam partẽ sanguis repet. Vt autem bene Hippocrates in hypochondrii inflammationibus dixit: Fit autem his & sanguinis per nares eruptio: sic hoc loco sermonẽ ex uniuersali in particularem transtulit, inquiens, cum hypochondrii intentione sublonga. fuerit autẽ ob sanguinem tensio ea mediorum musculorum qui à thorace ad pubis ossa pertinent. † Sed nemo phlegmonas huiusmodi quæ cum palpitatione fiant, hæmorrhagicas esse dixerit. *Phlegmonas uero hepatis, cæterorumq; hypochondrii musculorum (sex enim reliqui à duobus prædictis existunt) bene quis hæmorrhagicas affirmauerit. Quòd ergo in dictionibus multis libri authorem redarguerim, redarguere quoq; & nunc non pertimescam, qui scilicet particularium enunciationem multam fecerit, breuem autem & ueram doctrinam uniuersalium reliquerit. Præterea in calce dictionis adiecit, inhorrescunt autem hi, tanquam uniuersaliter his cõtingens, quanquam uniuersale non sit. fit enim ex talibus concursionibus interdum & hoc symptoma: perpetuo autem uel magna ex parte non fit. Scribenda uero sunt in prorrhetica doctrina quæcunque uel perpetuo, uel magna ex parte fiunt. ut si in proposito ueluti exemplo sermo manifestus fiat: si quis dixerit inter musculos abdominis octo numero existentes, medios rectos hæmorrhagiæ indicantiores cæteris esse, plus edocebit quàm qui hæmorrhagias superuenire dicunt. Si uero simpliciter solos hos dixerit inflammari, si & aliud quoddam hæmorrhagicorum signorum his superueneriit hæmorrhagiam, infert.

† Fit autẽ & lienis, sublonga phlegmone. Hæc sunt addẽda ex græco.

* In cod. manuscr. nõ est hæc patis: sed pro ὀ᾽ἡ᾽ πατις. ὀἡ᾽ πο π.

LIII.

QVIBVS è naribus copiosa uiolẽta, & multa

fluunt,ad conuulsiones hi interdum deducũtur. uenæ autem sectio soluit.

Si in huiusmodi sanguinis eruptionibus cõuulsionem ascisci simpliciter dixisset,hominem reprehendissemus quòd ut in cæteris multis ita & nunc particulare tanquam uniuersale pronũciasset: quia uero,interdum,apposuit,laudamus & uera loquitur. Nempe & nos sæpius uidimus in hæmorrhagiis huiusmodi conuulsos aliquos non solum ob exuberantem purgationem,quam ὑπέρκωσιν uocant:,sed etiam propter refrigerationem, si medici caput refrigerauerint sanguinis profusionem retinere uolentes. Quod autem in dictionis calce dictum est,uenæ sectio soluit,tale quippiam indicare uidetur: Tales affectiones in quibus uehementer sanguinem profundunt,uenæ sectio soluit ante sanguinis profusionem exhibita. Cõstat autem quòd grauata sanguinis multitudine natura excitata quidem sit ad ipsius euacuationem,sed modum obtinere non ualens,uocatam à recentioribus medicis ὑπέρκεισιν, id est superuacuationem fecerit. Postest autem& uehementis ipsius hæmorrhagiæ auxilium sectionem uenæ dixisse. Nempe & nos sæpius auxilium experti sumus,perspicue immoderatam sanguinis lationem sistentes. Quòd autem manum recto tramite nari, unde sanguis abundefluit,respondentem secare ,manusq; eiusdem humeralem uenam ferire oporteat, liquido constat omnibus.si uero ex nare utraque fluxerit sanguis, secare utrasq; nihil proh¹bebit: non enim per eas uacuatiõis,sed reuulsionis gratia,sectionẽ facimus.

LIIII.

FREQVENTES & paruę surrectiones suffl auæ lentæ stercoreum exiguum habentes, cum hypochondrii dolore & lateris, morbi regii par

ticipes existunt. An hi cum stant exoluantur? simulq; sanguinem profundant? lumborum tensio his,& dolores sanguinis indicãt eruptionem.

Congessit rursus hoc loco symptomatum diuersi generis multitudinem quæ uidit,nec ipse affirmat.singulorum autem uires didicisti in his quos paulo ante dixi Hippocratis libris, & nostris commentariis.

LV.

HYPOCHONDRII tensio cum capitis grauitate & surditate, & quæ consequenter fatigant,sanguinis denunciant profusionem.

Vult sanè quæ circa aspectum Hippocrates tenebrosa dixit,in dicta symptomatum concursione hæmorrhagica ostendere,sicuti per commẽtarios nostros didicisti. Nempe rursus admonere quę nuper sæpius memorauimus, commentarios in sermonis prolixitatem est extendere.

LVI.

VNDECIMO die sanguinis stillicidii instar fluores difficiles,tũ aliàs,tum si superstillauerint.

Verbum quidem ἐπέχει,id est superstillauerint,superuacuum existit. Nam si & quarto & quinto,similiter absurdum. Quum autem omnes è naribus stillationes difficiles sint,quoties crassæ & nigræ destillationes fuerint,maxime pernicioſas has reperies. Si uero tale quippiam diebus quibusdam uel indicatoriis uel iudicatoriis contingat, certius præostendisse licet. Vndecimus autẽ decimiquarti est index. Vbi ergo theoremata uniuersalia diximus,nunc libri huius author particulare aliquod unum dixit:undecimi diei in ipsis mentionem faciens. In uniuersale autem de indicibus& iudica

toriis id dixisse par est.

LVII.

QVI IN horrore simul iudicatorie sudant, postridie uero ubi inhorruerint, prçter rationẽ uigilant, hos sanguinis eruptionẽ incursuros puto.

Bene dixit, puto, prædictionis eorum quæ neque assidue, neque magna ex parte fiunt affirmationem adimens.

LVIII.

QVIBVS principio largum sanguinis profluuium, rigor fluxionem sistit.

Est quando rigorem moderatum uidemus prçgressum sanguinis profusionem in corporis plenitudine. turbationem etenim in ipsis faciens naturam ad excernendum quod infestat, irritat. Magna igitur ex parte sudores, uomitusq; bilioforũ, & deiectiones ex rigore fiunt: contingitq; & interdum, ut dixi, propter sanguinis profusionem, copiam uacuari.

LIX.

SIN COPIOSA superuenerit sanguinis profusio, in contrarium reuellitur: ex hæmorrhagia rigores, longi.

Vbi morbum non sedauerit sanguinis eruptio, exceperitq; eam rigor, utrunque longum redditur, ex eo quod corpus difficulter calfiat. quod pluribus superuenit diebus, ex circuitu quidẽ plurimum. contingit autem interdum & uagabunde.

LX.

QVIBVS capitis dolores, ceruicis labor, atque totius corporis cum tremore infirmitas, hæmorrhagica soluunt. cæterum & tempore ita soluuntur.

Multas in hoc toto sermone concursiones ex ordine scripsit, methodum uniuersalem in his qui sanguinem profundunt, paucis describere non ualens. Considerare aũt oportet duo hæc prima: febrem ualde æstiuam, cuiusmodi causi sunt: symptomata item tum capitis tum ceruicis & præsertim plethorica. Connumerat quoque haud dubie & cum symptomatis capitis quæ circa faciem fiunt. Deinde & quæ toto in corpore abundantiæ sanguinis signa existunt: hisq; nihilominus ex anni tẽpore æstiuo, uel regione uerna, uel commoderatis uel calidioribus si in hypochondriis phlegmone quædam fuerit: postea quæ circa caput faciemq; sunt hæmorrhagica signa, & si aliquod in thorace hypochondriisq; uergentiæ ad superas partes signum fuerit. Hæc siquidem omnia in commentariis de iudicationibus exposui, prçterea in prognostici primiq; epidemiorum: in quibus distincta sunt & uenturæ, non tamen adeo mox sanguinis profusionis signa, & quæ talia non sunt.

LXI.

VRINÆ quibus abscessus post aures fiunt, si celeriter & exigue concoquuntur, uitiosæ, & ita refrigescere malum.

Quod in hac quoque oratione recensetur particulare est sermoni uniuersali subiectum. Nempe urina in morbo omni celeriter & exigue cõcocta, deinde uero cessans, uitiosum quippiã indicat. Liquet autem q; & refrigerari malum sit, non in his solum: uerum & omnibus. Neq; n. in communibus adest quippiam peculiare, ueluti in ardentibus febribus. Nempe quod urentes hæ summas partes non calfaciant, malignæ existunt: benignis manuetisq; totum corpus æqualiter urentibus.

LXII.

QVI subsoporantur icterosiq; existunt, neque ualde sentiunt, uenter his copiose fluit. forsan quoque & si detinetur, exoluuntur, an & his parotides fiant?

Si ex nobis propria parotidum signa didicisti, perniciose item habentium signa: facile quæ nunc dicuntur propria non esse tibi constabit.

LXIII.

SVPPRESSÆ cum rigore urinæ malæ: tum aliàs, tum si ante soporatos parotides prehenderint. an spes ex his?

In his quidē quæ antecedunt hanc dictionibus futurarum sanguinis eruptionum cōcursiones scribere uoluit, sed complecti quæ propria essent, paucis, ut dixi, nequiuit. Rursus quoq; & alteram hāc dictionem ad prædictionem futurarū parotidum scripsit: sed quod peculiare sit, nihil habet & ipsa præter id, quòd & permixta sint quædā perniciosa symptomata, ex quibus raro parotides fiant. Quod autem neq; ipse de parotidum generatione enunciare ausus sit, id sanè ex adiectione coniunctionis, an, plane constat.

LXIIII.

EX TORMINOSO sedimentum limosum subliuidumq;, malum. an ex hypochondriis dextrum dolere uideatur? exoluaturq;? atque his parotides parum dolorificæ? uenter his omnibus copiose fluens perniciem affert.

In cæteris omnibus exemplaribus scriptum in principio dictionis reperi, torminoso, prętерquam in exemplaribus Dioscoridæ & Capitonis. Nempe hi scripserunt: ex στροφώδεων, dictaq; apud eos est, de

est, de urinis oratio: atque ob id residentias harum tum ab Hippocrate tum ab ipsis considerari & nō deiectionum, inquiunt. Dioscorides igitur στροφώδεα οὖρα recenseri ait quæ πεπηγότα, id est concreta quædam per ipsas inuecta habent: facto nomine à uerbo διαστρέφεσθαι, quod est πήγνυσθαι, id est cōcrescere. Neque enim ignoramus poetam ita dixisse, καὶ περιστρέφεται, κυκλωδῶς, quod est περιπήγνυται, id est circulariter concrescit. Cæteri ferè omnes expositores limosas subliuidasq; in deiectionibus residentias dici nunc aiunt, quoties humectetur aluus, putantq; torminosa cōuenire. Nempe eiusmodi deiectiones cum torminibus prorsus fiunt. Subsidere autem inquiūt ita deiectis liquidis residētias tum limosas tum subliuidas, ubi praua affectio fuerit, in qua talia excernuntur, prorsusq; his qui talia deiiciunt affectum esse hepar aiunt, atque ob id authorem adiecisse dictioni: An ex hypochondriis dextrum dolere uideatur? Nempe quāquam deiectiones eiusmodi perpetuo hepaticæ existant, non tamen semper sunt cum uisceris inflammatione. quo fit ut orationi adiecerit coniunctionem, an, quòd scilicet ita affectis dextrum hypochōdrium perpetuo dolere asserere non potuerit. Præterea quod deinceps dictum est, exoluatur, hepaticum proculdubio symptoma est: ut in secundo epidemiorum est demonstratum. Post hæc de parotidibus scripsit. Videtur autem in his omnibus dictionibus ex concursionibus quibusdam prænotiones harū scribere, atque id esse maxime & in eo quod ipsi proponitur, & in præsenti dictione: sed de his enunciare ausus non est, quanquam in particularibus per sępe uniuersales enunciationes scribere cōsueuerit. Præterea inquit, atque his parotides parum dolorificæ? rursus quendam talem ægrum uidisse sese ostēdens, in quo propter naturam, impe-

Parotides parum dolorificæ.

tus quidam factus sit ad parotidũ generationem, à qua tamen reiici non potuerunt quæ contristarent, contigitq; ægrum copiose fluente aluo perniciose habere: natura scilicet non iudicationis ratione, sed propter hepaticæ facultatis imbecillitatem contristantes humores deorsum excernente.

LXV.

IN FASTIDIOSIS quibusdam uigilantiis parotides maxime.

Adiecit in præsentia hæc quòd sępius uiderit & non semel. quocirca per eam quæ hanc præcessit dictionem uerum est fastidiosos esse quibus excitantur parotides: sed id sufficiens non est. Nempe quòd dementiam denũcient talia symptomata supra declarauit. Si igitur quæ Hippocrates nos docuit ante contemplatus parotidas fore sperauerís, deinde ægrꝝ ueluti ex ciborꝝ repletione fastiditum uideris, parotidas excitãdas expecta. signa aũt ꝑ q̃ parotidas fore sperabis sunt hæc: Primum sanè abscessuum omnium commune est quod diutius trahenti euenit ægro, deinde si morbus deses fuerit & deorsum uergat, uel calidus & sursum repat, uel ceruicis capitisq; grauitates fuerint, & dolores, & faciei rubor. Nam per hoc si parotidas fore ante sperauerís, certior prænotio erit, quum quæ in dictione relata sunt apparuerint. Sermonem quidem illum ante omnia memoria teneri uelim. Post hæc uero signa omnia singulatim dixi ab Hippocrate duobus iam libris scripta ipsa, quibus apponenda sunt quęcunque per pulsus in singulorum prænotionem conferũt, quæ etsi prætermissa quidem ab Hippocrate existant, habes tamen scripta ea à nobis in pulsuum libris.

Signa parotidum.

LXVI.

EX VOLVVLIS male olentibus cum febre acuta hyppochõdrioq; sublimi diutius perseuerante parotides exurgentes perimunt.

In dictione hac facta quidẽ est obscuritas quædam & ob scriptorem, facta quoque & ob interpretes quosdam incertum esse existimantes utrumne ex unoquoque dictorum symptomatum uir nos sperare uelit ut parotides fiant, an omnia cõcurrere. In principio quidem libri huius, quum mens authoris adhuc ignoraretur, congruenter incerta talia esse quis existimare potuerit. Vbi uero in toto libro propositi ipsius experiẽtiam habuimus idoneam, cognoscamusq; prænotiones † ex horum concursione scribere, constat & nunc ex omnibus quæ scripsit simul factis nos sperare ut parotides fiant, uelle. Quòd uero letales sint si fiant, est manifestum. quòd & nunc uiderit in ita laborantibus factas parotidas sequutam mortem quæ ob parotidas facta non est, quodq; talia uideantur, constat ex his quæ scripsit: nempe quòd febris acuta erat nõ sine periculo, quodq; ueluti perniciosa affectio. Quoniam uero amplius nihil scripsit: sed graueolentem hunc esse uult, multoq; magis. quonam siquidem pacto graueolentem intelliges uoluulum perniciosiorem esse non graueolente: fieri autem potest ut graueolens intelligatur, primũ quidem in quo stercus euomatur, signum maxime letale: deinde si graueolens fuerit respiratio: tertio si ructus graueolens: quarto si flatus talis: & quinto si graueolens corpus. Nempe talis uoluulus aliquando à nobis uisus est.

† ὠνεῖδε habent, cod. ant. .i. ex eorũ quæ uidit

Voluulus graueolens.

LXVII.

SVRDIS MANSVETÆ parotides fiunt, tum aliàs, tum si fastidiosi quippiam superuenerit, & comatosis magis.

Quoniam aduerbium ἐμμετρῶς, id est mãsuete, In medio dictum sit eorum quæ multam & eorum quæ paucam habent spem in omnibus symptomatis: sic & hominem uocamus ἔμμετρον moderatum & à quo nihil per uitam fit nimis. Totus itaque sermo talis quidem est: Si surditas accidat, parotidas fore mediocriter spera. A diectione autem orationis, fastidiosi quippiam, sperat fastidioso facto ægro fore: idq; magis si comatosus fuerit. Verum tum hæc tum antedicta non magis desipientiæ & phrenitidis signa sunt quàm parotidum, quum nõ præfinite dicat in biliosis quidem humoribus ab initio morbi desipientię ipsius potius esse signum, procedente uero morbo in crudis crasioribusq; & magis ubi iam occupasse parotidum generatio apparuerit. hoc siquidem uniuersale caput est in parotidibus, si non amplius lateat quod inuasit, ita ut æger impetum infestantium humorum caput petere sentiat. Potest itaque quis hic denuo hallucinatus in unoquoque eorũ quæ ad supernas partes motum indicãt scribere, tanquam ex prædictione parotidas sequuturas. Sunt uero & modo dicta impetus ad caput signa. Dico sanè surditatem & comatosum, non magis horum quàm eorum quæ uentre & thorace laborant esse symptoma. cum utriscunq; autem fuerit, horum simul præcognitionem augebit.

LXVIII.

PARAPLEGICIS parotides uitiosæ.

Paraplegias quibusdam corporis partibus accidere ab affectu didicisti, qualis est totius corporis affectus apoplexia. Videtur autem mihi uisis forsan uel duobus uel tribus paraplegicis nihil à parotidibus adiutis signum uitiosum eas esse pronunciasse. Ego autem non simpliciter dixerim malum

signum esse superueniẽtes paraplegicis parotidas, sed quòd is abscessus morbo minor sit, referre fuerit satis. Constat siquidem ex Hippocrate abscessus bonos esse cum morbi circuitus ad inferas corporis partes insigniter deuoluitur, quorum neutrum parotides habẽt. Nempe & affectus minoris sunt, & ad inferas partes non deuoluuntur, quare si id duntaxat pernicioſum pronunciare satis erit.

LXIX.

QVÆ CONVVLSIVO modo cum catoche exacerbantur, parotidas mouent.

Quòd ex concursione nihil obseruatio reperiat, rerum fide didicisse in prõptu est. nisi. n. naturã rei in qua prænotionem dicendo curationẽ facimus, fuerimus contemplati, de singulorum signorum ui iudicare nequaquam licebit. Et nisi rerum singularum uires noueris, conflari quippiam nequit. id quod uos edocui in omni arte fieri, nedum in medicinali. Atque hinc quantum Hippocrates superiores suos in uirium cuiuslibet simplicis medicamenti inuentione euicerit, in omnibus suis est demonstratum libris. id q ã memoria tenere oportet. Ad præsentem autem sermonem qui particularis est, tantum rursus ex uniuersali accepisse conuenit, quantum ad quod nunc dicitur congruit. Catochę etenim cerebri affectus sunt, ut didicisti, ueluti & per totum corpus cõuulsiones: de quibus nunc ipsum dixisse par est. Non enim simpliciter de manu uel crure uel alia quapiam parte pronunciauit, inquiens: Quæ conuulsiuo modo exacerbantur, quanquã licebit. Conuulsionem autem ex repletione malam esse inquit Hippocrates. Constat autem conuulsiuos affectus appellari in quibus principio, aut non multo post quàm fieri cœperint cõuulsiones, perseuerant, ex repletione ortũ habẽtes.

Veluti uice uersa: quæ ex uacuatione post sudores multos, uel uomitus, uel deiectiones, uel sanguinis eruptiones, uel inediam, uel uigilias, uel motiones tum multas tum uehementes fiunt. Nempe conuulsiones uacuationes consequuntur magis, quæ uero statim à principio, repletiones. Præterea ut parotides ex conuulsiuis comatosisq; ubi protrahunt, fiant, est rationi consentaneum cunctante ægro.

LXX.

EX CONVVLSIONE, tremore, fastidioq; & celeriter exigui post aures abscessus proritantur.

Non in exemplaribus omnibus quibus scripta est hæc oratio, eadem habet uerba. At in quibusdam, prædicto uerborum scripta est tenore. In aliis autem tali. Quæ conuulsiuo tremuloq; modo accedunt, cum catoche abscessus post aures suscitant. Laudo eos qui in suis exemplaribus dictionē non scripserunt. abunde siquidem nobis erat permiscente eo symptomata multa multis dissimilis generis hucusque peruenisse, & nō ab ægris recessisse. Nempe symptomatum græcis ignotorum permistionem facere, summe absurdum per se existit. Non autem fermè apparent in conuulsione tremoris symptomata. fieri siquidem non potest ut ægris ipsis in conuulsionibus tremores deprehendantur: nisi utique talem sit author contemplatus symptomatum uicissitudinem, ut quum conuulsiones quidem relinquerent, tremulus fieret homo. Vbi uero conuulsio superuenerit, non posse digno sci modum arbitrantur. Symptomatum implicatio eiusdem generis quædam existit, uerum superuacua. Nempe ex catoche parotidas fieri abunde à nobis dictum, augente simul & generationis expectationē fastidioso ipso. Immo uero & urinarum

affectiones expectationem simul adaugebunt. nomen præterea συσσεισμοπτερομωδες, id est conuulsiuum tremulumq;, prauum existit.

LXXI.

AN PRIMVM capite doleant: uel & superiore sudent parte, & superrigeant: deinde & uenter deiiciat, & comatosum quippiā fuerit: an & aquosæ urinæ pendentia alba habentes: & uarie albæ graueolentes quodam modo, deinde post aures abscessus: an & quibus eædem urinæ stillationes è naribus frequentes: an & lingua his læuis:

Si ut dixi prænotionem ab his exordiretur quæ scripsit Hippocrates tū in prognostico, tum in epidemiis, de abscessibus omnibus uniuersale quoddam fieret, & ex his quæ ab ipso dicta sunt ad secundum pronunciandum adiumentum. Nam si abscessum fore speraueris, humorum considera inclinationem, ad quam uidelicet sint partem. atque ita ubi singulorum capitis symptomatum ures adnotaueris, parotidas fore tum magis tum minus speerabis. Exempli igitur gratia de his quæ nunc ante oculos posuit sermonem facere non malum fuerit. Capitis dolor ex eorum est numero quę humorum ad caput inclinationem significant. sed quòd superiori sudauerit parte, pusillam ad eiusmodi præsensionem facultatem habet: sed maiorem habet, quòd superriguerit. Deiectionē uero alui quonam quis pacto generationis parotidum significatorium esse dixerit, haud scio: quum potius modo contrario contristantium humorum ad infernas partes inclinationē operetur. Comatosum ad parotidū generationem signum effatu dignum existit. Aquosæ præterea urinæ in qbus alba sublime petunt, ad prænotionem per accidens conferunt: quoniam aquosæ quidē absq; albis pendentibus

incoctum esse morbum significant. quæ uero substantiam secundum naturam habent, atque præter id pendens album continent, coctum morbũ esse indicant † absque sedimento. Oportet igitur eas neque prorsus incoctas neque absolute concoctas esse ubi natura abscessum molita fuerit. Quæ uero uarie albæ & graueolentes fuerint, raro quidem abscessum qui fiat habent. quòd si aliquando habuerint, malum habebunt. bene igitur adiecit addubitans, an & quibus eiusmodi urinæ stillationes è naribus frequentes? Malignitates siquidem in succis incoctis, etsi ad caput ferantur, stillationes magis è naribus malignas faciunt, non parotidas. Oratio præterea, an & lingua his læuis? dubitatiua est. Nempe in prædictis & febres malignas fieri, & linguam exasperari est rationi consentaneum.

LXXI.

QVIBVS ampliter & crebro spirãtibus morbus regius & febres acutæ cum duris hypochondriis refrigeratæ fuerint, his abscessus magni secũdum aures suscitantur.

Πνευματουμένους eos quibus magna est & frequens respiratio dixisse uidetur: quoniam & in libro de uictus ratione in morbis acutis hoc pacto eos nominauit Hippocrates: iure optimo suscitãdos post aures abscessus sperat. nempe & ratione non caret, atque hoc sæpius fieri uidimus. Si uero πνευματουμένους eos dixerit qui uentre inflantur, ut nonnulli intellexerunt, qui & πνευματώδεις scribunt & πνεύματα, nihil hoc ad parotidum generationem contulerit, sicuti neque morbus regius. De febribus acutis & præsertim ardẽtibus dictum est antea sanguinis eruptiones mouere, sanguinem tum fundentes tum ad caput sursum ferentes. Quęnã pręterea dura hypochõdria dicat, nõ clare

cognoscere possumus, propterea quòd dolentia non adiecerit. Nempe hoc adiecto iam phlegmonen horum indicabit: nõ adiecto uero, frigidiusculum tumorem scirrhosum magis quàm flagrantẽ. Soluuntur uero talia abscessibus magis, nõ sanguinis eruptionibus. Nempe quũ in flammantur, sanguinis eruptiones maxime fieri conspicimus. Propter alienam uero authoris enunciationem cognoscere exquisite non possumus, an prætermissum sit nomen doloris, obscurius tum pronunciante tum scribente ipso, an hypochondriorum duritiem uere scirrhosam intellexerit. Verbum uero, refrigeratæ fuerint, (nempe & id dictum est) significare potest non solutam esse febrem: sed partes corporis inferiores, cum aliis collatas minus calidas esse. ut caliditatis reuersionem ex ea re coniiciamus. Quũ magnos abscessus in eisdem fieri dixit, uidetur mihi in aliquo uidisse, & ita de particularibus pronũciasse tanquam uniuersaliter pronuncians. satis siquidem fuerit pronunciationem sine nomine, magnæ, scriptam fuisse.

LXXII.

QVIBVS comatosa, fastidiosa, hypochõdria dolentia, & cruenta exigua, in his parotides exciuntur. antea autem faciei signa.

Quòd futurus quidã abscessus ex his quæ Hippocrates scripsit, sperabis, deinde in qua corporis fiet parte utilem habebis dictam concursionem. Nam comatosum si & aliud symptoma parotidas antegreditur. Dolentia uero hypochondria phlegmonen habent, siquis animaduerterit. Quum autem hæc ita habeant, ad generationem conferent, & fastidiosa, & sanguinem habentia symptomata. Quod uero in calce orationis dictum est, antea autem faciei signa, ualde utile existit, si quis cõuenien

ter orationem intellexerit,conuenit autem hoc pacto intelligere, ut uerus fiat ſermo. uerus autē erit ubi intelligi hoc ſenſu intellexerimus. Ante parotidum generationem faciei ſigna cōſiderare oportet.ſunt autem hæc:rubor,tumor præter naturam, oculorum humiditas,caliginoſa uiſio,& quæcūq; talia. Siquis uero non omnia quæ circa faciem apparent intelligere uoluerit, ſed prorſus tumorem præter naturam.poſtquam enim dixiſſet in his parotides exciuntur,deinde ſerie continuata dicens, antea autem faciei ſigna,uidebitur enunciare à cōmuni intelligendum uerbum exciuntur.

LXXIIII.

VENTRE nigra ſtercoroſaq; deiiciente coma ſuperueniens parotidas excitat.

Haud recte ſcripſere quidā uentre nigra ſtercoroſaq; biliosa deiiciente,neque in antiquis reperi exemplaribus,neque quiſquam eorum qui librum enarrauerunt hanc nouit ſcripturam. Quin & biliosa quæ de pallida bile ab antiquis dici conſueuerunt,non ſanè dicta eſſent eodem ſenſu quo nigra ſeparant. Hac de cauſa uocabulum,biliosa,expunxi ſcriptum,nigra quidē à Capitone in ipſum ſolum,in frontem uero à Dioſcoride. Videtur autem mihi libri huius author cōcurſionem hanc in ægro contemplatus totam uoluiſſe explicare, ea quæ ex quodam parotidas ſignificantis antegreſſi conſequio fiunt,nequaquam diſtinguens. Sufficiēs nanque ipſi erat ſignum coma.

LXXV.

TVSSICVLÆ cum frequenti ſputo abſceſſum poſt aures tollunt.

Poteſt & thoracis ſcribere.fieri ſiquidem poteſt ut facta intro inclinatione per canalem naturalem

effluat quod tenuius eſt ex conficientibus parotidas ſuccis ad oris capacitatem,& ita frequens fieri ſputum.cōſiſtentibus autem ita rationabile quidem alias apparere parotidas. Nempe uerbum ἀπαλλάττεται proprie uacuare ſignificat, ipſum autem uacuari cōſequūtur & diſſolui & mollius eſſe.

LXXVI.

IN CAPITIS dolore coma & ſurditas abſceſſum aliquem poſt aures eructant.

Vere ſemper hæc ſigna ſunt parotidum, quoniam ita fore abſceſſum quēdam ante ſperauimus. ſucci enim ad caput recurrentes,calidi quidem & tenues deſipientias & ſanguinis eruptiones procreant:craſſi autē & frigidi comata & parotidas. Capitis dolor utriſque communis exiſtit, ueluti & ſurditas:ſed calidis magis capitis dolor: frigidis uero,ſurditas. Comatis uero nomen ſcriptori ſatis fuit,qui ſcilicet lethargi appellationem toto ſubticuit libro.

LXXVII.

HYPOCHONDRII contentio,cum comate,faſtidioſo & capitis dolore parotidas efficere faciunt.

Rurſus & hoc loco coma unà cum capitis dolore ſignum demonſtrandę parotidum generationis effatu dignum exiſtit,ſimulq; hoc monſtrat & hypochondrii contentio.per hanc itaque appellationem phlegmone indicatur.neque enim magna eſt ipſius demonſtratio. Si uero abſque phlegmone cōtentio fiat,in humorum ad ſuperas partes inclinatione ſignum ad parotidum generationē notabile exiſtit,ſanguinisq; oſtendit eruptionem. Faſtidioſum uero per ſe quidem parotidas nullo pacto indicat,ſed ſimul apparens dictæ concurſioni

fidem addit.

LXXVIII.

DOLORES absq; iudicatione soluti, inutiles.

Iam sæpius sermo hic tum particulariter, tum uniuersaliter dictus, meliusq; ostenditur si adiiciatur repente occultati. Nam καταμολωθεν'τα, solutionem quæ sensim fit, significat. Repente uero occultari dolorificas affectiones absque hoc q in alia quadam quæ manifesta sit parte abscessus fiat, transmigrationem contristantium succorũ ad uiscera ipsa factam ostendit.

GALENI IN LIBRVM HIPPOcratis, De uictus ratione in morbis acutis, Commentarius primus. Ioanne Vassæo Meldensi interprete.

I.

QVI GNIDIAS APpellatas sententias conscripserunt, hi sanè quæ ægri in morbis singulis patiuntur, & quonam modo nonnulla his eueniant, recte scripserunt: atq; ea quoque quæ medicinæ imperitus quispiam scribere potuisset, si ab ægro unoquoq; qualia patitur probe intellexisset. Verum quæ medicum non referente egro ipso perdiscere oportet, multa ex his sunt prætermissa, alia in aliis, & quædam ad coniecturalem cognitionem (πίκμαρσιν græce dicunt) peropportuna.

Non solum nihil eorũ quæ ægri patiuntur, prætermiserunt qui gnidias scripserunt sententias: uerum quoq; & ultra id quod iustum est, de quibusdam mentionem fecerunt, ut paulo post ostẽdam. Neque id artis opus est, si nihil prætermiserint eorum quæ à plebe ipsa cognosci possunt. non etenim is artifici est scopus: sed quæ ad curationem idonea sunt, omnia scribere. Quapropter sæpius nonnulla adiicere quæ uulgus nõ nouit, erit opus: & multa quæ huic nota sunt auferre, si nihil ad finem artis conferre uideantur.

II.

ET QVÆDAM ad coniecturalem cognitionem (πίκμαρσιν dicunt) peropportuna.

Τέκμαρσις, est quæ per τεκμήριον fit cognitio. τεκμήριον autem appellãt ueteres syllogisticũ signum, non autem simpliciter signum omne, ut in opere de coniectura & signo est demõstratum. Quæ igitur medicis ad huiusmodi cognitionẽ, tum necessaria, tum utilia existunt, non omnia ait gnidiis in sententiis scripta esse, sed prætermissa pleraque.

III.

QVVM AVTEM ad coniecturalẽ cognitionẽ dicatur quonã modo curare singula oporteat, in his multa aliter quàm illi enarrauerunt, sentio.

Ex quo multa quæ ad coniecturalem cognitionem expedita & idonea existunt, à gnidiis medicis prætermissa esse dixit: coniecturalem quãdam cognitionem asserit, quod deinceps demõstrauit, inquiens LQuonã modo curare singula oporteat I. Nempe quod ad horum inuẽtionem utile fuerit, id ex arte est. Sed forsan quis opinabitur prætermissas esse, quæ tum ad dignotionem, tum ad prænotionem conferunt coniecturas. Verum res non ita habet, quũ de necessitate in his quæ ad cura-

Vulgò notatu dignum fit procũ opa.

τέκμαρσιν τεκμήριον.

brum, hi medice magis quæ singulis exhibenda sunt percurrerunt.

Liber secundus à primo scriptus, adornatus digestusq; dicitur, quum institutum habẽs idem, plurimas dictionum easdem, nonnulla quidem eorum quæ in priore erant, abstracta habet, alia autem adiecta, & alia permutata. Exemplũ rei huius, si perspicuitatem desideras, secundũ Eupolidis Autholicum ex priore adornatum, digestumq; habes. Sic & gnidias sententias à primis secundas gnidii ædiderunt medici: quę nonnulla quidem haberent eadem omnia, alia uero adiecta, & alia sublata, ueluti & alia permutata. Secundum igitur hunc librum, Hippocrates priore medicinalẽ magis esse asserit.

Eupolidis Autholicę.

VI.

SED DE diæta, id est uictus ratione, nihil qđ effatu dignum sit, conscripserunt ueteres, quam quam id magnum esset.

Diæta.

Is curationis ductus contextusq; qui per cõsuetam materiã efficitur, diæta, id est uictus ratio, nuncupatur: ut qui per consuetas, tum sectiones, tum aduστiones, & quæcunque alia manu fiunt, chirurgia. Tertiam ab his medicinę partem pharmaceuticen dicunt, quæ scilicet per medicamenta absoluitur, perficiturq;. Accusat autem priscos Hippocrates, quod de uictus ratione nihil effatu dignum conscripserint: idq; dixit, non quòd nullum quod ad uictus rationẽ spectaret theorema cõscripserint, scripserũt etenim, sed quod nõ effatu dignũ. Quale nam autẽ sit effatu dignum, docebit in sequẽtibus.

Χρονεγία.

Παχυνσεις λεπτυνσεις.

VII.

FVERVNT uero qui uarios morborum singulorum modos, diuersasq; horum sectiones diuisionesq; non ignorauerint. Non

Non solum uarios morborum modos non ignorauerunt, uerum quoque & ultra quàm decet de his scripserunt: ut ostendam in sequentibus.

VIII.

VERVM morborum singulorum numeros clare pronunciare uolentes non recte scripserunt: quippe cum non facile numerari queant, si quis languentium morbos alterum ab altero quadantenus differre, nullumq; morbum eundem uideri, quin idem quoque nomen habeat, coniecta uerit. †Mihi uero placet omni in arte animum tum conuertere, tum appellere. Nam quæ probe uel recte procedunt officia, probe & recte singula peragere oportet. Quę itẽ celeritatẽ, desiderãt, celeriter adimplere: & q̃ sinceritatẽ, sincere: & quę sine dolore administrari postulant, citra dolorem omnem administrare. Cętera quoque huiusmodi omnia, secus quàm hi qui rem proprius sunt contemplati, ad meliorem formam nos redigere cõuenit. Maxime autem medicum laudauero qui in morbis acutis, ui quorum plurimi hominum enecantur, secus quàm cęteri in melius procedat. Sunt hi igitur acuti morbi, quos prisci nominatim perstrinxerũt: pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, causus, & quicunque alii hos consequuntur morbi, quorum febres prorsus continuæ interficiunt. ‖

Morbi acuti.

†In ant. desiderantur.

*In ant. συμπτωσιμαίτερον legitur. i. symptomatũ sicuti etiam in ueteri trãslatione & melius.

Dixi paulo ante gnidios medicos confestim ab initio de morbis plusquã oportet scripsisse: scripserunt siquidem bilis morbos septem: pari modo & paulo infra ueficæ duodecim. Renum quoque quatuor. †Stranguriæ quatuor. ‖ Deinde tetanos tres. Morbi præterea regii genera quatuor, atque tandem phthises, tres. Nempe ad * corporum uitietates, quæ multas ob causas permutabantur,

†Hæc in ant. græ. non habẽtur, ut neque in ueteri latina.

respexerunt: morborum identitatem haudquaquã contemplati, quo modo est contemplatus Hippocrates, ad horum inuẽtionem methodo usus: quaduntaxat morborum numerum inuenire conceditur. Methodum autem eam in methodi medendi principio demonstrauimus, diximusq; aliquid in libro de elementis secundum Hippocratis mentẽ. Habes quoque & à nobis compendio quodam scriptum unum de morborum differentiis commentarium: sed hoc in loco dictiones prosequi est opus. Nempe is expositionis scopus existit. Nam si quis inter exponendum demonstrationes scripserit, sermonem protrahet, & præcipuã quæ sanationis morborꝝ causa existit, dimittet partẽ: partẽ inquam quæ ad maxime letalium morborum curationem excellit, præstatq;. Summa quidem præsentis dictionis hæc est, particularia uero dictionis deinceps explicabo.

IX.

QVVM ENIM nullus communis pestiferi morbi modus passim grassatus fuerit, sed morbi σποράδες, id est, sparsim priuatimq; prehendentes, & similes fuerint: ab his plures quã ab aliis omnibus intereunt.

Ostendit hac oratione Hippocrates morbos multos uno fieri tẽpore: quos, si pernitiosi fuerint, pestem appellant. Si uero mitiores, altera quadam indicant appellatione, epidemos uel epidemios nominantes: ut epidemus morbus sit q tẽpore anni aliquo, in regione aliqua abundet insolescatq;. Pestis uero, epidemia ꝑnitiosa. Est autem & aliud morbi genus commune multis, quod in regione superuenit acceditq;, endemumq; uel endemium appellitatur, quasi patrium dixeris aut uernaculũ. His aũt omnibus aduersantur σποράδες, id est, qui

sparsim priuatimq; prehendunt, ægros discrepanter fatigantes: neque secundũ cõmunem modum cõstantes. Sed quidnam est quod ab Hippocrate dicitur: Sed morbi & σποράδες, & similes fuerint. Nempe contrarium dicendum fuit. Et non similes eos inter se esse: si utiq; aliquid morborum similitudine & endemum & epidemum, & pestiferum iudicari debuit. Duorum igitur alterum, uel meliorem hanc scriptionem existimare oportet, Sed morbi & σποράδες & non similes fuerint. uel similes eos dicere oportuit nõ inter se, sed morbis ante dictis, id est consuetis: quoniam rarius quidem tum epidemii tum pestiferi fiunt: uocati uero sporadici frequenter. De quibus & hoc in loco agetur, ueluti de epidemiis in libro epidemiorũ morborum, & de endemiis in libro de aquis, aere, & locis. Nullum autem peculiarem de peste cõfecit librum, quoniam ex epidemiis unum esse illam ꝑ libros epidemiorum demonstrauit.

X.

IDIOTÆ uero non admodum cognoscunt eos qui in huiusmodi ab his differunt, qui rem propius sunt contemplati.

Idiotas ait non omnino cognoscere medicos eos, qui quãtum ad huiusmodi morbos attinet ab his differunt, qui propius rem attigisse uidentur. Quod autem acutos dicat, palàm est de quibus ante sermonem fecit.

XI.

ALIAq; auxilia magis laudant, uituperantq;.

Neque conuenientes, neque laudabiles curationes dignoscere ait idiotas, sed alias magis. Quo fit ut illi nequaquam recte laudẽt culpentve. Deinceps tanquam eorum quæ dixit demon-

tionem idonea sunt, hæ contineantur. Si enim ad optimæ curationis inuentionem nihil conferrent morborum dignotio & futurorũ prænotio, prorsus hæ superuacarent. Nunc autem quod conferant, ob id cõmodæ existunt. Ergo quod affectuũ dignotio ad curationem ualde necessaria sit, recentere non est opus. Nam in primis quisnam sit morbus dignoscere oportet, deinde curationem ipsius ita aggredi. Quòd uero prænotio ad curationem quoque commoda sit, demonstrauit in præfatione prognostici Hippocrates. Quũ ergo omnia quæ ad medicinam spectant, cõmoda ea uel ad dignotionem uel curationem uel prænotionem esse dixerit, uirtute idem dicit. Curatio siquidem per se à medicis exercetur. Prænotio autem & dignotio propter curationem. Quo fit, ut nemo finem artis dignotionem uel prænotionem, sicuti curationem asseuerauerit. Intellige autem impræsentiarum curationem, sublationem morbi, non eam quidem quæ adhuc fit, sed quæ iam facta sit. Sed de omnibus abũde est scriptum in eo libro qui de fine medicinæ agit. Nec expedit ut impræsentiarum quippiam præpostere & præter institutum faciamus (græce πρωτερον ὑστερον ποιεῖν dici solet) utpote qui iam ueteris mentem uel sine exquisito examine cognouerimus. Verũ cum & modo alio dictio præsens plerisque in exemplaribus, fide etiã dignis scripta sit, de ea mentionem facere non intempestiuum fuerit. Differt autem ab ante scripta dictione litera una uidelicet ν, id est uel, ut ad hunc modum græce sit: ὁ κοταμ δὲ ἂς τε῾μαρσιν λεγω πομεν ὡς χρὴ ἕκασα ἰητρεύειν. id est: Cum aũt quippiam ad coniecturalem cognitionem dicatur, uel quonam modo curare singula oporteat. Qui ita scribunt, per τε῾μαρσιν dignotionem & prænotionem intelligunt: & per uerba hæc ὡς χρὴ ἕκασα

Curatio. Prænotio. Dignotio.

ἰητρεύειν, id est, quonã modo curare singula oporteat, curationem, nolentes eam in πρόγνωσις nomine contineri. Quod si ita habet, in ante scripta dictione, qua dicitur, Multa prætermissa sunt, alia in aliis, & nonnulla ad coniecturalem cognitionem peropportuna non recte sanatoriam artis partem prætermisisse uidetur Hippocrates. Sed quod hi respondeant, ob id resumptam scriptamq; quæ sequitur dictionem, ut quod sanatorium est adiiceret, nemo est qui ignoret. Verum quoniam de re ad curationem congrua disceptatio non sit, ob eas res sermonem protrahere est superfluum. Pergamus igitur ad ea, quibus quæ ad sanationem utilia sunt, docet.

IIII.

ATQVE NON ob id solum non laudo, uerum quod & paucis numero sint usi medicamentis. † Nempe maximus, medicamentorum quibus in morbis non acutis usi reperiuntur, est tempestiue exhibitorum tum elaterii, tum seri, tum lactis, quæ si bona essent, morbisq; quibus dari censerent, congruerent, multo sanè digniora laude erant, quod paucissima satisfacerent. Sed res impræsentiarum non ita habet.

Paucis quoque numero auxiliis usos eos ait, nisi in acutis morbis: quasi in his multa dixerint: quod sanè fecerunt. Quæ uero longis in morbis dixerunt, † hæc uere sunt. Nam & per tempestiuam elaterii, seri, & lactis potionem perficiuntur.

V.

QVI VERO secundum adornauerunt li-

† Ego si euerterem hunc locum. Nã ex his q̃ ab ipsis reperta sũt medicamẽta, p̃terquam in acutis morbis, plurima elaterio cõstant. aut sero, aut lacte tempestiue exhibitis. q̃ uero sequũtur, in antiqs exempl. græ. non habẽtur, sicut nec in antiqs uersione latina. † In antiqs exẽpl. ita legitis locus, ὁ᾽τι πως πῦμο παλιν ποὰ γα᾽ρ ποὰ ταῦτα δὴ᾽ i. ea reuera contra se habẽt: nã & per.

ſtrationem adiiciens, hæc ſcribit.

XII.

MAGNVM autem rei argumentũ, quod uulgus morbos huiuſmodi ſanationemq́;, utpote rude, planè ignoret, eſt hoc: nempe qui medici non ſunt, medici eſſe ob huiuſcemodi morbos uidentur: facile ſiquidem nomina diſcuntur quæ apud ægros uſui eſſe exiſtimata ſunt. Si enim quiſpiam ptiſanæ cremorem, uinumq́; hoc uel illud, & melicratum nominauerit, referre omnia eadem medici tum boni, tum mali plebeis huiuſmodi uidentur. Sed res ipſa ſecus habet: Nempe hi quãtum ad hæc attinet, ſupra modum inter ſe differunt.

Quod materiis huiuſmodi eorum quæ ad uictus rationem ſpectant, medici utantur tum boni tum mali, ob id quiſnam melior ſit, dignoſcere nequeunt idiotæ: utpote qui diſcernere non poſſint quinã opportune & debito †modo præſidiorum materias ægris adminiſtrent, & quinam citra hæc. Hippocrates autem ubi impræſentiarum ſecundũ præfiniuit procœmium, * à cõſequentibus in oratione præſenti exorditur.

†In ant. pro modo habet qualitate ποιότητος nẽ pe ant. tamẽ trãſlatio legit ποσότητος.

*Melius ſic: a p̃ſenti oratione ſequẽtia exorditur. & in ant. non ἀπὸ ſed ἀπὸ habetur.

XIII.

DIGNA autem ſcribi mihi maxime uidentur quę quanquam medicis utilia exiſtant, tamẽ ignorantur: quæ inquã inſignes profectus, & inſignes offenſas adferunt. Quæ autem ignorantur, hæc ſunt. Cur in acutis morbis medici quidam ptiſanas non colatas perpetuo exhibeant, & recte curare ſeſe exiſtiment: alii omnino contendant, hordeum ut nullum æger uoret, ſubſequuturam inde quæ inſignis ſit offenſam ueriti: ſed cremorem linteo colatum porrigant. Alii uero neque craſſam ptiſanam, neque cremorem exhibeant: atque

ex his quidam quoad æger ad ſeptimam uſque peruenerit diem, alii perpetuo donec morbus iudicatus fuerit.

Logicam magis ſpeculationem ſapere uidetur quod ab Hippocrate in quæſtionem diſceptationemq́; ponitur: cum & ſine huiuſmodi ſpeculationibus recte ſanare queamus. Nempe morbos recte ſanare ineſt medicis ex faciendorum cognitione, & non ex cauſæ inueſtigatione, ob quam ſunt controuerſi qui uarias in huiuſmodi morbis ſcripſerũt curationes. Eſt uero ſecundum ueritatem id non commodisſimum modo, uerum quoque & omniũ primum, atque quæſitu neceſſarium, ut procedente exponam ſermone: quod enim quæſtione dignum ſit, quod proponit, & quo ſoluat modo, ante percurrere eſt melius. Quod igitur quæſtione dignum ſit, hinc diſces. Nam de philoſoporum controuerſia nullam habemus, quę euidens ſit, cõiecturam. Neque enim ſi genitus mundus ſit, neq; ſi interitus conſcius: neque ſi extra ipſum inane nõ ſit, neq; ſi infinitus, neq; ſi is ſolus unus ſit, neq; ſi plures, neq; quot numero ſi plures, neq; horũ multitudo incõprehenſibilis ſit, aut infinita, manifeſte cõiectari poteſt. Ad hũc ſanè modũ & de aliis multis q̃ in pholoſophia quæruntur, nonnulla quidem iudicare prorſus nequimus, alia uero non ſine magna contemplatione. Verum de ipſis quæ ægros iuuant, † non ſimiliter eſt. Nempe etſi ad ipſa inuenienda longo opus ſit tempore, uiroq́; à multis diſcrepante, quæ tamen ſeſe reperiſſe quidam iactãt, ea facilem habere iudicationem uidebuntur. nempe ſi ægris quidem adhibita præſidium attulerint, laudare oportet atq; agnoſcere: ſi uero detrimẽto fuerint, uitare atque repellere. Quę uero nihil auxilii uel offenſæ effatu dignũ præſtiterint, in neutrius

vel lædũt nã in ant. eſt, ἢ βλαπτόντων.

horum ratione censere conuenit. Sed sanè medicos ab euidenter affendētibus abhorrere oportet. Si ergo † parum exuperantibus insistāt, qui quouis modo ab initio sunt opinati, nihil mirum uideri debet. In his uero quæ admodum recesserūt, atque usqueadeo ut à quibusdam laudentur, ab aliis culpentur, admirari quispiam eos poterit, qui ualde offendentia extollunt, uel eos qui uere iuuātia uituperant. Id sanè est quod Hippocrates particulari uno exēplo proponit. Dictū autē & id, nec secus ipsius solutio, ab Erasistrato in primo libro de febribus, paucisq; & euidēter: utpote qui Hippocratem planè est secutus. Percurrēs etenim in libro præfato medicos, eos qui aduersissimū febrientibus uictum præscribunt, tum eos qui lōgis inediis ægros ipsos conficiunt, tum Petronā ipsum, qui tum carnes tum uinū exhibebat: in textura sermonis hoc infert pacto: In multis igitur ualde magnis plagis decidebāt: si autem febrientes omnes ex tali curationis modo male liberati essent, qui ita curabant, à curatione destitissent. Sed ut uidetur non febribus omnibus opem fert is sanationis modus. Laudandi igitur cum Erasistratus, tum alii qui quæstionem hanc proposuerunt, & solutionē eius scripserunt: laudandus quoque & qui præ cæteris eā proposuit. Sciueris præterea & eam non magis de acutis morbis, quàm de aliis omnibus proponi, soluiq;: nempe responsio de omnibus communis est. Non enim in acutorum modo, uerum quoque & morborum aliorum curatione controuersi fuerūt medici, atque ob id longo tempore sua in cibi exhibendi regula permanent, quod nonnullos ab ea euidenter iuuari uident. In cæteris autem qui nihil inde auxilii recipiunt, cito quidem & ægros occulte aliquid deliquisse suspicantur: quanquam id non sit, sed quod retulit Hippocrates in libro

† In quibus exigua est differētia ait ipse in ant. tamē legit βλαβὴν .i. quæ parū detrimenti afferunt.

de fracturis: ubi agens de his qui fracturas cum uulneribus perperam ligant, atque ob id lædunt, ait: Non enim deligationem causam esse existimant, sed aliud quoddam in fortunium. Sic & eos in uictus ratione opinari par est. Quod autem præsenti in oratione recensuit Hippocrates, id palàm est, ubi quis eam secum cogitans bis & ter legerit. Nempe ex particulari exemplo communem doceri sermonem comperiet: quem & uniuersalem uocare consueuerunt, non philosophi modo, uerū quoque & propè omnes Logicæ artis non imperiti. Erasistatus ergo aduersissimarum meminit uictus rationum. Hippocrates uero relictis monstrosis alienisq;, ad moderatiores se contulit. Monstrosę etenim alienęq; uere sunt, tum quæ per inediam fiunt summam, tum quæ per repletionem immoderatam, qua utebatur Petronas. Moderatæ uero, quarum meminit Hippocrates in acutis morbis, ab insignibus exhibentur medicis. Quidam enim hordeaceam ptisanam in his administrant, alii cremorem duntaxat, alii ne hunc quidem in acutis morbis ante iudicationem, sed tempore interiacente solos exhibent potus, aquā, melicratumq;, & si opus sit oxymeli. Controuersiæ igitur causa est quam Hippocrates ipse in sequentibus exequetur, & quam ab Erasistrato in primo de febribus bene enunciari asserebam. Est autem ea quod alii qui solo ptisanæ cremore indigent, alii hordeacea ptisana, & alii horum neutro, sed potibus solis ad iudicationem usque feliciter seruantur. Demonstrabit autē in sequentibus qui nā hordeacea indigēt ptisana, & qui ptisanæ cremore, & q neutro horū.

XIIII.

SANE quæstiones huiusmodi proponere medici non consueuerunt: neque forsan si proponātur, soluuntur,

Quòd primus Hippocrates quæstionem hanc proposuerit, solueritq;, ex hac notum euadit dictione. Neque enim, inquit, tales quæstiones proponi à medicis consueuerunt. Quòd si & eas quis fortassis proposuerit, solutio non reperietur.

XV.

CALVMNIAM uero usque adeo grauem patitur apud uulgum ars tota, ut nullo pacto medicina esse uideatur.

Hac quoque in oratione ex particulari exemplo rem quandam uniuersalem docet. Nempe in primis qualemcunque ingredientium exercitationem controuersia, iustam ignorantiæ suspicionem ostendit. Secundo concordia ipsa, iustam magnamq; cognitionis spem demonstrat, quod nimirum mathematicis disciplinis ualde contulit. Neq; enim discipulos solum alliciunt, credulosq; reddunt: uerum quoque & apud idiotas sese uerissimas existimandas præstant. Mathematicis igitur demonstrationibus usos ait, qui euidenter quippiam & citra quamuis ambiguitatem demonstrauerunt. Sed controuersiæ rationem diligenter in sequenti oratione prosequitur.

XVI.

QVAPROPTER acutissimis in morbis usque adeo dissentiunt inter se artifices, ut quæ alter po trigit optima esse existimãs, ea alter mala esse put et: atque ferè ob id uaticinationi, quam græce μαντικὴν uocant, ars ipsa similis esse uideatur: augu res siquidem alitem eandem si ad sinistram uolau erit, bonam faustamq; esse putant: si ad dextram, malam infaustamq;. Talia quoque in aruspicina, quam ἱεροσκοπίαν dicunt, uidentur: alia in aliis: sed uaticinantium nonnulli contraria sentiunt. †D. ico autem speculationem hanc, esse &

†In ant. exempl. tam græ. quã lat. hæc desunt.

pulcherrimam & germanam, propter q̃plurima & commodissima quæ in arte comperiuntur.

Μαντικὴν appellauit Hippocrates οἰωνιστικὴν: ἱεροσκοπίαν, uero θυτικὴν à plerisque appellatam: quam uere etiam antiqui alii ἱεροσκοπίαν uocant, quòd ἱερεῖα, id est hostias inspicientes qui in ea scientia graues & præstantes sunt, ex ipsis uentura prænuncient: ἱερεῖα autem scimus appellari omnia quæ diis ad honorem exhibemus, quales sunt quę litantur uictimæ, quarum exta inspicientes ἱεροσκόποι, id est aruspices prædicũt. Eos uero qui ex auiũ uolatu augurantur, quos οἰωνιστὰς & οἰωνοσκόπους, id est auspices appellant, nunc μάντεις, id est augures appellauit Hippocrates: quãquam μάντεως nomen & μαντικῆς, de omnibus quæ ita prædicũt artibus proferatur. Nempe μάντεις uocantur, & ἱεροσκόποι & οἰωνισταὶ & qui appellantur γενεθλιακοὶ: & qui per notas, & qui ex uictimis futura prædicunt. Præterea & χρησμολόγοι, id est fatidici, & θεομάντεις, id est diuini uates. Sunt qui & ὀνειροπόλους, id est somniorum interpretes à poeta appellatos inter μάντεις, id est uaticinantes collocant. Sed constat Hippocratem solos οἰωνιστὰς appellare μάντεις, ut poeta appellauit. Nam is in plerisq; sui operis poetici partibus οἰωνιστικὴν artem, uenturorum prænotionem esse demonstrat: quo modo & in primo Iliados circa initia ait: ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα. ἢ καὶ ὀνειροπόλον, καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ διός ἐστι. id est, Consulamus itaq; augurem quempiam, aut aruspicem, aut somniorum interpretem. Nempe & ab Ioue ostenduntur insomnia. ἱερῆα quidem dicens, ἱεροσκόπον. ὀνειροπόλον uero qui circa somnia uersatur. μάντιν autem οἰωνιστὴν, id est, augurem auspicemq;. Sæpius etenim in suo opere poetico huius meminit in maximis rebus, diuinandi etiam arte per alites usus.

Sed forſan hæc & quàm decet plura de huius nominis μαρτεως appellatione dicta à nobis ſunt: atq; ob id ad quod dicitur tranſire iam eſt tempeſtiuũ. Quod enim ait Hippocrates, tale eſt. Qui diuinatorias artes proſequuntur, in particularibus multis nihil minus quàm medici diſcordant. Vidi equidẽ aliquãdo augures in uolatibus ipſis, quos dextros & ſiniſtros memorauit Hippocrates, diſcordãtes. Alter arabs erat, alter græcus, atq; ex Aſia noſtra. Arabs dicebat dextram alitem, laborantes mulieres ſeruare: ſiniſtram, uiros. Qui uero ex Aſia noſtra erat, dextram alitem in uirorum morbis apparentem, interrogantibus ipſis ſi ſeruaretur, aſtruere interrogationem recenſebat, ſiniſtram uero denegare. Interrogabam præterea eos, ſi quomodocũque uolantem uel dextrã uel ſiniſtram alitem pollere eadem ſignificandi facultate dicerent, nihilq; differre putarent, ſi aut celſisſima, aut terræ propinqſſima, aut media uolaret. Et ſi media, an ſi propius uel celſisſimam, uel infimã, uel adhuc inter has mediam. Pari modo & ſi auis uel propinqua uel longinqua uolaret, an ne in his nulla foret diſtinctio. Arabs eas nihil ea, quæ uel in altitudinem uel longitudinem uel latitudinem eſſet diſtantia, diſcrepare reſpondebat. Græcus uero de ſymmetro diſtinguebat, dextro & ſiniſtro: aſſerebatq; ab auguribus hæc ſcripta eſſe, atq; immoderatas diſtantias moderatis cõtrarias: teſtesq; in eam rem libros Apolletis, Athenæi, Chæremonis, Artemidori Phocæ, atq; alioꝝ multorum, qui in augurãdi arte clari eſſent, proferebat. Deprehendi ꝓculdubio arabem & confuſum & à diſtinguendi arte alienũ: græcum uero diſtincte loqui, & artificem eſſe. Nempe artis quæ ſuoꝝ theorematum iudiciũ per experimenta habet, diſſidentia, ex diſtincta & indiſtincta reꝝ explicatione oritur. Quod ab Hippocrate edoctus, græcum augurẽ in auium uolatu artificioſum ma-

gis uideri iudicaui: quippe qui & ex abũdantia qđ celebratisſimos augurum teſtes exhiberet, fide dignus magis erat. Cũ uero arabs plurimos ęgrotãtium qbus uera prædixerat, teſtes citaret, ſuccedentis utplurimũ euenti ſubſecuti cauſam pronũciaui. Nempe ſi auis dextra moderate diſtans uiros ſeruat, immoderate uero diſtãs fœminas: ſint aũt plures quæ immoderate diſtẽt, una uero dũtaxat quę moderate: iure quidẽ multis ſuccedet ex animi ſententia, paucis uero non ſuccedet. Græcus aũt alias adiiciebat diſtinctiones, quibus etſi dextra auis immoderate diſtaret, interdũ tamen ſeruandũ uirum laborantẽ declararet: nempe qui molle & muliebre ſtudiũ exerceret, ueluti & ſacrificulũ mulieris ſchemate ſeruari dicebat, rurſumq; & id ab optimis ſcriptũ eſſe auguribus demonſtrabat. Adde qđ & alias quaſdã adiiciebat diſtinctiones, in qbus arabs nihil intelligere uidebatur. Retuli hęc ꝓpter ſequẽtem dictionẽ, quã nemo cõuenienter expoſuit, ſicuti neq; eã quæ ante ſcripta eſt, ubi ait: Quęſtiões ſanè hmõi ꝓponere non conſueuerũt medici, neq; forſan ſi proponãtur ſolui reperiũtur. Nam cũ inquit græce τοιαδε, latine hmõi, id eſt quæ ita diſſident, quidã de ptiſana ſola perperã intellexerunt: alii aũt paulo his melius de uictu acutorum, alii de omni ſimpliciter uictu, alii uero de curatione uniuerſa prioribus quidẽ melius, ſed neq; adhuc abſolute. Cauſam autem totius diſſidii quęſiuit Hippocrates in omni arte quæ experimẽtis iudicari poſſit. Quod autem id ita habeat, manifeſte per ſequẽtem condiſces orationem.

XVII.

NEMPE & ægris omnibus ad ſanitatem magnum quippiam poteſt, ſanisq; ad ſecuritatem, ſeſeq; exercitantibus ad bonum habitum, atque ad quod quilibet uoluerit.

Sermo præsens eos arguit qui Hippocratem existimant præscriptam dictionem de ptisana sola proposuisse, eosq; qui de uictus ratione siue acutorum morborũ, siue simpliciter uniuersa factum id putant: pari modo & eos qui de curatione uniuersa problema esse existimauerũt. Nempe prior oratio quæ ita habet: Nempe & ægris omnibus ad sanitatem magnum quippiam potest. eos arguit qui de ptisana, atque alios qui de sola uel acutorum uel morborum aliorum uictus ratione antecedentem orationem esse opinantur. Neq; enim ægri omnes à sola uictus ratione curantur: cũ multi sint, qui manuum opera & medicamentorũ administratione indigeant: adhuc autem magis neq; à ptisana sola. Quapropter neque de sola in acutis morbis uictus ratione, neq; de ea quæ simpliciter morborum est omniũ, sermo Hippocrati existit: neque de sola ea quæ ex his oritur controuersia: sed de omni simpliciter arte quæ experimentis tũ discerni, tum iudicari nata sit. Qui etenim commune uniuersalemq; locum sententiæ quendam reperit, ex eo quæ particularia sunt iudicat. Particulare autem unum est, & quod de ptisana medicis in cõtrouersiam uenit, sicuti & quod de uictus ratione non acutorum modo, uerum quoque & morborum aliorum, atque etiam quod generalius est de curatione uniuersa, & quod adhuc hoc generalius uniuersaliusq; est, de omni corporis prouidentia, & si sanorum ea fuerit. Nempe & hi ea indiget arte, non quæ ad consequendam sanitatem præcepta tradat, sed ad præsentem conseruandã. Quod non prætermisit Hippocrates, cum inquit: Sanisq; ad securitatem. Nempe ut talis seruetur, securitate est opus. Vtilem quoq; ait esse speculationem & his qui exercitãtur ad habitum bonum: ut enim ægrorum curatio ea quæ nũc ab Hippocrate pro-

posita est, speculatione indiget: sic & sanorum securitas, ut præsens sanitas cõseruetur: sic & sese exercitantium prouidentia, ut bonum habitum consequantur. Hæc igitur omnia artis sunt. † Sed quod serie continuata dicitur, ad omnem extenditur artem. Quidnam etenim est quod ait: Et ad quod quilibet uoluerit? Nempe augur, aruspex, musicus, rhetor, & artifex omnis simpliciter causam eius quæ in sua arte reperitur, controuersiæ unam esse existimat: cum scilicet unusquisque ex particulari uniuersale facit. Ita sanè & in auguribus factam controuersiam deprehendi, eumq; qui ueriora loqueretur iudicaui: atque ob id augurũ memini arabis & græci. Nempe artis omnis constitutio ex propriorum à communibus distinctione oritur. Qui enim hæc distinguere potest, is optimus censetur artifex. Vt autem constitutio, sic & iudicatio in distinctione substantiam habet. Nempe fallũtur qui artes constituunt, cum quod cuipiam cõtigit, id uel in omnes uel in plures quàm oportet, extendunt. Quod siquidem nulli prorsus cõtigit, nemo id in tali arte persuadebit sibi uerum esse. Nam in hoc uere oritur controuersia, cum unusquisq; rem sibi persuadet, non circa illud quod assumitur contingitq; contentiose litigans: quo modo nonnulli de quibusdam secus quàm sentiebant, fecerunt: quo modo & qui proponũt ambiguum esse, utrũ uigilamus dormimusve, aut sapimus insanimusve. Quod si manifestum esse id indulgeatur, utri sanè magis uera loquuntur. anceps inquiunt esse, an qui uigilant his qui dormiũt, uel quàm insanientes qui non insaniunt. Nullus siquidem qui sibi rem persuaserit, aut qui secũ opinatus fuerit, ita sermones facit: sed qui contentiose litigat, secusq; quàm sentiat facit. Quidam autem in arte medicinali res nouas quidẽ sunt aggressi, cum rebus prioribus me-

† Quæ est ca corpus uersat. in antiqs. n. græc. est τὰς περὶ τὸ σῶμα.

lius quippiam inuenire nequiuerunt, sed uulgi affectionem quã Hippocrates recensuit, intellexerũt. Nempe quod externum inusitatumq́; est, & nondum si utile est intellectum, laudant magis, quàm assuetum quod utile esse est cognitũ. Sunt qui ob uictus suauissimi affirmationem persuadentes ægros alliciunt, doli uafriciæq́; non ignari: sed id ꝓpter lucri gloriæq́; cupiditatem aggrediũtur. Reiecta ergo ea quæ uerbis fit controuersia, quam uiri huiusmodi inter se habent, quæ secũdum rei ueritatem est controuersia: ea oritur quòd enunciatio non distinguatur, sed de pluribus quàm oportet, uel omnibus tanquam similiter habentibus efferatur. Atque ob id iuste laudandus uenit Hippocrates, qui de sola secundum rei ueritatem meminit controuersia: quam qui artem constituere aliquam uolunt patiuntur, cum secum suaq́; in anima differenter opinantur, & non uerbis subdole simulatis id agunt ob gloriæ uel lucri cupiditatem. Nullus enim qui animi consilia uere per experimenta iudicat, Petronæ uictus rationem recipiet, carnes assas administrans, uinumq́; nigrum in his qui acuta laborant febre, neq; in tanta siti ita temperans, ut cotulæ aquæ uigesimam porrigat partem. Talia siquidem diætemata absurda sunt, duorumq́; alterum existit: nempe aut quòd externa sunt, uafris ab hominibus exercitantur paranturq́; : aut summam propter †admirationem id agunt, si plane soli ueritatem reperisse existimauerint. Quæ uero ab Hippocrate scripta sunt, ea in prudentibus uiris qui uere artem constituere student reperiri possunt: cum non maxima sit læsio, quãdo quibus non oportet offeruntur. Talia igitur distinctu difficilem habent eam quæ experimentis conficitur iudicationem: quæ autem ualde differunt, facilem. Controuersiam igitur in his quæ parũ inter se exu-

†stupiditatem, potius.

perant, iudicare, & quibusnã ptisana sola exhibenda in acutis morbis sit, & q̃bus hordeacea, & quibus nullo pacto id faciendum sit, sed potus solus ad iudicationem usque porrigendus sit, demõstrare Hippocratis intelligentia est dignum.

Lib. de ptisana. cap. 5

XVIII.

PTISANA igitur frumentaceis gustamentis recte præferri mihi uidetur in acutis morbis: eosq́; qui eam prætulerunt, laudo. Nempe uiscositas eius læuis, continua, iucunda, lubrica, & mediocriter humens, sitim minime infert. * & si quid ablui eget, probe abluit. Non astringit, non male turbat, neq; in uentre tumescit. Nempe inter coquendum quoad maxime potuit intumuit.

* vbi in impressis ὡ ἐκπλυτον, in antiqs ὡ ἐκκριτον legit: hoc est facili ad excretionẽ, & in cõmẽtario eodem modo.

Orationem hanc tantummodo legisse mihi uidentur, qui librum hunc de ptisana inscripserunt: ueluti prooemii partem primam, qui aduersus gnidias sententias titulum fecerunt. Nam Hippocrates in secunda prooemii parte non amplius gnidios medicos contra agere, sed sese ad curationis acutorum morborum exercitationes conuertere est uisus. Tertia autẽ prooemii pars quam hucusq; percurrit, ad eam quæ uictum morbis acutis præscribit, artem spectat. Neque tamen ad eam solam est accommoda, uerum quoque & alteri qui uniuersalior sit, subiecta est sermoni. Demõstrauimus autem in his quos in scripta de fracturis articulisq́; parauimus commẽtariis, Hippocratem subiectos specialesq́; sermones pro aliis quibusdam uniuersalioribus obsignare cõsueuisse, doctrinamq́; uniuersalium ex ipsis quæ tanquam exempla constituit efficere. Neque enim ita ab instituto recedit, neque sæpius præcipit quod multorum commune existit. Quo autem modo in ptisana sermonem fecit, causam eius quæ de ipsa est

contentionis,tum ueſtigans tum decernens: ſic & de omni acutorum morborum uictu rectam tulit ſententiam. Quinetiam & de uenæ ſectione & purgatione,& tum glandis tum clyſteris uſu: de cataplaſmatis item,fotibus,uino,aqua mulſa, oxymelite & balneo,non parua inter medicos exorta eſt controuerſia. Quæ omnia libro in hoc percurrit Hippocrates methodo una quam nuper dixi: cuius † ignoraſſe uiſi ſunt,qui ſe empiricos nominauerunt,diorismis, id eſt diſtinctionibus propria à communibus ſeparantes. Conſueuerunt aũt diaſtolas magis quàm diorismos appellare ſermones eos,qui quod proprium eſt, à communi ſeparant diſtinguũtq;. Iam ergo quæ ab Hippocrate depti ſana dicuntur,uideamus. Videntur ergo mihi, inquit,priores medici frumentaceis guſtamẽtis prætuliſſe in acutis morbis ptiſanam. Frumentacea guſtamenta intelligit,quæ ex frumento fiunt: frumentum autem græce σῖτον homines appellant,maxime quidem triticũ, * ſed iam unà cum tritico,tum hordeo tum zea ueſcuntur. Appellationem uero ad plura extendentes, cercalia quoque appellata ſemina connumerant: lentem uidelicet, fabam,lupinum,cicerculam,panicum,miliũ,piſum, fœnum græcum,auenam,tipham,cicera,& quæcunque id genus alia. Horum igitur omniũ frumentaceorum guſtamentorum,cætera quidem uulgò damnãtur, quod protinus magnum inferant detrimẽtum. Panis autem unus & chondrus in acutis adminiſtrantur morbis cũ his ſolis ptiſana cõferenda eſt Lens ſiquidem,& milium,& fœnum græcum,tanquam medicamenta ob quoſdam uentris morbos exhibentur,& nõ tanquam nutritura cibaria. Ptiſanam igitur recte prælatam eſſe ait frumẽtaceis eduliis, pani ſcilicet,chondro & zeæ,ex qua fit tragus appellatus. Nempe eorum qui chondrum temporibus Hippo-

¶ Nouiſſe græc. ille ait.

Diaſtole diorismi.

Mo.

* Nõ hoc uoluit Galen. græ. ſed quòd iã & hordeũ & zea latiori ſignificatu σῖτος conſueuerint appellari.

TRAGVS.

Cerealia ſemina.

bus Hippocratis nondum fuiſſe exiſtimant ignorantiam argues,tum ex quibuſdam antiquis comicis q̃ chõdri meminerũt,tũ ét ex Hippocrate ipſo, q̃ in libro de uictu ſalubri de chõdro ipſo mẽtionẽ fecit. Nã etſi liber ille Hippocratis non ſit,ſed uel Euriphõtis,uel Phaontis,uel Philiſtionis,uel Ariſtonis,uel alterius cuiuſpiã ex antiqs (nẽpe ad multos librum hunc referunt) ſanè omnes hi ueteres uiri ſunt,atque ex eis quidam & Hippocrate antiquiores exiſtunt,alii uero tempore ipſius uixerunt. Loquor autem de Hippocrate Heraclidę filio,qui librum hunc confecit. Nam auus ipſius Gnoſidici filius Hippocrates, quorundam iudicio nihil omnino ſcripſit,aliorum uero ſententia duos ſcripſit de mẽbris fractis & articulis. Quare autem ptiſana frumentaceis eduliis non perperam antepoſita ſit,oſtẽdetur per ea quæ ipſe infert,inquiẽs: Quæcunque etenim ad acutorum morborum ſanationem inſunt bona,nulli alteri ineſſe comperies. Reſte autem iudicabis,ſi & acutorum morborum naturam,& ptiſanæ uires cognoueris. Natura igitur acutorum morborum eſt,uti ipſe paulo ante dixit,ut horum febres omnino ſint continuæ: febris uero ortus,caloris natiui ad igneum eſt conuerſio, ut alibi demonſtrauit,& nũc manifeſtabit,inquiẽs: Ex thorace ſiquidem incipit,atque ad caput flammam mittit. Præterea in libris uulgarium morborum, febrem magnam ignem uocare conſueuit: quaſi non aliam habeat naturam prętęrquàm ignis ſubſtantiam. Si igitur contraria contrariorum remedia exiſtant, ſanè febris peculiare remedium ut uirute tum refrigerante tum humectante ſit, oportet. Id nanque febris naturæ, quæ & calida & ſicca eſt, contrarium erit. Talis ſiquidem naturæ eſt ignis. Præterea cum febres & ex humorum putredine, oriantur, non paruam diligentiã adhibere oportet

FEBRIS

ut quicquid ex ipsis cõcoqui possit, cõcoquatur: & quod iam exustum sit, neque amplius concoqui possit, euacuetur. Quòd si febrientibus ipsis cibi usus sit, qui hæc efficere queat, si etiam facile tum coquitur, tum distribuitur, iam omnia hæc quibus est opus habuerit. Quænam igitur sit ptisanæ uirtus, ex Hippocrate audiamus: Viscositas, inquit leuis est. Leue, exasperanti opponitur. Exasperant autem acria, acida, & astringentia: acria sanè omnia calfaciunt, ut erum, fœnum græcum: acidorum cætera quidē dimittere oportet, de oxymelite uero est duntaxat agendum. Dimittantur pari modo ex astringentibus pira agrestia, & mespila, & quæcunque huiusmodi, atque ex frumentaceis, lens & similia. Exasperātium igitur malitiam ptisana effugit, utpote quæ læuorem non tactu solum, uerum quoque & facultate habeat. Est item & uiscositas eius continua. Est siquidem in omni parte sibiipsi similis propter exactam coniunctionē: quod †zeæ nullo ineſt pacto. Laudatur præterea non parum quod in ptisana iucundum & mite existit, quod immiti iniucundoq; opponitur: id est, quod dum sumitur, insuauitatem quandam facit: sicut denique & panis insuauis est, dum sumitur, nisi abunde ipsum maceraueris madefeceris q; . Immo & ita supatur ab ea quæ in ptisana est iucunditate, quæ mandi non indigeat, sed potuum instar sorberi possit. Neque paruæ est conditionis ptisanæ lubricitas, præsertim cremoris. Pertransit enim thoracem, in nulla ipsius parte quippiam dum transit, relinquens: ueluti faciūt quæ in meatibus infarcta adeo obstruant, ut uix absolui possint. Quod accidit uiscosis omnibus excepta ptisana. Hinc sanè q̄ ex chondro fit sorbitio, quod quidem uiscosum sit, habet: sed lubrico est destituta. Ptisanæ autem ingest & lubricum & detergens: quapropter medici

†In ant. exēplaribus legimus τοῖς λοιποῖς ζωμοῖς. i. cæteris iuribus.

ad detergendum eum qui in uentre infarctus est humorem, uomitibus, exhibito ptisanæ cremore ueluti & aqua mulsa, utuntur. Crudam quoque cõterunt ptisanam puerorum mangones, faciesq; , ut uitiosos cutis exterant colores, illinunt. Quod autem in ea detersorium existit, id & ad deiectionem est idoneum, distributionemq; , præsertim ubi exsima hepatis ad gibbam transmeare debeat, quæ distribuitur alimonia. Hic etenim infarciuntur quæ crasi succi sunt, & quæ tenaciter collæ modo adhærent. Atque ob id chondrus non in affectis iecinore solum maxime nocet: uerum quoque & in his qui uiscus hoc nullo quidem pacto læsum, sed cum meatuum angustia naturaliter afformatum habent. Qui igitur ita natura affecti sunt, ipsis tum uiscosa, tum crasi succi omnia infarciuntur, atque opplent: atque ob id grauitatem in eo uiscere sentiunt, cum hæc distribuuntur. Præterea ptisanæ uiscositas humens est, sed non uehementer, ut aqua & melicratū : sorbitio item ex chondro, & ea quæ sorbentur oua. Nempe ea omnia stomachū languētibus ipsis ita manifeste supinant, ut subuersum ipsum esse existiment. Verum ptisana humectare quidem ualet, sed stomachū subuertere nō potest. Stomachum autem hoc in loco intelligere oportet, ut huiusce temporis homines dicere consueuerūt, nō meatum uētriculi tātūmodo, uerū quoq; & os ipsius. Q ā si imbecillum fuerit, atq; exolutū, manet diutius in eo qđ ingestū est supnatās. Sed cōtrariū usu euenire natū est, ubi à cibo aliquo bonī succi reductū, qđ cōtinetur expellit. Nempe humor protinus ab ipso recedit & coqtur, atq; qđ ita expulsum est deiicitur. Nec secus q̄ crudū manet, tardeq; cedit qđ in ore uētris supernatat. Nempe partis huius munus est appetere, nō concoquere. Quæ igitur astringūt edulia, ut uētriculi os robo-

rant,ſic & plus iuſto exiccant. Parí modo & q̃ ex chȏdro paratur ſorbitio ut humectat,ita & ſupina re nata eſt. Ptiſana igitur humectãtiũ uim aſſecuta, malitiã effugit. Deinceps ptiſanã ſitim minime inferre ait Hippocrates,maximũ qppiã & hoc eſſe in his qui corpus tum exurunt,tum ſiccant morbis teſtatus. Hac ſanè occaſione ptiſana quàm aqua mulſa longe melior exiſtit,quanquam abluendi bonitatem quam deinceps huic ineſſe ait,ſimiliter aquę mulſæ nacta fuerit: immo ſi ptiſanã aquæ mulſæ comparaueris,ptiſanam ipſam in acutis morbis & ſuperiorem & melioris conditionis eſſe reperies: quod procedente oſtendam ſermone. Nam de ptiſana ſermonem abſoluere eſt tempeſtiuum. Probe ſiquidẽ abluere dixit cum adiectione,ſi quid abluí egeat: quaſi non in omnibus acutis morbis probe abluente utamur edulio. Nẽpe cætera omnia quæ de ptiſana dicuntur bona,morbis omnino proſunt acutis: ſed abluendi bonitas quibus uentrem ſubduci uolumus,ubi cibus in uia moratur,eſt idonea. Probe igitur abluere,febrili affectioni neque tanquam contrarium,neque tanquam familiare auxilium unum utile exiſtit: ſed bene tanquam ſymptomatis alicuius emendatorium correctoriumq̃. Deinceps inquit, Neq; aſtringit,neq; male turbat, uiſcoſitas ſcilicet ptiſanæ: ſic etenim ſermonem de ea inchoauit. Nõ aſtringere autem quibuſdam maxime bonum exiſtit. Nemo ſiquidem aſtringentibus utitur cibis,niſi uel propter ſymptoma quod animi deliquium inducat,uel propter immoderatum uentris profluuium. Cogunt ſiquidem conſtringuntq; corpora,uiasq; tum diſtributionis,tum alimoniæ, tum eius quæ foras ſit perſpirationis conniuere faciunt: quas recluſas apertasq; eſſe cõducit. Quod autem non turbet,id eſt nullam dum concoquitur faciat perturbationem,in laudem & ipſum præſtat ptiſanæ. Perturbatio autem huiuſmodi ex multis paritur eduliis: his quidem uentrẽ mordentibus,aliis uero inflantibus: aliis item quæ pugnantibus facultate partibus cõſtant,quod tum in lenticula,tum in braſſica reperitur. Nempe ſolidum ipſarum corpus uentrem cohibet, ius autem ipſum proritat,ſubducitq;. Sic & qui cerebrum cũ oleo & garo condiunt totum ex ipſis tum diſſimilare,tum ſibiipſi pugnãs efficiunt,cerebro quidem ſtabili & tarde meãte,mixtis uero ipſi ad deiectionem excitari idoneis. pari modo & de ouo dicendum,ſiue cum melle,ſiue cum ſale,ſiue cum garo adſumatur. Nempe quod ex ipſis conſtat,differentes habet facultates: Iura item ferè omnia. Quapropter & circa ſermonis initia uiſcoſitatem ptiſanæ laudans inquit, cõtinua. quod ſanè citra totius in partibus omnibus ſimilitudinem nõ fit. Verum in præſentia huic uerbo Turbat,adiecit hoc aduerbium,male: (ſic græce, οὐ πάνυ κακῶς) ptiſanam non turbare haudquaquam ſimpliciter aſſerens, ſed male adiiciens. Nihil enim ciborum concoctioni quàm hoc ipſum aduerſatur magis. Quo fit,ut qui de concoctione ſcripſerunt,ciborum uarietatem,præſertimq; ubi uariis conſtent facultatibus,nocentiſſimam dixerint, utpote quę ingeſta ipſa probe cõcoqui prohiberet. Obſeruant id maxime,tum qui luctantur,tum qui legitime certant. Prandio ſiquidem panem duntaxat edunt,in cœna uero carnem. Plura de his enunciarem, niſi ſcirem te inuenire ipſa poſſe,qui ex his quæ de concoctione in commentariis de facultatibus naturalibus dicuntur,ſis inſtructus. Commentarios autem huiuſmodi ſi neglexeris, fruſtra in his uerſaris. Quapropter de perturbatione huiuſmodi ſupſedens,ad omnium ultimum me transferam, quod ab Hippocrate de ptiſana adhuc loquẽte dicitur.

Neque in uentre tumescit. Nempe multos ptisanā quod flatuosa esset damnantes, haudquaquam ignorans non abs re adiecit, Nam inter coquendū quoad maxime potuit, intumuit. Qua sanè adiectione crimen, controuersiamq́; simul & purgationem significauit, coctionemq́; edocuit. Scribit quędam & nihilominus de coctione in sequentibus, sed in præsentia tantillum hoc sermoni de ptisana adiiciam. Ptisanam si ualde coxeris, cibum haudquaquam flatuosum efficies. Etnos autem fabaceū (ita Græci dicunt) neque si tribus coxeris diebus, flatu uiduum orbatumq́; reddideris. Nempe ex propria substantia quod flatuosum est, habet, non autem ob diminutam coctionem ueluti ptisana. Sunt qui ab ipsius coctione ocyus recedere cōsueuerunt, potissimumq́; diuitum coqui. Terunt siquidem crudam eam, atque deinde parum calfaciunt. Non enim coctam dominis offerunt. Sed de coctione ptisanæ, ut dixi, rursum dicetur. Nunc autē posteaquam uires ipsius demonstrauit, deinceps usus distinctiones docebit: ad quem & ego me conferam, ubi me in sequentibus absoluturum sermonem de ptisanæ ad aquam mulsam & alia comparatione præmonuero.

XIX.

†In ant. ὅλησι πτισ σανησι. i. tota ptisana.

QVI AVTEM in huiusmodi morbis† ptisana utetur, ne uno quidem die uasa, ut ita dicam, inaniri permittat, sed ab usu eius nequaquam desistat, nisi uel propter medicamentum uel clysterem, eum desistere opus sit.

Soluere incipit quod quæritur. Sed quoniam dictionem ipsam non exacte interpretatus sit, ob id obscurum ambiguumq́; reddidit sermonem. Quapropter, ut quonam maxime expositus modo nihil obscuritatis habeat, referre conabor, sermonemq́; ab initio hoc repetam pacto. Quænam est causa discordiæ, cur in acutis morbis alii quidē ptisana hordeacea utantur, alii solo ptisanæ cremore, alii ne hoc quidem ad morbi usque iudicationem? hoc sanè est problema. Sed solutionem deinceps audi. Qui acutis laborant morbis, alii quidē à cremore solo, alii à ptisana ipsa, alii ab horū neutro iuuantur. Sed sanè immodestius de omnibus morbo acuto laborantibus tulit medicorum unusquisq; sententiā, non considerata ea quæ in omnibus esse debuit experientia. Sed distinguam ego demonstraboq́; quinam à ptisana iuuantur, quinā à cremore solo, & quinam neutro indigeant. Tota igitur ptisana uti debent ex acuto morbo laborantibus, qui neq; alio quopiam ante egent remedio, quale uel per sectam uenam, uel uētris subductionem, uel quippiam simile fieri solet: neque etiam eis insit quod periculum minetur symptoma. Cremore aūt, qui aliqd tū fallacius, tum periculi magis particeps habēt. Quos uero uel sanguinis missione, uel purgatione uacuare expedit, uel etiā dolores sedare: his nō ante uel ptisanā uel cremorē dabis, quàm quippiā eorum q̄ dixi feceris. Sanè hæc Hippocratē præscripsisse oportuit, & ab unoquoque singularium incepisse: atque hoc pacto futurū sermonem obscuritate omni uiduum priuatumq́; fecisse. Verum quoniam id nō fecit, non absq; causa obscurus abiecto conueniente ordine, est effectus. Nos autē dictiones ipsius sequuti, reducamus unāquanq; ad ea quæ ante dicta sunt capita, atq; in primis diligentia adhibita præsentē exponamus dictionē. Quare me latius explicantē Hippocratis dictionē, simulq́; & uerba aliqua gratia ꝑspicuitatis adiicientē audito. Qui igitur ægrotantes ptisana in his morbis reficit (dicam autem paulo post qnā ea utātur) iis quidē nulla die uasa inaniri, ut ita

dicam,permittat:nisi desistere debeat uel propter medicamentum uel propter clysterem.His ergo si bis dederis, cum opus habuerint, bene facies, atq; quãtũ corporis tolerat uirtus.Explicabo autẽ tibi scopos, quibus attentus uel per uentrem uel per uenas ipsos euacuabis, aut fotibus cataplasmatisve uteris. Quos si prædixisset, deinde unumquenque seriatim resumens conuenienti exposuisset ordine: non obscurus fuisset sermo ipsius. Nunc autem quod interrepit, interlabiturq; semper, ad finem usque persequi cupiens, ubi sermonem non parum suspensum esse uoluit,iure obscurum fecit.Vera autem me loqui deprehendes, si dictiones singulas omnes claras manifestasq; inueneris:orationem uero totam incompositam,& ob id obscuram.

XX.

PROINDE qui bis die cibari consueuerunt, bis ptisanã dare oportet:q semel,semel quidem primo die detur:deinde ἐκ προσαγωγῆς,id est sensim paulatimq; si fieri potest:bis quoque detur†si quid putas adiiciendum.

†si id putas esse ex usu.ego uertẽ.

†sic rectius, Quod si necessitas fuerit, eis quoq; bis offerre qui semel tantum cibari consueuere.

Bis cibandos ipsos inquit,qui bis cibari consueuerunt:†idq; si adsumendi necessitas fuerit. Quòd si semel tantum cibari consueuerunt,ptisanam bis dabis,ab ipso quidem semel incipiens,sed paulatim ad bis ipsum procedens.Nempe ἐκ προσαγωγῆς.i. sensim,id declarat.Fitq; res hoc pacto: Semel quidem dabis quod satis sit,sed minimum sit quod secundo exhibeas. Deinde paulatim augebis,idq; efficies donec ambas æquari alimonias contingat.Sed nondum sermonis huius fides huic patet,qui librum hũc Hippocratis legit, quòd neque ab ipso est præmonstratum,quinam sint qui commode ptisana utantur.Verũ ubi mediocriter

ægrotãtes ab ipso ita cibari prędixero,paulo post & Hippocratem ipsum uelle id demonstrabo.Atque hæc tibi sit præsentis huius dictionis expositio.Sunt autem plerique qui dictionem hoc scribant pacto,Qui semel cibari consueuerunt, semel quidem prima die dãdũ sensim paulatimq;:quod si fieri potest,bis quoq; detur,si quid adiiciendum putes.Sed mente caret dictio hæc. Nam,quòd prima detur die sensim paulatimq;, fieri non potest, cum sensim ipsum pluribus ingestionibus fieri natum sit,non semel,neque statim in prima.

XXI.

VERVM inter initia neque multam,neq; crassam admodum dare oportet:sed quantum & ob consuetudinem,& ne multa uasorũ inanitio fiat, ingerere conuenit.

Qui Hippocratem replere ægrotantes asserũt, quòd his qui citra periculum agunt, bis quotidie ptisanam dare iubeat,si quod in dictione retulit,cõsiderarent,seipsos condẽnarent.Tantum siquidem sorbitionis dari præcipit,quantum alimoniæ corpori & ob consuetudinem,& nõ multa fiat uacuatio,administrari conuenit.Si igitur ptisanæ oxybaphum,id est cotulę quartam partem,quę quotidie ad septimam usque uel nonam diem exhibetur,minoris esse facultatis quàm id quo alunt nutrimentum faterentur,mea sententia à nugis sese cohibuissent.Sed paulo post id declarabo, atq; in præsentia uerbum hoc,inter initia, quod Græci dicunt κατ' ἀρχάς,exponam.Neque enim morbi principium id significat.Sed ex eo generalius audi significatum.Nempe cum ægrotans primum ptisana egere uidebitur,tunc protinus neque multam,neq; admodum crassam dato.A multa siquidem & subita tum repletione,tum uacuatione semper abstis

nuit Hippocrates.

XXII.

VERVM dandæ ſorbitionis quãtitas hoc obſeruabitur pacto. Nempe ſi morbus ſiccior q̃ ut quiſpiam exiſtimet fuerit, nõ multum dare oportet: ſed ante ſorbitionem, uel mulſam, uel uinum, utrum magis auxiliaturũ putaueris, propinare cõuenit. quod autem modis ſingulis iuuare poſſit, dicetur.

Morbus ſiccior uariis dignoſcitur modis, quãquam uniuerſalem communemq́; rationẽ habeant eandem. Peripneumonia quidem & pleuritis, atq; omnino qui tum pulmonem tum aſperã arteriam infeſtant morbi, cum nihil ab affectis expuitur partibus: Iecinoris uero, uel meſaræi, uel uentris, †uel ieiuni, uel inteſtinorum, uel lienis, ubi aluus proruſus cohibita ſit, aut pro neceſsitate excernat tum ſicca, tum aridiora, & *in ſeſe cõuoluta ſpiraſq́; referentia excrementa. Morbi tum arteriarum, tum uenarum dignoſcuntur linguæ ſiccitate, & ea quæ †totum corpus occupat ariditate. Phlegmonæ pari modo fiunt duræ in his quæ tum foris tum conſpicue apparent ulceribus, ubi ſcilicet nulla ex ipſis ſanies effluat. Sæpius & in oculis phlegmonæ etiã duræ oriuntur nihil excernentes. Cerebri pręterea ægritudines, quæ neq; per nares, neq; per palatum expurgantur, iure optimo ſiccæ dicuntur. Et ſanè ſuperfluitatum nihil excernere, ſiccorum omnium morborum notam eſſe non ignoras. Non immerito igitur Hippocrates humectantium aliquid ante ptiſanam adſumi iubet, ut uel aquam mulſam, uel uinum, tanquã hæc quàm aqua magis humectent. Sed quoniam uires ipſorum ſeſe enarraturum pollicetur, ob id & nos eorum quę ad aquam eſt comparationem, in eam differemus libri partem, quæ

† Alicubi κύστιν legimus hoc eſt ueſicæ

* Alibi πετρατώδη legit hoc eſt petrã duritie referentia.

† Alibi παντὸς δέρματος. i. totam cutem.

horum uires edocet.

XXIII.

AT SI OS madeſcat, & quæ à pulmone expuuntur talia ſint, qualia eſſe oportet, ſorbitionis quantitatem, * ut dicam ſummatim, ⅃ augere cõuenit. Nempe quæ citius magisq́; madeſcunt, iudicationis denunciant celeritatem: quæ uero tardius minusq́;, tardiorem ſignificant iudicationem.

A morborum ſiccorum genere ad eos qui contrario pugnant modo conuerſus, deinde memorato citra omnium adiectionem uno, narrationem eius commune omnium eiuſdem generis exemplum ratus, non abſque cauſa obſcuritatem fecit. Nempe os madeſcere, & talia à pulmone expui, qualia oportet, morbi non ſimpliciter ſunt humidi notæ, qui omnino in omni ſit corporis parte: ſed cum cuiuſpiam eorum quæ reſpirationi ſubſeruiunt inſtrumentorum affectione. Ob eam rem, ut dixi, dictio Hippocratis obſcurior eſt reddita. Sed quod ab eo enunciatur, uerum omnino eſt: quòd ſcilicet quæ per ſputa, ueluti oportet, excreta expurgantur, celeriter iudicantur. Contraria uero duorum alterum ſubeunt: nempe aut in perniciem, aut in longum finiuntur tempus. Ergo qui probe expurgantur, his ptiſanam dare oportet: † non ut uirtutem roboret modo, uerum quoque & his quæ per tuſſes ex pulmone fiunt humidorum expuitionibus opem ferat. Nempe uerba hæc, qualia eſſe oportet, coctionis habent notas: de quibus abſolute diximus tum in his quos de criſibus, tum in illis quos de temporibus morborum fecimus commentariis. Præterea & in expoſitione aphoriſmi illius, ubi Hippocrates quonam oporteat modo ex apparentibus præ-

* In antiquis græ. ut in lat. tria hæc uerba deſunt.

† Vt uirtus facta robuſtior ſufficiat ad eas q̃ per tuſſes ex pulmone fiũt humidorũ expuitiones. ubi in antiqs ꝑ ρωσθῆναι, ρωσθεῖσαν legitur.

notiones facere ostendens, sermonis exemplum
1 aph. 12 pleuritidem scripsit hoc pacto: Veluti in pleuri-
ticis si sputum inter initia protinus appareat, mor-
bum breuiat: si uero postea appareat, produ-
cit.

XXIIII.

ET HÆC quidem per se talia parte plurima existunt. Sed multa quoq; & alia peropportuna quæ præmonstranda sunt, prætermittuntur, quæ postea dicentur.

Dixi & ego sermoni huic deesse nō pauca, quæ ad distincte definiteq; loquendum commoda exi-
stunt: de quibus & ipse agere pollicetur. Sed in præsentia de his solum uult intelligere, quæ dicta sunt. Ea siquidem per se talia sunt, qualia ipse per-
currit.

XXV.

ET QVANTO maior fuerit expurgatio, tanto magis ad iudicationem usque dare opor-
tet: sed maxime duos ab iudicatione dies, quibus utique uel quinto, uel septimo, uel nono fieri de-
beat morbi iudicatio: quasi dierum tum paritas, tum imparitas, perpēdenda sint. Post hoc autem mane sorbitionem dabis, serò autem ad cibaria
tete conferes.

Κρίσιν id est iudicationem, nunc dixit uel per-
fectam morbi solutionem, uel permutationē eam quæ usqueadeo insignis sit, ut æger periculum om-
ne euaserit. Duos autem ab iudicatione iubet ad-
notari dies, ut & eos qui diebus tum paribus, tum imparibus fiant accessionū circuitus, obseruemus. Contingit siquidem interdum, ut tanquam soluto exactè morbo ægri confidant, cibentur deinde ne-
gligentius, & eius quæ per circuitum repetat acces-

sionis occasionem præbeat. Tutum igitur est etiā, si morbus iudicatus fuerit, ad duos usque dies dili-
gentem uictus rationem qua æger usus fuit, seruā-
re. Præteritis autē ab iudicatione diebus duobus, iam securum est plenius cibare, sic ut neque muta-
tionem eā quæ uniuersim subitoq; fit, efficiamus, sed mane quidem sorbitionem demus: postea ue-
ro dimittente die iam & frumentacea exhibeamus alimenta. Constat igitur Hippocratem languenti-
bus ipsis neque aliud quippiam ante præfinitum tempus nuper dictum dare, neque panem, sed pti-
sana omnino contentum. Quod ægrum satiantis replentisq; non est, sed potius, si quis uitio uertere uoluerit, tenuius quàm oportet: sed exuperantia-
rum exacte est medium, & maxime laudabile. Qd' autem ita cibare sit medium, argumēto est eorum, qui contraria uitio uertunt, contentio. Quo è nu-
mero Thessalus, eiusq; sequaces, tanquam ægros replentem accusant Hippocratem: Erasistratus ue-
ro tanquam fame necantem. Nempe quæ ab Eras-
stratо in primo de febribus aduersus Apolloniū, Dexippumq; Hippocratis discipulos dicuntur, ca-
lumniam habent eius qui per famem fit cruciatus, qui ad Hippocratem magistrum refertur. Sed sanè Erasistrato ignoscendum magis, utpote qui uerisi-
milia dicat: cæteros uero qui Hippocratem ęgros replere aiunt, uiros Thessalo dignos esse est existi-
mandum: qui neque aliud quippiam scriptorum Hippocratis, neque quæ de uictus ratione profe-
runtur, nouerunt.

XXVI.

TALIA autem parte plurima prosunt his qui protinus tota utuntur ptisana.

Siue totam, siue hordeaceā, siue ptisanam sim-
pliciter dixerit, unum & idem ex tribus his signifi-

catur uocabulis, ptisanam unoquoq; non colatam significante. Nempe si à decoctione quis ipsam colauerit, deinde cremorem separauerit, dederitq́;, is neque tota, neque hordeacea, neque simpliciter dicta uti ptisana dicetur, sed solo ptisanæ cremore. Rursus autem in præsentia memorabo quinam sint, qui ptisana tota ab initio uti debeant: breuisq́; erit memoratio, nisi segniter desidioseq́; q̃ prædicuntur, audieris. Si ergo quæ expuuntur utilia fuerint, ægerq́; neq; medicamento, neq; clysteri egere uideatur, ptisana hunc cibare iubet. Sed propositi considerationem adiecit, inquiens.

XXVII.

DOLORES siquidem pleuriticorum confestim sponte desinunt, ubi aliquid effatu dignum tum expui, tũ expurgari cœperit. Nempe & purgationes longe perfectiores existũt, minusq́; purulenti ita fiũt, quàm si quis aliter cibaret. Præterea iudicatiões simpliciores faciliores q́; & minus reuersoriæ.

Probe autem hæc omnia à ptisana fiunt, tum quòd humectet, mediocriterq́; incidat quæ expui debent humida, tum demum quòd uirtutem roboret. Concurrentibus siquidem utrisque, ocyus expurgantur, qui respirationis instrumenta infestant humores: quos quidem & humectare, & secare potest ptisanæ modo aqua mulsa: sed uirtuti robur non addit. Contraria autem pollẽt facultate, & panis, & chondrus. Nempe uirtutem quidem roborant: sed neque humectant, neq; secant. Quod neq; alteri cuipiam inest eorum, quæ medici languentibus dare cõsueuerunt: uerbi gratia, ouis, gallorum testiculis, alis, piscibus, iuuenibus colũbis, & quæcunque id genus sunt. Quare qui lenticulã ex aceto confectam pleuritico in ea morbi declinatione quæ nihil aliud quàm coctorum expuitionem desideraret, exhibuit, is non immerito languenti ipsi qui sequenti nocte suffocatus est, mortis occasionẽ dedisse est uisus: immo lenticulam nemo qui mentis compos fuerit, dederit. Quod si æger aquam mulsam ptisanamq́; fastidierit, pisces saxatiles sunt maxime idonei, ex aqua scilicet & † marrubio, & anetho, & sale parati: * atque ex non saxatilibus aselli. Sed antea oxymeli propinare oportet: neque enim id stomacho aduersatur, nisi affectis in languẽte neruis, & in muliere, utero. Quòd si oxymelitis loco medicamentum aliud dare uolueris, dabis eam quæ ex marrubio & iride fit, confectionem. Nempe hæc si per se cum mulsa bibatur, maturat probe quæ tum in thorace, tum in pulmone sunt superflua, atque ad expuitiones præparat.

† Porro potius πρᾶσου. n. ait.

* Et cum olei moderata portiõe, id ab interprete derelictũ est.

XXVIII.

PTISANAM autem ex optimo confectam esse hordeo oportet, atque quàm probissime coctam, & maxime si non solo uti debeas cremore.

Probatissimum hordeum prius quàm experiaris, ex eo solum quòd & plenum sit, & nihil rugosum in se habeat, iudicabitur. Sed experientia iudicatum per decoctionem deprehendetur, ubi scilicet plurimum intumuerit, & succũ fecerit plurimum: quod stabile ratumq́; facultatis ipsius est argumentum. Nempe quod ab † alendi bonitate sumitur, id scientificum non est, neque perpetuo uerum, quanquam utplurimum insigne, egregiumq́;. Ptisanam autem perpetuo optimam esse iubet: sed maxime si non solo uti cremore uelimus, uerum & ipsa tota. Quare autem id præcipiat, manifeste declarauit, quum inquit:

† ὠ'προφία hic id ipsum significat quod supius plenum, non alendi bonitatem.

XXXIX.

NAM præter reliquas ptisanæ facultates, lubricitas eius, ne hordeum cum deuoratur noxã inferat, efficit: neque enim adhæret, neq; in recto thoracis manet tramite, ἴξιν eum uocant.

ἴξιν.

Hippocratem ἴξιν utplurimum quidem εὐθυωρίαν, id est rectum tramitem. Interdum autem & φοραὴν, id est delationem dicere non ignoramus. Quod autem ptisanæ haustæ per thoracem tum rectum iter, tum delatio ad uentrem usque per stomachum fiat, liquido cõstat omnibus: uultq; Hippocrates in ea re nihil ipsi adhærere. Nempe cum multa in thoracis pulmonisq; affectionibus existit caliditas, quod adhæret arescitq;, atque adeo pertinaciter obstruit, ut uix absolui possit, id ciborum fastidium quoddam & sitim facit.

XXX.

LVBRICISSIMA autem est, sitim maxime arcet, facillime concoquitur: & infirmissima existit si optime cocta fuerit: quibus omnibus est opus.

Ptisanam probe coctam non lubricissimã modo, maximeq; ab inferenda siti alienam, & facilis domituræ esse adstruxit, sed tãdem infirmissimam esse adiecit. Quòd maxime lubrica sit, si probe cocta fuerit, iam antea est enunciatum. Sed quòd ab inferẽda siti maxime aliena sit, hic propter hordei naturam continuo adiicitur. Est autem hordeum temperamento frigidum. Verum quonam pacto substantiam ipsam tum frigidam, tum calidam iudicare oporteat, inter animantia quidem in libris De temperamentis diximus: inter ea uero quę anima carent, in his quos de simplicium medicamẽtorum uiribus fecimus cõmentariis. Immo & facillimæ

cillimæ ait esse concoctionis ptisanã huiusmodi, utpote q̃ dissoluta sit, neq; quippiam habeat qđ & durum sit, & difficulter perfici possit, atque haudquaquam flatuosam iam propter longam cocturam affectam esse. Quantum uero spectat ad id quod in dictionis fine dixit, ptisanam huiusmodi infirmissimam asserens: si nihil de probissima ipsius concoctione antea egisset, promptum esset, sermonem Hippocratis ad eam quæ in uentre fit domituram referendum affirmare: quasi infirmissimam dixisset quæ in uentre & facile uincatur, & ꝑficiatur, & permutetur. Sed quoniam id prædixit, infirmitatem illam intelligere oportet, quòd uel paucam præstet corpori alimoniam, uel nullam habeat qualitatem quæ usque adeo uehemens sit, ut uel neruos, uel mentem feriat, quo modo acetum uinumq;.

XXXI.

NISI IGITVR quis quantum deest, contulerit, ut ptisanæ sorbitio †sufficienter paretur, crebrius sanè detrimentum afferet.

†Sequẽtia ostendũt hoc non ad apparatum ptisanæ, sed ad exhibendi rationem esse referẽdum.

Docere incipit, quæ paulo ante se dicturum ꝓmisit, cum dixit: Multa quoque alia peropportuna quæ præmonstranda sunt prætermittuntur, quæ postea dicentur. Quod autem uerbum πιμωρῆσαι, id est conferre, tum apud antiquos, tũ apud Hippocratem ipsum sæpius pro βοηθῆσαι, id est auxiliari dictum sit, demonstratum & in aliis libris ꝑ eas quas in ipsos confecimus enarrationes.

XXXII.

QVIBVS enim cibus statim inclusus, si quis non uacuato eo sorbitionem dederit, dolorem si adest adaugebit: si non adest, protinus inducet, frequentiorq; reddetur spiritus: quod malum est. Nempe pulmonem exiccat, fatigatq;, tum hypo-

chondrium, tum uentrem imum, tum ſeptum tranſuerſum.

Cibum dixit, quod ab eduliis in inteſtinis ipſis continetur excrementũ: quod Græci & σκύβαλον & κάπρον appellant. Si igitur incluſo eo, id eſt ex multo tempore haudquaquam eiecto, ptiſanam quis propinauerit, lateri offenſam fieri eſt neceſſe propter inteſtinorum oppilationem: quam ex collecto in ipſis ſtercore, flatuq; propter oblatam ptiſanam haudquaquam pertranſeunte, & demum obprauam quæ ad affectam partem ſit diſtributionẽ nacta ſunt. Quo fit, ut exhauſta ptiſana, neceſſario dolorem ſi adſit, adaugeat: & ſi cõquieuerit, reducat. Nempe uapores, flatuoſiq; ſpiritus, & ſcybalorum exhalationes cum ad latus peruenĩunt, dolorem ipſi pariunt, adaugentq;: ob eas cauſas & frequentior fiet reſpiratio. Vocauit autem totam reſpirationem ſpiritum, & in prognoſtico, & in libris populariter uagantium morborum. Denſata autem frequenſq; reddita reſpratio, reſpiratoriis in organis aſſiduum ob motum caliditatem efficit maiorem, qua ſiccantur tum pulmo, tum ſeptum tranſuerſum: ſiccanturq; unà & calfiunt eæ quæ tum in hypochondrio, tum in peritonæo exiſtunt animalis partes. Omnes ſiquidem in reſpirationibus unà cum thorace mouentur. Quod autem principio dictionis dicitur: Quibus enim cibus ſtatim incluſus, Vocem hanc, ſtatim, ordine habet commutato: quæ ſi ſuam, peculiaremq; acceperit concinnitatem, compoſitionemq;, dictio ita habebit. Niſi præfato ptiſanaceæ ſorbitionis modo ſuppetias tulerimus, frequentius orietur læſio: ſtatim ſiquidem quibus cibus incluſus eſt, niſi quis prius uacuato eo ſorbitionem ita dederit, maximã afferet offenſam.

XXXIII.

PRÆTEREA ſi lateris dolor aſſiduus eſt, calidisq; fomentis non remittitur, ſputumq; non ꝓcedit, ſed κατᾳλισχραινομένως ἀσαπέως, id eſt ſumme citra coctibilitatem glutinoſum ſit, niſi qs dolorem uel alui ſubductione uel ſecta uena pro utriuſuis exigentia ſoluerit, ptiſanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem.

Quòd de pleuritide tanquam exemplo agat Hippocrates, memoria non excidat. Fieri autem pleuritidem ipſam propter inflammationem eius quæ coſtas ſuccingit membranæ, oſtendimus. Si igitur cum in uigore fuerit inflammatio: ptiſanam quis dederit, ægrum grauiter offendet. Vigentis autem inflammationis notæ ſunt, dolor aſſiduus, & quòd nullo pacto à calidis fomentis remittatur. Continuo autem & alia adiicitur pleuritidis non magnæ modo, uerum & moroſæ nota: quòd ſcilicet ſputum abunde glutinoſum ab euacuatione arceatur, infarctumq; affectis partibus ſit & detentum. Nempe hoc uerbũ κατᾳλισχραίνεσθαι plus aliquid indicat, dictione maximam ſignificante glutinoſitatem, facta præpoſitionis, huius κατά adiectione. Satis igitur fuerit ex ipſius additamento quod ita glutinoſum ſit, ab eo quod concoquitur diſtinxiſſe. Nempe quod concoquitur, mediocriter glutinoſum exiſtit, non tamẽ κατᾳλισχραίνεται, id eſt neque extreme neque ſumme id habet. Et ne quis in ea re falleretur, continuo Hippocrates uerbo huic κατᾳλισχραινόμενον, aduerbium hoc ἀσαπῶς adſcripſit, quod idem cum ἀπέπτως, id eſt, incoctibiliter ſignificat. Nempe κατᾳλισχραινόμενον ἀπέπτως, id eſt citra coctibilitatem glutinoſum malum eſt. Aegro autem ita affecto ſi quis ptiſanã dederit prius, q̃ dolorẽ uel ſecta

uena, uel uentris euacuatione ſoluerit, hominem perimet. Nempe in præſenti & tali pleuritide, poſteaquàm à calidis fomentis non remiſſum eſſe dolorem dixit, ſtatim duo alia habet aduerſus dolorem remedia, ſanguinis miſſionẽ ſcilicet & purgationem. Nempe eorum quæ ex opio, hyoſcyamo & mandragora conficiuntur medicamentorum uſus pleuritidis dolorem non ſanat, ſed ſenſum tollit enecatq́;. Nunc ergo ſectionis uenę meminit ſimpliciter & purgationis. Sed deinceps ſuper utriuſque uſu diſtinguetur.

XXXIIII.

OB HAS igitur προφάσιας, id eſt cauſas, atque ob alias ſimiles adhuc magis, qui tota utuntur ptiſana, ſeptimo die uel celerius moriuntur: alii quidem deliri, alii uero ob difficultatem ſpirandi ſtertoremq́; præfocati.

Quod ſæpius appellet cauſas προφάσεις, demõſtratum quidem in his quas in alios libros parauimus enarrationibus. Sed quaſnam alias præter dictas unà celeriorem inferre mortem dicat, adiicere ſermoni oportet. Nunc ſiquidem ſumptionem ptiſanæ prius quàm ſoluatur dolor, recenſuit, ſputiq́; ob frequentem reſpirationem glutinoſitatem, ob quam & ſuffocãtur. Sed lædi quoque aſſerit, ſi prius, ut ſupponitur, quàm uacuati ſint, uinũ ſumpſerint, aquam item mulſam & oxymeli. Nempe de aliis omnibus neque idiotis ipſis non conſtat. Nõ abs re igitur ait alios mente læſos mori. Id enim contingere natum eſt, ſi uinum uinoſaq́; intempeſtiue ſumpſerint.

XXXV.

NON PERPERAM autem hos antiqui ſideratos eſſe exiſtimauerunt, tum maxime ob id, tum non minime quod mortuis latus liuidum

plagæ ſimile uideretur.

Veteres talis prehendit opinio, tum propter necis celeritatem, tum quòd nonnullorum latus affectum liuore uideretur, ubi ſcilicet inflammationis erat radix. Sanguine etenim in latus ob dolorem perueniente, quicquid in cute diuiſum ſolutumq́; eſt, id in morte refrigeratum nigrorem contraxit: ſimiliter illis qui ita ex plaga affecti ſunt.

XXXVI.

REI HVIVS cauſa eſt, quoniam prius quàm dolor ſoluatur, pereunt: celeres ſiquidem fiunt reſpirationes.

Quòd autem hoc reſpirent pacto, deinceps ipſe oſtendit, inquiens.

XXXVII.

A MVLTO autem frequentiq́; ſpiritu, ut iam dictum eſt, ſumme tum uiſcoſum, tum incoctum affectum ſputum, fieri egreſſum prohibet.

Quod prius ἀσαπὲς dixit, nunc ἄπεπτον, id eſt incoctum dicit: fidemq́; facit quòd & probe tunc uocis tranſpoſitionem fecimus.

XXXVIII.

NEMPE & ſputum quod intus retinetur, prohibet aeris ad interna delationem, cogitq́; ipſum celeriter egredi.

Non omnis aer in huiuſmodi affectionibus ad interna ferri prohibetur. Nempe ſi id fieret, hominẽ ꝓtinus mori eſſet neceſſe, non ſecus q̃ his accidit qui ſtrangulantur. Verum quod uſui reſpirationis conferat, introferri prohibetur: quapropter ad dies aliquot ſufficiunt, ſed tractu temporis aucta indigentia moriuntur.

XXXIX.

ET ITA aduersus malum sibi inuicem opitulantur. Nempe retentum sputum, frequẽtem spiritum reddit: qui frequẽs effectus sputum adglutinat, atque expui prohibet.

Quòd uerbo hoc πωρεῖν pro opitulari tum antiqui alii, tum Hippocrates usi sint, sæpius antedictum est: & nunc sanè συμπωρεῖν ἀλλήλοις τὸ κακόν, dixit pro συμπροσφέρειν καὶ συμπλεῖν, id est opitulari & prodesse: atque quonam modo sibi inuicem opitulentur, profintq;, perspicue quidem ipse ostendit: sed & à nobis dicetur. Sputum in bronchiis pulmonis tenaciter adhærens, pulmonis canali angustiam parit: atque ob eam angustiam minus ægri inspirant. Quo aũt minus inspirant, eo magis insatiabilem reddunt respirationis necessitatem: atque ob id citius à priore inspiratione, ad secũdam properant: quod densum frequentemq; spiritum uocant.

In ant. συμπλεῖν

XL.

PREHENDVNT autem hęc non solum si ptisana intempestiue utantur, uerum & multo magis si quippiam aliud quod ptisana deterius sit, uel ederint uel biberint.

Iam rei huius paulo ante meminit, quũ dixit: Ob has igitur causas, atque ob alias similes magis. Immo eo in loco de uino, aqua mulsa, & oxymelite mentionẽ fecimus. Hic autem & alia intelligere est opus, quæ ita affectis non aliter plerique medici exhibent: quæ etiam quàm aqua mulsa, uinum & oxymeli nocent magis.

XLI.

BENE IGITVR ut plurimum similia sunt auxilia tum iis qui tota utuntur ptisana, tum iis qui cremore ipsius: uerum qui neutro horum, sed potione sola utuntur, his interdum non uno est auxiliandum modo.

Auxilia inquit similia sunt & iis qui ptisana, & iis qui cremore ipsius utuntur. Sed qui potione duntaxat utuntur, his interdum differenter opitulari oportet. Sed qualisnam sit huiusmodi differentia, in sequentibus perdocet.

XLII.

VERVM omnia hæc ad hunc modum facere oportet. Si nuper pasto cuipiam, & aluioneribus haudquaquam purgato febris uel cum dolore, uel sine dolore inceperit, à sorbitione tantisper est temperandum, donec cibum ad infernam intestini partem descendisse coniectum fuerit.

Sermonem lacerum, frustatimq; sectum, neque continenter & conuenienti digestum ordine fecisse deprehendit Hippocrates: quapropter resumens ipsum, ad accommodum perducit principium. Hoc autem ideo ipsi accidit, quod quæsti onem super medicorum controuersia soluere conatus, in ea solutione de rationibus curatoriis mentionem fecit: qui sanè re intellecta, atque his quidem permutatis, sermonem ab initio aliter percurrere debuit. Nempe & ita mihi aliquando felicius contingere est usum: utpote qui his quæ ante scripta fuerant permutatis, alio de ipsis scripserim modo. Sed quonam pacto & quæstionem ab ipso propositam soluere, & sermoni ordinem dare debuit, his exponam ego, qui talia interpretari, exponiq; desiderant, uiamq; dilucidabo. Iam ergo animum conuerte, sermonem ab initio auditurus. Quare cõtingit ut interdũ prę stantes medici, de curatione disfideant: quòd sci

licet in nonnullis expertum, conuenire omnibus putauerunt. Sic sanè & in uictus ratione in morbis acutis fuerunt controuersi: alii quidem ægros ad iudicationem usque ptisanæ cremore seruantes, alii ptisanam ipsam exhibentes, alii autē neutrum horum administrantes. Ex parte autem uerum quidem dixerunt omnes: sed ex parte falsi, circumuentiq; sunt. Nempe quidā ex acutis morbis ptisana indigent, alii cremore, alii horum neutro ad iudicationem usque. Verum lucis gratia de acuto morbo uno tanquam exemplo, sermonem faciam: & demum pleuritidis super curatione agere proponatur. Si languenti non multo ante tempore cibato, neque uentris oneribus expurgato febris inceperit, sorbitionem huic non dabis donec quæ administrata est alimonia, penetratis plurimis intestinis, ad ultimum usque peruenisse uidebitur. Principium huiusmodi ubi quispiam sermoni fecerit, atque deinceps omnia proprio dotauerit ordine, doctrinam in his haudquaquam obscuram pariet.

XLIII.

VBI AVTEM dolor aliquis uexauerit, oxymeli bibendum dabis: hieme calidum, æstate frigidum: quòd si multa sitis fuerit, melicrato utendum & aqua.

Siticuloso existente ægro, ab oxymelite admodum multo maxime temperandum præcipit: quapropter continuata serie tum melicrati, tum aquæ mentionem fecit. Nempe quantum ad morbum spectat, oxymelite magis est utendū: uerum si ęger accepto multo oxymelite, adhuc sitiuerit, melicratum dare oportet. Quòd si & ab ea re sitiuerit, aquam offerendam putato. Nempe aqua per se pota culpa non caret. Causas uero ob quas aqua

Aqua pota.

pota culpetur, in sequentibus atq; in ea libri parte quæ de uirtutibus ipsius agit, perdisces. Nunc autē quod præsenti apposuit orationi, recensebimus: qua scilicet præcepit oxymelite utendum hieme quidem calido, æstate uero frigido. Nempe id ad eam, quæ in acutis morbis magno est adiumento, nos hortatur gelidæ aquæ potionem, quam omnino prætermisisse * uidetur Hippocrates: atque ob eam rem à quibusdā est culpatus. Res etenim doceri, non negligenter incurioseq; narrari debuit. † Si ergo de aquæ frigidæ potu intellexerit, pręsenti ex sermone dignosci ualet. Nempe si Hippocrates sitiētibus oxymeli frigidū aliquando exhibeat, quòd & aquam daturus sit, est manifestum. Quāuis si quidem non prorsus de frigidæ potione id præceperit, uerūtamen præceptionem sequitur ipsius: utpote qui febrem ex natiuo calore exardescēte suscitari existimet, atq; contraria contrariorum esse remedia. Cum aūt ignis tum calidus, tū siccus sit, atq; ob id etiam febris: sanè aqua febris naturæ aduersissima est, corpus tum refrigerans, tum humectans. Et sanè ab ea si tēpestiue detur, febres ꝓtinus extingui uidentur. Dictū sanè abunde in libris methodi medendi: sed & nunc rei summa dicetur. Cum ergo febris fuerit, constante uirtute, tunc non solum non offendes, uerum & iuuabis abunde. Potio aūt frigidæ huiusmodi tanta sit, quantū frigidæ aquæ æger inspirando haurire possit. Oxymelitis uero exiguū datur, neq; singulis oblationibus plus dimidio: in hoc ergo exhibitionis scopus est dissimilis. Nempe ad febris extinctionē frigida affatim atq; ad laborantis usq; satietatem bibitur. Quæ.n. ita bibitur aqua, sanationis occasio * efficitur. Oxymeli uero æstate datur frigidū, ne laborantis adaugeat sitim: immo ut aduersus etiam contrariū conferre possit. Ob eas etiā causas, frigidum oxyme-

oxymel.

* In ant. habet πισί. i. aliqbus.

† Forsitā sic melius. Si ergo frigidā aquā potandā cēsuerit.

ἄξιωμα

In febrib. aqua datur

* πίνεται habēt antiq. i. bibit sanatiōis gratia.

li ante morbi coctionem dari iubet, quasi frigidam aquam ad satietatem usque, in eiusmodi affectione dare æstate haudquaquã debeamus: densat siquidem inflammationem, si ex ea febrierint: crudosq; refrigeratione reddit humores, ubi ex ipsis morbum contraxerint: sed ab oxymelite reducuntur, quòd secandi uim habeat. Nempe quod secat, penetratq;, id spissanti, cogentiq; corpora, est contrarium.

Aquæ incõmoda

XLIIII.

POSTEA si dolor quispiam uel periculum comparuerit, sorbitionẽ dare oportet, neq; multam, neque crassam: sed post septimam † uel nonam, si ualidus sit.

† In exẽpla antiq. nõ est uel nonam.

Qui Hippocratem ægros ἐμπιπλᾶν, id est replere, dixerunt (ita enim uerbo sunt usi) dictionem hanc prætermittere mihi uidentur: ut qui fame necare ipsum dicunt, solam hanc legisse apparent. Quod si utrique animaduertissent, eorumq; quæ ab ipso bene enarrata sunt meminissent, quonam scilicet pacto naturæ inter se ualde differant, forsan eos contraria Hippocrati imponere puduisset, & potissimum si reliqua animo uolutassent, quæ ipse demonstrauit, regiones inter se differre ostendens, anni tempora, ætates, consuetudines, & proprios peculiaresq; languenti unicuique ante morbum uictus. Si ergo in omnibus quæ dicta sunt, contrario habentes modo inter se comparaueris, maximas in uictus ratione comperies differentias. Quas ubi è regione inter se ordinaueris, iam & hoc pacto multas consistere in medio exacte uidebis. Sed de huiusmodi differentiis dictum quidem absolute in libris methodi medendi: dicetur quoque & nunc rei summa. Statue igi-

In victi considerandæ.

Exempla duorũ ægrorum diuersa

tur quempiam natura siccum quidem corporis habitu, sed superficie densum spissumq;, latis uenis, uirtute uitali ualida, cibisq; non multis assuetum ægrotare hieme non admodum frigida, in loco tali, atque prius quàm ægrotaret otio deditum, insatiabiliterq; † ciborum uarietate abusum: præterea & os uentris ualidum sit: quod & stomachũ quidam appellant. Sit autem & alter contrario affectus modo: humidus quidem & mollis, & uirtute uitali imbecilla, & qui plures cibos ingerere consueuit: ægrotetq; æstatis tempore æstuoso, regione eiusmodi: statuamusq; hominem anteq̃ ægrotaret, tum curis, tum assiduis necessitatibus fatigatum, pauca præter consuetudinem edisse, & oleracea, & quæ haudquaquam nutriunt: uentris item os non ualidum, sed natura imbecillum habere. Atque his ita habentibus, uterque eodem, si uolueris, morbo infestetur, ea scilicet, quam Hippocrates ueluti exemplum hoc in loco constituit, pleuritide. An ne una tibi uictus ratio in utroq; definienda uidetur? An posterior à prima die alẽdus? prior uero potu solo ad septimam usque gubernandus, ubi morbum non longius protracturum sese speraueris? Ego sanè qui longa experientia utrũque probauerim, optimam ita fore uictus formam assero. Nam si uice uersa feceris, priorẽ scilicet à principio nutrire aggressus, posteriorem uero ad septimum usque sine cibo seruare uolueris, trucidabis sanè ante quartum diem utrunque: nempe alterum citissime præfocabis, alterius uero uires prosternes. Cæterum adiice si uelis ætatem utriq; contrariam, priorem quadragenarium constituens, posteriorem puerum. Nam hoc pacto citius adhuc ad mortem uterque properabit. Sed sanè omnia hæc, quæ nunc dicta sunt, ad unum reducuntur scopum, qui uno uerbo ab Hippocrate est declaratus.

† In ant. legit πολυτρόφοις ἐδέσμασι. id est cibis multũ nutriẽtibus, nõ πολυτρόποις.

Quid enim ait, Sorbitionem dare oportet post se
ptimam, si ualidus fuerit? Verbum siquidem unum
est: sed ex omnibus q̄ nuper dicta sunt inuenitur. Si
enim ualidus ad septimum usque diem fuerit, oxy
meli, & melicratum, & aquam dare satis erit: per
quæ ut dixi omnia † tum liberabitur tum sanabi
tur. Quasi sanè ex ipsis alia quidem præstò sint, alia
uero non: quorum uires si uice uersa comparaue
ris, quot diebus sufficere ex tali uictus specie æger
possit, deprehendes. Verum hæc nostris in tracta
tionibus demonstrata sunt, quas si legisti, memo
riæ mandes oportet: si non legisti, in eas te prius
transfer, si sententiæ Hippocratis ueritatem cogno
scere uolueris. Omnia siquidem in operibus om
nibus dicta sunt à nobis, qui uerissima Hippocra
tis dogmata sequimur. Sed cum fieri non possit, ut
homo unus conuenientem methodum & singula
ria quæ in ea sunt omnia doceat: neq; ideo ab Hip
pocrate singularia omnia auditurum te existimaue
ris. At potius culpa eos, qui cum ea quæ ab Hip
pocrate bene præcepta sunt, elaborare & confice
re deberent, laudis appetentia ducti, sectam aliam
constituunt. Verum nos qui ueritatē honoramus,
laudamus Hippocratem cum in cæteris omnibus,
tum quod in unoquoq; opere proprium scopum
ita docuerit, ut huic attētus omnino quispiam defi
nitam certamq; inuentionis auxiliorū habeat uiā.
Sic sanè & cibandi scopum unum communē pror
sus tum sanis, tum languentibus esse demonstraui
mus. Is autem facultatis uitalis custodia est, quam
nunc manifeste explicuit, cum dixit, Si ualidius
fuerit. ob eandem sanè facultatem sani edimus &
bibimus, aliaq; omnia uitæ munia exeqmur. Pro
pter hanc eandem & ægri ad cibos potusq; proce
dimus. Nempe morbus suæ affectionis indicat au
xilia: phlebotomiam uidelicet, clysma, cataplasma,

† In anti. legit ὅταν ὑπὸ τοῦ πεπτὸς γένῃ, ὑπὸ τοῦ, & forte melius: sed tūc sic erit is locus uertē dus. Si n. ualeat ad septimū usque diē uictū ex oxymeli te aut melicrato pferre, ex his omnibus q̄ dixi, inueniri & cognosci poterit.

purgationem, oxymeli, aquā mulsam, atque aliorū
unūquodq;. Virtutis uero custodia solam indicat
alimoniam. Si igitur morbosam affectionem nullo
pacto offenderet alimonia, nos uirtuti soli atten
dentes, ægros ut sanos aleremus. Sed quoniam sę
pius noxam, uti ostendimus, affert, ob id morbi af
fectionem, non tanquam cibi indicatricem, sed tan
quam prohibitricem contēplamur. Vbi ergo non
prohibuerit, facultasq; præceperit, tunc nutrimus.
Neque enim cibus morbi affectionem sua ratione
iuuabit. Id sanè dixi, quoniam sæpius materia una,
uim tum cibi, tum medicamēti obtinet: ut ptisana.
Nēpe quod uirtutem roboret, id ea efficere tanq̄
alimentum nata est: sed quoniam & secat & hume
ctat quæ expui oportet, ideo medicamenti obtinet
rationem. Chondrus ergo pleuritico cibus tātum
existit: oxymeli uero medicamentum. Sed utrāque
facultatem ptisana obtinet, usumq; languentibus
ipsis exhibet: sed ingeritur uirium quidem confer
uandarum gratia tanquam alimentum, ut uero sol
uatur morbus, tanquam medicamētum. Cum igi
tur uirtus ad morbi usque iudicationem sine ptisa
næ sorbitione sufficerit, oxymeli & aqua mulsa sa
tis sunt: oxymeli quidem uim medicamenti solam
habens, aqua mulsa uero cibi pauci & imbecilli.
At si iudicationem septima die citius futuram spe
raueris, ut, uerbi gratia, uel quarta uel quinta, ægros
sanè multos sufficere citra ptisanæ sorbitionē pos
se comperies. Quòd si ad septimam usque protra
hatur, paucos omnino: suntq; qui & uirtutem ha
bent ualentem, corporisq; habitum tum durum,
tum, ægre transpirabilem, succosq; uel crassos uel
uiscosos, atque si ambiens aer calidus non fuerit.
Nempe si nihil è nostro effiueret corpore, alimen
to opus non esset: * sed quoniam huius propor
tione effluit, cibi ideo quātitatem definimus. Qui

* sic melius, sed quoniam effluit, iō huius ꝓportione cibi quātitatē &c.

bus igitur per cuticulares meatus parum exhalat, fieri potest ut his summam consulamus inediam, & magis ubi uirtutẽ ab initio ualidam habuerint: quasi uelociter laboret quæ imbecilla ueluti senũ fuerit,& si corpus parũ exhalauerit. Quapropter & paulo ante quadragenarii meminimus, & non septuagenarii.

XLV.

AT SI nuper cibato cibus prior non descenderit,uirtusq; ualida fuerit,& floruerit ætas,,sublue re oportet:si uero uirtus imbecilla fuerit, glande est utendũ,nisi aluus sua sponte probe deiecerit.

Rursus & hoc in loco remedior indicationem ab affectu corporis accepit,simulq; uirtutem considerauit:neque tanquam remediorum usum alio quando indicantem,sed tanquam contrario indicantem modo,interdum autem & prohibentem. Non enim quod æger ualida sit uirtute, ob id clysmate est opus, sed clysmatis indicatio ex uentris desumitur affectu. Si uero uirtus ualida fuerit, uacuationi non reclamat:quæ si imbecilla est,uacuationem ipsam inhibet.Sed rursus ad Hippocratis consuetudinem conuerte animũ,qui in talibus alio quando de sola agit uirtute, sicut in ante dicta uidere est dictione,sed interdum adiicit ætatẽ. Præcipuus siquidem est uirtutis scopus: sed ad notitiã eius confert etiam ætatis cognitio,cito quidem in pueris laborante propter copiam effluuii uirtute, in ætate uero florentibus abunde sufficiente. Cæterum quo modo in pueris corporis substantia,tũ mollis,tum humida,præcipua exolutionis uirium causa efficitur:sic & in regionibus & anni temporibus res habet.Nempe horum caliditas uelociter confestimq; uirtutem uacuationis quantitate soluit. Iure igitur Hippocrates ex uirtute interdum sola distinctionum huiusmodi doctrinam efficit:interdum & quippiam ex aliis adiicit,unà cum ipsis & cætera commemorans.

XLVI.

TEMPVS autem dandæ sorbitionis, tum per initia,tum per omnem morbi decursum,hoc maxime seruare oportet.Nam si pedes frigidi fuerint,non à sorbitione modò, uerum quoque & maxime à potu temperandum. At quum calidi tas ad pedes descenderit, tunc dare expedit. Sanè tempus ualere admodum putandum cum in morbis omnibus,tum præcipue in acutis,& potisimum quibus febris uehementior suberit,periculumq; summum.

Quo modo dixi unum quidem esse alimoniæ scopũ custodiam uirtutis,necessario autem simul morbi affectionem contemplandam esse: ita cibi offerendi tempus ex morbo non prohibente inuenitur. Quantum siquidem ex primo uirtutis scopo est,interdum & per accessionum initia alimoniæ existit necessitas,sicuti & in sanis,ubi primũ in naturalibus euacuationibus† quis ob educationis uirium focillatricis necessitatem probe laborat. Sed quoniam in accessionum tum principiis, tum incrementis ingesta alimonia lædere admodũ nata sit,ob id differimus ipsius exhibitionem, quam quam corpus ipsum iamiam indigere uideatur. Quodnam igitur optimum languẽtibus ipsis dandæ alimoniæ tẽpus? Sanè cum moderatissime habuerint,tum thorax,tum uẽter: deterrimum uero, cum ea deterrime habuerint. Deterrime autem habent in accessionum principiis:moderatisime uero in declinationibus. Constat igitur optimum cibi ministrandi tempus in ægrotantium declinationibus esse. Accessionis autem principium

*Sic uerterẽ hunc locum:qs eò deuenerit,ut pè laborare incipiat, refocillatione eget.

† vbi impresi habẽt ἐξ ὅ, λὰ τοῦτο μᾶλλον τοῦ μέσου τοῦ id est, & ad medias corporis partes

fit calore omni †toto ex corpore ad cor, thoracẽq; concurrente: incrementum, cum paulatim ad extremas corporis partes sese expandit: Status, cum exæquo corpus totum occupat. Verum declinatio contrarium principio modum habet, perspirante scilicet caliditate, atque mediũ corporis relinquente, quod uno ostendit uerbo, inquiens, Cum ad pedes calor descenderit. Neq; enim idem est calidos ex frigidis fieri pedes, & caliditatem in eos transire. Nam descendere commutationẽ caliditatis ex alia parte in aliam manifestat. Fieri autem potest, ut pedes calfiant, manente in corporis medio caliditate, quod in uigore ipso contingit.

XLVII.

IN PRIMIS autẽ & maxime cremore, deinde ptisana uteris, præscriptis coniecturis diligenter attentus.

Postea quàm Hippocrates prædixit quãdo potu solo regere ægrotantes oporteat, & quando ptisana: nunc quando cremore solo, & quando ptisana ipsa utendum sit, distinguit, breui quidem & cõspicua distinctione. Nempe ad cõiecturas, quas recensuit, animum conuertens, quisnam ex languentibus ptisana uti possit, comperies: sic tamen ut à cremore ipso exorsus, ad ipsam sensim paulatimq; te trãsferas. Dico autem sensim paulatimq;, ut primum quidem solo utaris cremore, deinde cremoris quidem plus exhibeas, ptisanæ autem exiguũ: deinceps æqualiter utrunque, mox ptisanæ plus, atque tandem eam solam: sciẽs ptisanam ipsam ad corporis nutrimentum uirtutisq; robur exuberare, cremorem autem ad concoctionem confectionemq; facilem esse. Cum igitur morbi conditionem uirtutisq; robur uergere ad melius uideris, auge & tu ptisanæ oblationem.

GALENI

cratis De uictus ratione in morbis acutis Commentarius secundus. Ioanne Vassæo Meldensi interprete.

I.



MATERIS dolorem siue is per exordia fuerit, siue postea obortus sit, tentare calidis fomentis dissoluere, non abs re existit.

Quod à me sæpius est enũciatum, ad memoriam & nũc id reuocare est melius. Nempe quod exponuntur explananturq; quæ obscuritatem habẽt dictiones: neque tamen expositores id tantummodo in commentariis faciunt, uerum quoque & ea quæ dicuntur in libris in quos commentaria parant, astruunt & demonstrant. Ob eum igitur morem cogor ego & his consentire quos non probo, atque ut plurium ad ea quæ explicatione egẽt, sententiam meam prodere, & efferre. Neque tamen eorum quæ in huiusmodi commentariis uera mihi apparent demõstrationes scribo, utpote qui de his peculiariter in eorum unoquoque scripserim: sed solas earum quæ cæteris in tractationibus demonstratæ sunt rerum summas ad memoriam reuoco: quod & hoc loco in mentione doloris sum facturus. Ergo quod dolor in sensilibus fiat corporibus, cum ea ipsa in id quod præter naturã est, subito simulq; transmutantur, diximus & in libro de elementis secundum Hippocratis mentem, & in eo quem de symptomatum causis fecimus. Præterea & quonã pacto trãsmutatio ea bifariam fiat, corporibus hu-

Interpretũ officia.

Dolor quomodo fiat.

Transmutatio duplex. Alteratio Unitatis solutio.

iusmodi aliàs tum subito simulq́;, tum uiolēter secundum qualitatem alterascentibus, aliàs unitatis dissolutione. Alterātur aūt subito simulq́; ab efficiētibus qualitatibus, cū & calfiunt, & refrigerātur, & siccātur, & humectātur. Verū unitas dissoluitur corrūpiturq́;, ubi corpora illa uel † distenduntur, uel cōprimūtur. ⊥ Ad hūc igitur modū dolor lateris in pleuriticis affectibus, de quibus agit Hippocrates, ortum habet. Nam phlegmone illis in locis præ caloris qui præter naturam est copia, partes eas quæ phlegmone obsidentur, per distemperantiam contristat, & repletione distendit. Primo autem auxilio si dolor is uel sanari, uel mitigari fomentis calidis possit, tentandum præcipit Hippocrates. Nempe fomenta calida cutim ipsam ad ꝑspirationes rariorem efficere, phlegmonesq́; sanguinem tum tenuare, tum per halitum digerere consueuerunt. Quæ si facta fuerint, non solum sanguinis aliquid euacuabitur, uerum quoque & affectæ quæ minus distenduntur partes, mitius exinde & mansuetius dolebunt. At cum sanguis in phlegmone non diminuitur, uel etiam spiritus uaporosus ex calore generatur, tunc dolorem augeri cōtingit. Sanguis autem non diminuitur propter eam quæ in toto corpore est, humorum redundantiam. Nam pars quæ calore afficitur, plus trahit quàm euaporet. Nēpe quæ calfaciunt, suapte natura hæc ut quod uicinis continetur partibus digerunt, sic & quod redundat ex propinquis trahunt. Cum igitur fomenta calida dolorem non soluerint, corpus totum insigni aliqua uacuatione pręuacuabis. Vacuatio autem insignis in morbis acutis, aut per uentrem, aut per uenæ sectionem fit. Quarum alterā adsumi præcipit Hippocrates, scoposq́; eius quæ pręsidio magis esse possit, edocet. Summa ergo præsentis narrationis hæc est. Verum quæ

† πεμνομένων κ' θλιβομένων. i. quū, secātur uel cōprimunt. ant. tamē habent θλωμένων. i. quū cōtundūtur

Calida fomenta.

Euacuationes in acutis morbis.

particulatim ab eo dicuntur, & quæ multis tum obscura, tum ambigua existunt, in sequentibus explanabo. Multis dixi: quoniam his qui sese in dictionibus antiquis intelligendis exercuerunt, pauca omnino obscura sunt. At in hisce commentariis intentionem non eò tantum dirigimus.

II.

FOMENTORVM calidorum probatissimum est aqua calida, uel in utre, uel in uesica, uel in uasculo aut æneo, aut testaceo posita.

Fomenta calida procul dubio uocat, quæ corpus quouis modo calfaciunt. Quorum alia prorsus humida, alia sicca, & alia ex utrisque mixta: mordentia præterea alia, & alia mordendi facultate carentia, & ex his commixta tertia. Primum igitur horum genus, cuius in dictione meminit, morsu caret, atque humidum existit. Secundum ex utrisque, sicco & humido, mordenti & morsu priuato cōmixtū est. tertiū aūt siccū q̄dem, sed uel mordens uel morsu carens. Quòd si & affectiones quæ unoquoque dictorum generum egent recensuisset, orationem profectò suam tanto perfectiorem, melioremq́;, quanto & legentibus ipsis utiliorem fecisset. Sed quia non recensuit, propterea neque id recensere necessarium erit nobis, qui doctrinam alterius explanamus, non nostram persequimur. At uero quoniam partes meæ sunt contra quàm expositores cæteri agere (nempe illi suis in enarrationibus sophisticas, quæ discentes ipsos ad finem artis nullo pacto iuuare possint, superseminant quæstiones: ego autem semper quæ commodissima sunt prosequi molior) ob id & nunc doctrinæ Hippocratis prætermissa quidem ab eo, sed quæ toti sententiæ dogmatisq́; atque uniuersalibus præceptis quodam accedunt

Fomenta calida differūt.

Sophistica vitanda.

consequio, adiicere non cunctabor. Quanam igitur ratione fotus omnis doloribus sępiuscule adiumento sit, prius dictum est. Dictum quoque & de his est doloribus, qui à fotu nullo pacto, nisi prius uacuato uniuerso corpore, iuuantur. Verum cum hæc fotibus omnibus cōmunia sint, humidi quidem phlegmonis his quæ à biliosiore succo factæ sunt, opitulantur: Sicci uero his quæ à tenui aquosoq; sanguine exortæ sunt. Perpetuo siquidē contraria cōtrarioꝝ esse remedia, meminisse oportet. Hoc igitur scopo fotus morsu carentes aduersus mordentes succos prosunt. Mordentes uero, ꝙ tenuent, contra crassos uiscososq; ualent humores. Eam ob rem quisnam in ea quæ phlegmone obsidetur parte euincat humor obseruabis, ab his quæ retuli auspicatus, ætate scilicet laborantis, naturali tēperatura, anni tēporibus, locis, & uita ātecedēte; & si phlegmone uideatur, ex his q̄ ipsi tū in colore tū in magnitudine, tū in duritie, tum in mollitie, cōtigerunt. Et si pleuritidem uel peripneumoniam curaueris, ex his q̄ spuēdo excernuntur. Verū quū præfata omnis dignotio coniecturalis sit & non scientifica, non certa, compertaq;, præsertim ubi in corporis imo sita sit, quæ dolore afficitur, particula: ab his inchoare te oportet, quæ quàm cætera magis auxilio esse tibi uidebuntur. Quòd si nihil præsidii tuleris, ad alia etiam te transferre conueniet. Dolore autem non sedato, ad aliam totius corporis accede euacuationem. Videtur ergo Hippocrates ab eo incepisse fotu, qui periculo omni uacat. Is autem est, qui minime mordet, humidusq; existit. Nempe tametsi nihil aduersus malum fecerit, non tamen magnum, & insigne adferet detrimentum. Cæterū fotus qui ex aceto, uel orobo, uel sale fiunt, nisi propitiam conuenientemq; consequātur affectionem, non solum non salutares

Fotus variant pro materia phlegmonum.

Humor cognoscitur.

A tutiorib. sumit initiū Hipp.

erunt, uerum quoque & malum augebunt, utpote qui fortem efficacemq; habeant facultatem.

III.

VERVM PRIVS molle quippiam lateri, ut & mitior & iucundior fotus fiat, supponere oportet.

Postea quàm in utre, uel uesica, uel uasculo aut æneo aut testaceo positam aquam lateri exhiberi præcepit, hac in dictione prius molle aliquid supponi his quæ lateri tum quadrare, tum cohærere debeant, ut nullo pacto angat, prorsusq; iucunda sit eorum quæ exhibētur applicatio, præcipit Hippocrates: cuiusmodi fuerit lana mollis, uel linteum multiplex, uel quippiam eorum quæ tum tenera, tum mollia existunt. Sed paulo post de eo qui per spongiam fit fotu agens, nihil supponi iubet.

IIII.

VTILIS AVTEM & spongiæ mollis, magnæq;, atque ex aqua calida expressæ applicatio. Sed fomentum linteo uestiendum, ut uis eius plusculo sufficiat tempore, permaneatq;: atque simul ne halitus ad laborantis spiritum feratur, nisi forsan & id prodesse aliquando uideatur: nempe interdum prodest.

Cætera quidem, quæ in dictione continentur, liquida manifestaq; existunt: sed de halitu est discutiendum, qui & lædit, & contristat, non spirādi difficultatem caloris incremento solum proritans, sed pulmonis angustiam, qua ob replentem, qui humidus est, halitum afficitur. Solis igitur laterum doloribus tum siccis, tum quibus nihil expuitur, idonea est halitus inspiratio, plus auxilii quā noxæ adferens. Hoc igitur in loco scriptū est primū

Halitus quomodo nocet, & qbus conuenat.

fotus genus: mox ad secundum sese conferens inquit.

V.

PRÆTEREA & hordeum & eruum in aceto ita diluto, ut paulo acidius sit, quàm ut quis bibere possit, madefacta, perfusaq; & feruefacta, atque in sacculos coniecta lateri apponuntur: atque ad hunc modum fürfur.

Hordeū.

Hordeum eruumq; non semina quæ integra sint, ex aceto & aqua excoquere præcipit, sed prius concisa comminutaq;: constatq; Hippocratem uelle id ex uerbo hoc δίεψα. (δίεψω siquidē madefacio & perfundo significat) atque aliter ex actione ipsa certior fies. Nempe hoc pacto tum blandior, tum efficacior erit fotus. Furfur denique & hoc pacto parare præcipit: fotus autē huiusmodi, priore efficacior, uirtute aceti redditur. Quòd si & ex orobo paretur, conferet sanè & is non parum. Nempe eruum crassos humores tum secare, tum conficere, tum euaporare potest: atque ob id fotibus huiusmodi utemur, ubi crassos uiscososq; humores in ea quæ phlegmone obsidetur parte collectos suspicabimur. Tibi aūt sanè id constabit ex antecedente uictu, si humores huiusmodi produxerit tanni temporibus, & locis, & ætate. Præterea & si benenoli hi mansuetiq;, quos prius memorauimus, fotus nihil præsidii attulerint. Nam ubi de corporis totius repletione dixeris, cum uidelicet neq; huius notæ apparuerint, neque benenoli mitesq;, hi fotus quippiam iuuerint, succorum existimabis crassitiem, quæ in halitum soluitur, flatuosumq; spiritum, qui ob denegatum exitum contristat, grauatq;. Flatum ergo huic, parientesq; ipsum humores, præfati discutiunt fotus: & potissimum qui ex eruo parantur. Præterea

Eruū in fotibus uiciatas.

ἐκβάλλει τὸ κάρυον τοῦ κάρυου, omnia hic confugiunt torcular.

& sermonem percurrens Hippocrates, manifeste simul & optime metricam aceti ad aquam temperaturam memorauit. Nempe acetum ita dilutum esse oportere inquit, ut paulo acidius sit, quàm ut quispiam biberit, ut scilicet & acrius ob mordendi facultatem, & aquosius propter operationis ignauitatem uitemus. In incidendis igitur atque perhalitum digerendis, tum crasioribus, tum uiscoribus succis, aquoso oxycrato congruentius fuerit quod acrius. Sed quoniam medicamenta huiusmodi non tolerant quæ phlegmone obsidentur partes, ob id mediam utriusque exuperantiæ temperiem fecit. Hoc tibi sit secundum fotuum, quos ab initio trifariam separauimus, genus.

Aceti mediocr

VI.

SICCIS EX fomentis maxime conueniunt, quæ ex sale milioq; frictis torrefactisq;, atque in sacculis conclusis parantur. Leue siquidem quippiam & benenolum iucundumq; est milium.

Torrēti fotuum genus.

Cum de sale & milio agit Hippocrates, ad tertium fotuum, quos ab initio distinximus, genus se transfert. Est autem communis utrique siccitas: sali uero peculiariter inest ficcitas. Milium autem morsu caret.

mordacitas ex greco. ὑ δακνῶδες.

VII.

FOMENTVM huiusmodi, & dolores ad clauiculam humerumq; pertinentes soluit.

Ex adiectione huius coniunctionis, &, ostendit & dolores alios soluere, utpote eos qui ad hypochondria pertinent.

VIII.

SECTIO autē non similiter tollit dolorem, nisi is ad clauiculam pertingat.

Sectio, inquit, uenæ scilicet, quam non similiter soluere inquiens, auxiliari & ipsam non negauit. Sed de huiusmodi auxilio, in sequentibus fusius latiusq; scribit.

IX.

VERVM si fomentis dolor non placetur, nõ diutius calefacito: siccat enim id pulmones, atq; ad suppurationem excitat.

Fomenta uaria, alia quidem humida, alia sicca, & alia mordentia, aliaq; mordacitate carentia, ubi percurreris, si ab horum experientia dolor nõ leuetur, totum corpus uacuabis à fomentis desistens, cum pulmonem exiccent, & suppurationem excitent. Fit autem suppuratio huiusmodi, lateris inflammatione nõ exhalante, sed in pus trãseunte, mox pure ipso in mediam thoracis pulmonisq; regionem confluente.

Suppuratio.

X.

SI VERO dolor ad clauiculam pertigerit, aut molesta sit uel brachio, uel mammæ, uel partibus septo transuerso superioribus grauitas, internam cubiti uenam secare expedit: neque ut copiose sanguis detrahatur, est cunctandum, sed eousque auferendus donec rubidior multo, uel pro puro rubidoq; liuidus fluxerit. Nam utrunq; cõtingit.

Phlebotomia.

Pro eorum qui inflammationẽ pariunt humorũ uergentia inclinationeq;, uacuationes facit Hippocrates. Nempe quod dicitur: Quò natura uergit, per loca conferentia eò ducere, Id uerissimum existit. Contingit autem interdũ id ob differentiã partiũ eius quæ costas succingit mẽbranę. Nẽpe superiores ipsius partes cum inflammantur, †ad humerum, brachiumq;, & mammam condolentiam extendunt: inferiores uero ad septum

1 aph. 21.

†Ad clauiculam.

transuersum & hypochondrium. Cum igitur superiorum condolentia signum fecerit, uenam in cubito secare eam oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis & uelocius tum reuellere, tum uacuare possit: uerum si partibus infernis affectus cõsenserit, purgatione uacuare expedit. Recte autem grauitatem circa brachium esse, & non dolorẽ dixit. Nempe quòd hoc in loco sanguis magis aceruetur, repatq;, signum est grauitas quæ ex multitudine fit. Tensiones autem & in sola affectus participatione fieri consueuerunt: cũ uidelicet partes his quæ inflammantur attiguæ, citra sanguinis redundantiam tenduntur. Ob id igitur sanguinem redundantem secta interna uena uacuandum præcipit. Sunt autem in interno cubiti articulo plures quas secare consueuimus uenæ, de quibus abunde quidem in anatomicarum tractationum tertio, atq; in alio libro qui seorsum de uenarũ arteriarumq; sectione scriptus est, diximus: sed in præsentiarũ de ipsis summatim agemus, ab initio ducentes orationẽ. Vena caua ex gibba hepatis sursum ad dextram cordis aurem sanguinem deferens, partibus quidem interiacentibus exiguum ipsius distribuit, sed cordi ipsi plurimum elargitur: Deinde ab eo tanquam ab initio progressa ad collum recto festinat tramite, atque in duas rectas scinditur in thoracis parte uenas, easq; insignes, quasi iugulares uocant. Propagantur autem ab ipsa prius, quàm ad cor ipsum pertingat, insignes quidem uenæ ad septum transuersum: paruæ autem ad inferiorẽ thoracis partem, quæ octo costis constat, contendentes. Pars autem hæc ab una, quæ coniugio caret, nutritur uena: quæ in quibusdam animantibus supra cor adnascitur: in cæteris uero, ut in hominibus, ex ea emergit parte, qua iam cordis aurẽ uena caua tangit: hinc siquidem emergens, humilius,

Quando sectione venæ, & qñ medicamento vti cõueniat.

Plures cubiti venæ.

Caua vena.

σφαγίτιδας.

ἄζυγος vena.

depressiusq́; per cor defertur, atque in spinam cõtorquetur. Vena igitur quæ ad inferiorem thoracis partem defertur, utrinq; costis octo ad septum usq; transuersum distribuitur. Cæteræ autem sublimiores thoracis costæ quatuor, ab alio uenarum nutriuntur coniugio: quod à uena caua propagatur prius quàm ea in iugulares scindatur. Ab his igitur duabus uenis deinceps sunt quæ ad manus per axillas pertingunt. Verum quæ humerariæ appellantur, ab ipsa caua postea quàm in iugularias fissa est, utrinque unà iam thoracem extra progignuntur, habentq́; radices his quę in supficie extãt iugulariis communes. A iugulariis siquidem quæ in superficie extant ut partes ferè omnes, tum colli, tum capitis in superficie constitutæ nutriuntur: sic & à iugulariis altius ꝓfundiusq́; latentibus partes omnes altius profundiusq́; latentes ali contingit. Verum quæ circa scapulas atque in collo † dorsali existunt loca, uenas habent quę ex inferioribus præfatæ radicis communis partibus ad ipsas ascẽdunt. Communem dico radicem, quam proxime dixi, & his quæ in superficie constitutæ sunt iugulariis & humerariis communem esse. Non immerito igitur humeraria superiores clauicularũ partes, easq́; quæ & in collo & capite existũt, tum magis, tum uelocius euacuat. Axillaria uero thoracis partes, & magis eas quæ in sublimi sitæ sunt, præsertimq́; in hominibus ipsis: nempe infernas, demissasq́; omnes uena una altera nutrit, q́ sub corde à uena caua ꝓcedit. Ex sinistra autem parte uenæ illius quæ infernas thoracis partes alit, atq; ad costarum radices prona fertur, adusque septum transuersum singulis intercostalibus spatiis tum sinistris, tum dextris rami distribuũtur. Verũ quod reliquum ex ea est septum transuersum penetrat, primisq́; ab eo corporibus dispensatur. Cæterum

† νωπαῖον. hoc est spinæ medullam ait ipse.

quæ per axillas ad manus ferũtur uenæ, proximas his quæ sublimes thoracis alunt partes, radices habent, suntq́; quàm quæ per humerũ ad manus contendunt, longe maiores: ascẽdunt autem ad internam brachii utriusque, atque cum per ipsam pronè feruntur, musculis ipsis qui inibi situm habent, notabiles dispensant ramos. Verum cum ad cubiti articulum propè uenerint, uenas brachii internas ad ipsius cubiti ossis nodum, qui hic positum habet, producunt: quicquid uero reliquum est, bifariam scissum diuisumq́; per cubiti flexum defertur, parte ea quæ in superficie constituitur, uenam eam quæ in eo cubiti flexu secatur efficiente: penitiore uero eam quæ cum arteria diuiditur. Secatur quoque & uena alia in cubito obliqua, ueluti & ea quæ in utraque manu una est humerariæ non exigua portio. Nẽpe & humeraria ipsa per brachiũ subter cutem conspicue percurrens, in ipso cubiti articulo qua sublimiores extant partes, figurata scilicet, ut Hippocrates in libro de membris fractis, manu, diuiditur. Quæ igitur sublimior uenę ipsius à fissura portio per externa cubiti loca defertur, ea post fissuram ipsam secatur, qua primæ uenæ radici è directo maxime respondet. Eam ob causam & sublimiora clauicularum loca citissime euacuat. Portio autem quæ in cubiti flexum oblique fertur, minus quidem ea, sed cæteris magis eas euacuat partes. Pars uero quæ ab interna notabili uena oblique etiam fertur, minime quidem præfatas uacuat partes: uerum maxime thoracis superiora, quod radices tum eius quæ per axillam ad manũ fertur, tũ eius quæ superiores thoracis alit partes, uicinæ admodũ existant. Secare igitur hanc iubet Hippocrates prius q̃ uenæ quæ ex humerariç fissura ꝓuenit, præsens sit, inseraturq́;. Quæ si aliquando non comparuerit, uice huius secamus aliquam

ex internis quas recta in os cubiti fidere mergiq; didicimus. Quòd si & eæ non comparuerint, accedimus ad eam quæ ex præfatarum duarum uenarum obliquarum insitione progignitur. Verum & cum ea interdum non apparere possit, humeraria apparente, seca humerariam: qui scilicet uacuationes ab uniuerso animalium corpore fieri noueris: quanquam neque celeriter, neque similiter ex uena omni fiant. Nos uero partem eam quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter, tum quàm cæteras partes magis in acutis præsertim morbis uacuare cõtẽdimus. Quod sanè interna cubiti uena facit, multoq; magis ubi sanguinis redundantia ad superiora uergere uideatur, aut superiores thoracis partes affectæ sint. Nempe in eo malo tum brachiũ, tum mamma grauari solent. Verum quæ partes thoracisinferiores prope septum transuersum infestant phlegmonæ, non abs re dolorem ad hypochondrium transmittunt. Quo fit, ut dolores huiusmodi nõ admodum iuuet quæ in cubito fit uacuatio, corde scilicet medium occupante. Nempe uenam quę inferiores thoracis alit partes, sub corde emergere audiuisti. Dicta quidem mihi hæc sunt super eo quod ab Hippocrate bene scriptum est, de secãda scilicet interna cubiti uena. Sed quod uacuandi sanguinis terminum coloris mutationẽ posuerit, deinceps est differendum. Quicquid ergo sanguinis in phlegmone continetur, id caloris abundantia colore p ermutatur. Reliquum autẽ in partibus omnibus simile manet. Eam ob causam sanguine qui in totum spargitur corpus pituitosiore existente, rubicundior sanè erit, qui in eo qđ phlegmone obsidetur, latere cõtinetur. Quòd si sanguis in corpus totum diffusus, rubidus fuerit, is procul dubio qui ad phlegmonem est adustus, assatusq;, in nigrum permutabitur. Liuidus autem in ea quæ

Sanguinis color in phlegmonibus permutatio.

Liuidus sanguis.

fit à rubido ad nigrum transmutatione, mediũ obtinet. Coloris igitur mutatio, sanguinis ex particula inflammata translationem sufficienter commonstrat. Vacuationis igitur modum mẽsuramq;, quæ affectui peculiaris sit, diximus. Sed cum interdum uirtus tantum uacuare prohibeat, parti ipsi quæ phlegmone obsessa est, minus quidem futurum auxilium scire oportet. Quo fit, ut non uirtutẽ exoluere melius sit, quàm sanguinem uacuare redundantem.

XI.

SI VERO eas quæ sub septo transuerso sunt partes dolor infestat, nullumq; ad clauiculam signum fecerit: uentrem uel nigro ueratro, uel peplio mollire oportet. Sed ueratro nigro, uel daucum, uel *seseli, uel cyminũ, uel anisum, uel aliud quippiam boni odoris miscebis: peplio uero silphii succum: quãquam & hæc inter se mixta non dissimiliter agant. Cęterũ ueratrum nigrum tum melius, tum ad iudicationem iuuantius quàm peplium uentrem soluit: sed peplium flatum magis excutit. † Dolorem præterea ambo hæc sedant. Sedant quoque & alia quæ expurgant medicamẽta. Verum omnium quæ nouerim, uiderimq;, hæc potissima existunt. Nempe & quæ in sorbitionibus dantur purgantia medicamenta, soluere possunt, quæcunque scilicet non ualde insuauia existunt, uel propter amaritudinem, uel aliam quampiam iniucunditatem, uel quantitatem, uel colorem, uel suspicionem aliquam.

* In aliquibus exẽp. pro seseli legit σέλινον, hoc est apium.

† Hæc in antiq. smanuscript. græ. sicut & in latina trãsla. non inueniuntur.

Quòd medicamenta purgantia per experientiam inueniantur, & quosnam expurgẽt humores, & si omnino purgent, in libris de simplicium medicamentorum uiribus, didicisti. Quòd uero purgationis necessitas sit, si redũdãtes humores deor-

sum repant, est quoque ratione scitum animaduer-
sumq; : sed id testimonium ratamq; fidem ab ex-
perimentis habet. Edocuit autem Hippocrates fa-
cultatem medicamentorum, quę in huiusmodi af-
fectibus propinat: ueratrum quidem nigrum κρισι-
μωτερα, id est ad iudicationem iuuantius uacua-
re, peplium uero flatus magis excutere affirmans.
Quæ autem ab Hippocrate κρισιμωτερα, id est ad
crisim iuuantiora dicuntur, ea morbi iudicium fa-
ciunt magis: quod facultate uerbo huic ωφελιμωτε-
ρα, id est iuuantiora, idem existit. At cum purgan
tia omnia medicamenta uentrem, præsertimq; os
ipsius, quod maxime tũ neruosum, tum sensile exi-
stat, affligant, lædantq;, ob id eorum quę boni sunt
odoris mixtio excogitata est, ne sola, synceraq;
purgantium medicamentorum uirtus os uentris
tangat. Permixta quoq; inter se tum peplium, tum
helleborum, ὁμοιωτροπα, id est modi similis esse
ait, quod est facultatibus conuenire, & in nullo cõ-
trouersa esse. Nam & in purgantium medicamen-
torum permixtione controuersia est, non quando
aliud quidem bilis, aliud uero pituitę excretorium
fuerit (Nam eodem tempore uacuari tum bilis,
tum pituita possunt) sed quando aliud quidem
protinus, aliud uero longo à propinatione tem-
pore purgationem mouere natũ sit. Nempe hoc
pacto inæqualis eorum quæ simul ingesta sunt, fit
uacuatio: inæqualem dico, cum iam altera quidem
desinere, altera uero incipere uideatur. Nempe qđ
citius purgare consueuit medicamentum, id & ex
alio quippiam simul uacuat. Quo fit, ut quod
exiguum ipsius relinquitur, imbecillius reddatur,
& longe tardius suam inchoęt purgationem. Præ-
finita igitur uacuationis lege, simile est hellebo-
ro peplium, potestq; helleboro similiter nigrum
subducere humorem. Cætera tum dictionis hu-

ius, tum sequentium patent. Considerare igitur
hæc atque in memoria tenere nos oportet, sed non
perpetuo in pleuriticis uti debemus, ad memo-
riam reuocantes Aphorismum illum, ubi dicitur:
» In acutis morbis raro & in principiis, purganti-
» bus medicamentis est utendũ. Vbi igitur (inquit)
non solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est
pleuritis, uerum & cum febre uehementissima
multo magis uitanda est purgantis medicamenti
administratio, atque per sectionem uenæ, uacuan-
dum magis, etiam si ad hypochondrium dolor
finiatur. Nempe & si minus quidem auxiliũ quàm
per purgationem sequatur, securius tamen multo
existit. Immo nullum ex eo quod per uenæ sectio-
nem fit, periculum impendet, eo discrimen maxi-
mum subeunte quod per purgationem tentatur: &
potissimum si laborantis naturam expertus quis
non fuerit. Nempe alii difficulter natura purgan-
tur: alii modico assumpto medicamento, pur-
gantur copiose. Quibus igitur dare quadrabit, his
medicamenti tantum propina, quantum in pluri-
mis mediocriter uacuari tum nouisti, tum sis ex-
pertus. Si enim hominis naturam non noueris,
metus est ne plus iusto uacues, uel nullo pacto ua-
cuationem moueas: aut si moueris, non tamen
sufficienter uacues. Quæ omnia magnas in mor-
bis acutis pariunt offensas: quod non facile, ut in
his qui non febricitant, emendatur. Cum igitur fe-
bris uehemens non fuerit, naturamq; laborantis
expertus fueris, ad medicamenti purgãtis potum
te conferes, his quæ ab Hippocrate dicta sunt, uel
etiam aliis similis naturæ usus. Quo è numero
est quod ex colocynthide paratur medicamen-
tum: quod iam ex usu hieram uocant, id sanè ua-
riis parant modis. Sed quod helleborum acci-
pit, scammoniamq; non habet, id his qui medica-

men subductorium omnino adsumere possunt, optimum est.

Lib. gs prigā & gb. opt

XII.

VBI AVTEM quis medicamentum ebibit, ptisanam protinus sorbendam dato, neq; insigniter minore quàm consuetum est quantitate.

Stomachg

Et maxime quidem uentris ori, quod & stomachum uocant, ut in ipsis purgantium medicamentorum potibus, illæsum maneat, consulere oportet: præsertimq; ubi febrientibus tale quippiã propinatur. Verũ præcipua ne offendatur, cautio est, si medicamentum quod propinatur, purum non sit: sed cum aliis quæ malitiam ipsius hebetare nata sunt, temperatum mixtumq;. Nempe purgantium omnium medicamentorum natura, corporũ quæ expurgantur naturis contraria est, atq; ut quispiam dixerit, letalis, & deleteria, id est pestilens. Vt autẽ succi papaueris, mandragoræq;, & hyoscyami, atque aliorum huiusmodi multorum, quæ nobis & substantia & uiribus aduersa corpus perimere nata sunt, portionem exiguam adsumentes, magnam percipimus commoditatem: sic & purgantiũ medicamẽtorum quorum natura corporibus nostris aduersa est, exiguam aliquam partem præcidentes ad suppetias ferendas utimur. Quo item modo in horum medicamentorum potu seminum aliqua quæ boni sint odoris miscemus, quæ & malitiam obtundere nata sint, & operationem ipsorum non prohibeant, tenuentq; ita incidantq;, ut & crassos incidant humores, & uias quibus uacuatio fiat, aperiant, patefaciantq;: sic & à sumpto medicamento, ptisanam sorbere confert. Nempe purgans medicamentum ipsum tanquam exiguũ ad uentris quidem fundum peruenit: uerum dum transit, stomachus & quæcunq; uentris sublimior pars nõ quaPurgantia pharmaca nãis dolitoria.

pharmacis miscmp alia.

Ptisana à sumpto pharmaco usus.

litatem

litatem medicamenti purgantis modo, uerum & substantiæ, quæ in transitu hæret, aliquid adsumẽs, uehementer lędit. Ptisanæ igitur cremor superingestus commoditatem affert: nempe & deorsum trahere, quod uiæ adhæret, & qualitatem medicamenti, quod his adhæret partibus, tum temperare, tum permutare potest. Ob eas igitur causas à purgantis medicamenti potu, ptisanam superborberi præcipit: sed ubi purgatio cœpit, ab ea uult abstinendum, purgãtis medicamẽti operationem exolueritus. Atque ob eam rem ait.

XIII.

ET QVONIAM abrenon est, purgatione in media sorbitionem dare non conducit. At ubi purgatio desierit, tunc sorbitio detur, sed consueta minor: deinde liberalius perpetuo exhibeatur, si & dolor cessauerit, & nihil aliud obicem fecerit.

Contra quàm plerique huius temporis medicorem hanc docuit Hippocrates. Nempe hi ubi uacuauerunt, copiose nutriunt. Hippocrates uero à purgatione, ptisanæ minus ministrari iubet. Nam corporum quæ expurgata sunt natura expurgatione agitata, labefactataq;, tolerare alimoniã non potest: neque probe eam conficere, nisi omnino paulatim fuerit. Purgatis igitur tantum cremoris prima die exhibendum, quantum domare possint. Deinde paulatim, sensimq; adaugere oportet, si & dolor, ut inquit, cessauerit, & nihil aliud prohibuerit. Quod de dolore ait, est manifestum: sed nihil aliud prohibere ad præfatas referre oportet, si intelligere uolueris, distinctiones, in quibus demonstrauit quonam pacto morbis acutis laborantes absque sorbitionibus regere oporteat. Summa uero horum est, cum uel morbum ante iudicatio-

nem nulla sorbitione indigere sperabimus, uel in quibus summa est, quę phlegmonē facit, cruditas.

XIIII.

SERMO AVTEM mihi idem est, si & ptisanæ cremore utendum sit.

Tempus exhibendorum tum ptisanæ, tum cremoris ipsius, & antea simile esse demonstrauit: re una duntaxat differentiam horum definiens: nempe à cremore principium exhibitionis facit.

XV.

MELIVS siquidem esse dico, ut protinus à morbi initio sorbere incipias, quā inanitis, uacuatisq; uenis uel die tertio, uel quarto, uel quinto, uel sexto, uel septimo, si ante hoc tēpus morbus haudquaq̄ iudicatus fuerit, sorbitionē inchoare.

Quod in aphorismis scripsit Hippocrates, id & impræsentiarum persequitur, in morbi omnis uigore tenuissimo utendum uictu præcipiens. Si igitur quinta die morbi uigor futurus sit, & æger solo usus potu sufficere non possit, melius esse ait, si protinus ab initio ptisanam dederis, & neque tertio die, neque quarto sorbitionem inchoaueris. Sic sanè & eos, qui uel quinto, uel septimo sorbitionē inchoant, falli, circumueniriq;, si ante hoc tempus morbus non fuerit iudicatus. Per iudicationem intelligo, ut dixi, non perfectam morbi mutationem solū, uerū quoq; & effatu dignā transmutationē.

XVI.

PRÆPARATIONES autem & his tales fiāt, quales dictæ sunt. †De sorbitionis igitur exhibitione ita sentio.

†Hæc ēt in ant. desiderātur.

Et q̄bus ab initio sorbitionem daturus sis, prępa rationem similiter fieri præcipit. Id est, siue sectionis uenę, siue clysmatis, siue balani necessitas fuerit, illud ante faciendum iubet.

XVII.

DE POTV quoq; qualēcunq; ex declarādis potaturus q̄spiā sit, eadē omnino mihi est ratio.

Si laborātē potu solo, citra ptisanę sorbitionē reueris, præfatas quoq; prępparatiões te facere iubet: id est, aut uenā secare, aut clysmate, uel balano uti.

XVIII.

VERVM & medicos contra omnino, quàm oportet agere scio. Nempe omnes, languentes ipsos per initia morborum, duos uel tres uel etiam plures dies inedia siccare, atque ita tum sorbitiones, tum potus exhibere uolunt, idq; forsan quòd magnę corporis mutationi, magnam quāpiam obiicere mutationem ipsis decens esse uideatur. Verum mutatio ipsa bene quidem habet †non modica, sed recte transferenda uenit. Iam autem & ciborum exhibitio mutationis ratione maxime subit.

†In ant. pro μὴ habet ει's, & erit cōtrarius sēsus: in aliis ēt ει'. i. si modica.

Medicos culpat Hippocrates, q̄ lāguētes ipsos in absoluta ciborū abstinētia seruāt: deinde eos paulatim alii q̄dē ad sorbitionē, alii ad potuū ingestionē deducunt. Non tamen mentionē eorū fecit, qui cibos ualidiores ante morbi concoctionem ministrant. Consueuit siquidem, ut antea dixi, interdum prætermissis quę maxima sunt erratis, culpare minora, & inde eam quæ ex illis oritur demonstrare offensam. Qui autem ita transmutant, forsan (inquit) rationabiliter transmutare arbitrantur, in magna corporis transmutatione effatu dignam uictus permutationem facientes. Quod sanè bene eos existimasse ait, non tamen de transmutatione omni, sed bene aliqua est putandum: de qua partim

prædixit,& partim quippiam est dicturus,sermoni adstruens,declinandas esse repentinas mutationes.

XIX.

MAXIME ergo lædentur, qui tota utentur ptisana,nisi recte transferantur:lædentur quoque & qui solo utentur cremore, quanquam minus: lædentur præterea & qui solo utentur potu,sed hi minime.

Dictam paulo ante subitam uictus mutationem, qua primis diebus in absoluta ciborum abstinentia seruatos languentes circa diem quartum nutrire incipiunt,maxime quidem nocere ait,si in ptisanam totam transferantur,minus uero si in cremorem:sed ἥκιστα,id est ἐλάχιστα,quod minimũ indicat,offendi eos,qui ad solos procedunt potus. Nempe ex magnitudine uirtutis eorum quæ offeruntur,magnitudo oritur offensæ.

XX.

OPORTET AVTEM & ex sanorum hominũ uictu disciplinam quæ conferat,facere. Nam si sanis quibusdam tales uel tales cibi uariare uideantur cum in aliis quibusdam tum in nonnullis mutationibus,quo modo & in morbis quibusdam.

Incipit Hippocrates præfatam ab ipso de uictu sententiam demonstrare, arguens unà & eos,qui contrario uictum instituũt modo. Sed ut dilucidus conspicuusq; reddatur sermo,summam ipsius omnem præfari melius esse mihi uidetur. Est autem earum quæ in eam rem adsumuntur sumptionum dignitas altera uniuersalis hæc: Si bene ualentibus læsionem afferant repentinæ uictus ad contraria mutationes,multo magis ægrotantibus ipsis. Qđ uariis etiam modis possumus interpretari,aliud in

aliam transsumentes dictionem, ut hoc pacto: In repentinis uictus mutationibus qui sani sunt,ægris minus læduntur. Vel sic: Aegri sanis magis lædũtur. Vel ad hunc modum: Detrimenta sanos minus quàm ægros afficiunt.† Generalior hæc interpretatio: Validiores minus afficiunt, imbecilliores magis detrimenta. Licet & aliter uim sermonis interpretari,aut ex eo quod per se & primum utile sit ad quod demonstratur:aut ex aliqua continentium ipsum uel dignitatum uel sumptionum. Talis quidem tibi sit per se credibilis sumptionum altera (lemmata Græci dicunt.) Lemmata,id est sumptiones,uocare consueuit Aristoteles dignitates, uel proloquia,uel postulata. Sed alteram cui fides per experientiæ lucem accessit,deinceps audi: Sanos etiam repentina uictus mutatio offendit. Ex utraque hac sumptione concluditur,languentes à repentina uictus mutatione lædi magis:sed multo magis qui acutis infestantur morbis. Hæc est uis sermonis. Verum Hippocrates alteram ex sumptionibus per se tum prius,tum credibilius,protinus citra structuram accipit. Alteram uero his quæ singulatim per experientiam noscuntur,fide donat & authoritate. Quod & sequens declarat oratio.

Præterea generalius hoc: legit in ant.

XXII.

ATQVI QVOD uitiosus tum cibus,tum potus semper sibi similis ad sanitatẽ tutior sit,quàm si quis subito ad alterum uel meliorem se transferat,facile discitur,intelligiturq;.

Alteram sumptionum earum quæ ad præsentis sermonis demonstrationem præstant, nunc ex multis particularibus exemplis adstruere incipit, fidem ipsius in unam colligens summam, quæ talis est: Magnæ & repentinæ præter consuetudinem mutationes non paruam sanis adferunt læsionem.

Quanquam sermo hic conspicuus sit, tamen si quippiam quod explanatione indigeat intercidere uidebitur, his qui exercitati non sunt, in sequenti serie explanare non cunctabor. Nempe hic commentarius proposito non horum modo qui in sermonibus sunt exercitati, uerum quoque & eorum qui exercitati non sunt, tum liberalis, tum benignitatis plenus existit. Quòd si quis præfatas disciplinas neque didicerit, neque expertus fuerit, aliud quippiam agat.

XXIII.

NEMPE TVM his qui bis die comedunt, tum his qui semel, noxam imbecillitatemq; pariunt repentinæ mutationes: quiq; prandere non consueuerunt, & prandent, statim ægre habent, toto item corpore graues redduntur, & parum ualentes, & desides. Quòd si supercœnauerint, alios † alui læuitas exercet: nempe uentriculus præter consuetudinem grauatur, supersiccescere consuetus non bis tumescere, neque bis cibos coquere.

† Acidum ructāt, ait Hipp. sicut & paulopost ipse trāsfert

Non solum quod in repentina consuetudinis mutatione ualde lædantur, uerum quoque & quænam læsiones fiant, & quonam modo singulas emendare oporteat scribens Hippocrates, ob id sermonem prolixum facit, quo modo si duntaxat quòd in repentina consuetudinis mutatione lædantur ostenderet, ob id sermo illi totus breuis foret. Prima igitur consuetudinis mutatio, quā nunc exprompsit, est de his, qui prandere non assueti, pransi aliquando sunt. Ait enim tales & ægre habere, & toto corpore graues fieri: parū itē ualere, & desides reddi. Cōtingunt aūt hæc ipsis grauata ab alimento, ueluti à pōdere facultate. Neq; enim ægre ea habet propria ratione, ueluti in cibi penu-

ria fieri cōsueuit. Ob eā igitur causam hoc in loco sermoni adiecit, totum corpus grauari his qui bis cibati sunt, eosq; fieri desidiosiores. Verum in assuetis prandere, & nō pransis imbecillitatē quidē uirtutis scripsit, sed grauitatem non adscripsit. Nēpe & in talibus mutationibus imbecillitatur sua ratione uirtus. Præterea cum desides fieri in præsenti uictus mutatione asserat, in cōtraria timidos esse dixit, quasi opus omne perosos & ueluti opus aggredi ueritos diceret. Nempe res ita habet. Nā q affecti sunt, uirtutis imbecillitatē uere sentiunt: atque ob id eas quas ante promptius obibant, obire non audent actiones. Quinetiam & his qui diminute cibantur, uiscera opinione pendere ait, eosq; tum calidum, tum χλωρὸν, id est uiride meiere. Calidum inquiens, id est solito calidius: χλωρὸν uero, id est uiride, iuxta morem quendam Asiaticorum græcorum, qui & nunc obseruatur. ὠχρὸς, siquidē, id est pallidos, quosdam uidentes, causam cur ita χλωροὶ, id est uirides facti sunt, interrogant: χλωρὸν & ὠχρὸν, id est uiride & pallidum, nihil referre existimantes: uisumq; quendam χλωρότερον, id est uiridiorem dicunt: ὠχρότερον, id est pallidiorem ita significantes. Est autem ὠχρὸν χρῶμα, id est color pallidus, † ueluti ignis, & color ὠχρας uocatæ, cuius prima syllaba acuitur, Fitq; talis color, permixta aquosa excremento pallida & amara & flaua appellata bile. Nempe flauus color quantum à rubro in albiorem secedit, tantum à flauo pallidus. Scripsit & alia quædam symptomata quæ ita affectis fiunt. De quibus cum ad eam quæ de ipsis est mentionem peruenerimus, agemus. Præsentem autem dictionem discutiamus. Quæ in non assuetis prandere contingere ait, his adhuc & hoc adiecit: Si autem supercœnauerint, acidum ructant. Quod autem ructus acidi fiant, & ꝓpter uētriculi

† Quod in impressis οἷον πῦρ in ant. οἷον περ legit: & sic nulla erit ignis mētio.

frigiditatem,& propter pituitam sæpius in eo acer uatam, & propter ciborum multitudinem,aut si pauci quidem sint, potestate tamen frigidorum, didicimus. Omnium autem præfatorum commune est,calorem uentris ingenitum uinci à cibis.nõ eos uincere,neq; his præstare,neq; probe ipsos cõficere posse:ut si modicæ flãmæ lignorũ multitudinẽ superaceruaueris,uel & citra multitudinem, tũ uiridia, tum humida superposueris. Cæteris ita cibatis πατίλην,id est alui læuitatem,siue humidã deiectionem fieri ait. Verum in exemplaribus non paucis non πατίλην scriptum inuenies,sed ἄσην: ut eo uocabulo ῥιπτασμὸν,id est proiectum intelligamus corporis hominis huius,qui ita cibatus est: corporis in quam ob cibi multitidinem ἀσομένου, id est grauiter, molesteq; habentis,atque implacidi,inquietiq;,dum in lecto iacet,& sese permutantis. Cæterum quod circa dictionis finem,cibi confectionem coctioni similem esse oporteat, manifeste ostendit, tanquam à calido fiat non sicco squalentiq;,cuiusmodi est febrilis,sed ab humido uaporosoq;,cuiusmodi est qui in animalibus secundum naturam existit.

XXIIII.

CONVENIT autem his permutationem æqua uirtute compensare. Dormire siquidem eos oportet,tanquam noctem à cœna,hieme quidem citra frigus,æstate uero citra calorem agant. Qđ si dormire non queant,plures lente ambulando absoluant circuitus,neque stent.nihil cœnent,aut pauca & innocua. Minus præterea bibant, sed meracius & non dilutum. †Magis præterea & is afficietur,qui ter die replebitur,ac etiam multo magis qui crebrius:quanquam sint nonnulli qui ter die satiati facile ferant,utpote qui ita sunt consueti.

†Neq; hæc in ant.tã græ.q̃ lati. habentur.

Hoc in loco referre hæc non erat necesse. Nempe docere proposuerat quonam pacto repentinæ consuetudinum mutationes nos lædant,nõ autem quo tales læsiones modo curare oporteat. Verum quoniam Hippocrati hoc tentare est uisum, propterea quę scripsit persequemur. Maxime quidem is dormire ipsos plurimũ iubet. & si dormire nequeant,plures lenta ambulatione absoluãt circuitus.idq; ut quamplurimi expositorum aiunt, post cœnam:sed ut eorum quæ dicuntur sensus præcipit,post prandium. Nam oratio hæc, tanquam noctem agant,de somno meridiano non de nocturno dici expostulat. Præterea quòd continuata est scriptum serie,ubi inquit,Si uero dormire nõ queant,plures lente ambulando absoluant circuitus, neque stent.nihil præterea cœnent uel pauca & innocua,testatur Hippocratem uelle eos à prandio dormire non à cœna. Duorum igitur alterũ: Nam aut emendanda tanquã errati conscia scriptio,atq; ita scribendum, Dormire siquidẽ eos oportet post prandium tanquam noctem agant:hieme quidem citra frigus,æstate uero citra calorem. uel si seruare uolumus orationem hanc à cœna, intelligenda est hoc pacto dictio: Dormire siquidem eos oportet ut à cœna ante dormiebãt:sic & nunc post prãdium tanquam noctem agant. Quòd autem uelit Hippocrates eos uel nihil omnino,uel parce, uel leuiter cœnare,sensus est manifestus. Ventrem siquidem uult requiescere,laboremq; quo grauatus afficiebatur refoueri,quòd præter consuetudinem pransus homo fuerat. Hinc sequens est & minus bibere,sed non aquosum,non dilutum. Nempe fluctuationem humiditatemq; & refrigerationem uitare oportet,ubi à ciborum multitudine uẽter grauatus fuerit. Potum autẽ qui exhibetur,non aquosum esse conuenit,sed uentris tum calfactoriã,tum

roboratoriam obtinere facultatem. Cætera quæ continuantur, liquida sunt & manifesta.

XXV.

PRÆTEREA qui bis die cibum sumere cosueuerunt, ii nisi pransi fuerint, ægre habent, parũ ualent, timidiq; ad quoduis opus fiunt, & cardialgici. Nempe his uiscera pendere uidentur, calidũ mingunt & uiride, id est pallidum, stercusq; exuritur. sunt quibus os amarescit, oculi cauantur, & tempora saliunt, partesq; frigescunt extremæ.

Cætera quidem huius dictionis in eorum comparatione quæ præter consuetudinem pransis contingere diximus, sunt explanata: sed de reliqs nunc dicam. ἄφοδον, id est ἀποπάτημα, id est stercus ipsorum siue alui purgationem incendi exuriq; inquit, à calore scilicet assatam. Nempe corpus magis tum siccescit tum ignescit iis qui cõsuetum relinquunt prandium. Aliis os amaricare ait, utpote iis qui biliosiorem habent naturam. hisq; caui fiũt oculi ab eadem qua excrementum aduritur causa siccescentes. Quòd autem in amaræ bilis naturis uernaculus calor in id quod igneum est digrediatur, propterea & tempora saliunt, id est temporum arteriæ euidenter pulsant. Partes præterea corporis extremæ frigidiores fiunt, quòd uenter biliosis repleatur humoribus, quorum morsu atque cõtristatione affectus, uirtutem dissoluit, corporisq; extrema refrigerat.

XXVI.

PLVRIMI quoque horum qui pransi non sunt, cœnare nequeunt. qui si cœnauerint, uentris grauitate afficiuntur: ac difficilius cubant multo quàm si pransi fuissent.

Picrocholi natura præter consuetudinem impransi permanentes, cibos auersantur fastidiuntq;, uentre scilicet male tum tractato tum afflicto. Verum qui coacti cibum sumpserint, grauantur: atque ob id δυσκοιτοῦσι, ut ipse inquit, id est male habentes in lecto permanent & traducunt.

XXVII.

CVM IGITVR talia ob dimidiatæ diei uictus à consuetudine digressionem sanis contingant, neque adiici quicquam neque subtrahi commode uidetur.

Rursus inter exponendum quæ contingunt ualentibus iis qui subito consuetudinem permutauerunt, sermonis summam obiter atque ueluti appendicẽ adiecit, cuius gratia omnia hæc exponit quæ sanis contingunt. Nempe ut constat, si beneualentibus uictus dimidiatæ diei permutatio adeo molesta sit, quo modo non admodum languentibus ipsis molesta erit? Deinde rursus ad explanationẽ eorum quæ sanis contingunt reuertitur in sequenti dictione quæ ita habet.

XXVIII.

QVI IGITVR præter consuetudinem semel pastus toto die exinanitis uasis quantum consueuit, cœnauit, si tunc impransus laborauerit, parumq; ualuerit, atque assumpta cœna tunc grauatus fuerit, multo magis eum grauari par est. quòd si adhuc plusculis horis uenæ exinanitæ fuerint, atque repente cœnauerit, magis adhuc grauabitur.

Quod ait huiusmodi est. Si qui præter consuetudinem impransus permanens minus consueto cœnauerit, nocte grauetur: multo magis graua-

bitur qui ſolito plura eſt cœnatus. Qui aũt pluſcu lo tempore exinanitis uaſis repẽte cœnauerit, ma gis adhuc grauabitur. Nempe qui impranſi prẽter conſuetudinem permanent, horum alii ad minus temporis inediam protendunt, alii ad longius in̄ teruallum. hos igitur grauari adhuc magis ait.

XXIX.

QVIBVS igitur præter conſuetudinem uenæ ſunt inanitæ, ii eodem die ueniunt reficiendi. Vi tent in primis frigus, calorem, & laborem. Nem pe hæc omnia moleſte feruntur. deinde cœnam ſolito minorem faciant, eamq; non ſiccam, ſed hu mentiorem. deinceps bibant, neque dilutum, ne que minus quàm ingeſtorum ratio poſtulat. Po ſtero autem die pauca prandeant: ut acceſſione ſenſim creſcente, ad conſuetudinem redeant.

Vt eorum qui præter conſuetudinem prande runt detrimenta emendauit, ſic & eos qui quòd ſe mel duntaxat die præter conſuetudinem ederunt afflicti ſunt, uult in primis uitare tum calorem tum frigus tum labores: hæc nempe omnia moleſte fer ri ait. Adde quòd & minus ſolito cœnare ipſos iu bet: quanquam pleriq; maxime cõtra agant. Nam prandere ob negocium aliquod prohibitos, uolũt in cœna & eam quæ in prandio omiſſa eſt aſſume re alimoniam, haud ſcientes quòd eget quidem ue re alimonia omiſſa corpus, ſed ipſam conficere nõ poſſit uentriculus ob longiorem abſtinentiam læ ſus afflictusq;. Quinetiam Hippocrates ut alimo niæ minus uult exhiberi, ita & eam humidiorem. Nempe huiuſmodi alimonia exiccatis tum uentri tum corpori uniuerſo peculiare auxilium præſtat. Roborare præterea & uentrem ipſorum iubet ui ni potu, neque dilutum, neque minus quàm cibi proportio exigit potandum præcipiens. Dilutum

enim uentris robur exoluit. Minus uero quàm ci bi proportio expoſtulat, uentri arefacto inhabile exiſtit. Poſtero tandem die ita affectos uictui pro ſpicere iubet. qui Hippocratis præcepto conſue torum ciborum minus ingerere debeant: ut ſenſim paulatimq; in priſtinam redeant conſuetudinem.

XXX.

TALIA uero moleſtius ferunt, qui parte ſupe riore picrocholi exiſtunt.

Iam & ego paulo ante dixi picrocholos, id eſt amaræ bilis homines, ſubitariam eam quæ à uictu ad abſtinentiam fit digreſſionem pituitoſis diffici lius moleſtiusve ferre. Bileſcit ſiquidem ocyus his totus tum corporis tum uentris habitus. Sed qua re non ſimpliciter dixit picrocholi? at parte ſupe riore? Nempe cum flaua bilis quam & pallidam & amaram nominant, ſuperiori ſupernatat uentri, iure optimo tales parte ſuperiore picrocholos di cimus. Cum uero per ſedem demittitur, parte infe riore picrocholos aſſerimus. Paulo ſiquidem rhe tori qui toto corporis habitu pituitoſus erat, die bus ſingulis ſupernatabat flaua bilis, primamq; ip ſam uomebat à lauacro nõ paucam. Eudemo au tem philoſopho qui temperamento bilioſus erat, per ſedem demittebatur: raroq; is, quanquam ali quando, pallidam uomebat bilem. Vt autem Pau li excrementa bilis exiguum habebant, ita & Eude mi multum. Qui igitur præter conſuetudinem nõ prandent, ſi & toto corporis habitu, & ſuperiore uentre picrocholi fuerint, his neceſſario contingũt quæ paulo ante dixi omnia. At qui uentre dunta xat ſuperiore picrocholi exiſtunt, his tolerantiæ difficultas ſimiliter continget: ſed ex reliquis ſym ptomatis alia quidem nullo pacto erunt, alia erunt quidem, ſed moderatiora. Prædixit quoque & eos

qui præter consuetudinem non prandent, timidos ad quãuis operationem esse, stomachi erosionibus affici, pensilia uideri ipsis uiscera, calidum & uiride meiere, exuri q; excremẽta: aliis os amaricare, oculos cauari, tempora palpitare, & extrema perfrigere. Sed horum alia toto habitu picrocholis cõtingunt magis, alia autem superiore duntaxat uentre talibus. Atque ob id ad quamuis operationem timiditas, extremorum perfrictio, mictus calidus uiridis q;, deiectionum adustio, cauatio oculorum & temporum saltus, toto habitu picrocholis usu eueniunt. Vtrisque autem pensilium uiscerum opinio, & oris amaritudo. Nam ob insuetam abstinentiá, tum suspensa, tum pendula percipiunt uiscera. Verum ob bilis † exuperãtiam picrocholis toto corpore os amaricat: non quòd affectio in ore magis fiat, sed quòd sentiendi partem eam natura generis humorum discretoriam fecit. Venter autem magis quidem his exuritur, quibus ex hepate in uentrem bilis effusa supernatat, minus autem quibus deorsum mittitur. Nam his quidem intestinũ properat ad excretionem, illis uero stomachum mordet. Ob eam rem Eudemus diebus singulis bis, & interdum ter deiiciebat. Paulus autem interdũ nullo pacto excernebat. Nisi etenim intestina à mordente aliquo irritentur, uel copioso excremento grauentur, excretionis promptitudinem non accipiunt. Neutrum horum impransis contingit, neq; enim mordentur intestina bile in os ascendente, atque illa non mordente contristanteq;. Neque grauitas his fit, qui nullo pacto comederunt.

† πικρίαν. legit ant. i. amaritudinẽ.

XXXI.

NON assuetam autem cibi abstinẽtiam facilius omnino ferunt qui parte superiore pituitosi sunt: quo fit ut si semel die cibo utantur, facilius etiam ferant.

Prius quidem parte superiore picrocholos usum cibi qui semel die sit, difficilius tolerare dixit. Nunc autem ad pituitosos se transferens, pro cibi usu qui semel die sit, inediæ meminit: ex habente manifestius detrimentum, ad minus noxium translationem ex proportione faciens. Nam si magis quidem lædi eos qui sine cibo totum præter consuetum permanserunt diem æquum sit, minus autem qui non prandent: & pituitosi picrocholis cibi usum qui semel die sit, facilius ferant, quòd sanè & inediam facilius ferant, palàm est omnibus. Causa autem cur pituitosi facilius cibi usum qui semel die sit, ferant, ex his quæ antea de biliosis dicta sunt euadit conspicua. Nam bilis humor in ipsis inediis amarior redditur. Pituita uero temporis processu coquitur, sanguisq; efficitur, neutra bile in sanguinis substantiam redeunte: cum ex sanguine quidem plus calfacto flaua bilis generetur, ex eodem uero assato adustoq; atque etiam ex crasso atra. Pituitæ autem generatio in pituitosis eduliis sanguinem perpetuò antecedit: atque generatione ipsius media cibi in sanguinem transeunt. Neque hoc deterioribus tantum cibis contingit, uerum & quibusdam eorum qui salubres admodum esse uidentur, ut pani, chondro, semidali. Ego sanè eam quæ mihi optima esse uidetur narraui conscriptionem. Nempe quod in ea docetur, per se uerum est: atque continuatam cum his quæ ante dicta sunt, habet seriem: qui optimæ explanationis sunt scopi. Non tamen in exemplaribus omnibus consimilem inuenies descriptionem, sed in aliis & aliis pugnantem. Cæterum aliter in libris ferè omnibus reperitur dictio hæc faltuo sermone, & nullam quæ antedictis continuetur seriem seruante.

XXXII.

POTISSIMVM ſanè & hoc argumentum, quod maximæ mutationes eorum quæ †circa naturam noſtram habitumq; contingunt, maxime morbos committunt.

† Nõ περὶ ſed παρὰ legitur in antiquis.i. præter.

Multa quidem apud Hippocratem φύσεως, id eſt naturæ, nomen indicat: ſed hoc in loco temperaturam ſignificari quiſpiam exiſtimauerit, ueluti & partium ipſarum ſtructuram compoſitionemq;, ἕξιν, id eſt habitum appellari: quo in ſtructuræ genere cõtinetur & bilis ad partes ſuperiores fluctuatio, & ad inferna deiectio, & uiſcerum tum ſuſpenſio, tum cõſtantia ſtabilitasq;. Nempe cum uenter magnus exiſtit, uiſcera confirmat & ſtabilit, tametſi cibis uacuus, deſtitutusq; fuerit. Verum cum paruus eſt, cibis quidem refertus confirmat: uacuatus uero ſubſidentia relinquit. Hinc fit ut ſuſpenſa ſentiant uiſcera. Quibus autem bilis flaua ſurſum natat fluctuatq;, ante eſt dictum, meatu bilem ipſam ex hepate ad id inteſtinum quod Græci ἔγκυστιν uocant, quaſi è uentre enatum dixeris, deferente, neq; ſtructuram habente eandem. Nam interdum quibuſdam portio aliqua ab ipſo ad uentrem procedit: his quidem ſupernatat bilioſum excremẽtum, cæteris uero deorſum omnino uoluitur.

XXXIII.

NON IGITVR intempeſtiue neque fortes uaſorum inanitiones moliri, neque cum morbi uigent, feruoremq; habent, cibum dare, neq; repente huc uel illuc in toto negocio quicquam mutare licet.

Dictio hæc præter ordinem ſcripta eſt, copulari ſiquidem debuit cum ea quæ ſcripta eſt ante, ut tota oratio talis foret: Talia uero moleſtius ferunt qui

qui parte ſuperiore picrocholi exiſtũt. At nõ aſſuetam cibi abſtinentiam facilius omnino ferunt qui parte ſuperiore ſunt pituitoſi: quo fit ut cibi uſum qui ſemel die ſit, facilius etiam ferant. Non igitur intempeſtiue, neque fortes uaſorum inanitiones moliri, neque cum morbi uigent, feruoremq; habent, cibum dare licet. Nam poſtea quàm ſermonem, quo magnas uictus mutationes oſtendit ſanos ipſos, non quo modo languentes lędere, compleuit, abſoluitq;: iure intulit cuius gratia mentionem de his omnibus fecit, inquiens: Non igitur intempeſtiue neque fortes uaſorum inanitiones moliri licet. Quãquam autem & inſtitutum etiam per relata ſufficienter demonſtrauerit: uidetur tamen & ad alterum tranſire ſermonem qui hæc commonſtret, liberaliter teſtimonio uſus. Principium igitur ſequẽtis ſermonis iure cenſetur dictio hæc, Potisſimum ſanè & hoc argumentum, quod maximæ mutationes eorum quæ †circa naturam noſtram habitumq; contingunt, maxime morbos committunt. Cui quidem dictioni continua fuerit, quæ ita ſequitur: Multa autem his germana eorum quæ uentri contingunt, atque alia quis dixerit. Dictionem ſanè hanc ſum explanaturus: ſed nunc ad præſentem reuertar, quæ hanc habet mentem. Nõ intempeſtiue neque uehementer fame necare, neq; in morborum conſiſtentiis uictum ex inedia ad cibi oblationem permutare licet, ſicuti neque ſubito ad contrarium. Ex quibus ſequitur, talem inſtituendam uictus rationem, qualem is præcepit. Summa autem horum eſt, declinandas eſſe ſubitas repentinasq; ad contraria permutationes.

† Præter.

XXXIIII.

MVLTA autem his germana eorum quæ uentri contingunt, atque alia quiſpiam dixerit: ut exempli gratia: Cibos quibus uti conſueuerunt,

facile ferunt,tametsi natura haud quaquam boni fuerint:similiter & potus.Cibos uero quibus uti non consueuerunt etiam si mali non fuerint,moleste ferunt:consimili modo & potus.

Quæ similia congruentiaq; exiſtunt, atque,ut quispiam dixerit,genere iuncta cognataq; consuetudo uocare Hippocrates ἀδελφισμὸν, id est germana:quòd eorum quæ genere iunguntur & familiarissimi & genere omniũ iunctissimi sunt ἀδελφοὶ id est germani.Nam propinquitates cæteræ his posteriores sunt:ut patrum matrumq; fratres sororesq;,& fratrum sororumq; filii filiæq;,& quæcunque id genus sunt.Cætera dictionis clara sunt.Nã demonstrat Hippocrates sermonem eundem quẽ ab initio demonstrauit,cuius summa est:Consuetudo maxime potest, repentinaq; ab ea digressio corpora non parum offendit.

XXXV.

†In ant. add.uel fructus.

SI ERGO multa præter solitum carnis deuoratio,uel allia, uel silphion,uel ipsius succus†uel caulis uel alia cõsimilia,quæ seorsum insignibus sunt prædita uiribus,uẽtriculis quibusdam magis quàm alia labores inferant,minus quis admirabitur.†At iure admiraberis si didiceris quãtam maza turbationem,tumorem,flatum,torminaq; mazam deuorare non assueto pariat,si præter consuetudinem ingesta fuerit:uel qualem panis ipse calidus deuoratus sitim inferat, & repentinam plenitudinem,quòd tum exiccet, tum tarde descendat:& q̃ uaria inter se pariant purissimi consaneiq; panes si præter cõsuẽtudinem deuorentur, & maza similiter uel arida uel humida,uel tenax: qualiter item & polentæ afficiant,recentes quidẽ eos qui recentibus uti non consueuerunt,&aliæ eos qui recentibus ex consueto utuntur.Ad hæc

† His omnibus carent ant. exempl. tã græca q̃ latina.

quid faciant uini,& aquæ potationes præter consuetudinem in aliud subito translatæ, quid dilutum item uinum,meracumq; repente pota. Dilutum enim cum infirmitate humẽtem reddit uentrem superiorem,flatuosumq; inferiorem.Merum uero uenarũ pulsationẽ efficit,capitisq; grauitatem,& sitim infert.Præterea quid uinum album nigrumq; præter solitum mutata:quæ si amabo uinosa fuerint, ualde alterant corpus. Quare dulce uinosumq; minus quis dixerit mirũ esse non idem posse ubi repentina fuerit mutatio.

Sermonis totius sensum intelligentiamq; ubi prius dixerimus, ad particulares quæ in eo sunt dictiones perueniemus. Orationis igitur totius sensus talis est. Victus mutationem in eos qui insigni præditi sunt uirtute,tum cibos,tum potus nemo qui lædentem corpora uiderit,admirabitur: uerum eam quæ fit neque sine læsione in cibos potusq; non insigni præditos uirtute,iure quis admirabitur.Talis quidem est sermonis totius intelligentia. Sed ut particulatim dicam,orationis totius principium mentionem eorum facit ciborum, qui fortem uehementemq; habent facultatem: ut carniũ deuorationis, alliorum, silphii,succi eiusdẽ & caulis. Nempe silphium totum fortem habet facultatem,figillatimq; succus ipsius & caulis. Verum hæc quidem simpliciter dixit:sed cum carnium deuorationis meminit, adiecit hoc uerbum, multa. Nempe multa carnium deuoratio magnam habebit facultatem,mediocris uero non magnam. Quæ huic succedit dictio,ad eos accedit cibos qui non magna constant uirtute:mazam uidelicet & panem uel calidum,uel frigidum,uel syncomiston, id est confusaneum. Quod panem non purum syncomiston appellet, constat & ex ea

quæ ad purum est oppositione. Panem hunc ho-
mines huius temporis autopyron appellant, non
discreto scilicet furfuraceo, sed unà cum syncera
puraq; farina macerato conspersoq;. Post hæc de
polentis mentionem fecit, recentesq; uocauit
ποταμίας, Ionum uoce usus & antiquorũ. Memo-
rauit postea & uini & aquæ potationes præter soli-
tum mutatas. Meraciorem item & dilutiorem po-
tum. Quibus adiecit dilutum uinum in uentre su-
periore πλαδῶδες, id est humiditatem infirmitatéq;
facere, flatumq; in inferiore: Meracum uero pal-
pitationem temporum, †capitis grauitatem & ti-
tim, idq; caliditate: dilutum autem contraria, tum
humiditate, tum frigore. Mentionem quoque &
de uinorum ipsorum differentia fecit, ex his om-
nibus colligens, quod in uniuersum ab initio ipsi
propositum institutumq;, omnem scilicet consue-
tudinis subitam permutationem non paruum cor-
pori adferre detrimentum.

†Et uena-
rũ addit'
in ant.

XXXIII.

CÆTERVM partem hanc sermone contra-
rio πμωρητέον, id est iuuare oportet. Nempe his
uictus mutatio facta est, corpore neque ad robur
ut cibos adiicere, neque ad infirmitatem ut cibos
diminuere oporteret haudquaquam permutato.

Verbum hoc πμωρητέον, opitulandum siue iu-
uandum indicat. Neque autem opitulatio alia ser-
moni huic fuerit præter patrocinium quod uera
loquitur. Nempe cũ ex duobus sermonibus unus
ipsi placuerit, alter uero aduersetur: & ei quidem
qui placuit hucusque est patrocinatus, nunc ad al-
terius patrocinium descendit: cuius sententia quis
conuenire dixerit, ut languentes ab insigni uictus
mutatione iuuentur, quando & corporis affectio
in contrarium his quidem qui antea sani uiuebant,

nunc uero ęgrotant, permutata sit. Sanè & in huius
sermonis gratiam uniuersaliter antea est loquutus,
his uerbis, Transmutatio autem bene habet non
modica: sed ὀρθῶς, id est recte transferenda uenit.
Deinde quid aduerbium hoc ὀρθῶς indicet, non
paucis ostendit, sed ad summam subducens, colli-
gensq; dixit, Non igitur intempestiue neq; fortes
uasorum inanitiones moliri, neque cum morbi ui-
gent feruoremq; habent cibum dare, neque repen-
te huc uel illuc in toto negocio quicquam mutare
licet. Quare & ambiguitatem soluere iã anticipat,
quam nuper enunciauit sermoni consentiens. Adii
cietq; impręsentiarum aliquid, cum inquiet: Conii-
cere autem oportet & robur, & morbi cuiusque
speciem. & cætera quæ his succedunt, quæ in se-
quenti dictione explanabo.

XXXVII.

CONIICERE AVTEM oportet & robur, & morbi cuiusque † speciem: hominis item natu-
ram, atque ægrotantis in uictu consuetudinem,
non in cibis solum, uerum quoque & in potioni-
bus.

† πρόπον hoc est modũ, dicit ipse.

Conuenienti in acutis morbis uictus institutio-
ni quam docuit, & roboris considerationem, &
morbi speciem, præterea & hominis naturam, con
suetudinemq; ipsius adiicere iubet Hippocrates.
Nempe summa quam adstruit est, non permutan-
dam esse uictus speciem prius, quàm signa coctio-
nis manifesta sint. Id autem fiet, si quot diebus ad
uigorem morbus uenturus sit pręcognoueris. Ve-
rum quum uictus, quem manifestabo, pro maioris
minorisve ratione permutari possit, quod labo-
rantes inter se differant uirtutis tum robore, tum
infirmitate, naturali item temperamento & morbi
specie, atque antecedente consuetudine, si ad ea

respexeris, poteris artificiose† tum magis tum minus animaduertere, si uidelicet uel oxymelite, uel melicrato ægrum regere debeas, aut solam aquam bibendam adusque coctionis notas dare: aut ptisanam, aut ptisanæ solum cremorem: deinde si bis & semel die. In uictu uero tum magis tum minus per ea quæ dixit coniicere oportet. Nam si ægrum ptisanæ cremore indigere comperias, iam tibi constat quātum de eo sis propinaturus. Consimili modo de oxymelite, melicrato & aqua. Verum quo modo ad generis uictus inuentionem operæ precium est, ut cognoscas an robusta uel infirma sit laborantis facultas, quot item diebus morbi coctio futura sit: sic & considerandum quantum uel robusta uel infirma fuerit. Nempe in uirtutis tum robore tum infirmitate magis & minus ualde discrepant: Sic morbi quoque discrimina differentiasq; coniicere oportet. Neque enim satis est cognoscere quòd pleuritis uel peripneumonia sit, sed & qualisnam ea sit cognoscere oportet in dolore, febre, & sputis. Nempe pleuritidum quæ cum dolore sunt, aliæ quidem magis, aliæ uero minus tales existunt: febremq; uehementem habent, tum magis tum minus particulares pleuritides. Cæterū non parua est in his quæ expuuntur differentia: ut in prognostico est dictum. Cum igitur particulatim in dictis differentiis uarient ægri, fieri nequit ut in Empiricorum appellatis syndromis reperiatur disciplina. Neque enim eorum qui in uirtute comperiuntur excessuum differētiæ scribi possunt, neq; febris uehementia, neque sputorum quantitas, neq; in particularibus coloribus, dissimilibusq; eductionibus magis minusq;. Verum cuiusque rei uirtute intellecta, omnes inter se comparare, summamq; omnem ex ipsis colligere oportet. Qua quidem in re tum meliores, tum deteriores reperiuntur

† Nōnulla in impressis uident̄ cōsiderari, quæ si restituātur, sic erit uertendū: cōiicere, si plus uel minus, & uictus etiā speciē, uictus qdē speciē, si

medici, quanquam eadem didicerint. Nempe qui perspicaci magis pollent sensu, his qui hebetiorē habent, euadunt probatiores. Laboris item amantiores segnioribus, exercitatioresq; minus exercitatis, atque qui memoriam tenaciorem habent, his qui minus ea ualent. Ex particularium igitur omnium uirtute colligere† in summam omnem formam totam singulorumq; ciborum quantitatem commodius est. Nam imbecillitas sæpius quidem sed paulatim cibandum indicat. Fidemq; rei huic facit quod æger bis cibari suetus sit. Facultatis autem robur contrarium indicat. Nam si in homine semel cibari sueto uideatur, semel ipsum cibare oportet: quod indicant ambæ coniecturæ. Sic & corpus bene difflabile ad cibationem stimulat, qđ ægre difflatur ad cōtraria agit. Quod item tenues habet succos, id cibandum indicat. Quod his non constat, contrarium commonstrat. Atque in singulis quæ dicta sunt, magis minusq; proportionaliter sibi & auxiliorum usum tum auget, tum remittit. Sed de huiusmodi, omnia in methodo medendi deinceps & ordine ita exarata sunt, ut tum citissime cōdiscere, tum facillime ad memoriā reuocare possis: fieri siqdē nequit ut libro uno præsenti bene omnia scribat Hippocrates, atque ordine doceat: utpote qui primus horum inuentionem sit molitus. Qui tamen hæc ab Hippocrate tum trāsuersim, tum inordinate scripta didicerit, totamq; suam uitam in eam quæ ex operibus docetur, meditationem exercitationemq; deuouerit, is & lucem & ordinem doctrinæ adiicere poterit. Quod si & pluribus libris fecerit, quanta futura sit claritatis eorum quæ docentur exuperantia, liquido patet. Nemo ergo uitio uerterit si hoc in loco confundatur Hippocrates, scoporum multitudine affatim circunseptus. Nam si quòd par-

† Ex ant. exēpl. sic uertendū. in unū caput uniuersam uictus formā singulorūq; &c.

ticulatim horum unumquodq; à nobis in metho-
do medendi demonstratum sit intellexerit, atque
†sedulo. ad illam translatus †laborioſe singula didicerit, ea
sanè quę nunc incomposite inordinateq; dicuntur,
liquido cognoscet: speculationemq; in ipsis artis
operibus exercens, ueritatem ipsius laudabit.

XXXVIII.

CIBORVM AVTEM adiectioni intendendū
multo minus: subtrahere uero omnino sæpenu-
mero expedit, cum æger sufficere possit donec
morbus matureſcat.

Quoniam uictus cuiusque species ex his quæ
antea dixit inuenitur: atque inde quæ in ante scripta
dictione referuntur, coniicere operæprecium sit,
ut in singulis uictus formis quantitas reperiatur,
præsenti dictione, Ciborum autem adiectioni in-
tendendum multo minus, prorsus uero subtrahere
sæpenumero expedit, cognoscens præsidiorum
singulorum quantitatem artificioſa egere coniectu-
ra, artificioſe autem coniicere uiri esse, qui uires
omnium quæ in arte sunt didicerit, memoriæ man-
dauerit, atque diligentia omni adhibita sese in
operibus artis exercuerit, pauciq; tales existant,
iure optimo quæ præsenti inquam dictione refe-
runtur adscripsit, in quantitate ipsa ad id quod mi-
nus sit procedendum esse magis quàm ad id quod
exuperat ubi quis à iusto modo abscedit, admo-
nens. Nempe quod plus est, exuperatq;, noxas in-
terdum inemendabiles facit. Verum quod minus
est, facile emendatur. Nempe si uirtus elabi uidea-
tur, cibi exiguum ministrare possumus. Verum si
in uentrem absortus fuerit cibus, quod redundat
superfluitq;, si aliàs, multo magis in acutis mor-
bis tollere est difficile. Nempe prorsus subtra-
here sępenumero expedit, cū ęger sufficere possit

donec morbi uigor ad maturitatem perducatur.
Rursum præfatę dictionis partem hanc assumpsit,
nos familiaris huius scopi admonens, qui tum hic
tum in Aphorismis habetur. Nępe si æger ad mor-
bi usque uigorem sine cibo sufficere posse uidea-
tur, in omni ciborum abstinentia eum & potu solo
moderaberis, cum tibi uidebitur necessitas.

XXXIX.

QVIBVS autem id faciendum sit, scribetur.

Quod prædixerit Hippocrates, commonstrata
uniuersali uictus ratione in hoc libro, se transiturū
ad cæteras omnes acutas ægritudines, liquido con-
stat. Verūtamen opus huiusmodi non reperitur.
Nempe quæ in hoc libro à balneorum conside-
ratione extāt, si quis ueluti in typo ab Hippocrate
ad futuram memoriam scripta, in domo reperiens
post uiri mortem deprompsit: forsan ratione qui-
dem hoc fecit, ueruntamen ut liber digna Hippo-
cratis mente non sunt, sicuti neque ea quæ de mor-
bis & affectibus inscripta sunt, quanquam multa in
his bene scripta sint. Sed super ea re in his quæ in
ea scriptæ sunt expositiones disceptabimus.

XL.

MVLTA autem & alia his quæ dicta sunt, ger-
mana quis scribere potest.

Rursus ad eum reuertitur sermonem, quē mul-
tis certum ratumq; fecit exemplis, mutationē con-
suetudinis languentibus noxā afferre demonstrās:
sed quoniam à sanis in eos transiit, ob id quæ simi-
lia sunt & cōgruentia, bene κατὰ λφισμεν'α, id est, ger-
mana dixit. Quod autem postea dicturus est, ser-
monis huius testimonium existit, quanquam non
simile, non congruens, nec germanū, ut ipse appel-
lauit, sed id quod quęstigatur. Patebit autem tibi

mens Hippocratis in sequentis dictionis expositione.

XLI.

HOC AVTEM uerius efficaciusq; testimonium. Neque enim † rei de qua plurimus factus est sermo germanum existit: sed res ipsa commodissimum est documentum. Nempe quidam per morbi acuti exordia eodem quo laborare cœperunt die, comederūt, alii postero die, alii quidquis, alii cyceonem sorpserūt. Sanè hæc omnia deterius quidem habent, quàm si modo alio cibaretur quis: sed quæ hoc tempore peccata fiūt, ea minus multo lædunt: quàm si prius quidem diebus uel duobus uel tribus uasa quis integre exinaniuerit, mox quarto uel quinto talia ministrauerit. Sed sanè deterius aget q omnibus his diebus uasa antè exinaniuerit, & sequentibus quibusdam diebus ita pauerit prius quàm morbus maturus reddatur. Nempe hoc pacto mortem plurimis liquido affert, nisi morbus omnino beneficus fuerit. Quæ uero in principio committūtur delicta, ea non similiter his domantibus renituntur, sed facilius domari possunt.

† Antiqua exēp. habent hic μόνον. i. solum.

Ante ab his quæ bene ualentibus ex consuetudinis mutatione contingunt, ad languentes ipsos per similitudinem transiit: transiturus autē & nunc, atque ipsum quod nunc instituitur ferè ita habere est demonstraturus. Sed quidnā id fuit? sanè quod neque à principio neque primis diebus fame cruciatos ægros cum prope uigorem iam peruenerint, replere oportet. Tota aūt dictione uult ostendere, grauiorem contingere ægris offensam cum prope uigorem erratum fit, quàm si in morborum principiis quippiam delinquatur. Inquit enim: Quæ hoc tempore peccata fiunt, ea minus lædūt,

quàm si primis diebus, duobus uel tribus uasa qs integre exinaniuerit, mox quarto uel quinto talia ministrauerit, atque etiam antequam morbus, ut græco uerbo inquit, πέπειρος reddatur. Quod πέπειρον appellet πεπεμμένον, id est, quod ad maturitatem est perductum, palàm est omnibus. Morosos præterea, ὠμήθεις, id est beneficos dixit, non quidem maleficos morososq;, quos Græci κακοήθεις uocant: sed ὠμοπέπονας, id est, qui facile ad bonum uergunt. Scimus etenim ueterum multos ita uti dictione, ita quoque & Hippocratem, ut alibi est dictum.

XLII.

HOC sanè maximum reor esse argumentum, quòd primis diebus quauis sorbitione nequaquam eos priuemus, quibus futurum est ut paulo post sorbitionibus quibusuis uti debeant.

Sermonem hoc in loco eum dixit quem sæpius antea demonstrauit, nutrire scilicet sorbitionibus, ab initio præcipiens eos qui ad uigorem usq; sufficere citra ptisanæ ingestionem non possunt. Nam eos prope uigorem nutrire compellemur, cum ad tenuiorem uictus formam, etiam si antea plenius cibati fuerint, transeundum sit.

XLIII.

Πυθμενώδεον ergo qui hordeacea utūtur ptisana male passuros ægros ignorant, si duobus uel tribus diebus antea exinanitis uasis sorbere incipiāt: neque etiā qui solo utuntur cremore, qd sorbentes lędētur, intelligunt, cū sorbitionē nō recte inchoabunt. Sed tūc cauent magnamq; intelligunt lęsionem, si æger ante maturationē morbi ptisanā hordeaceā sorbeat, cremore uti suetus. † Quæ omnia efficaciter demonstrāt medicos nō recte ægrotantes ad cibos inducere, qppe qui uasa exinaniāt in

† In antiquis exēplaribus græcis desiderātur hæc sicut in latina ueteri translatione.

his morbis,in quibus ſorbitionē exhibere opor-
tet.Et contra in quibus ex uaſorum inanitione ad
ſorbitiones trāſeundum non ſit,in illis tranſeant.

Aduerbium hoc πυθμενόθεν uel παμπλῶς,id
eſt omnino,uel ἐξ ἀρχῆς,id eſt ab initio Hippo-
crati indicat. Nam medicos ignorare ait quando
primum uel ptiſanam uel cremorem ægrotis dare
oporteat:bene tamē ſcire ſi ante morbi coctionem
ptiſanam hordeaceā dederint,ſe ægrum læſuros.
Sequentem autem dictionis huius ſeriem, quæ ea-
dem ex eiſdem ſæpius dictis oſtendit,de induſtria
ob claritatem tranſgrediar.

XLIIII.

ET VT plurimum ἀπαρτί,id eſt exquiſite. In-
terdum autem hoc tempore,interdum & alio ex
uaſorum inanitione ad ſorbitiones tranſeunt, ubi
ſæpius à ſorbitionibus ad uaſorum inanitionem
tranſire expedit,ſi ita ex morbi acerbatione con-
tigerit.

Hoc aduerbium ἀπαρτί & apud authores atti-
cos,& apud Hippocratem eſt in uſu pro ἀπηρτι-
σμενῶς καὶ ἀκριβῶς, id eſt exquiſite & abſolute.
In quo ſignificatu & nunc eſt uſus Hippocrates,
demonſtrare uolens medicos in illo maxime tem-
pore permutare uictus rationem ex abſtinentia cibi
ad ſorbitiones,quo ad abſtinētiam accedere opor-
tet. Atque hinc manifeſtiſsime oſtendens cum mor-
bi uigor adeſt,tūc tenuiſsimo de neceſsitate uictu
eſſe utendum.

XLV.

INTERDVM autem & cruda tum à capite
tum à thorace attrahuntur biliosa, uigiliæq; his
accedunt,ob quas nō coquitur morbus: triſtes q̄i
& amari hi fiunt.deſipiunt. Incerti & diſcurrētes

lucis ſplendores oculis obiiciūtur: aures implen-
tur ſono,frigent extrema,urinæ crudeſcunt,ſputa
tenuia fiunt,falſa,colore ſyncero,& exigua,ſudo-
res circa collum, anxietates inquietationesq; ,&
ſpiritus offendens in ea quę ſurſum fit aeris latio-
ne frequens uel magnus, ſupercilia quadantenus
amplificantur,deliquia animi fiunt,ueſtium à pe-
ctore reiectiones,manuum tremor,atque interdū
labii inferioris concuſsio.

Vniuerſa hæc contingere his ait qui perperàm
cibati ſunt à medicis:qui primis diebus exiccatos
ægros die tertio uel quarto uel quinto uel ſexto
repente ad edulia non peracto morbi uigore per-
mutauerunt. Quaſi peracto morbi uigore,conue-
nienter eos uictum permutaſſe dicat. Quod autem
dicebat: Permutare quidem oportet ſanorum uic-
tum in morbis:neque tamē temere id agendum,
iam patere ex prędictis arbitror. Nempe cum una
quidē corporis conditio ſana ſit,altera quæ à mor-
bi initio ad ſtatum uſque extenditur, mox & tertia
quæ ad perfectam uſque morbi ſolutionem ſeſe
prorogat,deinde & quarta quæ totius cōualeſcen-
tiæ tempus aduſque ſanitatis habitum occupat:in
nulla harum quatuor cōditionum permutationes
uictus inſignes facere oportet,niſi prius in alteram
conditionis ſpeciem peruentum ſit. Qui igitur æ-
gros morborum exordiis in omni ciborum abſti-
nentia ſeruant,ſi ad uigorem uſq; talem uictus ſpe-
ciem ſeruare poſsint,nemo eos culpauerit. Quod
ſi facere non poſſunt ob interlabentes ægrorū ui-
res,quod perperàm inedia utantur προταριχεύσαμε-
νοις, id eſt exiccantes ægros, palàm eſt omnibus.
Hoc autem uerbo abſtinentię importunitatē plus
iuſto corpus exiccantem euidenter demōſtrat: ubi
etenim quo tempore prope uigorē tenuius cibus

dum fuit, in eo cibum dare coacti sunt, quod ægros abstinentia immoderate exiccauerint est manifestum, quod uocatur τραχώδης. Ob id igitur modo cibandi huic succedere ait symptomata multa, & praua: quæ omnia continuata recenset serie, à biliosis crudis exorsus. Nempe biliosa cruda ita appellauit, quoniam & excrementorum coctionem appellat, quanquam mutata nutrire non possunt, ut bilis utraque & qui græce ἰχῶρες dicuntur. Veruntamen quoniam & talia euincit natura, cocta quidem uocare consueuit Hippocrates excrementa huiusmodi, quæ à natura ipsa euicta sunt: cruda uero quæ non sunt euicta. Ob id & pus in phlegmonis quæ concoquuntur fieri ait, quanquam pars nulla expure alimoniam accipiat, ueluti accipit ex crudis appellatis humoribus & pituita, quæ reliquum perfectionis assecuta & prorsus cocta, corpus nutrire possunt. Sic igitur biliosorum humorum concoctio existit, ut sanguinis qui in phlegmone est in pus migrantis: intelligentibus nobis coctionis nomen in suo uniuersaliore significato. Est autē uniuersalius, cum natura causis fortior fuerit, permutaueritq; eas suo robore. Quæ igitur ueluti in anima carente corpore putrescunt, nihil ad permutationem conferente innato calore à concoctionis ratione degenerant: hoc sanè cōtingit aquosis his humiditatibus quæ per urinas excernuntur: atque ob id crudas urinas concoqui dicimus, quanquam corpus ex coctis urinis ali nō possit. Generali præterea hoc cōcoctionis significato utimur, cum uel catarrhum, uel coryzam, uel fluentes ex his humiditates, uel eas quæ ex oculis manant, aut crudas aut coctas esse dicimus. Ad hūc modum & bilem uel crudam uel incoctam, uel coctam esse pronunciamus. Cruda quidem flaua admodum est &

acris & male olens: Cocta autem & pallidior, & minimum male olens. Bilem igitur crudam incoctamq;, ait ad uentrem de necessitate confluere, quæ ob prauam uictus rationem tum ex capite, tum ex thorace trahitur, idq; cum fame ægros nocant, nullo utili solatium uentri præstantes, atque cum ex inedia ad ualidos cibos prope uigorem intempestiue transeunt. Recenset deinceps & symptomata alia, quæ prauam ob uictus rationem oriuntur. In primis quidem uigilias, quæ longam inediam ciboſq; intempestiue exhibitos consequuntur, quæ utroque nomine medicorum culpant uictus rationem. Quòd autem uigilias morbi cruditas consequatur, manifestum sanè existit, si somnos concoctio sequi debeat. Cæterum, Pertristes, inquit, fiunt tum ob longam inediam, tum ob ualidum repentinum alimentum, quo grauatur uenter, grauatusq; languidos reddit & mœstos. Adde quòd & amaros fieri ait, quippiam manifeste præfato consimile adstruens: ut etenim sunt qui ex melancholia tum languidi, tum mœsti fiunt, sic alii quidem sæpius acriter excandescunt, tanquam collecta aceruataq; in stomacho bile. Vel sanè cum amaros fieri ait, eam quæ in ipsorum ore ex tali bile fit amaritudinem indicat. Desipientiæ & acres excandescentias & bilem amaram, uel in stomacho, uel in cerebro collectā, consequi natæ sunt. Incerti & discurrentes lucis splendores, qui μαμαῤῥυγες græce dicuntur, oculis fiunt propter eam quæ à uentre est exhalationem euaporationemq;, & propter sanguinis qui ad caput fertur, abundantiam. Atque ex his prius quidem ex importuna interdum fit ciborum oblatione, alterum autem propter eam quæ commodo futura fit sanguinis eruptionem, uel delirium imminens. Consimiliter & aures sonis implentur.

tum propter eos qui à uentre ſurſum feruntur uapores, tum propter flatuoſum ſpiritum, qui in capite ipſo oritur. Corporis extrema, quę ſunt pedes & manus, prompte perfrigere, male habente uentris ore haudquaquam nos præterit, utpote cum uel propter longam inediam uehementer à mordentibus mordetur humoribus, uel ob importunam cibi multitudinem grauatur. Patitur autem utrunque ex ea quæ antedicta eſt uictus ratione, qua medici ægros primis diebus ubi fame exiccauerint, tunc cum tenuiter cibandum ſit, ad frumentacea repente tranſeunt edulia. Ob eãdem rationem neque eorum qui ita cibantur, urinæ concoquuntur. Nam in ea quæ citra uel cremoris ptiſanæ, uel melicrati, uel oxymelitis oblationem ſit exiccatione, ſanguis propterea quod non purgetur bileſcit, propterq; ſubitam ad eſculenta permutationem uenter compatiente ipſi facultate uitali grauatur. Quo fit ut ſtomachicæ appellatæ ſyncopæ manifeſtò nobis indicent facultatis uitalis ad os uentris condolentiam. Hoc ſiquidem tum magis tum primum ex importunis tum inediis, tum cibis affligitur. Ob id igitur ſputa, & tenuia, & ſalſa, & parua, & ſynceris coloribus fieri ait, & ſudorem circa collum duntaxat, & anxietatẽ inquietationemq; & ſpirandi difficultatem. Crudus ſiquidem manet morbus propter exceſſum utrunque, longam ſcilicet inediam, & intempeſtiuam cibi oblationem. Cruditatem autem ipſam conſequuntur ſputa commemorata, ueluti & circa collum ſudores, uirtute & ob famis anginam langueſcente, & ob cibũ intempeſtiuum grauata. Conſimili modo & anxietas inquietatioq;, quam græce ἀπορίαν dixit, commune eſt utriſq; ſymptoma, & ob longam inediam quæ uentrem † humoribus replet, & propter cibũ intempeſtiuum grauantem. Verum ſpirandi difficultas qua

† ἰχώρων.

tas qua ſpiritus offendit, ob cibũ intempeſtiuũ magis q̃ ob indigentiã oritur. Nã ſpiritũ inter inſpirãdũ & offendere & quaſi ſiſti, tũ anguſtiæ tũ cõuulſionis eſt nota. Latio etenim q̃ ſurſum fit expirationẽ facit. Tali aũt ſpiritui cõtrariũ, tũ in ſecundo tũ in tertio de morbis populariter uagantibus libro ꝑcurrit inqens: Duplex intro reuocatio ueluti aſpirantibus. Quod aũt ob cibum intempeſtiuum & non propter penuriam talis fiat ſpirandi difficultas, patet ex ſermone Hippocratis, ſpiritum frequentem uel magnum, ualde perperam cibatis fieri aſſerentis: fit ſiquidem frequens magnusq;, acto in anguſtiam ſepto tranſuerſo ab ea quæ in uentre continetur alimonia, cum uidelicet neque uicta, neque probe à uentre confecta inflationem parit. Nempe tunc ob ſepti tranſuerſi anguſtiam de neceſſitate minus aeris inſpiratur, quanquam thorax ſe, ea qua prius dilatabat, dilatatiõe dilatet. Ergo quod nũc aeris deeſt priori qui inſpirabatur, id deficientem diminutumq; reſpirationis uſum facit, atque ob eam rem animal maiorem reſpirationem facere cogitur, uel frequentiorem uel utranque. Dictum autem abunde de ſpirandi difficultatibus omnibus in libris de ſpirandi difficultate, ubi tum harum tum aliarum difficultatum ſpirandi cauſas unà cum propriis demonſtrationibus ſcripſimus: uerum quantum ad præſens attinet, hęc ſufficiunt. Ait præterea & ex præpoſtero cibatu ſupercilia quadantenus amplificari. Verum id bifariam ſcriptum inuenitur. Nempe in quibuſdam exemplaribus ſingulari numero, ad hunc modum: † Superciliũ quadantenus amplificatur]. In ceteris uero pluraliter: * Supercilia quadãtenus amplificãtur. Significatur autem ex ea dictione ſupercilia ipſa quodam modo euelli uel retrahi. Fitq; illud interdum quidem ambobus conuulſim intentis, aut

† ὀφρὺς δεινώσιως μετέχουσα.
* ὀφρύες δεινώσιως μετέχουσαι

altero ſolo: interdum autem & altero reſoluto. Deinceps ait deliquia animi fieri, ſermonem ad ſymptomata referens, per quæ & ueſtium reiectiones fiunt ardentibus ægris. Interdum autem & manus totæ tremulæ fiunt, plus aucto malo. Concuſſio autem labri inferioris, morſum in ore uentris uehemẽtem ſignificat. Quo fit ut tale ſymptoma, uomitus acrium humorum etiam ſignum ſit.

XLVI.

HÆC SI ab initio apparuerint, deliriũ graue uehemensq; indicant, atque ut plurimum ægri moriuntur.

Dicta, inquit, ſymptomata ſi circa morborum initia fiant, delirium uehemens denunciant. Morbi initium nunc intelligere oportet totum illud tempus in quo nondum exiſtunt concoctionis notæ. Nempe & in libris de iudicationibus dictũ eſt nomẽ principii & plura ſignificare, & ſignificatũ quod nunc dictũ eſt, ſecundũ eã eſſe diuiſionẽ qua morborum tempora diuidentes morbos ipſos conſtare ex principio, augmento, uigore & declinatione aſſerimus. Ergo cum nuper dicta ſymptomata ubi prope morbi uigorem apparẽt, iudicationem futuram conſtantibus in morbis ſignificent: ſanè ſi in principio fiant, iudicationem quidem non denunciant (nihil enim in principio iudicari poteſt) ſed delirii notæ exiſtunt. Scriptum autem & de his abunde in libris de iudicationibus, ex quibus totum qui de his eſt ſermonem perdiſcens, cum illic plenior ſit quàm ut nunc omnino percurrere oporteat. Sed ſanè ut in cæteris, ita in his ſummatim perſtringere ſatis erit. Ergo quoties natura ad excretionem properat, effatu digna in corpore fit permutatio, ob quam ſymptomata huiuſmodi cum manifeſtiſſimis coctionis

ſignis apparent. Verum cum perturbatio efficitur ſimilis, nullo à natura ad infeſtantium excretionẽ facto apparatu, tunc periculoſiſſimum eſt ſignum. Dictum iam & cæteris in commẽtariis de κριτικοῖς, id eſt iudicatoriis ſymptomatis qualia ſint, & quænam ipſorum natura, & quonam pacto ab his differant quæ ἐπιφαινόμενα, id eſt ſuperapparentia uocantur, quo in genere erunt & ipſa coctionis ſigna. Nempe & prognoſticum, & librum de humoribus, & aphoriſmos iam ante hunc librum expoſuimus. Sanè ſemper de his eadem dicere, ad eum ſpectat qui prolixioribus uti conſueuit ſermonibus.

XLVII.

QVI AVTEM euadunt, hi uel cum abſceſſu, uel ſanguinis è naribus fluxione, uel puris craſſi expuitione euadunt, neque aliter.

Cum mori ipſos dixit, non ſimpliciter dixit, ſed ut plurimum adſcripſit: quapropter quonam pacto quidam ex ipſis ſeruentur dicere ſequens erat: quos nunc percurrit, atq; quoſdam ex ipſis ſeruari ait, aut per ſanguinis eruptionem, aut per abſceſſum, aut puris abunde cocti expuitionem, ſimul quæ retulit ægros in huiuſmodi ſymptomatis incurrere propter multitudinem ſignificans.

XLVIII.

NEQVE SANE horum ita peritos uideo medicos, qui ut oportet dignoſcãt eas quę in morbis contingunt uirium infirmitates, & quæ ob uaſorum inanitionem, quam κένωσιν dicunt, & quæ ob aliam quampiam irritationem, & quæ ob πόνον, id eſt laborẽ, & quæ ob morbi acumen fiant. Quas item natura noſtra habitusq; ſingulis affectuum ſpecies omnigenas fabrefaciat: quãuis cognitæ ſalutẽ, & mortẽ ignoratę ferant.

Quoniam de ægri robore imbecillitateq; ser-
monem fecit, qui uictus scopi sunt non cõtemnen-
di: ob id nunc sermonem de imbecillitate repetit,
quibus hæc fiat modis medicos cognoscere debe
re asserens. Nempe quod quædam fiat ob uasorũ
inanitionem, hoc enim uocabulmu κενεαγγία id p-
prie & primum significat, atq; ob id ἀσιτία, id est,
ciborum abstinentia, κενεαγγία, id est uasorum ina-
nitio sæpius dicitur, tanquam nomine generis etiã
in specie homines omnes uti consueuerint. Alia
autem ob πόνον, id est laborem, seu proprie dictum
ut dolori idem sit, seu ut quispiam dixerit, malam
affectionem, qua in acutis morbis male ægri afficiu-
untur. Aliam præterea uirium imbecillitatem ob
aliam quandam fieri ait irritationem. Nam si mor-
sum dixit uel uentris, uel intestinorum, symptoma
hoc sub dolorum nomine intellexisse est uisus. Ve
rum si uel uigilias uel oris uentris affectionem di-
xit, non proprie interpretari uisus est. Cæterum uir
tus exolui uidetur, & ob euacuationem quæ fit uel
sanguinis eruptione, uel uomitu, uel deiectionibus,
uel sudoribus, & † ob lõgiorẽ q̃ par sit inediam, &
propter tũ dolorẽ aliquem, tum uigilias, tum asfi-
duas purgandi uentris suscitationes, atque etiam
cum os uentris ita affligatur, ut syncope insultet,
idq; uel propter grauantis alimoniæ multitudinẽ,
uel contristantem quandam ipsius qualitatem.
Nempe hæc uirtutem celerrime tum fatigant, tum
dissoluunt. Omnes igitur hæ uirium offensæ ex
manifestis quidem fiunt causis, sed aliæ ex non ma-
nifestis: ut quando absque manifesta uacuatione
uel uigiliis uel inedia, uel oris uentris sensu ęgri ad
talem subtrahũtur corporis affectionem, quam in
prognostico scripsit Hippocrates, inquiens: Naris
acuta, oculi concaui, collapsa tempora. & quæ
deinceps sunt. Nam hæc corporis conditio sit

† Alicubi legit δι' ἀσπάρμακρο πέρδ τὸ νοσῆμα τοs. i. ob inediã ex longiori morbo.

quidem & ob uigilias & ob excretionem quandã
quæ multa sit, & ob inediam: fit quoque & absq;
his, cum scilicet corporis humores tenues fuerint,
& febris calor acris. Nam euaporantur qui ita ex-
tenuantur, per insensibilem euacuationem. Cæteris
autem & ob intemperaturam principis unius par
tis affectæ imbecilla redditur facultas. Primum si-
quidem affecta prima laborat, deinde affectuum
participatione & reliquæ duæ. Didicisti enim unã
esse in neruis facultatem, quæ principium habet
cerebrum, alteram in arteriis cuius principium est
cor: tertiam uero in uenis quæ ex hepate oritur.
Ergo partis, unius quæuis illa fuerit, intemperatu-
ra propriam interdum facultatem uiolauit: cui affe
ctus participatione consenserunt reliquæ duæ fa-
cultates. Velocissimæ igitur fiunt, corde patiente,
mortes: Deinde affecto cerebro: Tardissimæ ab
hepate prodeunt. Vt enim partes hæ intemperie
affectæ maximam facultatis unaquæque suæ offen
sam incurrunt: sic partes aliæ principio unicuique
propius appositæ, si forti intemperatura affligan-
tur, uirtutum principia ad sympathiam agunt. Sunt
etiam aliæ, quæ quanuis propius appositæ nõ sint,
ob generalem tamen communitatem uel quandã
affectionis proprietatem partes uirtutum princi-
pia continentes lædunt. Os igitur uentris cum ui-
talem facultatem ad sympathiã agit, syncopas in-
fert: cũ uero ꝓprie animalẽ appellatã, desipientias
uel cõuulsiones. Vterus interdũ & apnœas, quas
non spirationes propè dixeris: interdum & neruo-
rum contensiones. Verum singula hæc completa
† simpliciter cognoscuntur: cum uero fiunt & sen-
sim increscunt, medicos plerosque latent. Quæ
sanè non quando ob magnitudinem auxilio iam
carent, tunc cognoscere oportet, quod uulgo con
tingit, sed & cum incipiunt, & fiunt: hoc siquidem

† Melius in antigs exẽpl. legit ἁπλῶς i. ab omnibus.

optimum est. Quod si fieri non potest, saltem omnino cum increscunt, dignoscere est necesse. Sanè hæc omnia Hippocrates significasse mihi uidetur cum inquit: Quas item natura nostra habitusq; singulis affectionum species omnigenas fabrefaciat. ubi naturam temperaturam dixit, & habitum struem corporis cõpositionemq;. Nam qui rarã ex natura habẽt texturam, tum euaporantur, tum syncopam facile incurrũt. Qui uero densiore constant textura, hi in morbis cunctantur, diutiusq; trahunt. Sic autẽ & partes nonnulli habent, alias quidẽ frigidiores, alias calidiores, alias sicciores, & alias humidiores: sed omnibus peculiare temperamento malum.

XLIX.

INGENS siquidem malum est, si ob laborẽ morbiq; acumen imbecillitato porrexerit quis potum uel sorbitionem copiosiorem, uel escu lentum, imbecillitatem eam ex uasorũ inanitione contigisse arbitratus. Neque sanè calumniam effugere potest, qui ægre ualentem ex uasorum inanitione non cognoscit, torquetq; uictus genere. Periculũ siquidem adfert erratum hoc: sed lõge minus quàm alterum, atque risu dignum magis. Nam si medicus alius uel plebeius ægrum interuiserit, cognoueritq; ea quæ contigerunt, dederitq; tum edendum tum bibendum quod alter uetuerit, is præsidium attulisse existimabitur. Tal'a autem maxime ab his uituperantur hominibus, qui res ad nigrum uertunt. Nempe qui ægrum interuisit uel medicus uel plebeius, hunc à mortuis suscitasse ipsis uidetur.

Ob dolores sæpius ægri sine pulsu redduntur, animiq; deliquia incurrunt, & nullo pacto queunt moueri, similiter & ob morbi acumen. Sunt autem

quibus non ob hæc uirtus offenditur, sed ob uasorũ quomodolibet factam euacuationem. Siue igitur ob euacuationẽ sensui manifestã, siue ob eam quæ per halitum fit discussionem, siue ob inediam uirtus labefactata fuerit: qui ita affecti sunt, cibari quàm celerrime expostulant. Cõtra autem qui ob dolorem uel morbi acumen parum ualentẽ habẽt facultatem, uacuatione interdũ magis quàm repletione indigent: immo q cibũ his exhiber, maximũ adfert detrimentum. Verum qui ex uasorum inanitione parum ualent, hos si quis diæta tenui presserit, lædet: quanquam non æque euidenter uel celeriter. Ignorare autem si æger parum ualeat ob uacuationem, magis quàm ob dolorem, probro uertitur. Cætera dictionis manifesta sunt.

L.

SCRIBEMVS autem & horum notas, quibus singula dignosci possint.

Rursum & hic pollicetur Hippocrates, sicuti, paulo ante, se librum alium quendam de morbis acutis scripturum.

LI.

SIMILIA PORRO his quæ uentriculo contingunt, hæc existunt. Nam si corpus totum præter consuetudinem ualde quieuerit, non confestim robustum magis euadit: quòd si diutius otiatum ad labores sese repente uerterit, uile profectò quippiam euidenter operabitur. Ita de cæteris corporis partibus est existimandum. Nempe & pes, & cæteræ quæ articulis præditæ sunt partes laborare nõ consuetæ, tale quippiam patiuntur, si post longum tempus ad laborem subito se uertant. Hæc tolerabunt oculi, & dentes, & quicquid huiusmodi est: præterea & cubile præter consuetudinẽ & molle & durũ, laborẽ facit.

Quod item ſub diuo eſt,præter ſolitum corpus indurat.

Rurſus ad inſtitutum rediit Hippocrates,abſoluto de uirtutis imbecillitate ſermõe,quẽ p digreſſionẽ à priſtino mutauerat inſtituto:aitq; quæ nũc dicũtur ſimilia quodã modo eſſe his q̃ ætri cõtingere dicta ſunt. Nempe ſcopum dirigit ad ſummã eam in qua mutationes ſubitas magnam languentibus adferre læſionem aſtruit. Quod autem hoc in loco ſcribit,huiuſmodi eſt. Vt uenter diutius omnino otiatus functionem perficere probe non poteſt,niſi prius ſenſim rurſum aſſuefcat,& ſuas exerceat operationes:ſic corpus uniuerſum,ſingulæq; aliæ partes. Deinde & partes aliquas ſerie cõtinuata nominatim commemorat, atque tandem in fine ſermonis,eius quæ in cubili ſit mutationis mentionem fecit,aſtruens ſanè & nunc quod ab initio de conſuetudinis mutatione eſt ab eo propoſitum.

LII.

SED HORVM omniũ exẽpla q̃dã ꝓſtringere ſatis fuerit. Nã ſi qs ulcus neq; admodũ inſigne, neq; ualde uil. in tibia acceperit, fueritq; homo cui neq; admodũ difficulter,neq; ualde prompte ulcera ſanentur,& prima ꝓtinus die ita iacens curetur,ut nequaquam crus tollat:hoc ſanè pacto ſine inflammatione manebit,citiusq; ſanitati reſtituetur,quàm ſi delinquens curetur. Quòd ſi uel quinto,uel ſexto,uel ſuperiore adhuc die ſurrexerit,atque ambulare uoluerit,magis laborabit q̃ ſi ſtatim ab initio errans curatus fuiſſet. Porrò ſi & multum & repente ſe fatigauerit,multo magis laborabit quàm ſi ita curatus in diebus huiuſmodi ſeſe laſſum & defatigatum reddiderit.

De repentina adhuc mutatione,ut antea in exẽplis aliis, ita & nunc in ulcere ſermonem facit Hippocrates. Nam ſi quiſpiam(inquit) ulcus in tibia habens,qui, & quieſcere & iacere indigeat, quiete ambulet(hoc enim ſignificat πλανώμενος ἁμαρτάνοι, id eſt peccans curetur)lædetur quidem prorſus:ſed minus quàm qui primis diebus quieuerit,deinde ſubito circa quintum uel ſextum,uel diem etiam ἀνωπέρω,id eſt ſuperiorem, tertium uidelicet uel quartum ambulare cœperit. Sunt qui uocabulum hoc ἀνωπέρω,de ſequẽtibus dici diebus exiſtiment,ſeptimo ſcilicet, octauo & nono: quod ſi ipſis placebat,eos principium dictionis per ε,& ξ,ἐξωπέρω & nõ ἀνωπέρω per α,& ν, Quale autem inquiunt,tale fieri non ualet ulcus,ut ſcilicet non parum lædatur qui ſeptima uel octaua ambulare cœperit,& antea quieuerit:& grauiter dixerim ſi ulcus magnum fuerit,uel laborans fuerit unus ex his,quibus ulcus difficulter curatur,& magis ſi ambo cucurrerint. Quòd ſi neque ulcus magnum fuerit,neque laborans fuerit cui difficulter ulcera curentur,curetur autem conuenienter,(nam & hoc ſubaudire in ſermone oportet)iam circa ſeptimam aut octauam bene habebit,& ambulare citra læſionem poterit. Quam ob cauſam ſermoni adiecit: Vlcus neque admodum ἐπικαιρον, id eſt notabile inſigneq;,neque ualde ἄηθες, id eſt uile:ſimplex ſcilicet ἄηθες uocans. Fueritq; item homo cui non admodum difficulter ulcera ſanentur.Is ſiquidem ſi nihil aliud circa curationem eratum ſit,ſolum quia mediocriter ambulet,& incedere indigeat,lædetur quidem,ſed non ita grauiter,ut ſi primis diebus quieuerit,mox tertia,uel quarta,uel quinta, uel ſexta obambulare cœperit. Qui uero magnum ulcus habuerit,& is ſit cui difficulter ulcera ſanentur,non mediocriter, ſed gra-

uiter lædetur ab initio obambulans: ueluti & qui paruum ulcus habuerit, atque is sit cui faciliter admodum ulcera sanétur, si primis diebus quieuerit, & quinta, uel sexta ambulare cœperit, non grauiter, sed mediocriter offendetur. Ob eam igitur causam Hippocrates de eo, qui in utraque oppositione medium obtinet, sermonem fecit. Oppositionē autem dixit, tum eam quæ in magno & paruo ulcere comperitur, tum eam qua homo dicitur δυσπλακὴς & εὐπλακὴς, id est cui tum difficile, tum facile ulcera sanantur. Quòd nihil referat dicere insigne ulcus, uel magnū, palàm est. Nempe ἐπίκωφον, id est insigne, propter loci naturam tale fit. Magnū uero uirtute perficitur, etiam si sectione corporis paruum sit, uel ipsa sectionis magnitudine insigne fiat. ἄθικες uero, id est uile, quod simplex est & paruum, uel propter loci naturam, quæ uilis & abiecta est, uel propter sectionem ipsam paruam factā, dicitur.

LIII.

OMNIA IGITVR hæc inter se subitam omnem supra modum huc & illuc mutationem nocumentum inferre perpetuo testantur.

In exemplis singulis præsentis sermonis mentionem facit Hippocrates, quapropter & nunc in exemplo quod de ulcere facit, idē est exequutus. Nempe διὰ πάλαιος, id est perpetuo, idem significat quod διὰ παντὸς & αἰεὶ, id est ubique & semper.

LIIII.

MVLTIPLEX itaque in uentre est læsio. Nam si ex multa uasorum inanitione repente quid plus iusto ingeratur: similiter si reliquum corpus diutius otiatum subito ad laborem uehementem sese uerterit, multo magis lædetur,

quàm si ex multo cibo ad uasorum inanitionem transferatur. Corpus re uera his cessare oportet, etsi ex multa fatigatione subito ad otiū, ignauiāq; desciuerit. Oportet autem & illis uentrem à ciborum cessare multitudine, alioqui læsio in corpore fiet, corpusq; totum grauabitur.

Quod primum omnium demōstrare decreuerat, id de subitis in uentre mutationibus fuit. Deinde ab hoc ad generalius, quod & uniuersalius dicunt, transiens, de repentina omni consuetudinis mutatione hucusq; percurrit. Nā cum specialiora in generalioribus, & particularia in uniuersalibus contineantur, uentris q; permutatio cū subita omnium mutatione demonstrata sit, nunc rursum ad uentrem reuersus, mutationum quę in eo fiunt differentias edocet. Aitq; longe grauiorem in uictus mutatione esse lęsionem, cum ex multa inedia repente plus modico ingeritur, quàm si ex multo cibo ad inediā transmutatio fuerit. Simile huic fieri in toto corpore deprehenditur. Nam minus lædūtur qui ex motione ad quietem subito transeunt, quàm qui ex quiete ad motionem demigrāt. Rursum & hoc in loco permutationis intempestiuæ emendationes correctionesq; , ueluti & in præmissis adscripsit, quanquam id ad præsentem non uideatur pertinere speculationem. Quæ autē adscripsit, hæc sunt: Qui ex motu quidem, actioneq; in otiū, segnitiemq; transeunt, eos ἐλλιπῶς ἔχειν, id est cessare, & toto quiescere corpore præcipit: quod idem huic sententiæ existit: Vbi fames, laborandum non est. Verum qui ex multa fatigatione ad quietem transeunt, eos pauciora ingerere iubet, quod est & uentriculum quiescere. Quoniam qui toto corpore non laborans, consueta ingeret, is multitudinem subalet. Qua ef-

2 aph. 16.

ficitur ratione,ut totũ corpus grauetur, laboretq; πόνος, id est labor,nunc Hippocrati læsionem indicat, multis particularibus læsionibus genus existens.

LV.

DE MVTATIONE quæ in hæc uel illa fit,plurima sum loquutus, quod reuera hæc nouisse commodissimum sit,cum ad omnia,tum ad id de quo nunc agitur. Nam & in morbis acutis ex uasorũ inanitione ad sorbitiones transitur. Transeundum quidem præcipio ego:sed sorbitionibus haudquaquam utendum prius, quàm morbus ad maturitatem perductus fuerit,aut signum aliquod aliud apparuerit,ut in intestinis uacuatorium uel proritatorium, uel in hypochondriis qualia scribentur signa.

Rursum sermonem totum in summã unam coegit Hippocrates. In habentibus quidem similiter, uictum haudquaquam permutare præcipiens,uerum in his qui ex sanitate ad morbum transeunt permutare quidem,non tamen ut cæteri permutant. Deinde compendio quodam uictus scopum in acutis morbis declarauit. Nam si morbus maturuerit, transeundum ad cremoris ptisanæ exhibitionem præcepit:& si adhuc crudus fuerit, non transeundum,nisi forsan symptoma aliquod,quod uires prosternat,apparuerit,ut uel uacuatio uentris immodica uel aliud quippiam quod proritet. Cõmuni autem proritationis nomine comprehendit omnia,quæ quouis modo uirtutem ad infirmitatẽ agunt: quo in numero censentur & morsus quem acris humor,siue in intestinis,siue in uentriculo,& præsertim ipsius ore parit,& uigilia,& ira,& mœror,& lũbrici elminthes,q ab intestinis ad uẽtrem usq; ascẽdũt,& cutis totius,aut mẽbri alicuius qui

nocte aggrediatur pruritus:ita ut uirtus non solũ ob irritationem,uerum quoque & propter uigilias exoluatur. Præterea inquit: Vel in hypochondriis qualia scribentur signa. Nam & ipsa dandam uel non dandam commonstrabunt alimoniam. Fieri siquidem potest,ut intelligatur utrunque:sed alterum magis pro sermonum intelligentia. Nempe præcipiens à ptisana abstinendum ante morbi maturationem,cum scilicet æger sufficere possit,adiecit: Nisi signum aliquod apparuerit, uel in intestinis uacuatorium,aut proritatorium, uel hypochondria qualia scribentur. tanquam hæc cremoris exhibitionem ante morbi maturitatem admoneant. Forte hypochondria dicit,quæ uehementer exaruerunt,& squalida admodum existunt. Talia nempe contingunt & mortiferæ faciei,de qua in prognostico dixit: Naris acuta,oculi concaui,& collapsa tempora. Nempe is signorum concursus hypochondrium habet ita compressum,ut quempiam ex inexercitatis fallat,tanquam reuulsum uideatur. Verum distendi uehemẽter ob siccitatem, & propter phlegmonem reuelli idem nõ sunt,quã quam exuperans corporis siccitas tensionem sepe to transuerso & hypochondrio pariat maiorem. Sed maxime animaduertas,distinguas q; à siccitate phlegmonem,quòd sanatio non una sit,oportet. Nempe qui hoc ipsum ob phlegmonem habent, tenui egent uictu: qui uero ob siccitatem,cõtrario, ubi sæpiusculè paucum exhibemus ptisanæ cremorem.

LVI.

FORTIS uigilia,potus,cibosq; tum crudos, tum incoctos reddit: uerum ea quæ in alia fit transmutatio,corpus dissoluit,excoctionemq; & capitis grauitatem parit.

Sæpius existimaui librum hunc in typis repertum, post mortem Hippocratis esse publicatum. Non secus etenim quàm hoc pacto facta esse uidetur inordinata sermonum compositio. Nam quæ ab Hippocrate inueniebantur exempla, hæc in libro ad fidem uniuersalem scripta sunt, alia quidem in facie, alia in tergo. Neque enim unicuique, tum adscripto, tum addito suum assignare ordinem potuit. Ergo quod ab Hippocrate in præsentiarum dicitur, id manifeste tum inconpositum, tum inordinatum existit. Neque enim hoc in loco ascribendæ rei huius occasio fuit: quanquã bene paulo ante, cum de ea quæ præter consuetudinem ad contrarium fit mutatione exempla scripsit. Nempe illis adscribi debuit. Quæ etenim ad uigiliam insueta fit mutatio, crudiores tum cibos, tum potus efficit. Ad somnum uero multum, eumq; studio quodam accersitum, segniciem corporis & capitis grauitatem. Si enim dixit ἐφθόπνοα, id est excoctionem, & dissolutionem, & capitis grauitatem, uerbo uno coniunctã, comprehensamq; manifestat roboris exolutionẽ. Commonstrat autem & nomen ἔφθοπνος, id est excoctionis, quæ ob calidam humiditatem fit, nõ ob siccitatem. Nempe uigilia per halitum digerere & siccare, non quæ in imo sunt coquere nata est: somnus uero humectare, spiritumq; & effluuia cohibere. Non igitur absque ratione in eorum qui plurimum præter consuetudinem dormiunt corpore halituosa redundant excrementa: atque ob eam rem tota ipsorum constitutio excoctis similiter exoluta redditur.

I.

QVIBVS autem uinum dulce, uinosumq; & album, & nigrũ, melicratũq;, & aqua, & oxymeli insigniantur, in morbis acutis, distinguere oportet.

Non incomposite solum, inordinateq;, uerum quoque & diminute uinorũ catalogum fecit. Est siquidem una ipsorum differentia in colore: alteram qualitas in gustatu facit: tertia consistẽtiã respicit: quartã odor ꝓgignit: & quinta in uirtute reperitur. Quę ergo in colore est, ea albũ, nigrũ, fuluũ, flauũ, & rubrũ dicitur. Verũ cũ & alię quę mediũ obtineant, sint differẽtię, sanè ut in colore, sic in uirtute permixtæ reperiuntur. Quę autẽ ex uinorũ gustatu est differẽtia, ea in dulce & austerũ diuiditur: & ex his mediũ, tũ qđ nullam quæ manifesta sit habet qualitatem, tum quod ex utraque constat qualitate. Præterea & in id quod acre appellitatur. Verum quæ in consistentia reperitur differentia, in aquosum secatur, & tenue, & in ualde crassum, & in horum medium, atq; in ea quæ medium hoc & extrema interiacent. At secundum eam quæ in odore est, alia quidem boni odoris sunt, alia uero non boni odoris existunt, sed ferientem quandam, & insuauem nacta sunt qualitatem: alia nullo pacto odorem habent, sed sunt aquæ instar inodora. Differentia uero in facultate est, ob quam aliud quidem potens, aliud uero

imbecillum,aliud medium,atque aliud quod me-
dium hoc & extrema interiacet. Vinum potens,
uehementer celeriterq; corpus calfacit, caputq;
ferit: imbecillum contrario agit modo. Quæ ue-
ro medium obtinent,nota euadunt,si ab extremis
distinguantur. Potens,uinosum appellatur, imbe-
cillum,aquosum. Nempe in quo uinum aquam
euincit,id cum in aliquo uehementissimum esse
uidebimus,iure uinosum appellabimus. Sicuti &
contrarium aquosum,quod aquæ maxime in om-
nibus simile existit,tenuitate scilicet,& colore:&
odoris carentia,& non manifesta calfactione. Hæ
igitur in uinis propriam secundum naturam repe-
riuntur differentiæ. Sunt qui his adiiciant eam,quæ
ex tempore desumitur differentiam, qua uetusta
quædam sint admodum,alia recentia,& alia quæ
in medio horum consistant. Sed quòd differentiæ
huiusmodi eorum sint,quæ extrinsecus accidant,
palàm est. Nempe quatenus tempore acriora &
calidiora fiunt uina,atque unà cum his tum colo-
rem,tum substantiam,tum odorem mutant,eate-
nus differentiam aliquam in uinis tempus facere
uidetur. Quòd si nihil horum immutetur, neque
ab aliquo uinũ uetus dicetur,neque recens. Immo
neque nunc ita dicunt tanquam uini ipsius annis
opus prima ratione habentes,sed tanquam simul
cum annis facultatem commonstrantes. Non enim
ob tempus uina uel iuuant,uel lædunt,sed ex pro-
priarum differentiarum mutatione id habẽt. Ergo
cum de uinorum agimus differentiis ,temporis
mentionem facimus per accidens,& nõ proprie,
neque primum. Cęterum inter proprias uinorum
differentias quædam iuuant,lædunt q; prima ratio
ne,aliæ non per se, proprieq; , sed per accidens.
Dulcedo quidem & austeritas propria ratione: sic
tum potentia,tum imbecillitas,tum tenuitas,tum

crassities.

crassities. Sed differentię quæ tum colore,tũ odo-
re desumuntur,non primum,sed per accidẽs: quo-
niam uinorum hæc quidem & aquosa, & alba, &
fulua,& nigra: alia aquosa & inodora ut aqua , uel
instar aromatis, unguentiq; bene olentia. Si igitur
uinorum hæ sint differentiæ,quæ & secundũ pro-
priam uirtutem & per accidens numerentur , iam
tibi constat de eo tum ordinis,tum numeri, qui in
præsenti dictione sit defectu. At si in sequentibus
omnium quæ commodæ sunt,differentiarum me-
minisse Hippocrates uidetur, ueniam inter expo-
nendum defectis dabimus.

II.

VINVM dulce uinoso minus caput grauat,
minusq; mentem ferit,atque quouis alio facilius
per intestina descendit: lienem tamen , iecurq; tu-
mefacit,picrocholisq; nullo pacto est idoneum.
Nempe his sitim facit, superiusq; intestinum in-
flat,nõ tamen inferiori pro flatus ratione est ini-
micum,etsi non admodum penetret qui à dulci
uino est flatus, sed diutius circa hypochondria
moretur.

Vinum dulce secundum gustandi qualitatẽ no-
minatur,qua & austerum & acre,ut aquosum præ-
termittamus,quod non omnino ab astringẽte de-
generat,tametsi languidam,exolutamq; habeat a-
stringendi qualitatem. Nam si aquæ comparaue-
ris,percipies manifeste ex ea comparatione gustũ
huiusmodi uinorum,eorum esse,quæ modicã na-
cta sunt astringentiam. A quosum autem uinum ap
pellant homines,quod aquę tum colore,tum sub-
stantia simile est. Perspicuum siquidem ut aqua,
splendidum & purum,& substantia tenue uidetur.
Protinus autem & facultate aquę simile existit,ne-

que imbecillum caput feriens, neq; infirmos ner-
uos, quando ne quidem manifeste calfacit. Sed de
uino hoc rursum tractabitur. Dulce igitur uinum
hoc quidem modo ab ea quæ in gustu reperitur
qualitate est nominatum, sed multis numeris ab a-
qua & colore & substantia recessit. Neq; enim te-
nue exquisite, neque album uidisti aliquando uinũ
dulce: sed plus minus dictis recedit, & neutrũ ho-
rum habet. Dulcia aũt uina maxime sunt theræum
& scybelites, crassa utraque & nigra. Dulcia quoq;
& ea quæ in Mæonia sunt, therinum, & caryinum,
tanto dictis & crassitie & nigritie superiora, quan-
to dulcedine inferiora. Prꝛterea quod hepsema &
sireon à Græcis & à Latinis sapa appellatum, ex
cocto musto conficitur: quo dulcius uinũ perficie-
tur, eo & colore nigrius, & substantia crassius ap-
paret. Quarto autem de simplicium medicamen-
torum uiribus, dulcem omnem saporem à calidi-
tate, quæ non immoderata & uehemens sit, fieri
demonstrauimus, sicuti & acrem in uehemẽter cal-
facientibus: Acrimonia siquidem horum est insi-
parabilis. In usu uero uinũ dulce mediocriter cal-
facere uidetur, sitimq; facit propter tum caliditatẽ,
tum crassitiem. Ita sanè & mustum quo diutius in
igne uersatur, eo tum crassius, tum nigrius, tũ dul-
cius euadit: quanquam supra modum coctũ ama-
ritudinem contrahat, quo modo & mel ipsum, qd
quanquam omnium dulcissimum sit, longa tamen
coctione amarum redditur. Sed ut iam retuli, de
qualitatibus omnibus gustabilibus in quarto de
simplicium medicamentorum uiribus est tractatũ,
atque hoc in loco, ut in aliis, super Hippocratis li-
bros expositionibus nõ demonstrationes, sed con
clusa tantũmodo recenseo. Cum igitur uinum dul
ce uiscus calfaciat, sitiq; ut dictũ est substantia cras-
sum, particulares ipsius facultates quas epotũ com

monstrat, secundas qualitates cõsequuntur. Color
siquidem sua ratione nullo pacto uel iuuare, uel læ
dere potest. Ergo uinum huiusmodi prosubstãtiæ
crassitie tarde meat: quapropter tantum abest, ut
ex obstructis partibus aliquid adimat, ut etiã obs
tructiones adaugeat. Atque ob id hepati adfecto
maximum adfert detrimentũ, præsertimq; ubi uel
phlegmone, uel scirrhus occupauerit. Sed mode-
ratius lædit, ubi uel ab humorũ crassitie uiscus op-
pilatur, uel propter imbecillitatem afficitur, uti in
affectionibus, quæ proprie hepaticæ nuncupãtur.
Post hepar, lien à uinis crassis læditur: non tamen
pulmo, cum bronchia crassum habent humorem.
Nempe in hepate ex amplis portæ uasis ad angu-
sta strictaq; uasorum, tum gibbæ, tum simæ proce-
ditur extrema: per quæ eorum omniũ quæ in cor-
pus totum digerũtur trãsmeatio fit. At in pulmo-
ne cõtrario euenit modo. Nam per uenas multas
digesta, confectaq; in amplam brõchiorum & pri-
mo minorum irruunt capacitatem, atque ab his ad
maiora excipiuntur, secum & crassos tollentia hu-
mores, quibus non calidiora solum, uerum quoq;
& tenuiora existunt. Scis autem pulmonem ipsum
ab humoribus crassis, uiscosisq; per tusses expur-
gari. Nam qui aquosi sunt, & exquisite tenues, ae-
rem qui tussiendo extra mittitur, circunfluunt. Aer
etenim tanquam manus quædam existit, quæ sur-
sum crassos humores secum ferat. Sed crassi-
tiem humorum talem esse oportet, ut ab aere sur-
sum ferri possit, & non ut lutum bronchiis illitam
esse & infarctam. Ob id sanè uiscosos humores tus-
ses non expurgant: nempe manent, & interna ui-
sci instar occupant bronchia. Ergo quæ ad edu-
ctionem eorum qui in pulmone continentur cras-
sorum humorum futura sunt idonea medicamen-
ta, moderatam humiditatem habere debent.

Quòd si uiscosi humores fuerint,non humiditate solum est opus,uerum quoq; & ea quæ ab acidis fiat succis detersione. Ob eam rem melicratũ quidem ad crassorum humorum expuitionem est cõuenientissimum,oxymeli uero ad uiscosorũ. Post melicratum ptisana est,atque ab ea uinum dulce,si coctis iam tum peripneumonia,tum pleuritide,pinetur,idq; non uexatis inflammatione corporibus. Quod si uinum huiusmodi epotum sitim faciat,ad expuitionem minus idoneum redditur. Verum ut uno absoluam uerbo,uinum dulce in acutis morbis ad expuitionem tũ propter dictas operationes,tum propter communem uinorum omnium rationem qua uires roborant,idoneum existit,& maxime his qui quæuis humida,quę tum in thorace,tum in pulmone continentur,expuunt. Dicisti autem humida illa uaria tum substãtiis,tum qualitatibus,tum uirtute esse in Prognostico, ubi sputorum exposui differentias. Nullum sanè bonum aliud uinum huiusmodi habet febrientibus propinatum. Minus tamen uinoso quod uehemẽter calfacit,lædere poterit. Commodum præterea aliud nihil habet præter ante dicta,nisi quod uenis permeationẽ modice iuuet. Ob id igitur Hippocrates,ubi à minus lædentibus quæ multa sunt, doctrinæ exordium fecit, ad iuuamenta ipsorum quæ pauca sunt circa finem sermonis transiit. Percurramus igitur quæ recensет,dictionem ipsius prosequentes. Vinum dulce minus quàm fortia potentiaq; mẽtem ferire ait,id est,minus deliria progignere: fortia siquidem uina uehemẽter calfacientia caput humoribus,uaporibusq;,& caliditate replent. Vina igitur dulcia,quo magis à uehementi caliditate absunt,eo minus tum caput grauãt,tum mentem lædunt. Sed facilius per intestina descendere ait,& uiscera tumefacere, id est, uiscerum tu-

mores augere. Sed de his dixi paulo ante. Præterea dulce uinum non idoneum esse ait picrocholis,id est,qui amaram bilem sibi aceruant. Nempe medici χολὴν id est bilem,simpliciter & pallidam & flauam dicere consueuerunt: μέλαναν uero χολὴν id est nigram bilem hoc toto appellare,& nõ χολὴν id est bilem simpliciter: sed hæc quidem acida est,amara autem quæ flaua. Ob eas res picrocholos appellat Hippocrates,qui redundantẽ habent huiusmodi bilem. Permixta autem aquõsis humoribus & liquidissima & pallida uidetur. Sola uero cum exiſtit,& crassa,& flaua est. Quæ autẽ huiusmodi bilem procreãt,sunt calida & ficca temperamenta,ad cuius generationem idonei sunt & dulces omnes humores. Quo fit,ut omnium horum maxime mel bilescat, quod dulcissimum sit, deinde & dulcia uina. Nõ solum autem quod caliditas multa tales humores amaros reddit, propterea dulce uinum febrientibus & præsertim ubi calidi & sicci temperatura fuerint, idoneũ non est: uerum quoque & quod crassa sint huiusmodi uina,neque per urinas uelociter descendant,neq; ciò diffluntur,transpirentq;. Quo fit, ut bilioſos humores neque secum agant,neque excernant. Solis ergo his unum inest bonum,quod uentrem emoliant: quod si non fecerint,omni pacto nocent. Prę terea & fiticulosa sunt,hac re quod facile bilescãt, commõstrantia. Flatuosum quoque uinum huiusmodi esse asserit. Nempe incalescentes crasi humores,flatum sibi similem generant,tum uaporosum,tum crassum. Quod autem tale est, inflatiões parit. Quapropter ex tenuibus uinis non prodit flatus, quanquam interdum quippiam generetur, quod & tenuium sit partium,& aerosum,non nebulosum uaporosumq;. Cętterum dulce uinum inferioribus intestinis non esse inimicum ait, quam

quam tarde meet qui ab ipso est flatus, moreturq; circa hypochondrium. Ea autē occasio est ob quā non admodum turbet inferiora intestina, quia circa hypochondrium moretur, donec perfecte coctus & tenuatus fuerit: quòd si semel coctus fuerit, commeabiliorem tenuiorumq; partiū habebit naturam. Qua igitur ratione à supernis ad infernas expellitur partes, eadē ab infernis extra mittitur.

III.

VRINAS siquidem hoc minus, quàm uinosum album omnino mouet.

Quodnam uocauit uinosum album, considerabimus. Nam antea uinosum uinum tum esse, tum appellari diximus, quod iure optimo aquoso opponitur. Valenter igitur ipsum & calfacere, & caput replere, & desipientias procreare, & calorem febrilem augere est operæpretium. Sed uinum huiusmodi album non est, neque cum nouum existit, neque cum uetus, quando ne quidem aliud quippiam antiquos uinorum manet album, etsi quàm maxime circa initia tale fuerit: immo semper fuluius redditur, & tandem flauum. Visus est ergo Hippocrates dixisse uinosum album austerum, qd neque urinas mouet: sed si tale crassum fuerit, circa hypochondriū moratur: si uero non crassum, neq; multum moratur, ut nigrum: neque albis simul & mediocriter austeris similiter ad urinas descendit. Nempe uina hæc urinas cient quod utranque tarde per urinas descendendi effugerunt proprietatem, tum eam quæ aquæ est, quam ob frigiditatem nacta est, tum eam quam uinum nigrum propter crassitiem habet. Vinum siquidem album & austerum minime calidum inter uina existit: atque ob id iis quæ ad uentrem fiunt destillationibus idoneum. Non tamen abunde ciet urinas hoc uinum.

At forsan Hippocrates uino huic nigrum comparans, minus ciere urinas ipsum ait.

IIII.

SPVTVM autem alio efficacius educit quod dulce est.

Quodnam aliud dicit? utrum ne præsens, ad quod dulce comparans dixit: Vrinas siquidem hoc minus quàm uinosum album omnino mouet. An non hoc solum, sed simpliciter omne id quod dulce nō est? Cum ergo Hippocrates, quantum ad dictionem hanc attinet, obscurus sit, credibiliusq; sit ipsum nunc de uinoso albo sermonem intelligere: rursum & alia oritur ambiguitas, quidnam sit uinosum album, quòd non ualde manifestum sit: utrum ne id quod uehementer calfacit, an quod ualde astringit? quod acerbum Græci appellitant, ueluti quod moderatius, austerū. Quodnam igitur pacto habeat quod in dictione est, ego in præsentiarum exponam. Sputum maxime omnium uinorum dulce educit, ubi non supra modum crassum fuerit, ueluti & quoties non usque adeo ad fuluum secesserit, ut exoluta in eo sint, tum crassities, tum dulcedo. Prauum autem febri auxilium est uinum fuluum, quod uehementer calidum sit: uerum post uinum dulce non admodum crassum ad eorum quæ in pulmone sunt eductionem conueniens est aquosum uinum, uirtutem scilicet roborans, & humores tum humectans, tum madefaciens mediocriter. Quod cæteris uinis omnibus innocentius febrientibus exhibetur.

V.

ET SANE quibus propinatum sitim facit, his minus quàm uinum aliud educit: quibus uero sitim non facit, uino alio magis educit.

Vinum aliud nũc dixit, quod omnino ſiticuloſum non eſt. Quare autem uinum ſiticuloſum minus ſputa educat, facile intelliges, ſi quæ ante dicta ſunt ad memoriam reuocaueris. Nempe ſitis his perſeuerat qui dulce uinum bibunt, quod febrilis calor in ipſis tum moroſior, tum maleficẽtior exiſtat. Qui ſi talis fuerit, ſputũ ſiccat, craſſiusq́; & uiſcoſius reddit. Quod autem ſputũ huiuſmodi difficulter educatur, uerbis non eſt opus.

VI.

VINVM autem album uinoſum iam plurima maximaq́; parte laudatum quidem & culpatum in uini dulcis enarratione. Ad ueſicam uero uino alio magis penetrat, urinasq́; prouocat, & perpetuo purgat: atque multa ad opem his morbis ferendam facit. Nempe etſi uino alio ad cætera inhabilius exiſtat, uerũtamen quę in ueſica ab eo fit purgatio liberat, ſi propinetur quale oportet. Bonæ hæ coniecturæ ſunt de uino tum profectus, tum detrimenti: quas qui me ſeniores ſunt, non didicerunt.

De uino hoc in dulcis uini mentione diximus, poſtea quam uires ipſorum comparauit, perquiſiuitq́;. Dixi autem non paruam eſſe quæſtionem, ſi album ſimul & auſterum uinum, album uinoſum dixit, uel quod uehemẽter inter uina alba calfacit. Nempe ex uinis albis nullũ ualenter calfacere poteſt. Quod enim ſumme calidum eſt, id continuo & flauum exiſtit, ueluti & quod ab ipſo eſt fuluũ. Mox ab his rubrum, & deinde dulce. Album autẽ minus quidem his omnibus calfacit: ſed differentias particulares, aliaq́; omnia ꝓ pluris, minorisq́; ratione habet interualla. Quòd autem uinum huiuſmodi dulci facilius ad ueſicam penetret, dictum antea. Sed ad alia dulci inhabilius eſſe ait, quę ſunt

uentris ſubductio, & eductio ſputorũ. Bonas autẽ has ait coniecturas eſſe, id eſt notas facultatis uinorum.

VII.

FVLVO autẽ uino & nigro* auſtero in morbis huiuſmodi ad hæc uteris, ſi neque grauitas capitis fuerit, neque mentis concuſſio, neque ſputo uia concludatur, neque teneatur urina: excrementa autem & humentiora, & ramentoſa magis fuerint. In his autem ex albo migrandum, & his quę iis ſimilia exiſtunt.

* Alicubi legi nigro & auſtero.

Dulce quidem uinum continuo & nigrum exiſtit: non tamen nigrum omne continuò & dulce. Nam ex his quædã auſtera ſunt, qualia apud nos in Aſia prope Pergamum in Perperine & Aegis. Quod autem in Cilicia eſt † albates, auſterũ ſimul & dulce exiſtit, qualitatibus conſtans contrariis: quo fit ut prauum ſit, quia neque diſtribuatur, neq; deſcendat, ſed plus iuſto in uentre permaneat ſuperiore, atque ipſum inflet. At quod citra dulcedinem nigrum auſterũ eſt, id uentri utile exiſtit, quando uel plura iuſto deſcendunt uel ramentoſa, tunc enim eſt idoneum ſicuti & uinũ album auſterum, & quæcunque alia aſtringẽtia. In eum uſum & fuluum uinum prodeſſe ait, non omnino ſimpliciter fuluum affirmans, ſed fuluum auſterum. Nam de utriſque te intelligere oportet, quod in principio dictionis exiſtit, qua dicitur: Fuluo autem uino & nigro auſteris, in morbis huiuſmodi ad hæc uteris. Duplex ſiquidem fuluum, ut nigrũ: aliud ſiquidem dulce, aliud auſterum. Atque cum tertiũ præter utrunque exiſtat, ex utriuſque qualitatis permixtione conſtans, attamen quod una eſt præditum qualitate, id colore utroque duplex exiſtit. Caput autem & mentem fuluum magis ferit, quod & ca-

† Alias ſybates.

lidius nigro exiſtat: febres quoque ratione eadem auget: quibus idonea ſola ea quæ aquoſa ſunt. Non immerito igitur uinis auſteris utendum prohibuit, ſiue ea colore fulua, ſiue nigra fuerint, in capitis grauitatibus, & mẽtis læſione, ubi febris ipſa percuſſerit: atque amplius in thoracis, pulmonisq; ægritudinibus, in quibus ſputum detinetur, uina huiuſmodi inhabilia eſſe ait: atque cum urinæ ſuppriuntur, propter craſſitiem uidelicet, & † aſtringendi facultatem.

† In impreſſis legitur ψυξιν. i. refrigerãdi facultatẽ.

VIII.

QVOD autem ſuperiora quidem omnia, ueſicamq; minus offendet, ſi dilutius fuerit: inteſtina uero iuuabit magis ſi meracius, neminem latere debet.

Vinum meracius, ut dixi, inteſtinis magis conuenit: quo fit, ut non abs re iuuet ipſa aſtrictionis ratione, propter quam omnino iuuamentum habet. Verum huiuſmodi aſtrictionem labefactat, exoluitq;, ſi aqua temperatum fuerit, atque ob eam rem minus ipſa iuuat. Quo autem modo hæc iuuat magis aſtringendi ratione ubi meracius fuerit, ſic thoracem, caputq; magis offendit. Hæc ſunt ſanè quæ manifeſtauit, inquiens: Superiora quidem omnia lædit, lædit quoque & corpora ea, quibus per urinas expurgari eſt opus. Nempe auſterũ uinum, excretiones omnes cohibet. De uinis hæc loquutus Hippocrates, continuo ad melicratũ tranſit, cæteris quidem ferè omnibus de uino demonſtratis: at prætermiſſo uno, quod non abſoluit, & ego obiter percurram, quod ſcilicet febrientibus maxime idoneum aquoſum ſit. Eſt autem uinum hoc album colore, ſubſtantia tenue, nullam earum quæ cæteris uinis inſunt, habens qualitatem, neq; auſteritatem, neque aſtringentiam, neque dulcedinem, neq; acrimoniam, neque odorem. Nempe uino huic omnium ſoli, ut tum aquæ, tum uini mala effugeret, eſt datum. Prodeunt autem talia in unaquaque gente aliqua. In Italia imbecillum Sabinum, quod febrientibus adminiſtrant. In Aſia, titacazenum & tibicenũ. Sed uini huius notas ubi intellexeris, talia facile in qualibet gente reperies: ubi & ualde tenuia & aquoſa producuntur uina. Reperi equidem talia in Cilicia, Phœnicia, Palæſtine, † Scyro & Creta. * Immo, ut retuli, in regionibus uidi omnibus, & quod mirum magis ſit, in Ægypto. Craſſa ſiquidem uina & odora & ualde fortia, in feruidis progignuntur regionibus. In Italia uero, & Bithynia, & Aſia ſi multa producantur aquoſa, nihil mirum. Sed quæret quiſpiam, quam ob rem Hippocrates in antecedente dictione peculiarem de his uinis prætermiſit ſermonem, cum febrientibus quàm cætera omnia ſint iucundiora. † Sanè qui id petit, Hippocratem uinum huiuſmodi neſciuiſſe haudquaquam oſtendit. Nempe poſt paulo, cum de melicrato agit, hæc ſcribit: Cęterũ uino albo tenui, paucifero, & inodoro quodam modo fortius eſt, & quodã modo infirmius. Hæc ait Hippocrates, uino albo tenui, & paucifero, id eſt, parum aquæ ferenti & inodoro melicratũ comparans. Vini igitur uinoſi notas, tũ conſpicue, tum exacte recenſens, percurrensq; quonã ſ. pacto, tum caput, tum mentem feriat, de aquoſo ipſi contrario diſciplinam ſufficiẽtem eſſe exiſtimauit, cũ aduerſa contrariaq; ipſi ineſſe ratiocinari poſſumus.

† Cyro alibi & melius legit.

* Antiqua exempl. huic loco hæc addunt: quibus in locis non facile gignunt uina tenuia & aquoſa.

† Græcorum uerborũ is ſenſus uidet. Nã neq; dicẽdũ eſt quẽ nõ nouerit Hippocratem uinũ id.

IX.

MELICRATVM, id eſt mulſa, per totum morbum in acutis epota parte plurima tum picrocholis, tum his quibus tumefacta ſunt uiſcera (μελικρατα uocant) minus quàm non huiuſmodi eſt idonea.

Oratio hæc, Per totũ morbum, oſtendit Hippocratem de his intelligere morbis, in quibus cremorem exhibere idoneum non eſſe demonſtrauit, prius quàm ad morbi peruentum ſit uigorẽ. Nam ſi æger acuta febre laboret, neque tum in thorace, tum in pulmone fuerit morbus, uiresq́; ualuerint, & morbus quintum ultra diem ſeſe prorogaturus non ſit, aqua mulſa ſola epota abunde ægro ſufficere poteſt. Cæteris quidem omnibus in morbis huiuſmodi eſt conuenientiſſima: ſed picrocholis minus propitia exiſtit. Nam in ipſis bileſcit, niſi prius uel inteſtina, uel ueſicã pertranſierit, non ſolũ nihil lędit, uerũ quoque & maxime iuuat: nam ſecũ bilioſa deducit excrementa. Hac ſanè cũ ratione temperaturam quoque ipſius demõſtrauit. Nempe in huiuſmodi naturis, dilutior exhibita mulſa cõfert. Neque enim hoc pacto ſiticuloſa exiſtit, neque bilem generat. Vt autem picrocholis, ita megaloſplanchnis haudquaquam idoneam eſſe ait. Megaloſplanchnos nunc dixit non eos quibus magna ex natura ipſa ſunt uiſcera, ſed quibus ea ex affectu aliquo intumuerunt, ſiue ſcirrhum, ſiue phlegmonem, ſiue œdema nacta ſunt. Mala ſiquidem in his quod cito pertranſire uiſcera ipſa non poſſit, & facile bileſcat, præſertimq́; in phlegmonis propter caloris magnitudinem: in cæteris autem qui præter naturam ſunt tumoribus, minus detrimenti affert.

X.

PORRO & ſiticuloſa minus quàm dulce uinum exiſtit. Nempe & pulmonem mollit, & ſputum mediocriter educit, & tuſſes mitigat. Habet etenim uim quandam exterendi, quæ plus quàm † mediocriter uiſcoſum facit ſputum.

† Alicubi ꝓ μετρίου legit κιρρου. i. fuluum.

Quam ob cauſam aqua mulſa minus quàm uinum dulce ſiticuloſa ſit, dixi antea, cum utraque quatenus dulcia ſunt, eatenus facile bileſcere demonſtrarem. Verum quòd tenuior, penetrãtiorq́;, ut omnia ſubeat, exiſtit, ea ratione minus uino dulci eſt ſiticuloſa. Quo fit, ut ſi aliquando pluſculo tempore in uentre manſerit, tunc uino dulci non minus ſiticuloſa reddetur: quod rarenter cõtingit. Aqua uero mulſa, uino dulci citius uentrem, inteſtinaq́; omnia penetrat. Nec ſecus hepar aduſque tum renes, tum ueſicam non rarenter quidem, ſed perpetuo. Ob hæc igitur uino dulci minus ſiticuloſa exiſtit. Hippocrates idem, quanquam non ita, ſed modo alio dixit, mulſæ uirtutem ex his quę in pulmone facit demõſtrans. Nempe quòd hæc nõ efficeret, niſi uias meatusq́; ipſius penetraret, abſtergeretq́;, palàm omnibus exiſtit. Præterea ſputum educere nõ ſimpliciter dixit, ſed hoc aduerbium, mediocriter, adſcripſit. Neque enim ualenter educit ut oxymeli, ſed mitigat: quo oxymeli priuatur. Nempe oxymeli tuſſes incitat, tũ irritans, tũ aſperans, quatenus ſcilicet uehementer detergit. Mulſa uero & præſertim aquoſa, dilutaq́;, deterſoria quę minima ſit participat facultate. Vocatur autem huiuſmodi facultas σμηκτικὴ, à qua & nunc Hippocrates nomen fecit σμηκματῶδες, de mulſa ita ſcribens: ἔχει γὰρ σμηκματῶδες τί, id eſt, habet etenim uim quandã exterendi, detergendiq́;. Mediocri autem participare ipſam facultate huiuſmodi oſtendit adiiciens uocabulo huic σμηκματῶδες uocabulum hoc τί. Nempe quibuſuis adiiciatur, paucitatem indicat. Ergo quod mulſæ parum abſtergit, non qđ abſtergens ob id impotens infirmũq́;, ſed quòd paucum. Ad glutinoſum ſiquidem ſputum, medicamentum uehemẽter abſtergere oportet, quod glutinoſum eum, qui in bronchiis pulmonis continetur, detergere poſſit humorem.

Quòd si talis quispiam in thoracis, pulmonisq; medio aceruatus fuerit, iam & maior ut probe spuatur, tum incisoriæ, tum detersoriæ uirtutis est necessitas, quæ id à succingente costas membrana detergat, dissecet, & tenuet. Nam fieri non potest, ut talis humor aliter per membranam, quę uiscus ambit, ad pulmonis bronchia transferatur. Non igitur bene est usus dictione Hippocrates, cum huic orationi: Habet enim uim quandam exterendi, eam quæ sequitur adiecit: Quæ plus quàm, mediocriter κατα)λιχραίνει, id est, uiscosum reddit sputum. Nam melius dixisset: Habet enim uim quandam exterendi, detergendiq;, quæ exigua sit, & quę sæpenumero uiscosum fieri sputum sinit. Non enim ob mulsam glutinosum fieri sputum contingit, cum id sanè sputo huiusmodi proprium ineat. Mulsa igitur nil iuuat, sed excrementi naturam talẽ permanere sinit. Quapropter melius dixisset, nihil glutinosum sputum iuuari, & non tale à mulsa fieri. Nam hoc uerbum κατα)λιχραίνειν quod ab Hippocrate dicitur, sputum à mulsa tale fieri, cum emphasi significat.

XI.

CIET autem & urinas abunde mulsa, nisi ex uisceribus aliquod prohibuerit.

Mulsam ante, quòd uias omnes quæ uentrem, renesq; interiacent facile penetret, ciere urinas dixi: atque ubi iecur male afficitur, usui haudquaquam conuenire demonstraui. Lieni præterea si phlegmone obsideatur, molesta est: atque multo magis intestinis, uentriq;. Nam cito ignescens ob phlegmones caliditatem in bilem cõuertitur. Melle siquidem ob dulcedinem delectan-

tur tum uiscera, tum uenter: quo fit, ut tum citius tum raptim magis eliciant. Melli quoque & dulcia alia idem habere quis dixerit, atque ideo ut ad uentrem, ita ad uiscera accommodari. Venter autem his oblectari uidetur. Nempe ubi ea deglutiuit, manifeste quodam modo ab assumptis delectatur, ueluti è contrario ab asperantibus, amarisq; offenditur: neque solum cum assumuntur, uerum quoque & ubi assumpta sunt, ad aliquod usque tempus. Quo fit, ut nemo ea nisi interdum utice medicamenti, ut ob collectos præter naturam in uentre humores, ingerat: ubi enim secundum naturam habuerit, iniucunda ipsi talia omnia sunt: iucunda autem sola quæ dulcia existunt. Sanè in appellato* gutture maxima ex deuoratis dulcibus exoritur uoluptas, corpore scilicet loci illius peculiare quippiam cum succo huiusmodi habente. Corpus autem hoc facit uentriculi interna tunica, ut & ea quæ linguam ambit. Verum in lingua euidentissimam habet dulcedinis sensionem: in gutture autem uoluptatis. Sensio uero manifesta continuo efficitur & in uentris ore, quod dulcibus assumptis delectatur, modo animans secundum naturam habuerit. Viscera igitur hoc pacto dulci gaudere succo, plurimumq; ipsius celeriter euocantia cum ualent, frui, aliq;: cum uero febriunt & phlegmone obsidentur, in id quod bilioſum est, dulcem succum conuertere par est. Videntur igitur quæ συκωτὰ, id est, sicata ex caricarum esu appellantur, tum maxima, tum suauissima esse, iecinore ipso, ut liquet, ex dulcium esu alimentum uberius accipiente. Verum in phlegmonis febribusq; rerum huiusmodi ingestio non in probam alimoniam, sed in bilis generationem demigrat: febrilis

* λαιμὸν ait ipse. id uero non est guttur proprie, sed pellicula q̃ uestit fauces & guttur, & est continens cũ tunica interna uẽtriculi, ut ipse paulo post affirmat.

ſiquidem calor exuperat, natiuus autem deficit, qui bene temperatus erat.

XII.

BILIOSA quoque alui deiicit magis: interdum quidem bona, ſed interdum quàm decet redundantiora, ſpumantioraq́; : quod bilioſis magis, & his quibus tumefacta ſunt uiſcera, contingit.

Reuocare ad memoriam oportet dictionem ante enuntiatam: in qua mulſam uino dulci comparans, dicebat: Porrò & ſiticuloſa minus quàm dulce uinum exiſtit. Nam & hoc in loco mulſam eandem ad uinum dulce comparans, bilioſa alui excrementa deiicere magis pronunciauit. Nempe & bilioſa deiicere uinum dulce poteſt. Verum mulſa, bilioſa interdum quæ bona ſunt ſubducit, interdum & uitioſa, quæ ſyncere admodum bilioſa exiſtunt, bilem ſcilicet uel igneam, uel flauam habentia, craſſamq́; . Bilis igitur ea ſpumam accipit ſæpius quidem ratione ea qua in his quæ uehementer igne calfiunt, ſpuma exurgit: ſæpenumero autem & in his quæ à flatu agitantur humidis. Horum primum caliditatis exuperantis nota eſt: Secundum uero inſtrumentorum anguſtiam, & flatuoſi ſpiritus intercluſi, uiamq́; haudquaquam liberam habentis agitationem denotat. Bilioſa autem huiuſmodi magna ex parte ſubducuntur in his febribus quæ liquefaciunt, † & ad tabem perducunt, J quibus fermè omnium aduerſisſima, nocentisſimaq́; eſt mulſæ potio., ueluti & modo contrario potio aquæ frigidæ iuuantisſima. Excrementum huiuſmodi ait à mulſa magis generari his qui natura bilioſi, id eſt immoderate calidi exiſtunt, atque in his morbis quibus uiſcus aliquod phlegmone

† Hoc nõ habet Galen.

mone infeſtatur. †Commune ſiquidem nomen hoc in loco eorum qui inflammantur, peculiare fieri uolumus. Neque enim propter ſcirrhum uel œdema febris incenditur. Ergo quòd in acutis morbis, de quibus agit Hippocrates, ubi tumor in uiſceribus fuerit, phlegmones ſymptoma ſit, nõ œdematis, uel ſcirrhi, conſtat omnibus. Hos autẽ nunc μεγαλοπολάγχνους appellauit, quaſi uiſceroſos dixeris.

†Nomen phlegmones quod erat ant. cõmune, nunc peculiare factum eſt .i. apud iuniores, ait ipſe Gal. quod & alias ſæpisſime repetit.

XIII.

MVLSA PRÆTEREA quæ dilutior eſt, ſputum educit magis, pulmonemq́; lenit. Meracior uero ſpumoſa excrementa, atque plus quàm cõuenit ualde bilioſa calidioraq́; quàm dilutior agit magis.

Mel in acutis morbis bileſcere, atque ob id nobis afferre moleſtiam antea dixi. Aquam præterea tarde penetrare, atque in hypochondriis diutius morari, atque ob eas res fugiendam. At quod ex utriſque mixſtum ſit, conueniens redditur: quod ea conſtet temperatura qua aquæ plurimæ tantum mellis permixtum fuerit, ut uiam aquæ paret, & ad diſtributionem agat. Nempe his ita temperatis, urinæ facilius penetrabunt, ocyusq́; ſputum educetur. Quòd ſi mellis plurimum admixtum fuerit, ſitim facit, & uiſcoſum reddit ſputum. Atq; ob eas res aquoſior mulſa, tum ad ſputi eductionem, tum ad penetrationem urinarum idonea magis exiſtit: Meracior uero ad uentris deiectiones. Nempe quanto magis proritabit, tanto magis & uelocius ſubducet. Clyſteribus ergo infuſa quo meracior, eo magis excretoria reddetur. Cauſaq́; erit deiectionum, tum earum quæ κατακορέως, id eſt ἱκανῶς, hoc eſt ualde bilioſæ exiſtunt, tum ſpumoſarum. Talia ſiquidem trahere magis poteſt

†Ego uero sic uerterterem: ob id qd intestina tum mordeat, tum detergat.

†quàm intestina tum mordere, tũ detergere. Adde quod & in bilem flauam transiens, ea occasione biliosorum excrementorũ copiam, simul adauget: quo fit ut ipsius usum non laudet Hippocrates. Declarat autem ex horum uerborũ adiectione: καὶ μᾶλλον τοῦ καιροῦ κατακορέως χολώδεα, id est, atque plus quàm conuenit ualde biliosa. Nam μᾶλλον τοῦ καιροῦ dicere consueuit pro μᾶλλον τοῦ προσήκοντος, id est, plus quàm conuenit. Spumosas item deiectiones & in prognostico damnauit. Et κατακορέως, id est ἀκράτως, hoc est sincere biliosa mala sunt. Neq; enim κατακορέως neque ἀκράτως, sed mediocriter talia esse oportet. Horum igitur non immemor, cum uel ex mulsa epota, uel absq; ipsa quis spumosa simul & sincere biliosa deiecerit, febrem sciueris esse quæ liquefaciat, & ad tabem perducat: atque ob id ab usu mulsę abstineto, atq; in ptisanę cremorem deuenito, signum quodpiam coctionis morbi quantumuis momentaneum ex urinis obseruans. Nam si tunc frigidam dederis, maximo eris præsidio.

XIIII.

DEIECTIONES autem huiusmodi habẽt quidem & alias quæ graues sunt offensas. Neque enim hypochondriorum extinguunt ardorem, sed excitant: inquietationemq́; & mẽbrorum iactationem faciunt: intestina etiam sedemq́; exulcerant.

Consueuit Hippocrates βλάβας, id est offensas σίνεα dicere, ut in libris de fracturis & articulis est demonstratum. Nam σίνειν Iones dicunt pro βλάπτειν, id est lædere. Immo & βλαβερὰ, id est nocua, σινάμορα sæpenumero appellauit. Graues igitur offensas habent (inquit) præfatæ deiectiones, id est pure biliosę simul & spumosę. Cõsueuit

autem Hippocrates inter signa, notasq́;, uocibus uti tum causarum, tum quæ læduntur corporum. Deiectiones ergo huiusmodi significare commodius dixisset: sed habere dixit: quanquam corpora affecta læsiones habeant, causæ faciant, & signa indicent. Sed quænam sint quæ à dictis proueniũt deiectionibus offensæ, ab Hippocrate audi inquiente: Neque enim hypochondriorum extinguunt ardorem, sed excitant. Hoc autem ideo dixit, quoniam sæpius biliosorum deiectio hypochondriorum feruorem protinus extinguit. Quare in malignis, maleficisq́; biliosis adiecit, quòd talia excernentibus ipsis non extinguuntur, sed omnino uice uersa increscunt, augenturq́;. Neque ardor hypochondriorum sedatur, quin potius uehemẽtior redditur. Adde quod ῥιπτάζονται, id est ἀσθήν & δυσφορίαν habent, id est implacidi, inquietiq́; fiunt. Deiectiones siquidem huiusmodi, flammãtis in hypochondriis ipsis affectionis symptomata existunt, atque in intestinis ramentosam parit acrimonia affectionem. Sanè affectionis huius quæ syncere biliosa sunt, causæ existunt. Eius uero quæ in hypochõdriis existit, signa. Verum Hippocrates, ut dixi, uocabulis causas indicantibus inter signa uti consueuit.

XV.

SED HORVM auxilia scribentur.

Quod morborum singulorũ remedia se scripturum dixerit, ut antea exposuit: sic & hoc in loco non minus. Verum si & quæ libro huic post sermonem de balneis adiecta sunt, digna Hippocrate existãt, & quæ in libris de morbis uel de affectionibus scripta sunt, ea inter exponendum cõsiderabimus.

XVI.

QVI ergo in morbis huiusmodi relictis sorbitionibus mulsa potionis alterius uice utetur, is ut multa feliciter consequetur, sic ei nequaquam præter animi sententiam succedent multa. Verũ quibus danda sit, & quibus non, & quam ob causam, iam magna ex parte est dictum.

Significauit & nunc manifestissime, ad morbi usque iudicationem sola uti mulsa consulens. Nẽpe in solis quæ colliquefaciunt morbis, uel in quibus hominum uirtus ad morbi usque iudicationẽ sufficere non possit, ad ptisanæ cremorem perueniemus. In aliis uero solam exhibere mulsam est commodius.

XVII.

DAMNATA AVTEM propterea ab hominibus est mulsa, quòd bibentes ad ultimum imbecillitatis agat, atque ob id citam adferre mortem sit creditum. Verum id ob †languentes ipsos dictum fuerit. Sunt enim qui sola utantur mulsa, tanquam huiusmodi existat.

† ἀ᾽πυκαρπερ ὀντας .i. qui in ediã spõte tolerant.

Dicere summe à mulsa imbecillitari, & mulsam nullo pacto nutrire, uel exigue, idem nõ est: quippe cum tria hæc inter se distent. Nam quæ uires euertunt, ut sanguinis eruptio, deiectio superflua, sudor immodicus, & per accidens cibi abstinentia, summe imbecillitare dicuntur. At quæ nullo pacto nutriunt, ut aqua, ea uirtutem neque summe imbecillitare, neque roborare quispiam uere dixerit, nisi id aliquando per accidens contingat. Aqua siquidem non ut alimentum uires recreat, sed bene ut medicamentum ad temperamenti symmetriam quæ propter ipsius immoderationem imbecilla sunt, reduceps. Tertio deinceps loco sunt quæ

exigue nutriunt: quibus qui tantummodo utitur, tametsi interire possit, non tamen tanquam uires subuertentibus, sed tanquam eas non quod satis sit roborantibus: quo è genere est mulsa. Nam si quis diebus quatuor cibo priuatus interiturus sit, posset is mulsæ usu non quintum modo, uerum quoque & sextum attingere. Sermonem hunc & de melle intelligas. Nempe mellis natura mulsam ipsam inter modice nutrientia facit. Nam humiditatem non modo Hippocrates, uerum quoque & medicorum probatissimi ferè omnes, cibi uehiculum, non cibum censuerunt. Hæc sanè eadem quæ nunc dicuntur de mulsa & melle scripsit non obscure Hippocrates in sequentibus.

XVIII.

SED HOC non omnino ita habet.

Non omnino siquidem uerum est ægros ipsos propter mulsam morte obire. Moriuntur etenim & si aquam solam biberint: sed quòd exiguam corpori præstet alimoniam, ob id solum uitam seruare non sufficit. Quod etiam accidit, ubi quis solius ptisanæ cremorem perpetuo sorbeat.

XIX.

SED MVLSA q̃ aqua multo potentior est, sola epota, nisi aluum perturbet.

Indicare uidetur per hanc uocem, potentior, ꝙ & aqua aliquam uim habeat nutriẽdi: euenit autem eo ꝙ corporis ariditas irrigatur, ut diu, qui aquam bibant, magis durent, q̃ qui nihil assumunt. Secure autem, nisi aluũ perturbet, addidit, de mulsa sermonem faciens, illos enim iure peius habere facit propter euacuationem, quibus aluum perturbat, simulq; uerbum id, perturbat, immoderatam significat excretionem & non mediocrem. Scire q;

dem oportet mulsam crudam aluum magis soluere, coctam autem bene, magis nutrire. Hoc autem obiter à te sit cognitum. Videamus autem quæ deinceps scribit uino mulsam comparans.

XX.

CÆTERVM uino albo tenui, paucifero & inodoro, quodam modo fortior est, & quodã modo infirmior.

Sunt qui dictionem scribant sine hoc uerbo, est, hoc pacto: Cæterum uino albo tenui, paucifero & inodoro, quodam modo fortior, & quodam modo infirmior. Alii pro quodam modo, legunt interdum, ad hunc modum: Cæterum uino albo, tenui, paucifero & inodoro, interdum quidem fortior, interdum autem & infirmior. Sed ex omnibus uis est eadem, atque idẽ intellectus. Nam Hippocrates mulsam uino huiusmodi quadantenus imbecilliorem dicet. Feci autem mentionem uini huius in ea quam de uinis feci tractatione: quod tanquam nescientis uice functus Hippocrates subticuit, sed nunc quædam manifestauit, tum substantiam memorans, ex hoc uerbo tenui, tum uirtutis imbecillitatem, cum adiecit, oligophoro, id est paucifero. Vocatur siquidem oligophorum, siue pauciferum, quod ut bibatur, minima eget aquæ mixtione. Contrario autẽ modo polyphorum, uel multiferum appellatur, quod ut bene temperetur, multam exigit aquam. Aequiualenter dixeris, quod aquæ multum sustinere †debeat ad temperatam mixtionem. Quod uero pauciferum appellatur, id fractum, infirmumq́;, & ad potum inutile redditur, si multa dilueris aqua. Atqui inodorum in uino, hoc est carentia odoris, ea imbecillitatis, frigiditatisq́; efficacissima existit nota, non secus quàm fortis odor efficacissimum

† δυνάμενος alibi legitur. i. possit.

roboris signum. Vinum siquidem aquosum, leuissimam in ligno uitis habuit transmutationem: leuissimam quoque & elementi terrei permixtionem: †quod ut aqua foret, paulum terrei, calidæq́; substantiæ occupauit, atque in horum coniunctionem leuissima indiguit confectione. Contrarium autem, tum uinosum, tum multiferum, neque à leui coctione tale efficitur, utpote quod ab aqua longissimo recedat interuallo. * Quo itum est, ut insignem consecutum fuerit, tum caliditatem, tum odorem.

† Ita ut aqua sit, q̃ paululum terræ calidæq; substãtiæ sit particeps & cui nõ fuerit opus ad hoꝝ unionẽ multa ope. ita uerterem locũ, ubi μετειληφὼς. habent ant. cod. non προσειληφὼς ut imp̃ssis.

XXI.

VINI AVTEM, mellisq́; meracitas, si robur utriusque contemplatus fueris, insigne recipit discrimen. Nam si duplam uini meri mensuram ad mellis delinctum quis biberit, à solo nimirum melle ualidior longe reddetur, nisi uentrem turbauerit: nempe multo plus stercoris deiicietur.

Si mulsæ & non mellis dixisset Hippocrates, manifestius enunciasset. Nam de mulsa hucusque egit, ipsamq́; uino ex aqua diluto comparauit, neque ipsam per se, sed ut iusta fieret comparatio. Ob eas res sermonem suum ad mel, uinumq́; reuocauit. Sunt autem qui in huiusmodi comparationibus, non reliquos modo uolentes, sed †nos quoque inuitos circumueniant, fallantq́;. Cæteri meraciora, purioraq́; experti, non puris solis, sed quouis modo temperatis uires contribuunt. Non secus alii aquosiora experti, ex illis de omnibus quoquo modo temperatis sententiam ferunt. Nõ ita tamen de rebus iudicium est faciendum. At si iustam facturus sis de ipsis comparationem, mulsam ad eorum quæ bibũtur uinorũ tẽperaturã in aquæ pemixtione, ita ex proportione existimabis,

* Quo fit, ut: dicerẽ ego.

† Seipsos quoque inuitĩ.

ut uinum non meracius & mulsa aquosior fuerit. Sed quoniam in mixtione proportionem exacte seruare difficile est, ob id ad ea quæ uere immixta & proprie pura appellata, transtulit sermonem Hippocrates, uino nullo pacto dilutum mel ipsum comparans: aitq; duplum uini epotum minus alere quàm mellis simplum. Verum quoniam plura uinorum genera existunt, non quæ fortia sunt, caputq; ferunt, & desipientias creare possunt, in hoc exprompsit sermone, sed uinum imbecillũ, aquosumq;: melq; ipsum huic comparans, plus alere enunciauit. Cæterum cum uini duplo mel dimidium comparare uoluerit, non quod solum utrũque per se & citra aquæ mixtionem æger sumere debeat asseruit: sed si post utrunque dimensum pro arbitrio ingerat, non minus utile est. Potest siquidem, si res tulerit, mellis cyathum unum uel per se accipere, uel aquæ quantum uolet miscere, atq; id quotidie bibere: uel denuo uini cyathos duos, diebus singulis ut uolet aqua temperatos. Tali siquidem experimento tum in plurimis similiter in cæteris habentibus hominibus, tum etiam in uno magis per idem temporis spatium cognoscetur exquisita utriusque facultas. Si enim mel non ex naturæ proprietate uentrem turbat, qui melle utuntur, diebus pluribus abunde sufficient. Si ergo res ita habet, cur in principio orationis dixit Hippocrates: Cæterum uino albo tenui, paucifero & inodoro, interdũ fortior & interdum infirmior est mulsa. Non enim interdum fortior, & interdum infirmior, sed semper fortior secundum nuper dicta uidetur: quoniam prius quàm de cõparatione iusta distinxisset, docuissetq; citra distinctionem absoluto sermone, bene & secure dixit: Inuenietur mulsa uino quadantenus fortior, & quadantenus infirmior. Si enim temperamenti

utriusque analogiam quis non distinxerit, interdũ quidem infirmius uinum, interdũ & mulsa esse uidebitur. Verũ si hæc distinxeris, ut est dictũ, atq; eã quã mel in uentre facit turbationẽ cõtẽplatus fueris, mulsam ad nutriendũ ualidiorem semper deprehendes, quàm uinum proportione dilutum, tẽperatumq;. Quòd si & excrementũ qđ ex mulsa ita moderatum excernitur, ut uirtutem non exoluat, adnotaueris, tibi etiam magis ex mulsa copiosior uidebitur nutritio, quàm ex uino. Nam etsi duplum exeat excrementum, laborans tamen pluribus diebus ex mulsa sufficiat, certe ad nutritionẽ mel uino, tum potentius, tum ualidius uidetur.

XXII.

MVLSA TAMEN post ptisanæ sorbitionem epota ualde replet, inflat, & hypochondriorum uisceribus est inutilis. Sed si ante sorbitiones biba tur, non ut superepota lædit, sed iuuat.

De ordine ait Hippocrates, quem in usu mulsæ, ptisanæq; quis optime seruare debeat. Verum uno mulsæ, ptisanæq; edocto exemplo, uniuersalem hunc accipe sermonem. Nam perpetuo prius ingerenda sunt, quæ & facilius corrumpuntur, & quę subducuntur magis. Posterius uero contraria. Ptisana autem, quàm mulsa difficilius corrumpitur, & descendit tardius. Si ergo mulsa primo sumpta fuerit, ex ea quædam ptisanæ ad deiectionem fit prouocatio. Verum si ptisana primum sumpta fuerit, subduci mulsa prohibetur: inflabit hypochondria, atque tandem in bilem conuersa, ptisanę detrimentum afferet.

XXIII.

COCTA AVTEM mulsa, facie quidem cruda longe est melior, splendida siquidem & tenuis, & alba, & pellucida existit. Sed qua ab ea quarier

uirtute,non habeo. Neque enim est suauior,si mel bonum fuerit,imbecillior tamen & minus stercoris habens. Quorum neutro ut auxilietur mulsa opus habet. Cocto tamẽ probissime utẽdum,si mel uitiosum fuerit, impurum, nigrum, & mali odoris. Nempe coctura plurimam malignitatem turpitudinem tollit.

Tota dictione coctæ crudæq; mulsæ differentias docet Hippocrates, sed nullam desiderat expositionem.

De oxymelite.
XXIIII.

OXYMELI uocatum potum, sæpius quidẽ in his morbis commoditatem habere reperies. Nam sputum educit, & facilem reddit spirationem.

Καλῶ μένον, id est uocatum, aut quod uocatur: & καλεῖσθαι, id est, uocari, atque his similia adiicere Hippocratem non ignoras: interdum quidem quòd hæc appellatio Græcis omnibus nullo pacto usitata sit, interdum uero quòd abrogata, atq; interdũ quòd artificiosum quippiam demõstret, ut ἐπὶ τῶν προταφιτῶν μασητήρων μυῶν, id est temporalibus & masticatoriis musculis declarauimus. Sed quod artificiosum nihil indicet oxymelitis appellatio, constat omnibus. Appellationem igitur ex adiectione τοῦ καλεισθαι uel damnauit, uel tanquam inusitatam indicauit: potest autem & utrunque fecisse. Nam forsan & primum in communem cœpit usum, forsan & uocem damnat tãquam ex solis aceto & melle constare medicamẽtum explanantem, uel tanquam mellis differentiã indicantem, quasi ita quispiam diceret: Mel autem, acetumq; tali sunt prædita facultate. Ergo de

uerbi huius καλεισθαι adiectione nemo ignorat, quapropter ad id quod commodat, descẽdamus. Non enim ex aceti, mellisq; mixtione tãtum oxymelitis est compositio, uerum ex mulsa paulum aceti accipiente. Sed ut concoquatur, melius est. Nempe uirtus aceti ita coctura imminuitur, ut mulsa quidem ab eo cui miscetur auxilium sumat, offensam autem non habeat. Auxilium autem in orationis exordio enunciauit, atque ab his enunciabit. Offensas uero ad dictionis totius calcem adiiciet. Dictum est igitur in exordio: Sputum siquidem educit, & facilem reddit spirationem. Quæ autem deinceps sunt dictiones, consecuti ab eo discemus.

XXV.

TEMPORA uero hæc habet.

Καιρούς, id est, tempora dixit, uel tẽpora quibus ex consuetudine utendum sit, uel tempora quibus iuuare soleat. Nempe & in hoc significatu καιρούς, id est temporis appellatione interdum uti Hippocratem ostendi.

XXVI.

QVOD VALDE acre existit, nihil mediocriter in his quæ non facile educuntur sputis efficiet. Nam si quæ detinentur educeret, gutturq; lubricaret, & ueluti gestientem redderet, pulmonem certe leniret, nempe ipsum molliret. Quæ si contingerent, maxime prodesset. Interdum uero accidit, cum ualde acre fuerit, ut sputum non educat, sed uiscosum reddat, adferatq; detrimentum.

In quibus acri oxymelite utendum sit, in his fieri aliquando ex eo offensam docet Hippocrates. Nempe in quibus nemo prorsus tali quod

acre est medicamento uteretur, tales recensere offensas, superfluum est. Neque enim simpliciter de acri oxymelite sermonē fecit, sed aduerbium hoc κάρτα, id est ualde, adiecit: quod λίαν & σφόδρα, id est, admodum, uehemēterq; significat. Tale igitur oxymeli nihil mediocriter in crassis glutinosisq; pulmonis sputis efficere consueuit, in quibus eo solo quispiam utatur, sed ea uel secat, detergit, educitq;: uel facere id non ualens, exiccat. Nempe ut huiusmodi medicamentum secandi uim habet, ita & exiccādi. Vtimur autē eo in crassis pulmonis sputis, non tanquam exiccante (nempe hoc pacto detrimentum adferret) sed tanquam incidente, & detergente. Cum igitur hæc facere non ualet, tantum abest ut utilitati sit, ut etiam maxime noceat: sed quando neque secat neque detergit, in sequētibus docebit. Volo autem impræsentiarum de ea quæ in multis reperitur libris scriptura agere. Nō enim per σ, secundam huius nominis μέσου syllabā, sed per ζ, scriptā inuenimus, ut dictio tota talis sit: τὸ μὲν καρτὰ οὐδὲν ἀμμέζον ποιήσειεν, id est, Quod ualde acre existit, nihil insigne efficiet. Sed id falsum est: nempe inferens magnum aliquando fieri ab eo iuuamentum ostendit, interdum & detrimentum. Quare perpetuo insigne quippiam facit, & nullo pacto leue, paruumq;. De quo autem est uerum dicere, quod perpetuo magnum, uel malū, uel bonum facit, de illo melius nihil mediocriter ab eo fieri quispiam dixerit.

XXVII.

POTISSIMVM autem ita afficiuntur, qui maxime perniciose habentes, neque tussire, neque quę intus continentur, excreare possunt.

Sputa crassa uehementer glutinari, nihilq; ab exhibito, quod acre sit, oxymelite iuuari, ait his

contingere, qui maxime perniciose afficiuntur, id est, quibus crudus supra modum existit morbus: nempe hi nihil expuunt.

XXVIII.

CVM HÆC ita habuerint, uires hominis perpende. Nam si de eo speraueris, dabis.

Postea quàm eos qui maxime perniciose ægrotant, ab acri oxymelite nihil iuuari prædixit, pauciq; ex ipsis adiuti liberentur: ob id & ipsius, quod rarenter contingit, non tacuit auxilium. Fit autem auxilium huiusmodi ab acri supra modum oxymelite, cum ægri uires ualent. Nempe si non ualent, non iuuabit quod tale est oxymeli. Duorum siquidem alterum efficiet: Nam uel prorsus nō secabit, sed quod glutinosum est, glutinosius reddet, uel dissecabit, abstergetq;. Verū subitam uniuersamq; tum eductionem, tum uacuationem quam molietur, non sufferente natura, continget strangulari hominem.

XXIX.

CVM AVTEM dare uolueris, perquam tepidum, paulatimq;, non affatim dabis.

Si æger ob sputorū tum crassitiem, tum uiscositatem nihil expuerit, uirtusq; ualida fuerit, oxymeli dari iubet ualde acre, paulatim & ἀκροχλίαρον, quod est ἄκρως χλίαρον, id est, perquam tepidum. Id autem calidi, frigidiq; exacte est medium. Nam quòd uehementem habeat facultatem, propterea copiose ipsum uno haustu offerre ueretur. Pari modo & æstate frigidum porrigere, ut antea præcepit, ideo timet, quia tum pleuritides, tum peripneumoniæ, in quibus nihil expuitur, crudæ sunt. Coctioni autem perpetuo calidum opitulatur, cōfertq;: frigidum uero renititur, & aduersatur. Sed

quam ob causam calidum etiam oxymeli deuitat Hippocrates? Certe ob morbi malignitatem, malumq; morem: ne uidelicet protinus ex tali potione cruda pfistat affectio, hominemq; à calido oxymelite siticulosiorem fieri contingat. Nempe quòd symptoma hoc uiscosum reddat sputum, exposuit. Tutius ergo mediocriter tepidum esse oxymeli arbitratur Hippocrates, utpote qui calidi ea quæ succedere possit, frigidiq; de necessitate succesturam fugiat læsionem.

XXX.

QVOD AVTEM parum acre est, os, fauces q; humectat, sputum educit, & sitim sedat: qua occasione hypochondrio, uisceribusq; est beneuolũ, mellisq; inhibet noxas: nempe quod in melle bilioſum est, temperat, castigatq;.

Postea q̃ de supra modum acri oxymelite sermonẽ absoluit, ad id quod mediocriter acre est, transiit, humectare ipsum os, fauces q;, & sputum educere, & sitim sedare in textura orationis inquiens. Nempe quod omnia, quibus iuuari ægritudines natæ sunt, habet, id eorũ q̃ nocere ualent obuim tẽperaturæ nihil habet. Nã mulsæ tantũ aceti est admixtũ, ut quod in ipso bilioſum sit, queat sufficienter κολάσαι, id est καθελεῖν, & ταπεινῶσαι, id est castigare, inuertere, & supprimere. Nempe in quarto de simplᵓciũ medicamentorũ uiribus, dulcẽ succum acri maxime potentia aduersari demõstrauimus. Cum itaq; mulsæ facultas cætera quidẽ omnia q̃bus morbi huiusmodi opus habent, cõtineat, in uno aũt duntaxat cõtraria, quòd scilicet supercalfacta ipsa bilescat, migrationem sanè huiusmodi pmixtio aceti cohibens, optimum efficit medicamentũ. Nempe minime siticulosum erit, atq; ob id sputa quæ nõ omnino crassaq; glutinosaq; sunt, facile educet: has aũt q̃ duo numero existunt operationes, cõsequitur partium oris, fauciũq; humectatio. Qua uero occasione hoc facit, ea tũ lieni, tum hepati, maximam adfert suauitatem, uiscera suauiter, iucundeq; expurgans.

XXXI.

FLATVM præterea discutit, & urinas mouet.

De mediocriter acri oxymelite adhuc differẽs, hæc protulit. Nam in pulmonis, thoracisq; affectionibus plurimo est usui, maximeq; insignẽ habet patrocinatum ob metricã illam aquæ, acetiq; & mellis permixtionem. Tale siquidem oxymeli spiritum crassum, glutinosumq; in hypochondrio secat, flatusq; abrumpens uias omnes expurgat, atque ad urinas, tum serosa, tum bilioſa agit excrementa.

XXXII.

SED PARTEM intestini imam reddit humentiorem, facitq; ramenta.

Eam quæ supra id quod secundum naturã est, innascitur partibus humiditatem, πλαδῶ Hippocratem nominare neminem ex nobis præterit: hoc igitur effere ait oxymeli. Nam quicquid crassi, glutinosiq; succi superius infarcitur, id abradit, secatq;, atque ad excretionem subducit: facile item & hac facultate ab iecinore facit excrementorum eductiones, ita ut collectis superioribus cunctis humiditatibus in intestinis ipsis & potissimum infernis, ob multitudinem quidem innascatur ea quæ supra naturã est humiditas, ob qualitatem uero intestini abrasio. Nempe & oxymeli detergente prædictum facultate, tandẽ abradet intestinum. Eiusdem quoque est facultatis

quod cum oxymelite descendit chylosum excrementum. Quapropter & sine oxymelite, si aliquando exuperauerit, intestinum abradet.

XXXIII.

INTERDVM autem & in acutis morbis est inutile, & potissimum quod non flatum modo foras prodire uetet, uerum quoque & reuerti faciat. Præterea & maxime uires frangit, & extremas infrigidat partes.

In acutis interdum morbis abradi intestinum bonum non est. Nempe ea qua elici ramenta solent affectio, partium quæ in superficie constant ulceratio est. Quæ cum talis existat, ab irrumpentibus omnibus, & præsertim mordentibus, molestiam recipit intestinum. Quod affectum nisi protinus mordentia excreuerit, ad regionem superiorem, ea quæ irrumpunt, remittit. Quo fit, ut ea occasione flatus etiam sursum recurrat. Naturalem siquidem functionem circũstringentem, exprimẽtemq; sortita sunt intestina, ut in commentariis de facultatibus naturalibus est demonstratum. Sed quæ irrumpunt, à partibus quibus continentur reiici, †uelocitatis est opus. Cum igitur superne motus exordium habet, quæ continentur deorsum habent excretionem. Verum si motio inferne capit exordia, sursum feruntur. Quod sanè in habentibus secundum naturam usu uenire uidetur: cum scilicet uniuersim raptimq; subeunte ad inferna intestina bile continemus excretionem, aut propter aliquam, quæ prompta sit negocii curam, quæ interpellari non possit, aut quòd non prope sit, quo uenter exoneretur locus. Nempe tunc * emergere, sursumq; ferri bilem ita percipimus, ut non adhuc excerni possit. Sunt quibus ex huiusmodi bilis recursu, stomachus male habet: aliis caput repletur,

† vetus interpres uidet legisse nõ ταχυτητος, ut habent nũc, græcus cod. sed ταυτης δυναμεως & fortasse melius.

† Recurre re melius

repletur, & ob morsum dolet: alii patiuntur utrunque. Hoc igitur pacto quæ ramenta habet intestinorum affectio, deorsum interdum excernit celeriter, ægrorum molestiam nequaquam sustinens. Interdum autem & à partibus inferioribus ad superiores, ubi quæ irrumpunt non protinus ad sedem prodierint, sed is qui sedem circulariter ambit musculus, tum cõtractus, tum recti intestini extremum, ipsum astringendo complexus, principium motionis obstrictoriæ ex infernis partibus ad superiores fecerit. Ob eam igitur causam non flatus modo, uerum & excrementum in huiusmodi affectionibus reuertitur. Contingit autem & uires offendi ob eũ qui in transitu ipso sequitur morsum. Nempe abradentia, tametsi quod irrumpit breuissimum habeat morsum, uehementer tamen infestant. Scimus autem dolorem omnem uires exoluere, euertereq;, atque ob id partes infrigidare extremas.

XXXIIII.

ET HÆC sola est quam nouerim oxymelitis noxa, quæ scribi digna sit.

Oxymeli mediocriter temperatum, noxas omnes quæ ex mulsa, uino, & aqua emergunt, effugisse paulo ante est demonstratum. Quod si aliquando nocuerit, solum nocet, quòd abradat intestina: idq; facit in his qui imbecillam habẽt facultatem, & pati idoneum intestinum.

XXXV.

EXIGVVM autem potionis huius noctu quidem & ieiuno ante sorbitionem dare expedit, quanquam & à sorbitione, modo longum interfit tempus, nihil uetet bibere.

Vbi facultatem quam habet percurrit, ad ratio-

nem temporis quo maxime ipsum quis porrige-
re debeat, in præsenti peruenit: & potissimum,
cum qui oxymelite uti debet, is sorbitionibus ala-
tur. Nempe ubi quis non sorbitionibus, sed po-
tione sola regatur, tempus in illis postea docet.
Ait ergo, in sorbitione utentibus illud duntaxat
obseruandum tempus, quo sorbitio ingeri debet.
Ptisanæ autem cremor sorbitio est, qui ut corpus
alat roboretq;, adsumitur. Ad quæ confert, si
nutritionis tempore, solus in uentre contineatur.
Nempe antea didicisti cibos multiplices, & præ-
sertim facultate dissimiles magnam progignere in
uentre turbationem. Ob eam igitur causam, non
porrigendum oxymeli, nisi cremor concoctus fue-
rit. Qui si coctus fuerit, licet tum nocte, tum ap-
petente die, ante sorbitionem sumere. Tempus
autem inter sorbitionem, oxymeliq; medium sa-
tisfacit, si ptisanę cremor uacuum simul & purum
ex ea quæ ab oxymelite facta est absterſione, uen-
triculum ingrediatur.

XXXVI.

QVI AVTEM non sorbitionibus sed po-
tione sola utuntur, his non semper oxymelite uti
expedit, præsertimq; quòd intestina abradãtur,
fatiscantq; & succumbant. Nam cum stercore
uidua & destituta sint, uacuæ item uenæ, atque
ablatæ à melicrato uires, citius inducuntur.

Qui uictus rationem non ex ptisana, sed ex po-
tu solo sibi instituunt, iis non per totum morbum
est conueniens oxymeli, quòd uehementius inte-
stinum ipsum tum nudum, tum humore alio de-
stitutum abradat. Nempe à ptisana quodammo-
do inũgitur ubi eam assumpserint, & cum corpus
nihil à mulsa auxilii acceperit. Mulsæ autem auxi-
lium quod corporibus adfert, cum de mulsa ãge-

ret, prædixit.

XXXVII.

QVOD si potum hunc, & quidem multum
per totum morbi tempus profecturum existima
ueris, paulum aceti, tantumq; ut duntaxat sentiri
possit, infunde. sic enim & iuuabit, & lædens, mi-
nimum lædet, & ea quæ oportet, præstabit.

Cum sitim quidem mulsa inferat, sputa autem
in bronchiis pulmonis contineantur, uel glutino-
sa uel admodum crassa, tunc solo est utendũ oxy-
melite. Neque memoria excidat dicta hæc fuisse,
cum de iis ageretur, quibus relicta sorbitione po-
tionis solius est usus. Si igitur, ut dixi, solo uten-
dum sit oxymelite, paulum aceti mulsæ infundere
conuenit, ut aceti usu commodoq; fruatur, & fu-
giat quod ab eo est detrimentum. Sed acetũ mul-
sæ commixtum excoquere oportet. Nempe hoc
pacto ad nocendum infirmius redditur.

XXXVIII.

VT AVTEM in summa dicatur, quæ ab ace
to est acredo, picrocholis magis quàm melãcho
licis prodest: amara siquidem dissoluuntur, desci
scuntq; in pituitam cum ab aceto in sublime ato
tolluntur. Nigra autem fermentantur, attollun-
tur & multiplicantur. Nempe atra educit acetũ.

Picrocholas naturas appellat Hippocrates, quę
amarum sibi contraxerunt succum: cuius generis
est bilis flaua. his idoneum esse ait acetum, quod
melancholicis aduersissimum existit. Nam & bi-
lem nigram acidam esse contingit, cũ scilicet prę-
ter naturam habente corpore, & syncera, & imper
mixta fuerit. Nempe cum recte ualet, plurimũ qui-
dem prædictæ habet qualitatis, non tamen ex-
quisitam ipsam. Reliqua dictionis manifesta sunt.

Docet ſiquidem in ea quonam pacto acetum pi-
crocholis, qui in tẽperamento calido cæteros uin-
cunt, adiumento ſit, utpote quòd frigidum ſit.

XXXIX.

MVLIERIBVS autem lõge magis quàm uiris aduerſatur acetum. Nam uterum dolore af-
ficit.

Quòd acetum ſuapte natura neruos offendat, teſtatur experimentum, & ratio demonſtrat: nem-
pe exãgues ſunt, & ideo frigidi, facileq; ab his quę refrigerant ſimul & tenues habent partes, atticium-
tur medicamentis. Lædũtur præterea & à reliquis refrigerantibus omnibus: ſed ſubſtãtia aceti quod tenuium eſt partium in eorum mergitur profun-
dum, atque in omnes ita irrumpit partes, ut ne mi-
nimum quidem ex eis illæſum maneat. Sic igitur acetum neruoſas offendit partes. Verum aũt ana-
tomici ferè omnes neruoſum eſſe dicunt. Verum & abſque eorum adnotatione, quam ex anatomica inſpectione fecerunt, poteris & tu de ea ratiocina-
tione colligere. Nempe ad maximam laxatur mo
lem, & ad minimam contrahitur. Quantus etenim fœtus fuerit, tantum ipſum perpetuo circulariter ambit: impleturq; ſpatium omne ab eo, etiã ſi fœ-
tus paruus fuerit, uel magnus, ueluti uenter à cibis. Seduentris non magna eſt ad contraria permuta-
tio, uteri autem maxime. Plurimum autem dilata-
ri, laxariq; neruoſorum proprium eſt corporum, & non carnoſorum.

De aqua.

XL.

AQVÆ quæ in acutis bibitur morbis, nullum ſanè aliud habeo quod illi concedam officium. Neq; enim in peripneumonicis tuſſim ſedat, ne-
que ſputum educit: immo cæteris minus, ſi quis

aquę potione prorſus utatur. Verum ſi inter oxy-
meli & mulſam paulũ aquæ inſtilletur, ob quali-
tatis potionum tranſmutationem ſputum educit. Nempe intus inundationem parit. Aliàs neq; ſi-
tim ſedat, ſed amareſcit. Nempe ei qui ſuapte na-
tura bilioſus exiſtit, ea eſt bilioſa. Hypochondrio
præterea eſt infeſta, malaq;, atque etiam peſſima, bilioſiſſimaq;, & uirium maxima labefactatio, ubi in uacuitatem uenerit. Adde quod lienem auget, iecurq;, ubi phlegmone obſidetur, fluctuatq;, & innatat. Tarde ſiquidẽ meat, quòd frigida & inco-
ctibilis ſit, neque aluum deiicit, neque urinas mo-
uet. Atque ex eo quoque nocua eſt, quod ſtercoris ſuapte natura expers ſit. Quam ſi pedibus fri-
gentibus aliquando quis biberit, ea his omnibus multo magis nocebit, ad quoduis eorũ uenerit.

Neque incidendi uim habet aqua ut acetũ, neq; calida eſt ut mel, quod ſanè non calfacit modo, ue-
rum quoque & detergit, ſecatq;. Tarde igitur iure optimo meat omnis aqua, difficulter cõcoquitur, atque ægre deſcendit: quanquam alioqui & opti-
ma ſit, & culpa omni uacet. Nam quæ uel limoſa, uel male olẽs, uel ſalſa, uel alterius cuiuſpiam me-
dicamentoſæ qualitatis particeps exiſtit, ea non ſimpliciter eſt aqua, ſed cum tali quadã permixtio-
ne medicamenti, ut ſi mel uitioſum, uel ptiſanam, uel acetum, uel uinum, uel quippiam tale deſigna-
ueris. Nõ enim ex illo genus totum culpabis, ſed id ſolum, ad quod conuertis mentem. Cum igitur ſuper ſingulis, de quibus enũciat Hippocrates, ſer-
mo de optimis ſit, ita & nũc intellige, ſingula quæ dicuntur ad optimam referens aquam. Ea autẽ pu-
riſſima eſt, & omni aliena qualitate deſtituta. Hæc igitur quanquam optima ſit, multo tamen tempo-
re in uentriculo manet, fluctuationesq; plurimum

parit. Quo fit, ut cum bilioſus uentriculus fuerit, corrumpatur & illa. Præterea & cum ex uentriculo ad ieiunum inteſtinum ægre perueniat, non facile diſtribuitur, neque in hepar, & minus in renes, thoracem, & pulmonem. Quo fit, ut neque urinas mouere nata ſit, neque ſputum educere: immo neque per totum corpus molitur tranſpirationes. Id nanque ſubſtantiæ, quæ tenuium ſit partium, opus eſt, calidæq;, non frigidæ & craſſarum partiũ. Neque præterea ſitim ſedat, quod in amplis tum uentris, tum inteſtinorum animalis inſtrumẽtis pluſculo maneat tempore. Neq; prorſus imas penetrat partes, neque ſiccitatem humectat. Quòd autem non alat, antea eſt dictum. Quo fit, ut neque facultatem uitalem roborare poſſit. Atq; eſt cauſa, propter quam Hippocrates ad mulſam, oxymeli, & uinum ſe contulit, in ægris ab aqua abſtinens. Iam igitur ob eas cauſas nũquã ea quis utatur. Vtuntur tamen & alii quidam medici, atque etiam Hippocrates: ſed hic minus, cæteri magis. Nempe qd cæteris perperam utantur circumuenti ad aquam ipſam recurrunt, quæ non inſigniter quod præter animi ſententiam ſuccedat, habet, quando ne uirtutem quidem. Sic enim Eraſiſtratus dicebat: Fortes „ tum ciborum, tum potuum facultates tempeſtiue „ quidem aſſumptæ maximum iuuamentum: intempeſtiue uero maximam offenſam adferunt. Quem „ autem uitioſum eſſe dico, tum oxymelitis, tum mulſæ, tum uini uſum, is quidẽ oritur & ob repentinas mutationes, ut ipſe oſtẽdit, & magna ex parte ob ſynceram quæ à medicis fit permixtionem. Cum igitur ſeni cuidam ægrotãti quotidie uinum aquoſum exhiberem, quidã ex huiuſmodi mediocris præſens, me uini minimum aquæ ipſi inſtillantem contemplatus riſit, ægrumq; uinum non bibere, ſed duntaxat uidere dixit: non ſanè intelligens

mixtionis uini, quod gratia uoluptatis datur, ad aquam aliam eſſe ſymmetriam, & aliam eſſe eius quod ad opem ferendam miniſtratur. Nam uini omnino minimum ueluti excitationem quandam, quæ ad diſtributionem aquã trahat, permiſcemus, quo duntaxat aquæ tollamus ſynceritatem, nõ autem aquam uinum faciamus. Sunt aũt plerique ex ſanis, qui uinum aqua dilutũ bibãt, ſed in his aquã guſtatu ipſo euincere non oportet: In ægris uero ita ut modica ſit uini repræſentatio. Sic & de oxymelite paulo ante dicebat, aquoſum laudans. Qd item tutius quiſpiam ea uteretur, quæ aquoſa eſt mulſa. Nam ſyncera, puraq;, niſi uentrem ſubducere anticipauerit, magis nocebit, & potiſſimum in amaræ bilis hominibus, & his quibus præter naturam tumefacta ſunt uiſcera. In his & aqua detrimẽtum adfert, cum plus iuſto in hypochondriis morata bileſcit. Nempe & præter hæc omnia quę habet mala, ſtercoris adhuc eſt expers, neq; ullo pacto aluum ſubducit. Aquam aũt in principiis acceſſionum potã lædere, (quod manifeſtauit, cum dixit: Quam ſi pedibus frigentibus qs aliquando biberit, ea his omnibus multo magis nocebit.) eorum eſt quæ omnibus & nota, & certa, & cõfeſſa ſunt. Quando igitur bibi idonea eſt aqua? Cum ſcilicet potu ſolo æger uſus fuerit, nullo pacto accepto ptiſanæ cremore. Tunc enim in potionum aliarum medio aquam tempeſtiue quis ingeſſerit, & præſertim cum ſiticuloſus æger fuerit. Nempe eam πλημμυρίδα quandam, id eſt humidi cuiuſpiam copiam abundantiamq; facere ait. Quo fit, ut inter mulſam, oxymeliq;, parum aquæ exhibeant, quòd his quæ expui debent, conferat ad humectationem. Immo & cum uinum grauiter nocet, tunc aquam propinant. Quonam autem pacto id demonſtraturus ſit

Hippocrates, audiemus.

XLI.

CVM uero in huiusmodi morbis fortem capitis grauitatem, uel mentis læsionē suspicatus fueris, à uino penitus est abstinendum, aquamq; tunc dare oportet, uel uinum aquosum, flauumq;, & prorsus inodorum, atq; ab ipsius potione, aquæ exiguum superbibendum. Nam hoc modo uini potentia caput mentemq; minus tentabit.

Mens tentari, lædiq; dicitur, cū æger febre correptus desipuerit. Nunc ergo mentis lęsionem desipientiam dicit, in qua uino abstinendum pręcipit. Pari modo & in uehemētibus capitis doloribus. De utroque antea est dictum. Sed in præsentiarum ubi in prædictis symptomatis à uino omnino abstinendum prædixit, consequenter aquosum, flauumq; omnino, & quod odore careat, dandum ait. Aquosum quidem & inodorum dare bene dicitur, sed flauum non admodum recipio. Nam ad ea omnia aquosum album melius existit. Etiā uero in eam gratiam, cum uina talia sunt, superbibendam confestim aquā tutius præcepit. Minus enim (inquit) uini robur quod uehemens est, caput, mentemq; tentabit. ἅπτοιτο quidem uerbo usus sibiipsi usitato, consuetoq;, quo ἅψιν τῶν φρενῶν, id est, mentis lęsionem ab huiusmodi uerbo quod ἅψεως nomine hominibus usitatius est, sese fecisse ostendit. Caput autem, mentemq; uino tentari ait, quod propter caliditatem celeriter ad caput feratur, feruentesq; in corpore secum ferat humores. Qua autem ratione caput male afficit, ea & mentem. Nam in capite sapere ipsum situm est, & ea animæ pars quæ ratiocinatur.

XLII.

IN QVIBVS autem maxime aqua utendum sit, & quando ualde multa, & quando modica, & quando gelida, & quando calida, partim quidem antea dictum est, partim uero suo tempore dicetur.

Erasistratus quidem in libro de febribus malitiose satis criminatur Hippocratem, discipulos ipsius propè accusans Apollonium & Dexippum, quos ait cereos cyathos duodecim in sextātali cotulæ cyatho effinxisse, atque unum ex his uel duos febrientibus admetiri. Verum Hippocrates non hic solum, uerum quoque & in antedictis potionibus omnibus copiosius largiusve manifeste utiuisus est. Quod & in præsenti dictione liquido ostendit, inquiens: In quibus autem maxime aqua utendum sit, & quando ualde multa. Nam & τὸ καρτα πολλῶ τὸ λίαν πολλῶ, id est ualde & supra modum multa significat: sed sanè satis erat dicere multam aliquando dari aquam sine adiectione aduerbii huius καρτα, in ostensionem malitiæ Erasistrati, qui de Apollonio & Dexippo mentionem facit, nec ullum horum librum ostendere potest: nec Hippocratem ipsum intelligit, aperte dicentem, Et quando utendum ualde multa. Quin etiam & superiore oratione mulsam inter oxymeliq; aquam porrigens utilem esse ait, quod πλημμυρίδα, id est humiditatis abundantiā parit. Scripsit & antea de mulsa & oxymelite aquosis, quod os humectant, & urinas cient: non utique cyathum horum porrigens, sed quantitatem insignem, qua & os humectari, & urinæ cieri, & quæ pulmonem infestent expui possint. Præterea & de oxymelite ita scripsit: Quod si potum hunc, & quidem multum, per totum morbi tempus profuturum existimaueris. adiiciens hic multum. De malitia autem Erasistrati aduersus Hippocratem dicta hæc suffi-

ciant. Cæterum recordemur Hippocratem quo modo ante, ita & nunc polliceri se in morbis singulis propriam facturum doctrinam: cum hoc in loco uictus instituendi artem non sufficienter conficiat: sed uniuersalia sola in exemplo morbi unius scilicet pleuritidis prosequatur.

XLIII.

DE RELIQVIS potibus, cuiusmodi est hordeaceus, & qui ab herbis uiridibus, uua passa, uinaceis, piris, cnneco, myrtis, punico, & aliis parantur, cum horum aliquo uti tempestiuum fuerit, in morbo ipso scribetur, ubi & de compositis agetur medicamentis.

Habet quoque suam & hæc dictio doctrinæ alterius, quæ de morbis singulis sit, promissionem. Verum quicquid sit, liquido constat uel libros, qui de singulorum acutorum morborũ curatione ab Hippocrate scripti sunt, nõ extare, uel prorsus non scriptos: hac siquidem occasione quæ nunc inferuntur præstantiæ Hippocratis non sunt. Sunt autẽ multa quæ mentẽ ipsius oleant, ueluti & quæ huic libro adiacent ab eo qui de balneis est sermone. Sed, ut dixi, de singulis in horum expositione cõmodius differemus.

De balneis.

XLIIII.

BALNEVM in plerisque morbis confert. In his quidem perpetuo, in aliis uero nõ: estq; quando minus utendum sit quod imparatum hominis habeant. Nam in paucis domibus parantur necessaria, reperiunturq; qui rem ut oportet curarent. Quòd si exacte quispiam non lauetur, non mediocrem incurret noxam. Tecto siquidem est opus quod fumo careat, copiosa item aqua, &

crebra lauatione: sed quæ immediocris non sit, nisi res ita postulauerit.

Balnea huiusmodi, temporibus Hippocratis nondum parari uidebantur. Nempe dicere paucis in domibus parari necessaria, & reperiri qui rem probe curent, opusq; præterea tecto esse non fumoso, copiosa aqua, & quæcũque deinceps dixit: quòd item in domibus calefiat adhuc intr alebetes aqua, labrisq; infundatur, argumentum habet. Quod autem in fine dictionis ait, crebra opus esse lauatione, sed quæ immediocris non sit, nisi res ita postulauerit: si utique memoria nõ excidat, in sequenti doctrina obseruabimus. Nam ipse inquiet: Sunt qui immediocri aliquando egent lauatione: id autem est cum æger multa, dum lauatur, perfunditur aqua. Quod si dicere non uideatur, nos ipsi non simpliciter quidẽ, neque ut inciderit, sed cum eorum quæ ab ipso scribuntur consequentiæ obseruatione percunctabimur.

XLV.

NEQVE ETIAM abstergere oportet: quòd si aliquando abstergendum sit, calido aliquo, atque multiplici plus quàm existimetur utendum abstersorio, perfundendaq; aqua multa, & celeriter post perfundenda.

Nullus æger cum lauatur detergi expostulat, nisi sordidus sit, & pruritu uexetur. Nempe qui egrotant, aqua citra laborem omnem, læsionemq; prolui debent. Detersio autem purgamentis fit, tum mordentibus, tum siccantibus: quo fit, ut ea tum uirtuti, tum balneorum usui aduersissima sit. Si uero æger detergi debeat, uel propter sordes, uel propter pruritum, uim medicamenti detersorii multa admixta aqua, immisso quoque oleo,

ſupprimere oportet. Quocirca inquit Hippocrates: Atq; multiplici plus quàm exiſtimetur. id eſt, quàm ſanis conſuetum ſit, utendum abſterſorio. Non enim ſubſtantiam medicamenti abſterſorii in ægris multiplicem accipiendam præcipit, cũ non abſtergere magis, quàm abſtergere uelit: ſed deterſorii † qualitatem in ægris multiplicem fieri iubet per aquæ * adauctionem. Ea ſiquidẽ ratio detergentia quoque uitare præcipit non excitante uel fordítie, uel pruritu: acribusq; ipſis & ſynceris nõ utendum. Vt autem multa immixta aqua acrimoniam diſſoluit ipſius detergentis medicamenti, ſic & totius deterſorii uim, aquam calidam puramq; affatim ſuperinfundens, atque illi rurſus aliam, diſſoluit.

† Qualitatem potius.

*Miſcha bent anti qui codices. i. mixtionem.

XLVI.

VIA AD ſolium breuis ſit.

Commune id eſt, ſiue in balneo hominem laueris, ſiue in domo aliqua extruxeris pyram, & labrũ aqua impleueris. Quod & nunc in caſtris fit ſæpius, cum lauari quempiam deficiente balnei loco oportet.

XLVII.

FACILISq; tum ingreſſus, tum egreſſus.

Prorſus ſiquidem citra fatigationem laſſitudinemq; ægrum ſeruare iubet, atq; ob id ſolium facilem tum ingreſſum, tũ egreſſum habere uoluit. Id proculdubio fiet, ſi paries qui aquam continet neque ſublimis, neque anguſtus fuerit. Maxime autem laudabile & à labore omni alienum eſt, quod in aquarum ſponte naſcentium conficitur lauacris: nempe ſolia humilia ita depreſſaq; propè omnes conficiunt, ut nihil ſolii pauimento quod propè eſt emineat.

XLVIII.

QVI lauatur, componat ſeſe, taceat, & nihil agat: ſed cæteros tum perfundere, tum abſtergere ſinat.

Hæc quoque prædictis ſimiliter ut æger non laboret, conferunt. Nempe & ægrotantis quies ut corpus in balneo, tum laxius, tum mollius reddatur, eſt idonea. Nam cum mouetur corpus, muſculi extenduntur, qui minus tum molliuntur, tum relaxantur.

XLIX.

MVLTÆ quoque aquæ mixturæ parentur.

Cum Hippocrates inquit, καὶ μετακέρασμα πολὺ ἥτοιμασθαι, id eſt, multæ quoque aquæ mixturę parentur, poteſt unico legi uerbo, μετακέρασμα, atque intelligi hæc præpoſitio μετὰ per ſe, & ſeorſum κέρασμα. Nam Hippocrates non in hoc ſolum libro, uerum & in aliis Ionum more per defectum uti præpoſitione μετὰ uidetur. Plene autem atque integre ita legetur: καὶ μετὰ ταῦτα κέρασμα πολὺ ἥτοιμασθαι. id eſt, multæ quoque poſt hæc aquæ mixturæ parentur. Siue autem quis uno intelligat uerbo μετακέρασμα, ſiue diſtinguat, diſtrahatq; pro μετὰ ταῦτα κέρασμα, una eſt dictionis utriuſque intelligentia. Vult ſiquidem mixturã parari, eum qui in ſolio lotus eſt perfuſurus: quod medici huius temporis omnes efficere conſueuerunt, cum ægrum lauerint. Neque enim in labrum frigidũ ingredi permittunt, ſed tepida perfundunt aqua. Alii ſolia tota aqua huiuſmodi replẽt. Nam ut corpus, tum laxius, tum rarius, calida lauatione eſt redditum, ita rurſum quiete paulatimq; cõtrahere ipſum, & cogere, & denſare in animo habet. Nempe id ad uirtutis robur confert, facitq; ut non

facile homo lædatur, nisi subita quædã in ambiente aere fiat ad frigidum permutatio. Ob id, qui recte ualent, à balneo calido sese in frigidam proiiciunt aquam: sed qui ægrotant, contactum frigidæ non sustinent circa læsionem. Quapropter frigidam calidæ mixtione supprimimus. Mixtionis autem modum inueniemus, in primis quidem si corporis affectionem inspexerimus: deinde & propriã laborantis naturam, ætatemq́;, & anni tempus, & regionem, & præsentem cœli statum. Probe autẽ facient, qui à calido balneo tepidas nõ minus triũ generum aquas, quæ inter se differant, parabunt: ut prima quidem admodum tepida sit, secunda uero minus, & tertia adhuc quæ magis ad frigidum declinet. Tale autem quippiam uelle uisus est Hippocrates cũ præcepit mixturas parari. Nempe quod paratur, id non simpliciter modo multum, uerum & uarium, multiplexq́; esse est melius, ut paulatim à calido ad frigidum procedatur: cum subitam ad contrarium mutationem æger non ferat.

L.

CELERESq́; faciant perfusiones.

Ταχεί'ας, id est celeres, referre oportet non ad eam solum, quæ in perfusione fit, actionem, uerum quoque & ad illud quod actiones interiacet spatium: ut primam inter perfusionem secũdamq́; parum sit interualli. Quod, si quis proprie nominauerit, non ταχεί'ας, id est celeres, sed πυκνὰς, id est frequentes dixerit. Quanquam apud ueteres usus horum nominum πυκνοῦ & ταχέ'ως confundatur. Nam aliquando πυκνὰς, id est frequentes actiones, ταχεί'ας, id est celeres uocant.

LI.

ET SPONGIIS pro strigili utantur.

Neque strigilibus in ægris ipsis, neque spongia medici huiusce temporis utũtur, sed à balneo eos linteo contegunt, alii uestibus, & potissimum puris, ut plurimum sudent, obuoluunt. Sed non semper ægrum ipsum à balneo copiose sudare conuenit. Nempe sæpius laborantem ad balneum non uacuãdi corporis gratia ducimus, sed prorsus contrariam ob rationem, ut scilicet humectetur, madescatq́; quod immoderatius exaruit. In talibus igitur non in balneo sunt expectandi sudores multi, sed quamcitissime solii aquam ingredi, & postea balneo egressos, resiccare expedit.

LII.

ET NON ualde siccum perungant corpus.

Oratio hæc, succedit quidem huic: Et spongiis pro strigili utantur. Sed qui sermonis proprietatem contemplatus fuerit, is de unctionis in balneo usu intelliget, ne eorum quæ de necessitate dicenda sunt, quippiam prætermissum esse uideatur. Nam ubi post balneum spongia aquã detersit Hippocrates, obscurum quidem est, si corpus unxerit: bene tamen ægri corpus cum humidum existit, perungendum † esse constat, nisi quispiam * oleum cum aqua, hoc ipsum resiccare dixerit. Est igitur utile, ut de unctionis in balneo usu discutiatur: sed necessaria magis est super unctionis tempore discussio, si oleum perfundere conueniat, uel ubi qui lauatur sudauerit, uel cum siccus adhuc est, confestim ubi sese exuerit, & prius quàm sudauerit, uel horum neutrum fuerit, sed ubi humescere cœperit. Sanè quicunque eorum meminit, quæ de olei facultate in simplicium medicamentorum tractatione dicuntur, is exacte nouit optimum esse olei † usus in his

† Pro καὶ habẽt μὴ ãtiq cod. unde erit uertẽdũ, non esse.

* Qđ itẽ hoc ipsũ oleum aqua resiccare dixerit.

† In antiquis χρίσεως per ι nõ per η.

qui lauantur tempus quod tertio dicitur loco: nouitq; quonam pacto calfactum corpori exhibere conueniat. Nempe id corpus mollius reddit, laxiusq;, cum frigidum suo contactu non solum horum neutrum efficere natum sit, sed & eos qui lauantur frigentes reddat.

LIII.

CAPVT uero spongia, quoad maxime fieri poterit resiccare oportet.

Quod in balneo caput curiose resiccandum sit, ut ne minimum quidem superfit humiditatis, neq; quaquam est ambiguum. Nam quicquid relinquitur, refrigerare consuecuit. Non tamen à spongia ut fiat, effici potest, nisi statim ab initio post mixtuarum usum. Capitis tamen aquam linteo reficcare est melius.

LIIII.

NEQVE caput ipsum modo, uerum & extrema, & quauis aliam corporis partem à frigoris iniuria prohibere conuenit.

Dixisse id per se seorsumq; parum esse mihi uidetur: quòd enim parsnulla omnino nuda esse debeat, cum à balneo aquam eorum qui lauãtur siccant, constat liquido omnibus. Nam quę ita denudãtur partes, cito eas refrigerari nemo ignorat.

LV.

LAVARI quoque is non debet, qui nuper uel sorpsit uel bibit.

Non in ægris modo, uerum quoq; & in sanis, nullus confestim à cibi uel potus sumptione lauari debet. Nam qui biberũt, his caput repletur: qui uero cibum sumpserunt, his non caput modo, uerum & corpus totum alimoniã ad se prius quàm concocta

concocta fuerit, trahit.

LVI.

NEQVE confestim à balneo sorbendum, neque bibendum.

Sedata quæ ex balneo est turbatione, tum esse tum bibere melius est, ueluti & composita ea quæ ab exercitatione oritur. Nam cibum protinus uel potum sumere, caput replet, deuoratumq; interdũ superfluitare facit.

LVII.

MAGNI AVTEM admodum pendere oportet si æger cum recte ualuit, balneum ualde affectauit, & lauari fuerit assuetus. Nępe tales magis appetunt, iuuanturq; cum loti fuerint, adeo ut lædantur si non fuerint loti.

Demonstrata sunt hæc per totum ferè horum commentariorum secundum, ubi dictiones exposuimus, in quibus parte plurima consuetudinum uires enarrauit.

LVIII.

PERIPNEVMONIÆ autem magis quàm ardenti febri confert. Nam lateris pectorisq; & dorsi mulcet dolorẽ, sputum maturat, educitq;, & spiritum facilẽ reddit. Lassitudines tollit, mollit articulos & cutem per summa apparentem: urinas ciet, capitis soluit grauitatem, & nares humectat. †Tot ergo insunt balneo bona, quibus omnibus est opus. Cæterum si in apparatu re una uel pluribus defectum sit, metus est ne non prosit: unum siquidem horum, quoduis fuerit, si à ministris non ut oportet præparetur, ualde lædit.

Hæc non habent ant. cod. græ. sicut nec uetteres latini.

Quare peripneumonias magis quàm febres

ardentes iuuet balneum, ostendit Hippocrates cũ inquit: Nam lateris pectorisq; & dorsi mulcet dolorem, sputum maturat, educitq;, spiritum facilem reddit. Ob hæc etenim omnia peripneumonicis maximo est præsidio. Sanantur siquidem qui contenta in pulmonibus sputa expuunt. Pleuritici quoque ob doloris mitigationem ualde iuuantur. Quapropter duorum alterum, nempe uel ita scribendum: Peripneumoniæ autem & pleuritidi magis quàm ardẽti febri confert. uel in peripneumonia pleuritidem subaudire oportet. Nam pleuritis dolorem in latere habet: peripneumonia non habet. Cæterum cum peripneumoniis magis quam ardentibus febribus conferre balneum inquit, docet quoque & æstuãtibus quibusdam auxilio esse: uerum oratio hæc distinctionem expostulat, quam nondum efficere possumus, quia tempus quo lauari ægrotantes uelit, non definierit. Vbi autem sequenti dictione enarrantem Hippocratem quosnam haudquaquam lauare uelit intellexerimus, ad balnei tempus ita perueniemus.

LIX.

QVI IN morbis aluum plus iusto humidiorẽ habent, ii non sunt lauandi, neque hi quibus magis quàm decet detinetur, & soluta non sit: neq; quibus uires languent, nec cibum fastidiẽtes, nec nauseabundi nec biliosa ructantes, nec quibus sanguis è naribus profluit, nisi minus quàm decet fluxerit: nec quod decet te latuerit. Nam si minus quàm decet fluat, lauabis, etsi uniuersum corpus in cæteris, etsi caput duntaxat iuuerit. †Si igitur apparatus hi conuenientes fuerint, ægerq; feliciter balneunm suscepturus sit, quotidie lauare oportet.

Hæc non habent ant. cod. græ. nec latini.

Quibus complura per uentrem subducuntur,

his balneum sistit, ea ad corpus uniuersum reuellens: atque hac occasione detrimentum affert. Quòd autem qui nullo modo deiecerunt, eos antea uetustã fecem euacuasse melius sit, nemo ignorat: sicuti neque quòd γεγυωμένους, τουτέστι, τοὺς καταλελυμένους, id est, qbus iã nõ uigent sed cessant uires, balneum amplius euertit. Ait præterea & ἀσώδεις, id est cibum fastidientes & nausebundos haudquaquam lauãdos. Nempe hos uiribus ita defici metus est, ut succedat ea quæ stomachica appellatur syncope. Succedunt his quibus os uentriculi bile redundat: quos nota indicauit, inquiens: Nec biliosa ructantes. Pari modo neque eos lauare conuenit quibus profluit abunde è naribus sanguis. Nam si minus fluxerit, lauare est consentaneum. Sunt autem hi qui uehementiore egẽt balneo, id est, qui multa aqua perfundendi sunt, ut sanguis qui †post caput est, uehementius moueatur. Consimiliter lauabimus si sanguis nullo pacto erumpat, & erumpere debeat. Ex adiectione autem huius sermonis: Etsi uniuersum corpus in cæteris, etsi caput duntaxat iuuerit: Clarius adhuc significauit quonam pacto sæpius in domo calfacta ægrum absque solio collocent, & caput duntaxat citra reliquas corporis partes calida perfundant aqua.

†κατὰ habent ant. cod. non μετὰ. i. sanguis q̃ in capite est.

LX.

LAVANDI autem cupidos si quotidie bis laueris, nihil †peccabis.

βλάπτοις hoc est nocebis habent ant. cod. & ita legit uetus interpres.

Qui Victori Romano principi librum, de uictus ratione Hippocratis tradidit medicus, is dictionem hanc & alias quasdam decurtatas scripsit: sicuti & illam in qua dicit: Non protelentur primi sorbendi dies. Præterea &, Qui bis die cibum

sumere sunt assueti, his bis dare oportet. Verum utriusque harum dictionum dimidiã partem subtraxit: sed præsentis quidem nihil, tempus uero† non adiecit, ubi φιλολουτρουντας, id est lauandi cupidos, eos intelligit, qui cum sani sunt, lauari gaudent, atq; ob id sæpius lauantur. Nempe hi quũ lauãtur, eũ accipiũt qui ex consuetudine est, scopũ. In sequentibus autem ab Hippocrate tempus quo ægros lauari uelit, audiemus.

In cod. ant. non habetur non.

LXI.

TVTIVS AVTEM longe balneo uti possunt, qui tota utuntur ptisana, quàm qui solo utuntur cremore: quanquam & hi interdum uti possint: minime autem qui potu solo utuntur.

Tempus quo lauandum sit hoc in loco patefecit Hippocrates: quod si ab initio pronunciasset, multa sanè quæ loco medio dicta sunt, non obscura & ambigua essent. Ptisanam autem totam porrigunt iis qui mitius quietiusq; habent: solum uero cremorem his qui deterius degunt: uerum his qui periculosius acutiusq; laborant, potus solos. Quòd autem toto in hoc commentario de thoracis pulmonisq; affectibus egerit, plurima quidem exempli uice in his morborum partibus, & præsertim pleuritidis uniuersalia præcipiens sæpius est demonstratum. Est expositum quoque quonam pacto coctis morbis ptisana uti uelit: quo tempore & balneum sine periculo conciliatur, utpote quod ad sputorum quæ in thorace & pulmone continẽtur, expurgationem maxime conferat. Qui igitur ita habent, & quæ ex consuetudine est accesserit iudicatio, his lauationem multiplicare nihil prohibet. Ait præterea balneum πλύσα, id est, minimũ, iuuare eos q solo utũtur potu: ubi πλύσα ἐλαχίστου id est minimum significat, & non, ut quidam aiũt,

ἀθλίως, id est nullo pacto. Nam inferens, inquit.

LXII.

EST SANE & quando uti possint. †Ex his aũt q̃ ante scripta sunt, quosnã in singulis uiuẽdi modis iuuaturũ sit balneũ, & quos nõ, cõuicere oportet. Nam quibus aliquid eorum quæ balneum & bonum reddere & iuuare possunt, deest: hos lauare non expedit. Quibus uero nihil deest, signũq; adest ipsis in quo lauare conueniat: lauare oportet.

Hæc omnia nõ reperiũtur in antiqs cod. & forsitã neq; Hippo. sunt, ut & ex Gal. cõicere potes.

Non adiecit quidem quando his balneo utendum sit, sed nos qui sententiam ipsius sequimur, dicemus. Potum solum his exhibet Hippocrates quos acuti infestant morbi: ubi uires ad morbi usque uigorem, qui interdum cum ipsa coctione existit, ueluti in morbis thoracis pulmonisq;, suffecturas sperauerit. Coctis siquidem qui affectum progignunt humoribus, cõfestim excreabunt. Quòd si qualia oportet solum expuere cœperint, in neutro adhuc modorum neque in affectu, neque in symptomatis morbus augebitur. Nam sæpius affectio ipsa qua laborant, mitior quidem existit, sed symptomata augentur, ut in phlegmone obsessis particulis, quo ipse inquit modo: Cum pus conficitur, tunc dolores & febres fiunt magis, quàm cũ factum fuerit. Sæpius autem mutuis exultant incrementis & decrementis symptomatum magnitudines, & ea quæ affectionis est: fitq; id in his phlegmonis in quibus pus effluit quod iam est cõfectum, ut in uulneribus quibusdam fieri consueuit, & in peripneumoniis pleuritidibusq;. Possunt ergo in his morbis & hi quibus potus solus usui est, non inutiliter lauari. Nempe dolorem ipsorũ balneum mitigare ait, & sputa maturare. Sed sanè uacuato prius corpore, id factitandum. Sciuerisq;

in uniuersum de balneorum uiribus, quòd si non antea uacuato corpore exhibeatur, membris affectis fluxionem parit: uacuato autem si exhibeatur, coctionẽ iuuat. Nempe corpore toto ante uacuato, adhibitum aduacuatoriam obtinet facultatẽ.

Quo fit ut ex febre ardente laborantibus, his tantum opituletur qui sine tumore uel phlegmones uel erysipelatos laborant, feruente in ipsis per totũ corpus bile. Quòd si coctionis signa habuerint, his multo magis conferet. Verum si æstuosa febris ob salsam pituitam putrefactã oriatur, aduersissimum illis esse balneum scire oportet. Neque enim pituitosus humor ut biliosus per cutim euacuatur, propterea quod tum crassus tum glutinosus sit: neque extinguitur longa egens cõcoctione. Non sum autem immemor uerborum Hippocratis, quæ in principio libri huius hoc refert pacto.

Quæ autem medicum ante animaduertisse ægro non referente oportet, plurima dimissa sunt. Hæc siquidem qui Hippocratem dogmaticum esse putant, locos affectos esse dixerunt. † Sed qui Hippocratem empiricum esse existimant, anni tempora esse, regiones, ætates, * & ambiẽtis nos aeris conditiones affirmauerunt. Hæc equidem omnia tum quæ à dogmaticis, tum quæ ab empiricis dicuntur, utilia esse non ignoro. Verum scopos multos hoc in libro recensens Hippocrates, ad quos quis respiciens uictus formam inuenire possit, nullius eorum quæ dicta sunt, præter quàm consuetudinis mentionem fecit. Sed sanè nonnulla quæ reminiscentiam exigunt, præposuit. Atque ob id sermonem sum remoratus, ut hac quæ breuis sit interpretatione eos, qui totum legerunt librum, habeam sermonis huius per intelligentiam assecutores. Vnus sanè & præcipuus scopus tanquam in exemplo pleuritidis

† Et ipsorũ affectus, & causas addit codex Græcus

* Cõsuetudines, add. græ.

talis in dictione ab Hippocrate enarratur: Si quidem siccior fuerit morbus quàm ut quispiam putauerit, non multum dare oportet, sed ante sorbitionem uel mulsam, uel uinum, utrum magis auxiliaturum putaueris, propinare conuenit. Post hæc deinceps: At si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur talia sint qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem, ut dicam summatim, augere cõuenit. Verũ tum hæc, tum q̃ serie continuata dicuntur, non sunt à gnidiis sententiis definita. Post hæc & morbi coctionem animaduertendam esse ait Hippocrates, qui sanè scopus totius propemodum est Hippocrati uictus instituendi generis, atq; earum quæ in eo particulariter sunt permutationum. Alias quoque & subinde apponit definitiones, quæ tales sunt: Quibus enim cibus statim inclusus est, siquis non uacuato eo sorbitionem dederit, dolorem si adest adaugebit, & si non adest protinus inducet. Et amplius: Præterea si lateris dolor assiduus est, calidis q; fomentis non remittatur, sputum q; non procedit, sed extreme citra coctibilitatem glutinosum sit, nisi quis dolorem uel alui subductione uel secta uena pro utriusuis significatione soluerit, ptisanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem. Proinde & rursus definiens, ait: Si nuper pasto cuipiam, & alui oneribus haudquaquam purgato febris, uel cum dolore uel sine dolore inceperit, à sorbitione tantisper est temperandum, donec cibum ad infernam intestini partem descendisse coniectum sit. Tum rursus: Si nuper cibato cibus prior non descenderit, uirtus q; ualida fuerit, & floruerit ætas, subluere oportet. Si uero uirtus imbecillior fuerit, balano est utẽdũ, nisi aluus sua sponte pbe deiecerit. Adiecit ergo in hac dictione cum qui à uirtute

est scopum, ueluti in sequentibus sæpenumero, & id considerari præcipiens quænam causa & affectio sit quæ uirtutem prosternant: ubi & hoc à medicis ignorari adiecit. Præterea adiecit, quòd iis qui dolorem ad hypochondrium pertinentem habent, ea quæ per talia medicamenta fiat, auxilio sit purgatio. Cæteris autem quibus dolor uel grauitas ad brachium uel pectus extenditur, uenę sectio. Hæc autem & reliqua huiusmodi, quæ item de consuetudine dicta sunt, à gnidiis medicis omnino sunt prætermissa, multoq; magis naturæ & corporum temperamenta, de quibus sæpenumero in hoc libro egit: hos picrocholos appellans, alios melancholicos. †Scopo autem succedente, de ea quæ tum in sanis, tum in ægris fit uictus ratione agit, quonã pacto & emendare & corrigere oporteat demõstrans. Prꝛterea & in eo quem de uino, oxymelite, & aqua facit sermone, scopos recensuit eosdem. Meminit quoque & coctionis morbi sæpius, non paruum scopum uniuersę uictus formę, earumq; quæ in ipsa fiunt, mutationum hunc efficiens. Pari modo & in morbi uigore quippiam dixit, ad quem respiciens neque tanquam ad abiectissimum in uictus ratione scopum alimoniam ministrat. Cuncta hæc & reliqua talia à gnidiis medicis prætermissa sunt, quæ medicum ante animaduertisse non dicente ægro oportet.

†His autẽ scopis insistens, ait græ.

QVÆ in libro de uictus ratione post eum qui de balneis est sermonem scribuntur, iure optimo plerique; medicorum Hippocratis non esse sunt suspicati. Nam ab iis quæ ante scripta sunt, & ui interpretationis & theorematũ integritate lõgo discedunt interuallo. Neq; tamen abs re addicti sunt, qui & Hippocratis esse existimauerunt. Nempe eorum quæ scripta sunt sententia, propositum ipsius mentemq; usque adeo redolet, ut discipulum Hippocratis aliquem scripsisse suspicio sit: immo & ex his multa dictionem unà cum sententia ita absolutam inculpatamq; habent, ut rursum & ea ab Hippocrate scripta esse suspicandũ sit, utpote qui librum componere, ubi singulariter morbi cuiusque acuti curationem doceret, ut in libro de uictus ratione in morbis acutis promiserat, sese apparauerit. Præterea & alias in præsenti libro reperies dictiones, quæ Hippocrate ita indignæ sunt, ut legitimis iustisq; adscriptas esse suspicari te oporteat: sicuti & in aphorismis ipsis quidã huiusmodi uisi sunt, partibus libri ultimis adiecti adscriptiq;. Qui enim interserunt, †in memoriam multis primas conscriptiones ultimis adscribunt. Quod & in libro de capitis uulneribus factũ esse uidetur, & in secundo de morbis uulgaribus. Nec secus in eo qui nunc nobis proponitur libro reperimus quæ interseruntur, atque adhuc magis

†Quòd principes librorum partes multis in memoria sint, ultimis sic ego uerterem.

partibus ultimis. Cum igitur quatuor, ut quispiam dixerit, in eo reperiantur genera, unum quidem & dictione & † sententia Hippocrate dignum: alterum quidem altero solum, uel dictione, uel sententia: nonnulla uero horum neutro: in singulis eorũ quæ ad expositionem nobis expromentur dictionibus idipsum declarabimus.

δυνάμιν. ĩ. uirtute habent ant. cod.

I.

CAVSVS, ID est febris ardens, fit, cum uenulæ tempore æstiuo exiccatæ, acres & bilioſas quæ tenues sint, trahunt ad se humiditates, quas ἰχῶρας uocant.

Aestiuum anni tempus dixit calidum & siccum, siue ultimo uere fuerit, siue prima æstate, siue in horũ temporum mediis uel extremis, siue primo autumno. Quod autem aeris nos ambientis temperamentum dispositionem corporis secum mutet, siccum quidem ad ficciorem, humidum uero ad humidiorem, in commentariis epidemiorum morborum est demonstratum. Quod item & anni tempus mediocre & temperatum naturalem seruet temperaturam, cæteris quæ in uniuersa uictus lege agunt homines modo habentibus simili. Demonstratum præterea, & corpus quod à naturali moderataq; conditione sese alienauit, commutauitq;, id, propter quod alienatum est & commutatum, ob illud peculiari egere auxilio, ut arefactum humectatione, humectatũ exiccatione, calfactum refrigeratione, & refrigeratum calfactione. Cum igitur ob aliquam rerum quarum exempla dicit Hippocrates, circunstantiam uenulas aliquas quaslibet in parte corporis exiccari cõtigerit, à uicinis partibus trahunt hæ humiditates. Si ergo quæ ad arefactas uenas feruntur humiditates, ut substantia humidam naturam, ita & uim humectatoriam ha-

buerint, pars naturalem commoderationem recipit. Verum si humiditas qualitate acris fuerit, & facultate siccatoria, corpus incenditur: ut si ex nobis quispiam siticulosus effectus liberaliter biberit uel uinum, quod quia aqua marina largior mixta sit, tethalassomenõ dicunt, purum, uel aquam salsam. Scio equidem me aliquando ex æstiuo itinere siticulosum redditum, bibisse uini ueteris paulo sincerioris calicem unum, atque ex eo sitim magis auxisse, non placasse. Vt igitur nos quanquam mente quæ appetitum moderetur præditi interdum quidem negligentius, interdum autem & incontinentius, atq; etiam cum in promptu melius non sit, ad potum aliquem qui & salsus & acris sit peruenire cogimur, sic & uenarum facultas attractoria perpetuo uicinis ex partibus humiditatem attrahit, subſtãtiam ipsius qualisnam sit, nullo pacto discernẽs. Ratione etenim caret, qua quispiam ex meliori scrutari possit: sed ut pueri brutaq; ad casu oblatũ humidum cum sitiunt irruunt, hoc pacto & illa. Si ergo in una quapiam corporis parte affectio ea fiat, in ea solum qui erysipelas referat, affectus quispiam erit. Verum si uenæ totius corporis supra modum exiccatæ calidas carnosis è partibus humiditates traxerint, in toto corpore fiet quæ causum referet affectio. Causus uero proprie dictus nõ caliditatis quæ per totũ sit corpus præstat modo uehementia, uerum quoque & siti. Nã sitis in eo uehemens est, & incompescibilis. Deest ergo præsenti dictioni de causi generatione sermo de partibus, quem nos nuper adiecimus. Nempe in una corporis parte quæuis illa sit, interdum causus gignitur, interdum & tõto in corpore. Verum cum in toto fit corpore, sitim omnino parit: cum uero in una parte, non de necessitate, nisi pars ipsa sitim pariat. Omnium autẽ

primum & maxime id facit uentriculi: deinde uentriculus, atque ab eo stomachus, post pulmo, & subinde ieiunum intestinum. Vtrum igitur ita tantummodo fit causus ut dixit, cum scilicet acres & biliosas q̃ tenues sunt humiditates ad se traxerint uenulæ? An ne & carne id ferente erit causus: siue in parte una, siue toto in corpore pati eam contingit? Ostendimus etenim eam uim habere eorum quorum indiga est attractoriam. Præterea & fieri potest ut modo altero similis affectio fiat. Modũ alterum dico cum ex ualidioribus partibus ad imbecilliorem aliquam mittantur excrementa. Nempe quòd membris singulis ut attractoria, sic & expulsiora insit facultas, est declaratum. Fieri ergo potest ut interdum quidem ex parte una, interdum uero & ex pluribus acres & biliosæ quæ tenues sint humiditates exacte ad dictas fundãtur particulas, quæ scilicet imbecilliores sunt. Quòd Hippocrates ἰχωρώδεας, tenues humiditates appellet, liquido constat.

II.

FEBRIS QVOQVE uehemens habet, corpusq́; ueluti ab ossearia lassitudine habitũ laborat, doletq́;.

Febris ergo uehemens habet, propter naturam tenuium humiditatum, quas & acres & biliosas ait. Nempe his supereueniunt febres uehementis simæ, id est quæ multam & acerrimam habẽt †qualitatem. Sicuti & pituitosos sequuntur succos quæ & minorẽ & minus acrẽ habent. Laborat, aũt corpus totum lassitudine ulcerosa propter tenuium humidãtum acrimoniam. Sed de lassitudinum omnium differentiis absolute in libris de uenda ualetudine est tractatum.

†Calidita tẽ ait ipse

III.

FIT AVTEM magna ex parte longum ob iter, longamq́; sitim: cum uenulæ arefactæ, acres calidasq́; fluxiones ad se traxerint.

Tum in principio dixit, tum rursum hoc in loco adiecit uerbum hoc arefactæ: procatarcticas appellatas causas ueluti exemplo manifestãs: primitiuas nunc dicunt. Siquidem calidæ omnes, & siccæ causos progignere possunt. Scio equidem nonnullos ob liberalem uini, quod thalassomenon uocant, potionem, causo fuisse correptos: ueluti & alios ob salsamentum salsarumq́; carnium, atque aliorum quorundam salsorum usum immoderatum. Alius ex ambulatione & æstu ueniens, primum quidem lauit se, deinde domum perductus, uini mixti plus bibit, cœpitq́; protinus affici causo. Alius aũt ob iram, & alius ob uigilias causum incurrerunt.

IIII.

FIT QVOQVE & lingua aspera, sicca & ualde nigra, uentrisq́; morsu dolet, deiectionesq́; & liquidæ & pallidæ fiunt: urgetq́; sitis uehemens, & uigiliæ, atque interdum mentis aberratio.

Percurrit hoc in loco quæ causum subsequuntur, quæ & συνιστῶντα, id est considentia siue consistentia uocant. Sunt autem hæc: lingua sicca, aspera & nigra, uentris morsus, deiectiones pallidæ, uehemens sitis, & uigiliæ, interdum quoque & desipientia. Lingua sanè aresci, quòd tota corporis affectio sicca sit & calida, febrisq́; talis. Ventris uero morsus propter tenuium humiditatum, quæ illuc confluunt, oritur. Deiectiones autem prosuci redundantia. Liquidasq́; eas dixit, nullo pacto concoctas exprimens. Coctio enim omnia cogit

incrassatq́;. Qui autem ita habent, uigilant ob sicci tatem. Nempe humiditatem immoderatam pro fundas ad somnum delationes, multam uero sicci tatem uigilias procreare est demonstratum. Acce dit quoq; & ab aliis symptomatis fatigatio quæ ob uigilias efficitur. Desipientiam autem fieri sci uimus ob eam quæ ad caput recurrit bilem, & ob temperaturæ caliditatem siccitatemq́;. Quod aũt ubi quispiam bilem simpliciter dixerit, amara signi ficetur, antea est enunciatum: quod itẽ bilem can dem & pallidam & flauam appellent. Vt ergo ni hil eorũ quæ ad causum biliosum spectant præter missum uidetur, nisi quod nõ solum fit per attra ctionem, sed & per tenuium humiditatũ effluuiũ, sic † abunde fuseq́; scripta quædam sunt. Nempe ex his quæ dicta sunt, quædam sunt symptomata causum indicantia, quæ παθογνωμονικὰ dicunt: alia uero συνεδρεύονται, id est consident. Verum quæ causos procreant, alia quidẽ προηγούμενα, id est an tegredientia, alia uero προκατάρχοντα, id est præ incipientia à medicis appellantur. Omnium autem quæ dixi † prægredientium symptomatum, potes tibi ut lubet catalogum facere. Sed qui librum hũc scripsit, à prægredientibus fecit exordium. Venu las etenim exiccari prægrediens causa est. Dein ceps autem cum præincipientia, ut ambulationem longam & sitim dicere quum deberet, nõ ea dixit, sed ex his quæ affectum indicant quippiam dixit, ut febrem uehementem. Debuit & hic sitim uehe mentem adiicere, quam postea simul cũ aliis quæ consi dentia uocantur symptomatis dixit: quorum quædam aliquando, alia perpetuo causis insunt, quod & ipse ostendit, inquiens: Interdum autem & mentis aberratio. Nam interdum perpetuo op ponitur. Ego autem dico, & uentrem morderi, & biliosa deiicere, non esse ex his quæ perpetuo in

† ἀτάκτως. i. cõfuse uel sine ordine habẽt ant. cod.

† In ant. cod. non habet illud, prægrediẽtiũ neq; uidetur sensus id exigere.

sunt. Nempe quòd uehemens morbus sit, mo tusq́; acrium & tenuium humiditatum ad interna sit, propterea hæc contingunt, his quidem qui uen trem heparq́; causi ueluti sedem habent. Verum his qui pulmonem ueluti sedem habent, hæc non admodum contingunt, sed quæ de lingua dicun tur & desipientia magis. Difficulter etiam & hi spi rant, ea scilicet quæ densa & magna est spirandi difficultate, efflantq́; continenter os aperientes, igneiq́; spiritus effusione leuantur. Verum totam spirandi difficultatem prætermisit, quam in pro gnostico dictam ostendimus. Cæterum incompo site atque inordinate symptomata linguæ recen suit. Nempe debuit primum siccam dixisse, de inde asperam. Nam ob immoderatam siccitatem lingua aspera redditur: ut si aspera sit, omnino & sicca existat. Quòd autem ob caliditatem immo deratam nigrescat, ut his quibus cutis sole usta sit, iam ante didicimus.

V.

HVIC AQVÆ, mulsęq́; coctę & aquosę quã tum uoluerit bibendum dabis.

Liber hic etsi Hippocratis non sit, † eum ta men legitimo operi iam temporibus Erasistrati adiectum esse, uetus res est. ⌋ Quapropter mi randum quonam pacto Erasistratus calices ce reos in Apollonium & Dexippum retorsisse au sus sit. Nam qui librum hunc scripsit, mentem Hippocratis Erasistrato melius intelligens, causo laborantibus quantum placet bibere concedit. Demonstrauiq́; & in legitima uoluminis huius parte ita sentire Hippocratem. Sed de Erasistrati malitia satis hęc sint: & iam scrutemur quæ in ora tione dicuntur. Præcipit siquidem neque aquam solam, neque mulsam solam, his propinandã qui

Antiquus tamen est (ait ipse) ut q tẽporibus Erasistrati iã fuerit adiectus legitimo operi

Aqua mixta costa

cauſo laborant. Scis etenim aquam quòd natura frigida ſit, tarde penetrare, & quamplurimo tempore in hypochondriis manentem corrumpi in acuti morbis, mel autem facile bileſcere. Ob id mulſam aquoſam dari iubet, ut aqua, nulla in ſuperiore uentre facta mora, à mixto melle ad diſtributionem trahatur. Ob eas cauſas & coctam ipſam exhibent. Nempe quàm cruda ſitim magis arcet, & flatu magis uacat, urinasq; magis ciet, ut quæ cruda eſt, deiectionem. Minus ſiquidem acris quę cocta eſt, non ſolum quòd in coctura peragatur conficiaturq;: uerum quòd & ſpumoſum ipſius omne tollitur. Nempe quod acre & flatuoſum exiſtit, in† mulſæ eſt ſubſtãtia. Cocta autem, tum morſu caret, tũ flatu uacat, diſtribuiturq; melius * quàm per inteſtina deſcendat: quo fit, ut eam ob cauſam magis alat quàm cruda. Cæterum qui ita laborãt, citra ptiſanę ſuccum mulſa nutriendi ſunt. Sed quo modo in acutis morbis ſolos exhibere potus oporteat, in libri huius non ſpuria parte eſt prædictum. Hæc omnia quæ ad præſentis orationis expoſitionem pertinent, his qui & ante legerunt, & meminerunt eas quæ in illis factæ ſunt expoſitiones, ad hunc modum & dicta ſunt & dicentur.

Mellis eſt in ant. * Ex ant. exẽp. ſic uertendũ melius q̃ cruda, uel p̃ inteſtina deſcẽdit.

VI.

QVOD ſi os amarum fuerit, uomere confert, & uentrem ſubluere.

Amaror.

Bilis amaritudo amarum os reddit. Nempe communem unamq; efficiunt tunicam & quæ uentri interna eſt, & omnis ea quæ os ſubungit. Non ergo ſine ratione ſermonis huius ſcriptor bilem tum per uomitum, tum per clyſterem euacuat.

VII.

VERVM SI ad hæc non aperiatur, lacte aſinæ cocto purgabis.

Quòd

Lac Aſinæ coctum

Quòd omnino quidem eam quæ in uentre eſt bilem uacuare præcipiat, timeat autem purgantia medicamenta, quòd & acria & calida prorſus exiſtant, ob id ad lac aſinæ diuertit, utpote quod nullam ut non aliud ullum habeat acrimoniam, ſed præ omnibus unum humiditate exuperat, atq; ob id ſolum uentrem ſubit. Præcoquit autem ipſum ob flatus. Sed ſanè ſolo uti ſero poteris, per oxymeli ipſum ubi lac ante coxeris, ſeparãs. Vas quoque æneum frigida plenum aqua continenter in lac demittes. Nam & hæc ſi probè fiat demiſſio, ſerum à caſeo ſeparat.

VIII.

SALSVM autem nihil neque acre exhibendum: non enim deſcendet.

Acre

Salſus ſuccus qualisnam ſit, ex ſale apparet. De acris autem tum ſubſtantia, tum facultate, dictũ eſt in quarto ſimplicium medicamentorum. Piper ſiquidem, ſinapi, pyrethrum & quæcunque uiribus calida ſunt, acria quoque guſtantibus apparent. Quo fit, ut tum acria tum ſalſa tanquam cauſum augentia uitare iubeat. Hæc autem acribus magis ſiccant, quanquam illis non ſimiliter, ſed minus calfaciant.

IX.

SORBITIONEM uero niſi dies iudicatorii tranſierint, non dabis.

Sermonem ita ut robuſtam eſſe uirtutem ſubaudiendum ſit, intellige. Nempe hoc pacto Hippocrates doctrinam facit, magna ex parte quæ ſingulis in ſcopis præcipiuntur ſcribens. Quo pacto cũ ſemel dixit, comparare inter ſe quæ demonſtrata ſunt conſideratis ipſorum uiribus oportet. Quod ſorbitio ante iudicationem danda nõ ſit † in prima

† ſi uires ſufficiãt, hñt græci cod.

huius libri, quæ legitima est parte, est demonstratum.

X.

ET SI è naribus fluxerit sanguis, soluitur ęgritudo: atque si sudores superuenerint iudicatorii legitimi cũ urinis albis crassisq; & lęuibus subsidentiis.

In acutis febribus quod ex sanguine feruet, ad caput fertur. Cum igitur rescissis ruptisq; uenis natura idipsum unà cum aceruatis uaporibus effuderit, cæteris promptius dominatur & imperat. Pari modo & cum per sudores eas quæ tenues sunt humiditates expulerit, morbum sanat, si utique morbo iam cocto superuenerint. Nam de re huiusmodi iam sæpius in aliis explanatoriis commentariis est dictum, atq; in his qui de iudicationibus sunt confecti. Vt igitur in prima libri huius parte, quam omnes legitimam fatentur, eum qui à morbi coctione est scopum ad uictus rationem commodissimam accepit sic & nũc ad prædictionem. Subiicuit quidem coctionis nomen, sed cõstantissimam ipsius notã scripsit. Optima igitur urina est, quæ albam & lęuem habet subsidentiã, ut in prognostico est demonstratum. Neque tamẽ ad spem salutis semper apparere expostulabis, cũ si enæorema naturali tum colore tum substantia commodum uideris, satis tibi erit. Et iam his ita habentibus, in interpretatione exuberauit dictio. Nam ob dictas urinas constat & sudores iudicatorios esse, quapropter & frustra adiectum. Legitimi præterea non proprie in ipsis dicuntur. Nam pro morborum genere talem inferre consueuerunt appellationem, cum alii medicorum probatissimi, tum Hippocrates ipse.

Sudores iudicat. rij.

XI.

Causus & abscessq indicatq

ET SI abscessus aliquis factus fuerit.

Rarissime per abscessum iudicatur causus, atq; adhuc magis si citra partis corporis adiectionem, recensionem quis fecerit. Nempe parotidibus, id est, abscessibus qui post aures fiunt, causos scio iudicatos, sed non legitimos. Id autem paulo post condisces post expositionem.

XII.

VERVM si absque his soluatur, reuertetur ęgritudo, uel coxa uel crus dolebit, expuetq; crassa si sanus est futurus.

Vbi de sanguinis eruptione sudoreq; egit, si absque his causus defierit, suspectam ait esse solutionem: nam paulo post reuertetur. Erit siquidem, ait, in recidiua crurũ dolor, uel coxæ, spuetq; crassa. Nempe quòd iudicandus, sanguinis eruptione uel sudore uel abscessu opus habeat, potest qs arbitrari † ad sanitatem dictum esse, si dictis adiecerit quæ curationi intẽdens ipse scripsit, uomere sicet præcipiens atque aluum subducere, potumq; aquam & mulsam aquosam coctam cõministrans. Quare si cum his quidẽ & sanguinis eruptionem, & sudores, & abscessum causum soluere quis dixerit, alias autem solui non posse, sermonem fortasse iustum æquumq; dicere uidebitur. Iustum autem æquumq; dico, quasi mediocriter uera loquentem atque priore magis, non tamen integrum absolutumq; prorsus. Neq; enim uerus est sermo. Nempe quod in aphorismis dicitur: A causo habito rigore superueniente solutio. uerissimum existit. Rigorem autem hunc de necessitate sequitur interdum quidem sudor solus, interdum uero & bilioſorum uomitus solus, atque interdum deiectio sola: sed plerunque ex dictis tribus duo fiunt, & rursum quandoque tria. Nempe horũ duorum

† ὑγιῶς. ī. recte hoc loco.

de necesſitate alterum in cauſo ſit, ſi ad integritatem definere debeat. Nam bilioſi humores uel pfecte uacuabuntur uel extinguentur. Prætermiſſa itaque uidebitur præcipua cauſorum ſanatio: frigidæ ſcilicet potus, quo cauſos prorſus curauimus nullo ex his moriente, quibus frigidam temperatiue propinauimus: cuius expoſitionem priore quidem libri huius parte paucis percurrimus: at in cæteris tum commentariis, tum operibus fuſius. Sed forte quiſpiam me aſſerere putabit, nullum ex his qui cauſo laborant moriturum qui aquam temperatiue biberit: quanquam id non aſſeram, ſed quod omnibus quibus propinaui, cum adeo multi extiterunt, ut numeri non meminerim, ſuccesſit auxiliū & ſalus: quod idem non eſt, ut ſi diceres cauſo laborantes ſi frigidam biberint ſeruandos. Nam qui pernicioſe inſalubriterq; habēt, eos neque p aliud quippiam, neque per aquam ſeruari eſt poſſibile: quibus neque miniſtrare ſum conatus. Quod aūt in fine dictionis narratur: Expuetq; craſſa ſi ſanus eſt futurus. In his tantum cauſis obſeruare debes, qui paſſo pulmone oriuntur.

XIII.

CAVSI genus aliud: aluus ſoluta, ſitis magna, lingua aſpera, ſicca, ſalſa.

Veteres Græcos reperio nomen generis interdum in homonymis uſurpare: homonymis inquā, quæ unum quidem habent ſignificatum, ſed ex ipſius diuiſione ad plures deducuntur differentias. In quo ſæpius dicere conſueuimus genericas rei huius differētias eſſe uel duas uel tres uel quatuor, uel quotquot eſſe poſſunt. Sed cum homonyma duplicia ſint, aliqua quidem nullo pacto inter ſe cōmunicantia, ut cum canem dicimus & terreſtrem & marinum: alia uero quę cum ſynonymis aliquatenus communia exiſtant, cum ab uno factam appellationem habuerint, ad quam interdum referantur: cōſiderandum, ut dictum eſt, duo eſſe cauſorū genera: quod exacte quidem cognoſcetur, ſi ſubſtantiæ utriuſq; ratio quæ in appellatione eſt, oſtenſa fuerit. Sed quoniam à mentis conceptu ratio iudicium accipit, perſcrutandum ſi mentis conceptū cauſi ita conſonum habemus ut hominis, bouis, & equi. At cum oratio commentario prolixior futura ſit, tum ipſam tum cæteras ad breuem contrahere ſummā conabimur, hoc exorſi modo. Febrem cauſum medicos reperio appellantes, cum urens caliditas, ſitisq; incompeſcibilis hominē torquet. Quod ſi ita habet, eum in quo corpus non uritur, ſitisq; leuis ſit, cauſum quidē ſimpliciter, exquiſitū autem legitimumq; non dicemus: quumq; pro dimidia parte talis ſit, breuioris doctrinæ gratia cauſum nothū appellare, haud perperam fuerit. Quo autem modo tertianis in febribus appellatione huiuſmodi uti conſueuimus, ita duo cauſorum genera eſſe intelligemus, ut tertianarū genera duo eſſe quiſpiam dixerit, unum exquiſitum legitimumq;: alterum uero nothum ſpuriumq;, cui uidelicet ex legitimi quidem ſymptomatis nōnulla inſunt, aliqua uero non. Quod autem ſecundus cauſus de quo in hac parte docere inſtituimus, tanquam diminutus quidam ſit, atque non exacte abſolutus, certior fies ſi mentē ad ea ſymptomata quæ à ſcriptore ipſo in eo fieri dicuntur, conuerteris. Nempe principio ait: Aluus ſoluta, ſitis magna, lingua aſpera, ſicca, ſalſa. non eo adiecto quod in priore adiecit. Nothus ſiquidem cauſus ex legitimi ſymptomatis alterum quidem habet, alterum nō. Deinceps autem linguam aſperam eſſe inquiēs & ſiccam, non adiecit nigram, quo modo in priore: ſed pro hoc ſymptomate ſalſam dixit. Nempe ut cum

lingua amarulenta redditur, flauam redundare bilem ostendit: ita cum salsa, salsum salsuginosumq; appellatum humorem, qui ex pituitæ generibus, quæ tria sunt, unum existit, ut tibi innotuit, acido scilicet dulci & salso. Quo modo igitur prior causus ex amara bile constans, pallidas geminam ob causam parit excretiones, tum quòd tenuis fuerit, tum quòd febris urẽs augeatur, prænata in eo quę flaua est bile: sic pituitosus humor neque facile excernitur, neque febrem auget, neq; sitim ardentem habet, neque in spiritum uertitur, uanescitq;, atque ob id de eo dixit: aluus soluta, excernere † ipsam solam ostendens, quod ipsi non excernere aduersatur: subit siquidem his uenter non tamen secundum humoris cuiuspiam formam speciemq;, sed his quæ in alimentum ministrata sunt, corruptis. Non enim hi potu reguntur, ut quamplurimi eorum qui priore infestantur causo. Nempe hi citam habent excretionem, tenuem scilicet & feruentem assecuti humorem: seram uero alii ob frigidã glutinosamq; & crassam pituitę substantiam. Fieri ergo nequit ut qui ita laborant solo utantur potu. Id siquidem didicimus in his morbis qui in quinta uel septima die ualida existente uirtute coctionem sunt recepturi. Verũ si morbus ad nonum uel decimum quartum uel uigesimum sese prorogaturus sit, in eo circa initia ptisanæ cremore utimur.

† Ant. co. nõ αὐτὴν μόνην, sed μόνον. i. solũ habent.

XIIII.

VRINÆ defectus.

Dici id ab ipsis consueuit, uel cum non effatu digna, uel nullo pacto emittitur urina. Fit autem in instituto præsenti sermoni causo propter humoris crassitiem.

XV.

VIGILIA.

Causo utrique commune, id est, atque ob id in priore mentionem huius fecit: fit siquidem in illo magis quod caput accendatur, inflammeturq; magis.

XVI.

ET REFRIGERATA extrema.

Symptoma hoc secundi est causi. Verum sermonem non simpliciter efferre conuenit, sed cum definitione aliqua. Neque enim perpetuo talis existit, at cũ malignus fuerit. Nempe in biliosis urentibusq; febribus, caliditatem ad extrema usq; corporis extendit, etsi † non malignus causus fuerit. At in pituitosis fumosa est caliditatis substantia, cum scilicet uel in uentre uel hepate uel pulmone salsus humor putruerit, ob quam quidem caliditas ignea redditur. Verum si malignus fuerit morbus, refrigerantur extrema ob uirtutis imbecillitatem, phlegmonesq; totum ad se sanguinẽ trahentis magnitudinem. Nam absque his nunquam letalis efficitur morbus.

† In ant. nõ est μὴ. i. non, & forte melius.

XVII.

CAVSVS hic, nisi sanguis è naribus fluxerit, uel circa collum abscessus fiat, uel crus doluerit, & æger sputa crassa excreauerit (hæc autem astricta aluo fiunt) uel coxæ dolor, uel pudendi liuor superuenerit, non iudicatur. Testis quoque intensus iudicatorius existit.

Quòd soluãtur per abscessus magis quàm per excretiones quæ ex pituita putrescente oriuntur febres, sæpius est demonstratum. At in præsenti causo non abscessus modo cõmemorauit, uerũ quoq; & sanguinis ꝓfusionẽ adiecit, magisq; in his causis quorũ sedes in pulmone existit. Nempe in hmõi affectionibus caput incalescit, sanguine repletur,

effunditq; quod ex eo redundat tum ruptis, tum adapertis uenis. Ob eandem causam ceruici abscessus fiunt, & parotides his qui ita afficiũtur. Verum qbus affectionis sedes † in ieiuno ȷ uel hepate existit, deorsum magis fiunt abscessus: qua efficitur ratione ut crus doleat, pudendum liueat, testiculusq; his tendatur qui ita afficiuntur. Fit autem testis intentio interdum ab ea quæ in eo sit inflammatiõe, interdum quoque * & ob cuiuspiam eorum quæ superius inflammantur ulcerationem. Quosdam autem eorum qui in pulmone afficiũtur, crassa expuere cocto iam morbo diximus. Ex eo igitur liquet doctrinam confusam esse, inordinatam & indefinitam: quod tametsi eam quæ librorum gratia fit † illustratione euidentiamq; ȷ deceat, libro tamen nullo pacto est peculiare propriumq;. Nam cum multis membris pasis tales fiant febres, deinceps & ex ordine symptomatum catalogum scribere oportebat, & non inordinate indefiniteq;, sed secundum peculiarem propriumq;, & præsentem morbum efficere. Et sanè in hunc dictum est modum, aluus soluta: nõ quòd causis symptoma hoc perpetuo insit, sed ut interdum. Nam quibus uenter ita ut dictum afficitur, his corrupto cibo deiectiones liquidę existunt. Verum quibus pulmo ita habet, uentre haudquaquam patiẽte, his deiectiones huiusmodi de necessitate non fiunt, cum interdum modo contrario ita affectis dura aluus cõtingat, & difficulter excernant. Præterea & quibus intecinore causi subest radix, & qui ob iecur causo laborant, iis quæ excernuntur, interdum quidem liquida existunt, & interdum sicca, ueluti quæ σπυρὰθω'δη appellantur, quasi in gyrum uoluta spiro saq; dixeris, combustis scilicet à uisceris phlegmone ficcioribus, & quasi in nucleum formatis excrementis: σκυ'βαλλα Græci uocant. Cũ igitur uiscus

† κυ'σιν ἀς licubi legit. i. uesica.

*Ab aliquo eorũ quæ superius inflãmant attractus. Sic melius, ut arbitror.

† υ'πτυ, πω'σει. q. si delineationẽ, dixeris.

huiusmodi solum phlegmone obsidebitur, id efficiet. Verum si cum phlegmone fuerit & imbecillitas, liquida deiiciuntur, uiscere scilicet alimentũ adse trahere nequeunte. Sed deiectiones huiusmodi ab his quæ uentre affecto fiant, chylositate distinguuntur.

XVIII.

SORBITIONES dato attractorias.

Quod sæpius dicere solitus, quòd scilicet obscura lectio nihil doceat, id & nunc dicã. Nam qui ex pituitæ uitio laborant, oxymelitis quidem potus his est commodissimus: sed alimentum ptisanæ cremor. Ego tamen quanquam hoc noscam, atq; à nullo didicerim, diuinare non possum quasnam dicat attractorias sorbitiones. Oxymeli siquidem & secatorium & incisorium & absterſorium dici potest: attractorium tamẽ nullo pacto, quia sanè quod ab ipso attrahatur demonstrare non possumus. Ad hunc modum neq; ptisanæ cremorem attractoritum esse asseremus. Sed forte quispiam dicet, uelle ipsum uentrem subducere attractoriis, id est, quæ crassum trahũt succum: cuiusmodi est qd pituitam trahit. At uero sorbitiones non dixisset. Nempe hoc munus medicamentorum est, & non sorbitionum, sicuti neque potuum. Innotuit ergo quonam pacto in obscuris dictionibus nihil certi compertiq; habeamus: quapropter neque dictionem hanc defendere conabimur, quòd nihil in ea certum finitumq; reperiatur. Cæterũ non mihi cõstat quonam hominies pacto ut in aliis multis manifeste errent, sic & in eo quod his quæ obscure dicuntur gaudeãt: quanquam omnes uno fermè ore perspicuitatem orationis uirtutem esse, obscuritatem uero uitium proclament.

oxymely

XIX.

In acutis mittendus sanguis.

IN ACVTIS morbis ſanguinem detrahes, ſi uehemens morbus uideatur, floruerit q; ægrotanti ætas, & uirium adfuerit robur.

Sermo hic nimirum Hippocrate eſt dignus: ſubitq; mihi in admirationem quòd inter aphoriſmos eum non ſcripſerit, cum in paucis uerbis uis magna comperiatur, quod aphoriſmis uſu euenire ſolet. De his ergo qui ſanguinis egent detractione, frequens apud medicos fuit ſermo. Quorum quæ de ea detractione maxime probabilia uidentur, duobus à me ſcriptis ſecure ſunt enarrata libris: quorum alter de ſanguinis detractione inſcribitur: in quo quæ commodant omnia docentur: alter ſcriptus eſt, ut dixi, medicis tum empiricis, tum dogmaticis. Verum amethodi, id eſt ab omni methodo alieni Theſſalii, uti & cætera ſine demonſtratione ſimpliciter dicunt, ſic & ſanguinis detractionem χαλαστικὸν, id eſt relaxatorium cenſent eſſe remedium: χαλαστικὸν uero non uno exponunt modo, ut per commentarios noſtros cum de methodica ſecta ageremus oſtendimus. Qui autem omnem de ſanguinis miſſione hiſtoriã intelligere uoluerit, legere tum noſtros tũ reliquorum medicorum libros poteſt. Nunc uero ſummam ipſam in paucos tandem relatam ſcopos audi. Sanguinem etenim primum detrahes ſi magnus tibi uideatur morbus. Tali autem remedio utitur propter uehementes affectus, quod à qualitate deſumitur. Neque refert ſi uel uehementem uel magnum morbum dixeris. Secundus ſanguinis detrahendi ſcopus eſt, ſi ęger ętate floruerit. Neq; enim puer neq; ſenex, ſanguinis ſuſtinent detractionem, etiam ſi morbus quo ipſi laborauerint magnus fuerit. Tertium ſcopũ non prętermiſit libri huius conſcriptor, qui facultatis robur exiſtit. Neq;.n. in iis

Libri ii de miſſione ſanguinis.

Χαλαστικόν.

Si magnus morbus, ſanguis detrahendus.

ætas.

facultatis robur.

qui ætate florent, cum languẽt, perpetuo robur apparet. Quam ob cãm quis forte duo hæc ſola pro ſcopis detrahendi ſanguinis ſatis eſſe autumabit, magnitudinem.ſ. morbi, & uirtutis robur. Neq;.n. ſenex quod annoſus ſit per ſe, ſed propter uirtutis imbecillitatẽ non fert ſanguinis detractionem. At certe pueri quanquã uitali facultate ualeant, tamen neq; hi ſanguinis ſuſtinent miſſionem. Prompte.n. eorum ſubſtantia tum ꝓpter humiditatẽ, tum propter temperamenti caliditatẽ euaporatur. Detractione igitur ſanguinis non egent, qui inſitã naturalemq; habẽt uacuationẽ. Ob eam cãm ſcoporũ ſanguinis detrahẽdi numero nõ ſatisfacere uidentur magnitudo morbi & uirtutis robur: meliusq; feceris, ſi & florentiũ ætatẽ adieceris. Quod porrò in fronte dictionis dictum eſt: In acutis morbis ſanguinẽ detrahes, ut conſideretur eſt dignũ. Sed quo modo longorum morborum non meminit? Quoniã ſanè de acutis nũc docet, atq; ob id ſolos eos memorauit. Nẽpe & ex longis multi ſunt qui ſanguinis egẽt detractione, cum & hi dictis tribus ſubiaceant ſcopis. Cæterum cum omnia hæc recte dicta ſint, quoſdam tamen non recte uſos fuiſſe eſt putandum. Quo è numero eſt Menodotus empiricus, in ſola plethorica appellata ſyndrome ſanguinis miſſionem obſeruari aſſeuerans. Nunc autem & ea non exiſtente, uenam ſecamus cum dolor uehemens hominem prehenderit, uel pars aliqua fracta fuerit, uel os ex loco pulſum ſit, uel alius quiſpiam articulus contractus reductusq; ſit. Neq; etiam plethorica facta ſyndrome ſanguinem ſemper mittimus, ſed & frictiõe, & balneis multis, & abſtinentia quæ tribus uel quatuor diebus fiat, ad id quod naturale eſt, reuocamus. Verum de his abunde tum in libro de plenitudine, tum in libro de ſanguinis detractione eſt pronunciatum:

Pueri nõ ſuſtinent phlebotomiã.

Menodotus empiricus.

Phlebotomiæ uſus, nõ ſolũ eſt in plethorica ſyndrome, ſed in alijs qi ca. ſib., atq in ea nõ ſp adhibetur.

præterea & in libro de morbis curandis. Ad præsens ergo hæc ueluti in sanguinis detractionis cōmentario dicta sufficiant. Verū ut nihil desit, adiiciam & eum qui ab ambiente nos aere desumitur scopum, cum fuerit abunde calidus & siccus, ita ut cito ab eo corpus euaporetur. Nempe tunc à sanguinis missione abstinemus, etiam si morbus magnus fuerit, florensq; ætate homo. Id ergo author solum prætermisit, reliquis scriptis, atque etiam patientis ipsius corporis habitum. Verum pręcedente oratione & mentionem habitus fecit, qui & ætatis differentias in se comprehendere potest, ut ostendam.

IIII scopus ab aëre

habitus patientis.

XX.

PORRO si angina fuerit, & si aliud quippiam ex pleuriticis malum, ecligmate repurgato: at si ęger ob copiosam sanguinis missionem imbecillior fuerit, clysmum tertio quoque die uentri infundes, donec in tuto ęger fuerit, & fame idigeat.

Συνάγχη, id est angina, partium quæ in gutture sitæ sunt phlegmone est, quę post sanguinis missionem repurgari potest, id est, quæ in partibus phlegmone obsessis continentur, per sputa euacuari possunt. Nempe corpus impurum excremētosumq; quod uacuatur, iure optimo expurgari quispiam pronunciauerit. Cæteris autem acutis morbis omissis, de pleuritide mentionem facit, quo modo & in prima libri parte fecit. Si uero imbecillior, inquit, æger tibi esse uidebitur, uel ꝓpter sanguinis ablati copiam, uel ob aliam quamuis rationem, purgationis uice clysterem tertio quoque infundes die. Nempe relaxato per sanguinis missionem corpore, quod ex morbificis humoribus qualitate uitiosum superfluit, per clysterem id euacuari iubet. Quòd autem scopus illi sit non solum

Συνάγχη

Clysteres in Angina

alimenti excrementa subducere, uerum quoque & passum locum expurgare, palàm est. Quod uero finem orationis facit, Et fame indigeat. his qui in primo libro à nobis demonstrata meminerunt, etiam manifestum euadit.

XXI.

OBSESSA inflammatione hypochondria, nō spirituum interclusione, septi transuersi intensio, uel spirituū protēsiones, quibus orthopnœa sicca pus nō subit: sed à spirituum interclusione pathemata hæc superueniunt: potissimum uero & iecinoris dolores, & lienis grauitas, atque inflammationes aliæ, & superiores septo dolores, morborumq; collectiones, quas σύστροφας dicunt, solui non possunt, si quis primum purgante uti medicamento aggressus fuerit. Nam uenæ sectio in his præferenda uenit. Deinde clysmis est opus, si uehemens & magnus fuerit morbus: si uero nō, & postea medicamento opus sit, sanè id post sanguinis missionem secure & mediocriter porrigendum.

Morborum qui primum sanguinis egent missione, deinde ab ea purgari expostulant, catalogū facit. Primumq; inter omnes scribit, φλεγμαίνοντα ὑποχόνδρια, id est flagrantia, flammantiaq; hypochondria. Neq; uocem hanc φλεγμαίνοντα ex Hippocratis consuetudine audias uelim. Nempe flammantes morbi omnes & calidi, uoce hac significātur; cuiusmodi sunt erysipelata, herpetes, & carbūculi, & quæ proprie phlegmonæ appellantur. Verum recētiores medici omnes, speciei flagrantium corporum uni uetus commune nomen indunt, uocantq; hoc pacto solum eum tumorem qui durus cum dolore & multa caliditate existit. Verū quum & alii præter naturā existunt tumores, ut scirrhus,

φλεγμαίνοντα

& qui à recẽtioribus medicis œdema appellatur: fuit ſiquidem & id aliquãdo commune nomẽ tumorum omnium præter naturam atque ipſius inflationis: diximus quidẽ alibi libro uno de tumoribus præter naturam, uerum in præſentiarum, ut cętera, ita & hoc ſummatim dicatur. Scirrhus quidem durus tumor eſt, & doloris expers. Verũ inflatio bifariam eſt: nempe collecto in quibuſdam cauitatibus uel ſenſui expoſitis, uel ratione cõtemplabilibus, flatuoſo ſpiritu. Fuerunt ſanè qui aliquando tumores præter naturam in muſculis ſeu cuerunt, tanquam pus in imo reperturi, ſed nihil aliud præterquam ſpiritum qui totam per carnem minutatim diſſeminatus eſſet, inuenerunt. Prętęrea & thrombi ſoli aliquãdo ab his qui ita ſecuere, uel humiditas uiſcoſa, uel mucoſa eſt reperta. Verum in talibus tumor uel ex thrombo uel mucore erat, carne ad hunc affici modum apparente: ſpiritus autem in ea per minuta eſt diſſeminatus. Non igitur in præſenti dictione, Phlegmone obſeſſa hypochondria, ſecundum aſſuetum Hippocrati ſignificatum dicta eſſe uidentur. Nempe quam mẽtem habebit quod ipſi adiicitur, non flatuum interclusione: cum flammea caliditas in hypochondriis ſit ue cum flatu fuerit, ſiue non, eandem habeat indicationem. Neque etiam ita dicere eſt uiſus ut acer uatim coniunctimq; , tum inflammationem, tum ſpirituum interclusionem fieri dicatur, quum id falſum ſit. Nunquã enim ſpiritus interclusio flagrantem hypochondrio infert affectionem. Qui ergo hæc ſcripſit, Phlegmone obſeſſa hypochondria, dicere eſt uiſus quæ in tumorem ſublata ſunt. Poſt hæc autem mentionem de ſepti tranſuerſi intẽſione fecit, deinde & protenſione ſpiritus. Septi tranſuerſi intenſio manifeſta eſt omnibus. Sed ſpiritus protenſos dicere uiſus eſt ueluti interruptos: de

Scirrhus

Inflatio.

Spũs protensi

Orthopnœa recte

quibus in prima libri huius parte ſcriptum eſt: Spiritus offendens in ea quę extra fit aeris delatione. Super quo in dictionis illius expoſitione eſt enarratum. Siccam autem orthopnœam dixit eam ſpirandi difficultatem, quæ ſine ſputis †uel tuſſi uſqueadeo uehemens eſt, ut inclinari citra ſuffocationem qui ita afficitur, non poſſit: quam fieri non ignoras ab anguſtia earum pulmonis capacitatum quæ ſpiritum deferunt: quæ id patiuntur, iacentibus magis, minusq; ſtãtibus, * & profectò recte ſedentibus omnibus quæ in thorace exiſtunt partibus: quo fit, ut & orthopnœa appellitetur. Sed cum ea interdum fiat ob uiſceris phlegmonem, ut in peripneumoniis, interdumq; & oppleto † gutture, ſanguinis miſſione ait egere eos qui orthopnœa ſunt affecti: eos inquam, quibus pus collectum non ſit. Nempe quibus pus collectum ſit, eos puris uacuatione egere conſtat. Qui autem à ſpiritus interclusione (quod in anguſtiam acto pulmone fieri ſolet) hæc patiuntur, eos ſanguinis miſſione iuuabis. Pari modo & iecinoris dolores ſplenisq; atque cæteras omnes inflammationes ſanguinis detractio iuuabit, atque uniuerſas morborum collectiones: Græci συρροφὰς dicunt. Quod autem συρροφὰς morborum dixerit eas quæ ab inturneſcentibus fiunt partibus, par eſt. Audio ſiquidem & nunc multos in Aſia noſtra, tumores præter naturam omnes ita nuncupantes. In his ſiquidem prius quàm ſanguis mittatur, purgationem interdicere oportet, quanquam & hanc quoque mentem, rationemq; deinceps dicat in ea quæ ſequitur dictione.

† In ant. cod. non eſt κ' νὸ βήξεως .i. ſine tuſſi. & forſitã melius.

* Ego uero ſic uertẽ, quũ omnes q̃ in thorace ſũt partes recte collocatæ ſint.

† βρό'χων, rami ſũt aſperæ arteriæ & ſunt uiæ ſpiritus in pulmone

XXII.

QVICVNQVE AVTEM EA quæ inflammantur, ſtatim morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, ii non

ſolum ab intenſa inflammataq; parte nihil adiumunt, quum non cedat obſequaturq; quę adhuc cruda eſt affectio: uerum quoque & quæ morbo † aduerſa, & ſana ſunt, abſumunt cõtabefaciuntq; ductoq; ad imbecillitatem corpore, morbus ſuperior euadit: qui ubi corpus uicerit, remedium non habet.

† ἀντίτχον τα. i. reſiſtentia.

Hunc expoſuimus aphoriſmum, cum illum exponeremus: Cocta medicari & mouere: atque in eiſdem quibus & nunc ſymptomatis, Recte autem ad ſanguinis miſſionem prius deueniendum præcipit, ubi uitioſi aliqui humores in partem aliquã confluant atque in ea aceruentur, quod ut dixi συμφέρεσθαι, id eſt colligi, in ea parte dicitur. Quod autem in fine ante hanc ſcriptæ dictionis ſcribitur, quidam dignotioni inacceſſum efficiunt, nomen φαρμακείας in caſu accuſandi pro genitiuo legentes ad hunc modum: ἀσφαλείας μεν καὶ μετρίως τοῦ δεῖ δὴ φλεβοτομίαν μετὰ φαρμακίαν: quã dictione ſignificari uolunt ad ſanguinis miſſionem à medicamento ueniẽdum. Verum in tota dictione prius ad ſanguinis miſſionem ueniendum, deinde ad medicamentum præcipitur: non aũt econtrario, ut hi ſcribunt, aſſumendum medicamẽtum, deinde ad ſanguinis detractionem deueniendum. Cætera dictionis dilucida his ſunt, qui exacte † dicta noſtra animaduertunt.

1 aph. 22.

Prius ſcam, quis mittẽdus poſt pharmacũ ſumptũ dim.

* εὖ ῥηκε habẽt antiq. cod. i. eius dicta

XXIII. Anat. 3 eod. cap. 41.

QVOD autem quis repẽte obmutescat, id uenarum interceptiones occluſionesq; faciunt, ſi ſano abſque occaſione uel forti alia cauſa id contigerit.

ἀπολύψεσθαι νενεῦρο

Venarũ ἀπολύψεις, id eſt interceptiones, appellat oppletiones, quę à copia exoriuntur. Cum igitur ſupra

tur ſupra modum oppletę fuerint uenę, premi uirturem, grauariq; eſt neceſſe, atque in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob multitudinem, copiamq; ſuffocationi quippiam ſimile patitur. Oriuntur ſiquidem epilepſiæ, & apoplexiæ, & ſyncopæ cardiacæ. Nempe uno communi aphoniæ, id eſt uocis carẽtię ſymptomate, ſymptomata huiuſmodi ſignificauit. Adiecit autem oratioui: Si ſano abſque occaſione uel alia forti cauſa id contigerit. ubi προφάσιν, id eſt occaſionem, dico cauſam euidentem, manifeſtamq;: ut ſi quis in luctа uel pancratio ex brachiorum accommodatione ad periculum ſuffocationis circunductus fuerit. Cauſam uero aliam fortem dico, qualis uel tumore, uel maximo animi mœrore percuſſis accidit. In ægris autem uocis priuatio huiuſmodi fieri poteſt, læſis duntaxat his quæ uoci efformandæ ſubſeruiunt inſtrumentis, uel etiam his quæ reſpirationi deputauit natura: poteſt quoque contingere ob recentem quandam exolutionem & afflictionem uirtutis. Vt autem ab huiuſmodi aphoniis uocisq; priuationibus eam diſtinguat quæ oratioui appoſita eſt, adiecit: ſi ſano contigerit.

Aphonia.

προφάσεως ſuſ. 7 aph. 49 ſ8.

XXIIII.

VENAM igitur brachii dextri internam ſecare oportet

Velociſsime & plurimum ex his quę principes ſunt partibus uena ea corpus uacuat, atque ob id in acutiſsimis morbis ad eam ſeſe confert.

XXV.

SANGVINEMQVE auferre, inſpecta ſecundum habitum ætatẽq; pluris minorisve ratione.

Superius cum de ſcopis miſſionis ſanguinis ageret, corporis habitum quidem omiſit, ſed hoc

in loco uirium non meminit. Verum habitus nomen pro uirtutis nomine dictum esse opinantur nonnulli, una ex re duo dici perperam existimantes. Nempe habitum ad corporis constitutionem deferentes dicimus, utpote cum quis uel mollis, uel durus fuerit. Robur uero uirtutis functionum uehementiæ attribuimus. Ex quo fit, ut duo hi sint scopi, uacuandi quidem indicationem † quod cõmunes sint, habentes, sed inter se differentes, ueluti & ab ætate. Verum ætatem ipsam ad corporis habitum referre est melius, & non uirtutem. Nã pueris propter habitus mollitiem, succi perspirabili cute facile digeruntur: senibus uero nõ facile, propter siccitatem & frigiditatem: satisq; esse tres hos detrahendi sanguinis scopos quispiam dicere potest: indicationem accipientibus nobis † & à morbi qui curatur magnitudine, & habitu, & uirtute. Cuiusnam autem ambiens nos aer esse debeat tẽperaturæ inspiciendum esse, est supra dictum.

† ἐνδείξιν κοινὴν ἔχοντες. i. indicatio nẽ cõmunẽ habentes habẽt ant. cod.

† Quòd euacuare oporteat, addũt hic cod. ant. & sic habuisse uidetur uetus trans.

XXVI.

QVAM PLVRIMIS autem horum accedũt hæc: faciei rubores, oculorum constantia, manuũ porrectio, dentium stridores, pulsus, maxillarum contractio, refrigeratio extremorum, & spirituũ in uenis interceptiones.

Inter hæc quæ † deinceps accedunt, faciei solius qui ante scribũtur rubores, sanguinis copiam indicant. Succedit oculorum constantia, id est immobilitas, & manuum porrectiones. Nempe & eas lædi ob neruorum principium contingit, sed aliter quàm sit oculorum constantia. Nempe ea, ueluti torporem quendam functionum in neruorum primordio indicat. Manuum uero porrectiones, & dentium fremitus, neque ob quietem, neque ob principii immobilitatem, sed propter ui-

† ἐξαίφνης habent ant. cod. & ita legit uetus interp̃s. i. repente.

tiatam motionem exoriuntur. Quid autem pulsus indicent, non omnino constat. Nempe ueteres in motionibus dolorem in membris inflammatis excitantibus, hoc promunt proferuntq; nomen: in palpitationibus quoque, & præterea in uehementi arteriarum motione. Maxillarum contractio conuulsionis est symptoma, manuumq; porrectiones, & fremitus dentium. Extremorum uero perfrictio in huiusmodi affectionibus caliditatem natiuam ab humorum multitudine grauari ostendit. Quod autem in fine dictionis apponitur spirituum in uenis interceptiones, id ut de pulsus carentia, ἀσφύξιαν Græci uocant, dicatur probabile est. Nam ueteres, arterias, uenas appellabant. Spirituum sanè interceptiones, quasi inclinationes & quietes, ab authore dici possunt. Sunt qui sequentis dictionis alteram habentis sententiam principium constituant dictionem hanc, cui quæ deinceps scripta est, coniungunt, copulantq;.

Arterias uenæ dicũtur ueterib.

XXVII.

CVM DOLORES accesserint, bilis atræ, fluxionumq; acriũ destillationes fiunt: dolent morsa interna, morsæq; atque admodum arefactæ uenæ intenduntur, trahuntq; inflammatæ quæ influunt: quapropter corrupto sanguine, nequeuntibusq; spiritibus naturales pertransire meatus, infrigidationes fiunt ob stationem, uertigines, aphoniæ, capitis grauitas, & conuulsiones, si iam ad cor, uel hepar, uel in uenã peruenerint. Hinc epilepsiæ, & paraplexiæ, si continentes locos fluxiones inuaserint, atque spiritibus exire⁹ nequeuntibus exaruerint.

Eiusdem cum prædictis generis est sermo qui nunc effertur, quem & nonnulli illis copulant:

atque ob eam causam bifariam uerbum hoc προσγένηται, id est accesserint, scribi reperitur. Sunt enim qui præsentem sermonem cum prædictis coniungant, scribentes πρὸς syllabam cum, σ, elemento: alii uero non coniungunt, scribuntq; πρὸ sine, σ. Verum quod in oratione dicitur, huiusmodi est: Dolorũ motio fluxionem humiditatum ad eam quæ dolore uexatur partem excitare consueuit. Cum igitur uitiosis succis corpus refertum fuerit, bilis atræ cæterorumq; acrium humorum fluxiones exoriuntur, ob quas dolet æger magis, mordenturq; interna, grauanturq; morsæ à prædictis humoribus quæ in affecto loco sunt uenæ: idq; ipsum rei alterius causa redditur † contraria. Nempe repleta à fluxionibus huiusmodi quæ afficitur particula, corrumpitur quidem in primis sanguis ipse, deinde uasa opplentur, quòd in eo cunctas spirituum uias arcet, cohibetq;. Nempe & iddeclarauit inquiens: Nequeuntibusq; spiritibus naturales pertransire meatus. quod sanè spirituum interceptiones paulo ante uocauit. Cum autem sanguis * est, atq; cũ eo spiritus, infrigidatiões fiũt, uertigines, aphoniæ, capitis grauitates, & conuulsiones: qbus succedunt paraplexiæ, & epilepsiæ cũ in locos oppletas uenas continentes desiderint fluxiones. Locos dixit corporis partes, quas author ante scripsit, cor, hepar, & uenam quę prædicta coniungit uiscera: uenam inquam postea à medicis cauam appellatam, quòd uenarum omnium quæ per corpus animalis disseminantur latissima sit. Iure igitur sanguis in locis huiusmodi propter uenarum repletionem spiritum penetrare nõ permittit, sed ueluti in mortuo corpore coalescit, cõcrescitq;. quod & author ipse ostẽdit, inquiens: Atque spiritibus exire nequeuntibus, exaruerint. at proprie magis dixisset à spiritibus. † Coalescunt

† Codex ueteris interptis uidet nõ habuisse id, cõtraria. & forte melius.

* σὴ uidetur legendum, hoc est steterit.

† Forsitã sic legendus est hic locus, exire neq̃untibus coalescũt Coalescũt &c. sic ẽt græ. restituendus

siquidem & quæ siccantur, & quæ refrigerantur. Nunc autem non propter exiccationem cõcrescit coalescitq; sanguis, & qui in ipsum defluunt uitiosi succi. Nempe exeuntibus ipsis, & † incorruptus, & naturalirer fusus, liqdusq; redditur sanguis: uerum cum manent, natiuamq; caliditatem respuunt extinguuntq;, is tãquam mortuo in corpore coalescit. Cum ergo ita affectis sanguis detrahitur, is frigidus, crassusq;, & uix effluens apparet: idq; propter huiusmodi refrigerationem. Interdum autem & toto corpore conuulsiones fiunt, interdumq; salubriter & cõmode. Nẽpe corpus totũ quatientes, uniuersas calfaciunt partes, adeo ut ex multitudine aliud ꝑ cutim digeratur, aliud ad aliquã ex nõ pręcipuis expellatur partem: ubi cum indissolubiliter impactũ fuerit, paraplexiã facit. Nã ꝙ eas q̃ apoplæxia uel epilepsia ad aliquam ex non præcipuis partem irruunt, paralyses, id est resolutiones, Hippocrates ita appellet, est demonstratum. Interdũ quoque & facta absque conuulsione apoplexia nonnullis morbus in partis resolutionem finiuit, qui paraplexia appellatur. Cætera dictionis sunt manifesta.

ὑπὸ ῥεπεζόντων addit hic cod. ant. & sic legit uetus interp̃s. i. flabellatis.

XXVIII.

TALIBVS SANE prius adhibitis fomentis, uenam confestim ab initio secare oportet, cum nondum fixa sint omnia quæ contristant, tum spiritus, tum fluxiones. Facilius etenim remediis patent.

Qui ita habent, his ante fotus adhibere oportet, quoniam coaluit in ipsis sanguis, difficulterq; effluit. Sed quoniam & in fotu ipso fricatio fiat, facere quod scripsimus est melius, secare scilicet internam cubiti uenam. Non enim semper ita concreuisse sanguis reperitur, ut effluere non possit.

Fricandæ igitur in eo tempore multis ab hominibus cunctæ corporis partes. & si mediocriter sanguis fluxerit: rursus fricandæ, superq; auferendus sanguis. Si uero non fluxerit, fricandæ quidem & fouendæ donec fluxerit. Vbi uero in paraplexiā desierit affectio, breui fricare expedit tempore & fouere: rursum fricare & fouere donec citissime hæc desierint, dum fixi adhuc non sunt spiritus, & euacuationi contumaces.

XXIX.

POSTEA REFICERE expedit, & habita iudicationis ratione superiorem uentrem, si non leuetur, purgare: inferiori uero si non deiecerit, clysmum iniicere. Coctum deinde asinæ lac dabis: bibetq; heminis duodecim non minus: & si uirtus tolerauerit, sexdecim magis.

Ab ea quæ per sanguinis missionem fit uacuatione, refici hominē, roborariq; præcipit: ut si nihil leuatus uideatur, ad eam quæ per superiores partes, id est per uomitum fit purgationem agatur. Verum purgans medicamentum neque nominatim perstrinxit, neque ipsius fecit delectum. Nempe quod ad morbi magnitudinem, uirtutisq; robur respicientes, uel album ueratrum, uel ex aliis quæ uomitum cient, quicquam exhibeamus, nemo ambigit. Quæ autem de aluo inferiore dicta sunt, clara existunt, expositorisq; haud indiga. Neque admirationi sit lactis copia, cum antiquis omnibus ita fuerit assuetum. Quod autem lac asinæ propter humiditatem exhibeant, supra est dictum: atque amplius, quod non spissetur epotum, uelut quæ crassa sunt. At cum eo mellis quippiam salisq; miscere oportet.

XXX.

SYNANCHVS, id est angina, fit cum hieme, uereq; fluxio multa & uiscosa ad iugulares defluxerit uenas, plurimumq; hæ propter latitudinem traxerint spiritum. Cum autem & frigida, & glutinosa fuerit, spiritus obstruit permeationes, sanguinemq; coercens, quæ uicina sunt inspissat. sanguinēq; ipsum immobilē reddit, & cōstantē: qppe cum frigida natura sit & obstrictoria, ob id †suffocantur liuente lingua, atque in rotundum acta, flexaq; propter eas quæ linguæ subduntur uenas. Nam præcisa, quam nonnulli cionida, id est, columellam uocant, uena utrinq; crassa apparet. Cum igitur hæ oppletæ fuerint, linguæ quæ ob siccitatem & sicca & spongiosa existit, innituntur. Lingua autem ui ex uenis humidum accipit, atque ex lata rotunda, ex bene colorata liuens, ex molli dura, atque ex facile flexili, flectenti contumax efficitur. Eam ob causam cito †iugulat, nisi cito aduersus eam pugnaueris. Sanguinem ergo ex brachiis detrahes, mox uenas, quæ sub lingua sunt, secabis, deinde medicamentis quibusdam attractoriis uteris, calida exhibebis gargarismata, caput abrades, ceratumq; tum collo, tum capiti circumpones, lanisq; circumuolues, molliq; spongia ex aqua calida expressa fouebis. Bibet autem aquam, & mulsam non frigidam, cremoremq; assumet, ubi ex iudicatione in tuto, fuerit.

Siue synanchon dicere uolueris, siue cynanchō: uel alterum quidem horum synanchen, alterum uero cynanchen, siue utrumque synanchen uocaueris, duas synanches sciueris esse rationes. Nempe ad curationem nominibus opus nobis non est. Consueuit siquidem eam docere longe melius q̄ hi, qui in nominibus falsa enunciant. Subscribā aūt tibi cōpēdiose doctrinā ipsius peculiarē, susceptō

*Codices ant habēt sicut legit uetus interpres πνίγυται. i. cogitur.

Suffocat.

fluxiones.

ita exordio. Fluxionum quæ ex capite deferuntur, quædam substantia tenues existunt, aliæ ex crassis, uiscosisq; humoribus cõstant. Quæ igitur tenues sunt, hæ latis penetratis uenis, in angustioribus detinentur., Tales autem sunt, quæ guttur ambiunt. Contrarium autem in crassis contingit, quòd non ingrediantur uniuersas, quæ strictæ admodum existunt uenas, ante scilicet in capacioribus detentæ. Cum igitur in faucium uenis tales impacti fuerint humores, pars in tumorem attollitur, ueluti guttur ex aliis, †quanquam gutturis quàm faucium strictiores multo existant uenę. Corpus autem totum uacare excrementis debet, & non plethoricũ esse geminam ob causam: nempe tum ob eam, quæ à †uacuatione est reuulsionem, tum quòd uacuato corpore cum à parte affecta quod influit expellimus, id facilius consentit, nihilq; si calido aliquo euaporare uolueris, à corpore ipso parti calfactæ mittitur. Corpus igitur totum, uena secta, uacuare oportet, & purgatione, & clysteribus. Verum affectas partes tum medicamentis astringentibus, quæ profluentes retrudant humores, atque ex infarctis qui non admodum infarcti sunt, & qui non ualde glutinosi & crassi: tum calidis & acribus quæ contentos in membris passis digerant humores. Venæ, quæ sub lingua sunt, sectæ eam quæ faucibus est phlegmonem sine medicamentis uacuant. Sed quoniã humoꝝ crassi alii, glutinosiq;, acrioribus propterea indigent medicamẽtis, q̃ scilicet & secare & in tenuia diuidere, & tũ glutinosa tum crassa confringere possint. Præterea & ad exteriorem superficiem reuellere oportet, circumpositis collo quæ attractoria polleant facultate medicamentis. Nempe colli superficiarias partes, quàm imas affici est melius: quòd spiritus quidem cũ inspirationes fiunt, ad fauces, gutturq; irruat, & cũ expiratio-

†vtpote ꝙ, dicerẽ ego.

*πρὸς τὸ κενοῦν habent ant. cod. i. ad euacuandum.

nes fiunt, per ea foras deferatur. Sæpius uero quæ ad partes prædictas procedunt fluxiones, eæ ad partes quasdam alias exprimente natura transmutantur, atque interdum principio ita deferuntur, ut rursum aliæ oriantur, tum faucium, tum gutturis fluxionum differentiæ. Quòd autem quæ ad cutẽ recesserunt, his quæ in profundum decubuerunt multo salubriora existant, constat omnibus. Commune tamen in utrisque tum colli, tum capitis, à quo fluxiones fiũt, auxilium tibi sit. Sermo hic & synanchas, & causas, & affectos locos, & curationes docuit. Neque si uel synanchen, uel synanchõ, uel cynanchon appellaret, fuit solicitus. Qui igitur librum hunc scripsit, neglectis nominibus, omnes qui tum in faucibus, tum gutture existunt, arctantq; respirationem affectus synanchos appellitans, duas horum species esse ait: alteram quidem quæ à glutinosa, frigidaq; fluxione facta sit, quã pituitosam uocare possis: alteram uero à calida, acriq;, quam si picrocholam biliosamq; simpliciter appellaueris, non peccabis. Priorem autem fluxionẽ in latiores decumbere uenas ait, biliosam etiam in tenuiores peruenire ostendens. Cætera dictionis sunt manifesta. Ad ea autem quæ retuli, conuertas animum oportet: †& si primam speciem non intellexeris, bis & ter lege & intelliges. Ego autem ad secundam synanchi speciem transibo.

Et si primum nõ.

XXXI.

CVM ÆSTATE uel autumno fluxerit ex capite calida & nitrosa fluxio, quasi ab anni tempore tum acris, tum calida fuerit, atque huiusmodi sit, mordet, ulcerat, spiritu implet, orthopnœã parit, siccitatemq; multam, præterea quæ intuenti apparent, haudquaquam tumentia uidentur.

Quo modo, & quã ob causam hæc fiunt: quo-

niam à calidis & acribus. Priorem siquidem fluxionem, quæ pituitosa est, hieme uel vere defluere ait: Hanc uero secundam autumno & vere: In aliis anni temporibus ex proportione, ut antea est dictum. Orthopnœam autem huic superuenire anginæ generi ait, quę insignis nota est angustiæ, partem ex his quæ respirationi subseruiunt aliquam fatigantis, ut supra est demõstratum. Quod si hos amplissime aperire os uolueris, linguamq; represseris, cohibuerisq;, ut q̃ in faucibus sunt inspectare queas, nullum sanè præter naturam tumorem ut in antedictis inuenies: quod scriptor explanauit cum inquit, Præterea quę intuenti apparent, ἰσχνὰ id est non tumentia, uidentur. Nempe quod in faucium meatu inflammatum est, non uidetur: quod autem ex apertis uidetur, id omne citra inflammationem existit, partesq; non tument. Nempe hæc uox ἰσχνὸν, tumenti præter naturam, interdum opponitur. Quam uocis huius nunc dictam significationem ignorantes nonnulli dictionem ridicule exponunt. Alii autem † excogitant, comminiscunturq;, ⌋ ut hi, ad hũc scribentes modum: Præterea quæ intuenti apparent, ἄχροα, id est decolora, uidẽtur. Cæterum ita affectis fit interdum, ut & fluxionis partem recipiant faucibus uicini, atque à tergo siti ordinatiq; musculi, ubi & stomachus, qui sæpius & ipse afficitur. Post hoc sanè in præsenti dictione scriptum quoque est quod sequitur.

μετασκευάσουσι. i. permutant.

XXXII.

TENDINES quoque ceruicis posteriores contenduntur, apparentq; tetani modo intendi.

Quod deinceps dictum est, magis adhuc guttur affici ostendit. Nempe & uocis generationem in ea animalis absolui parte est demonstratum: quapropter inquit.

XXXIII.

VOXQVE ἀπέρρωγε, id est abrupta est, & spiritus paruus est.

Nẽpe uox omnino ἀπέρρωγε, id est ἀπόλλυται, id est disperiit, abruptaq; est, passo ut dictum est gutture. Respiratio autem parua redditur propter meatus angustiam. Recensetur autem in commentariis de difficultate spirandi, quod longior tempore sit & interuallis frequens, quod scriptor in hunc enunciauit modum.

XXXIIII.

SPIRITVSQVE reuulsio frequens & uiolenta accedit.

Spiritum, & eam quæ inspirationi succedit expirationẽ, & eã quæ expirationi succedit inspirationem, dixit: ex utroque enim frequens redditur spiritus. Nam ita affectis, quæ inspirationi succedit quies, breue tẽpus habet: similiter & quæ expirationi succedit ante inspirationẽ. demõstrationes horum in libris de spirãdi difficultate enarratæ sunt.

XXXV.

TALIBVS arteria ulceratur, incenditurq; pulmo, neq; externum aerem admittere intro queunt: quibus nisi ad exteriores partes malum sua spõte perferatur, hi grauius, ineuitabiliusq; habebunt & propter anni tempus, & quod à calidis acribusq; id sit humoribus.

Arteriam quoq; ulcerari his qui ita affecti sunt, dictum est, propter humoris acrimoniam: sed pulmonem ardere † uiduatum, destitutumq;, ait, doctrinæ ueræ sermonem coniungens, copulansq;. Nempe in commentario de usu respirationis, demõstratũ est, animal in respirationis priuatione, nõ

Vetus interps uidetur στεγνούμενον legisse. i. astrictum.

ob ſubſtantiæ penuriam perire: ſed quòd calor na
tiuus, tum uentilatione deſtituatur: quapropter nõ
immerito qui immoderatior exiſtit, pulmonem
accẽdit. Hanc igitur anginæ ſpeciem, tum grauio
rem, tum ineuitabiliorem eſſe priore ait, tum prop
ter ante dicta, tum quòd æſtiuum, autumnaleq; ſit
anni tempus, & quòd ex acrioribus oriatur humo
ribus. Qua efficitur ratione, ut ea quæ cum coniun
ctione eſt dictio, melior ſit quàm ea quæ ſine coniu
iunctione eſt. Significat autem ab his quæ ante dic
cta ſunt, & propter anni tempus in quo ſit, & prop
ter humorem à quo oritur, maioris eſſe periculi
ſecundam anginæ ſpeciem. Non eſt ergo ſimplicis
ter ſcribendum, quòd tũ uitatu difficilior ſit prop
ter anni tempus. Quòd ſi & abſque coniunctione
ſcriptionem ſeruare quis uoluerit, coniunctionem
eam ita ſubaudire oportebit, ut ſi in dictione eſſet.
Multa ſiquidem & alia apud antiquos defectiuo
modo ſcripta reperiuntur.

XXXVI.

SI FEBRIS hominem prehenderit, uetere exi
cremento deſcendente, uel nuper cibatum, ſiue
cum lateris dolore, ſiue non, is quieti tantisper
permittendus, donec cibus primum ad uentrem
imum deſcenderit.

Dictiones quoque huiuſmodi, ea quæ libro de
uictu in acutis morbis apponuntur, Hippocratis
ſcripta non eſſe oſtẽdunt. Non enim qui perfecte
de pleuritide in legitima libri huius parte tractaue
rat, eum rurſus hic pauca apponere oportebat.

Quæ ſequũt ant. cod. græ. nõ habẽt, ſicut nec habuit uetus interpres.

XXXVII.

SVMAT AVTEM in potu oxymeli. † At cum
grauitas ad lumbos uſque deſcenderit, tum uel
clyſmum dare, uel medicamento purgare opor
tet. Atq; cum purgatus fuerit, ſorbitionẽ primũ,

mox aquã mulſam. deinde cibaria, & coctos pi
ſces miniſtrare, uinumq; quod aquoſum ſit & exi
guum noctu, interdiu uero dilutam mulſam. Cũ
uero flatus male olentes fuerint, balanus, uel cly
ſmus confert: ſi non, bibentes oxymeli tantisper
cohibere oportet, donec ad inferiorem aluum
deſcenderit, deinde clyſmate ſubducere conue
nit.

Indefinite, indiſtincteq; dictum eſt: quanquam
quod hic ſcriptum eſt, definite, diſtincteq; in legi
tima libri huius parte dictum ſit, & quæ poſt id, uſ
quequo piſcium meminit Hippocrates: quoniam
adhuc de languentibus in libro ipſe agebat, & nõ
iis qui ex morbo reualeſcunt. Cætera dictionis
manifeſta ſunt.

XXXVIII.

AT SI liquidam aluum habenti cauſus ſuper
uenerit, ſi tibi purgatio idonea uideatur, eam nõ
tribus primis diebus adhibebis, ſed quarto.

Quod intempeſtiue quidem hic de cauſo ege
rit, prædictis ſcilicet in principio, tum differentiis,
tum curationibus, nemo eſt qui ignoret. Nempe
» & dictiones ex mente ſunt aphoriſmi illius: Co
» cta medicari & mouere, non cruda, neque in prin
» cipio, niſi turgeãt: plurima uero non turgent. Qui
dam aliter ſcribunt, cauſos ab initio medicari uo
lentes, ut dictio talis ſit: Intra tertium diem adhibe
bis. Expedit igitur non omnino à tertio medicari
die, ſed ut aphoriſmus canit: In acutis morbis ra
ro & in principiis medicamento purgante uti. Rẽ
ergo ſecundum aphoriſmorum mentem definire
oportet, ſcrutariq; cum in principiis purgatione
utendum ſit, & cum morbi coctio expectanda ſit.
Qui autem uel in principio ſimpliciter dixerit, uel

neutrum definierit, fallitur.

XXXIX.

CVM AVTEM purgaueris, ſorbitionibus quibuſdam utitor, obſeruatis ita febrium acceſſionibus ut nunquam cum adſunt, neque cum futuræ ſunt, exhibeas: ſed uel cum ceſſant, uel quieuerunt, & maxime à principio receſſerunt. Frigentibus ergo pedibus, neque potum, neque ſorbitionem, neque aliud quippiam huiuſmodi dabis: ſed maximum exiſtimato, ſi id tantiſper ob ſeruaueris donec ualde incaluerint: deinde ita quod confert exhibe. Frigiditas ſiquidem pedũ, parte plurima, febris acceſſuræ ſignum exiſtit: quo tempore ſi quid porrigas, maxime prorſus peccabis: nempe & morbum non parum augebis. At uero cum febris deſierit, contrario modo pedes reliquo corpore calidiores fiunt. Nempe cum augetur, pedes refrigerat, incenſaq; ex thorace ad caput flammam mittit. Calore igitur toto ad ſupernas partes concurrente, atque ad caput expirante, non abſque cauſa pedes frigeſcũt: utpote qui natura & carne uacẽt, & neruis abundent: præterea & à calidiſſimis ſeparati locis refrigerantur, ſeſe ad thoracem colligente calore. Rurſum & cum febris ſoluitur, & in minutas redigitur partes, calor ac pedes ex proportione deſcendit. Quo tempore caput & thorax refrixerunt, atque ob id cibus dandus. Nempe cum pedes frigidi fuerint, uenter de necesſitate calet, faſtiditq; cibum, intenditur hypochondrium, iactatur propter internam turbationem corpus, mens fixa non eſt, dolet æger, lancinatur, uellicaturq;, uomere affectat: & ſi mala uomuerit, dolet. Ergo cum calor ad pedes deſcenderit, curritq; urina, & ſi non ſudet, omnia ceſſant: quo tempore ſorbitionem dare expedit, nam aliàs perniciosa exiſtit.

De particulari cibi miniſtrandi tempore dictum quidem eſt paucis in legitima libri parte: ſed æque & nunc prolixius, manifeſtiusq; dicitur, quaſi ſermo præſens alterius ſit explanatio, ſeruata Hippocratis mente, quam tum in cæteris dixit, tum in eo quod febrem ex thorace accendi, atque in caput flammam mittere ait.

XL.

QVIBVS autem aluus per febres perpetuo liquida eſt, his pedes maxime calfaciens ceromatisq; contegens atque faſciis obuoluens ita attende, ut reliquo corpore frigidiores non ſint: ſi uero pedes calent calorificum nullum exhibe, ſed ne frigeſcant obſerua. Potu autem eſt utendũ quamminimo, aqua frigida, uel mulſa.

Διὰ πλείος, idem cum διὰ παντὸς τοῦ χρόνου, ſemper & perpetuo ſignificat. At cum multi exiſtant affectus in quibus per totum malum aluum liquidam eſſe contingit, fieriq; nequeat ut curationem habeant unam, quo modo ſæpius eſt demonſtratum, tantum abeſt ut ex dictione quicquam utiliter dicatur, ut etiam iacturam facturus ſit, qui ſcriptum curationis modum in affectibus multis iuuare crediderit. Nam ut cætera omittam, cum aluus liquida eſſe poſſit tum propter uentris phlegmonem, tum propter contabefacientem, colliquantemq; febrem, frigidæ potus phlegmone cõtrarius eſt: colliquantibus uero febribus conuenientiſsimus, eo quod didiciſti tempore exhibitus.

XLI.

QVIBVS per febres aluus liquida eſt, & mẽs turbatur, horumq; multi floccos uellunt, nareſq; fodiunt, & parum quidem interrogatis reſpondent, ſed ex ſe nihil quod compoſitum ſit dicũt: talia his melãcholica eſſe arbitror. His igitur

ita habentibus, si uenter liquidus fuerit, absu-
mensq;, & cõtabefaciens, sorbitiones frigidiores,
crassioresq; exhibendas esse puto: potusq; qui-
sistant, uinosioresq; uel etiam astringentiores.

Phreniticorum sanè hæc sunt symptomata. Sed
uenter quidem interdum cum phrenitide liquidus
ἐκ τῶν διο- efficitur, non tamen id proprie ipsi ineſt: quapro-
ρισμῶν. i. ter liquidã aluum † distincte curare expedit, phre-
ex quibus nitim uero alia seorsum persequi sanatione. In ea
dam defi autem quã author scripsit sanatione, nullo pacto
nitiõibus animi intentionem ad phrenitidem dirigit: sed cu-
qđ uideli rare eum magis uelle arbitror affectionem quam
cet nõ se- dam ex uentris quidem parte aliqua prodeuntem,
per eodẽ sed caput ita ad condolentiam trahentem, ut ex
modo, ut in priori uentris affectu desipiat. Talia autem non recte me-
comen. di lancholica esse dictum est. Magis enim ea à flaua
xit. proficiscuntur bile, cohibita aluo.

XLII.

QVIBVS ITEM febribus uertigines à princi-
pio, & capitis pulsus sunt, & urina tenuis, his ad
iudicationes usque febris accessionem expectare
oportet: quòd si delirent quoque, nil mirum.

Cum caput circumagi uidetur, σκότωσις, id est uer-
tigo uocatur affectio: cum autem & tenebricosa
simul fuerit uisio, σκοτόδινος, id est tenebricosa uer-
tigo appellitatur. Fit autem ob inordinatam spiri-
tus flatuosi motionem, qui uel in capite localem
habet generationem, uel sursum ex infernis fertur
partibus. Omnes autem spirituum huiusmodi ge-
nerationes turbationem indicant: ob quas & cum
symptomatis tumultuosis iudicationes fiunt. Sci-
re etenim oportet affectiones huiusmodi me-
dium quodam modo obtinere tum earum quæ
periculo uacant, tum pernicioſarum. Conatur

siquidem

siquidem caliditas natiua corporis humores tum
dissoluere, tum effundere: sed tenuare ipsos, & per
inuisibilia foramina excernere non potest. Cum ue
ro perfecte languet, neque soluere incipit, atq; ob
id spiritus flatuosus non summe languente natiua
caliditate ortum habet. Aegre igitur ualere pericu
lo omni uacat. Natura siquidem morbo superior
existit. Verum maxime ægre ualere letale est. Na-
tura enim non parum à morbo uincitur. Cum au-
tem non uincitur, prædicta fiunt symptomata: atq;
postea quàm languerit, iudicationes absoluuntur,
aliæ ad salutẽ, aliæ ad mortem. Pulsus autem qui
in capite fiunt, id est, sensibiles arteriarum motio-
nes, caliditatis multæ symptomata existũt: ob quas
sæpenumero deliria fiunt. Ad hunc itaq; modum
uniuersim habentibus quæ dicta sunt, quum ubi qs
parum ualere cœperit, ab urinarum quidem tenui-
tate cruditas morbi iudicetur, caput autem flatuo-
so impletum esse spiritu significent uertigines cum
pulsibus, scire oportet naturam haudquaquã quie-
scere: sed interdum contentos in corpore prauos
humores ita aggredi, ut à bonis eos separet, atque
quouis modo excernat, uel ad eã quæ minus præ-
cipua sit, reiiciat partem. Prædictus igitur sermo
ad ante dictorum prænotionem præsensionemq;
maxime confert. Nempe interdum ab initio mor-
bi febres quidem moderatæ fiunt, sed symptoma-
ta huiusmodi caput infestant, propter cõtentorum
in corporis uentre humorum calorem atque exha-
lationem. Sanè capitis solius quouis aliter modo
habentis caliditatem, balneum iuuabit, ptisanæq;
cremor pro sorbitione satis erit. Verum cum spiri-
tus calidus, flatuosusq;, ob humorum prauitatem
ad caput fertur, lauare hos nõ confert. Tute igitur
singula hæc faciẽda sunt. Definitio autem affectio-
num una sola est ex urinarum cruditate & conco-

ctione: quorum author recte meminit, inquiens: Vrina tenuis: quod sæpius cruditatis signum esse, est pronunciatum. Quo fit, ut nullus sit medicus qui in morbis huiusmodi negligentius urinas contempletur.

XLIII.

QVIBVS principio urinæ & nebulosæ, & crassæ existunt, hos annuentibus cæteris purgare conuenit. Quod si urinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis: at si uideatur, clysterem exhibebis. Tales autem ita curare confert.

Siue his quæ in antedicta oratione relata sunt, hæc coniungit, siue non, quod ex ipsis utile quis habere cõmune potest, quod scilicet corporis purgationem prorsus uitare oporteat, cum in humoribus adest cruditas, id manifestauit, inquiens: Vrinæ tenues: tanquã crassæ coctionis notas habeant. Iam hoc ipsum substantiam indicat, & uerbũ hoc ὑφελοειδέα, id est nebulosæ, urinas significat nebulas habentes. Nempe nigras adiecisset, si nos eas audire uoluisset. Multa siquidem nomina communia, citra distinctionem dicere consueuerunt, cum id quod in significantiis rerum melius est, declarare uoluerint. Sic sanè cum iudicationes ad salutem fuerint, simpliciter dicunt, iudicatus est. Defuncto uero iudicato non simpliciter efferunt, sed hoc totum, iudicatus obiit. Præterea cum quis excretam bilem simpliciter dixerit, pallidam, & non nigram, intelligimus. Sic certe & in præsentiarum urinas nebulosas audire oportet eas quæ albas habent nebulas, quæ coctionis notæ existũt. Quoniam igitur cocta medicatur, ob id & nũc ita scripsit libri huius author: Tales autem ita curare confert. Nihil autem de sanguinis missione loquutus, ea particulatim enarrat ex ordine omnia: non

quod interdum ita habentibus, sanguinis missione opus non sit, sed quod nunc sola alia docere uelit. Nempe de sanguinis missiõe abũde supra est dictũ.

XLIIII.

CORPVS QVIETI permittere, ungere, & æqualiter contegere oportet, mulsamq; aquosam bibendam, & ptisanæ cremorem uesperi sorbendum dabis. Ventrem ab initio clystere duces, sed medicamenta purgantia non admouebis. Nempe si uentrem moueris, urina non maturabitur, febrisq; citra tum sudorem, tum iudicationẽ in longum protrahetur tẽpus.

Sermonem quoque hunc percurrit, scopum in eo habens, eam quæ cum moderata calfactione sit quietem. Cremorem autem ptisanæ ab initio elargitur, quod mulsa ad uigorem usque & iudicationem sufficere non possit. Morbus siquidem crudus est, & longe absunt concoctiones. Præterea mulsam quæ aquosa sit, adhibet propterea, quod aquam per se, & solam, nihil boni habere demonstratum sit. Vesperi autem ptisanam mauult exhiberi, quàm mulsam. Nempe cum antea in legitima libri huius parte didicerimus, ptisanam mulsa posterius exhibendam, melius fuit & nunc ita dicere: Mulsam quidem prius, posteriorem uero ptisanam exhibe. At uero cum uesperi pro posterius dixerit, particulariorem efficit doctrinam, & non uniuersaliorem. Cur autem eos purgare haud uelit, in quibus summa inest cruditas, causam recensuit epilogisticam magis quàm analogisticam: quam recensere ad eum spectat, qui quod fit, sola citra logicam demonstrationem experientia nouit. Dogmatici autem uiri erat docere, quam ob causam purgantibus nobis ita habentes non coquatur urina, febrisq; sine

sudore & iudicatione pseueret. Perfectius quidem & diligentius alibi hæc omnia sumus contemplati: sed in præsentiarum quod præsenti enarrationi prodesse possit, summatim dicemus. Tu ergo animum ad me conuerte. Cum facultates, ut scis, quatuor sint, atque inter eas non minime ualeat alteratrix, per quam dispensatis ab ea corporibus naturæ alimentum assimilat, coctio nuncupatur nutritiæ substantiæ permutatio secundum qualitatem existens. Natura igitur assumpto in uentrem deuorato; alimento, à cæteris quidē motionibus cessare debet, ut soli quod coquendis cibis deputatum sit operi uacet: sed auxilio externo aliquo indiget, si aliquando imbecillior reddita fuerit, quo modo & in ea humorum quæ in uenis sit concoctione cōtingit. Quiete quidem indiget sequentem ante caliditatem, quod calfactum, frigefactumq;, uel exiccatum & humectatum sit, singulis horū alio & alio tempore factis. Ob id igitur qui hæc scripsit, hominem curari uoluit quieti permissum, unctū, & æqualiter uestimētis obuolutum. Nempe aduersus uim febris humiditatem eam quæ unctionibus comparatur, remedium esse putauit: præterea & neq; ualenter calfacere, neque refrigerare, sed lenire, mulcereq;, quibus maxime indigent quæ coquuntur, maturanturq;. Quod si hæc coctioni humorū conferant, purgationes cōtrariæ existunt. Nempe corpus uehementer mouentes frangunt. Tali siquidē uirtute prædita sunt omnia quæ purgant medicamenta: hæc est ergo causa cur purgationes coctionibus aduersentur. Ad eam autem quæ sermoni huic continuatur seriem pergamus.

XLV.

CVM iudicatio prope fuerit, sorbitionem ne dederis, si perturbetur: sed cum perturbatio desierit, atque in melius profectum sit. Obseruādæ autem febrium omniū iudicationes, sorbitionesq; hoc auferendæ tempore.

Mentem Hippocratis hoc in loco seruat qui librum hunc scripsit: in principio quidem mulsam & ptisanæ cremorem exhibens, & cum prope est iudicatio cremorem tollens.

XLVI.

CONSVEVERVNT febres hæ protrahi & abscessus habere, si auriū quidem ceruicisq; infernæ partes frigidę fuerint: quod si frigidæ nō fuerint, † profectò mutationes habent. Nempe fluit è naribus sanguis, & uentres hi turbantur.

† In ant. cod. non ἀλλὰ sed ἄλλως legitur .i. alias.

Quibus urina ob humorum cruditatem tenuis est, his iure optimo protrahuntur febres, quæ ante coctionem solui nequeunt. Quod autem tales per abscessus iudicētur, sæpius iam est dictum. Rarius autem & per excretionem solutiones horum fiūt. Vtrum autem in superiore corporis parte uel inferiore abscessus generabitur, quæ hic dicuntur, his quæ in prognostico scripta sunt, concordant, consentiuntq;.

XLVII.

QVIBVS febres graues & implacidæ sunt, & hypochondria cōtendunt, iacentesq; ægri sese loco continere non possunt, atq; extrema frigescunt, absolutissima tum diligentia, tum custodia indigent, eosq; ita degere oportet, ut nihil præter oxymeli aquosum tāgant: sorbitionem autem non dabis, donec sese malum remiserit, & urinæ maturentur.

Ἀσώδεις febres appellat in quibus ægri ἀσωδῶσι, id est grauiter afficiuntur, atque implacide, molesteq; habent. Difficilis autem tolerantia atq; im-

placiditas,inquietatioq; sequitur interdum febrem immobilem & æstuosam,sæpius quoque & stomachi malitiam. Os autem uétriculi ita me dicentem audi. Incepit ergo à febribus ipsis ἀσωδέσι, id est graues & implacidas inquiens, & hypochondria contendentes,deinde ad febrientes ptransiit. Nam quod iacentes sese continere nõ possint,de febribus est dictum:ueluti & quod extrema refrigerãtur. Iacentes autem sese non continere,grauiter languentium,atque difficulter ferentium,implacidorumq; & inquietorum nota est: extrema autem frigere,magnæ uiscerum phlegmones, quæ ex crassis succis orta sit, ut antea demonstrauimus, cum de secunda causi specie ageremus. Quod si uehemens frigus fuerit,quod uirtus ualde imbecilla sit, iam tibi cõiectura est. Non immerito igitur ita languentes plurima tum custodia, tum diligentia indigere ait. Porrigunt autem & ipsis nõ absque causa oxymeli,utpote crassos, glutinososq; propter humores fatigatis. Adiecit autem sermoni aquosum,collatione illius,quod his exhiberi solet, in quorum pulmonibus tales continentur humores. Nam acrius longe in illis esse cõuenit, quod propter longam in distributione ad affectam partem delationem de necessitate soluatur uirtus:his uero tale hypochondrio incursat quale epotũ est. Nullo autem pacto sorbitionem ita habentibus dare prius quàm morbus ad maturitatem deductus fuerit,indistincte est pronunciatum:seruantibus nobis quod edocuit Hippocrates. Adiicièdũ sermoni,si æger suffecerit:qd' uti manifestũ forte prętermisit.

XLVIII.

IACERE autem in conclaui obscuro debent, & lecto ualde molli,diuq; positum eum sustinere,& quamminime sese proiicere & iactare. Nempe id tales maxime iuuat.

Nunc decubitum obscura in domo non tanquã maturatorium auxilium,sed tanquam difficilis tolerantiæ,inquietationisq;,quæ ob ἄσηνν,id est molestiam,angoremq; fit,correctorium uoluit. Gratia cuius & lecti mollis meminit. Tentare autẽ sese ipsum non proiicere,sed conquiescere, laboranti modo utroque commodat,tanquam & morbi totius concoctionem iuuans,& uirtutem ipsam conseruans.

XLIX.

HYPOCHONDRIVM autem lini semine illines,cauebisq; ne cum apponitur, frigescat: fit autem tepidum ex aqua & oleo coctum.

Mollit lini semen, idq; habet ut non manifeste calfaciat: quæ maxime expostulat phlegmone omnis. Et sanè tactu tale ipsum ostẽdit, quale & secundum uirtutem est,perquam tepidum ipsum adhibere præcipiens. Cæterum aquæ & olei mixtura tepidam generat caliditatem,mollitq; & mitigat, utpote moderatam habens facultatem. Cuius potissimum esse debent,ut demonstrauimus, quæ & maturant,& per halitum digerunt.

L.

CONIECTVRA autem colligere oportet ex urinis quidnam futurũ sit. Nempe crassiores pallidioresq;,meliores: tenuiores uero & nigriores,perniciosæ magis.

Non quicquid futurum ex urinis docet, sed uel salutem uel mortem. Salutem indicant crassiores & pallidiores. Crassiores autem dixit tenuibus & non naturalibus comparans,ut & paulo ante intelligere uoluit. Neque enim crassas, neque tenues, quę secundũ naturã habẽt dixeris,si recte uolueris interpretari. Porrò tenues& nigrę,deterrimę sunt.

A tenuibus siquidem solis, morbi cruditas indicatur. Nam quod exacte tenue est, id aquosum est, quapropter & album. Sed prænotiones ex urinis, in commentariis prognostici dictæ sunt.

LI.

SI AVTEM mutationes habent, tempus indicant, morbusq; de necessitate modo ad peius, modo ad melius permutat inæqualitatem.

Nempe si id & in laborantibus obseruaueris, uere hominem ex urinarum uarietate in longius decidere tempus reperies, atq; medias incurrere permutationes. Plures nanque significatur affectiones quæ non eadem egent curatione, neque æqualem habent solutionis præfinitionem.

LII.

INCONSTANTES febres donec constent finere oportet: ubi autem constiterunt, uictu & curatione conuenienti pugnabis, quod naturale est contemplatus.

Febres inconstantes dixit, in quibus nihil, κατάστατον, id est constans, quietumq; existit: quod significat τὸ βέβαιον, id est certum compertumq;. Sunt autem certa quæ in periodis & urinis apparet. Sed periodi principium non ostendunt primis diebus: urinæ uero superueniunt aliàs aliæ, & sæpenumero ter quaterq; interdiu & noctu meiere cõtingit: dissimilesq; inter se apparent urinæ. Formam ergo talis febris incõstantem esse ait, quod idem est perinde atque diceres, non exacte formam unam seruãtem. Exposui tibi exactas febrium formas, & in commentariis de febrium differẽtiis, & in secundo iudicationum libro. In huiusmodi itaq; febribus non in principio uictu uti præcipit: sed finere donec qualisnam sit febris cognoscamus, & tunc

uictus formam præfinire.

LIII.

SVNT autem facies ægrotantium multæ.

ὄψεις, id est facies dixit, quasi differentias, uel modos, uel species. Ægrotãtium uero, pro his qui ægrotantibus fiunt morbis. Nempe sæpius est demonstratum eam esse antiquis omnibus consuetudinem, ut à pathematis ad patientes, & à patientibus ad pathemata transferant appellationes, quasi febrium uel febriẽtium differentias dicere nihil referat. Sic & pleuriticorum uel angina laborãtium, aut pleuritidis uel anginæ. Facies ergo dixit laborantium, quoniam eos oculis contemplantes reperimus differentias.

LIIII.

QVO fit, ut animaduertere debeat medicus, ne quampiam manifestarum causarum ignoret.

Quod manifestas causas græce προφάσεις appellet, didicimus: & sanè nunc eam de his appellationem ferre constat. Infert igitur:

LV.

NEQVE eas quæ ad ratiocinationẽ spectant, neque quæ in numerum parem uel imparem apparere oportet.

Quasi causarum alias quidem manifestas absq; ratione artificiosa cognoscãt omnes, alias uero soli qui ratione artificiosa utuntur. His quoque & attendendum ait, quas in numerum parem uel imparem apparere oportet.

LVI.

MAXIME uero numerus impar est obseruandus. Nempe hi dies in hanc uel illam declinantes partem reddunt.

Dies impares multa pollere uirtute non ſimpliciter,ſed in acutis morbis eſt intelligendum,quod inſignes in utranque tum ſalutem,tum mortē,mutationes efficiant: id enim ſignificat uocabulum, quod græce ἐπερροπικὰς, id eſt huc & illuc declinantes dixit. In acutis quidem hi ſunt: tertius,quintus,ſeptimus,nonus,undecimus, decimusquartus, & decimuſſeptimus. In lōgis,ſexageſimus,& octogeſimus. Medii horū ſunt, uigeſimus, trigeſimus quartus,& quadrageſimus. Impares autem & hi.

LVII.

OBSERVARE autem oportet primū diem quo ęger parum ualere cœpit,principiumq; unde & quando inſpicere: exiſtimatur ſiquidem id ſcitum præcipuum. Cum autem ægrum interrogaueris,atque omnia fueris perſcrutatus, in primis quidem quonā habet caput modo, ſi dolore careat,nihilq; graue in ſe habeat: deinde ſi hypochondria latusq; dolore infeſtētur,ſi uidelicet hypochondrium laboret,uel attollatur,uel obliquitatem habeat,uel ſatietatem,aut latus doleat, ſimulq; cum dolore tuſſicula fuerit, uel tormina dolorue uentris: cum inquam horum quippiam hypochondrio aderit,potiſſimum uentrem clyſteris ſoluere oportet: bibat autem mulſam calidam,coctamq;. Ad hęc perdiſcendū,ſi cum exurgit,defectu animæ corripiatur, & ſi facile ſpiret. Inſpiciendum quoque utrumne deiectio nigra admodum colore fuerit,uel ſyncera,qualis ſanorum exiſtit,& ſi febris exacerbet die. Nempe in huiuſmodi morbis,tertianæ conſiderandæ ſunt exacerbationes: conſpicienda præterea & alia,& ſi quarta dies tertię quippiā ſimile attulerit. Nam tunc æger in periculo eſt. Quantum autem ad ſigna attinet,nigra deiectio mortem indicat. Quæ uero ſanæ ſimilis,cū omni die apparuerit,ſalutē.

Obſeruādā in primis ait primā eſſe diem,in qua morbi cām cognoſci iubet. Nempe hæc oratio, ἐξ ὅτου καὶ ὅτε, id eſt unde & quando, quiſnā ſit morbus indicat. Interrogari aūt prēcipit in primis quidem,quonā modo habet caput,mox hypochondria,deinde latus: hypochōdria quidē ſi dolor qſpiam afficiat,uel attollātur,uel quandā habent σκολιότητα, id eſt ἀνωμαλίαν, id eſt obliquitatē ſiue inæqualitatē: quod in prognoſtico hac dictū eſt ratione. Si inæqualiter affecta ſunt dextra ac ſiniſtra parte,uel ſi κοῦφον habēt inquit: quod ciborū repletionem eſſe arbitror. Interrogari quoq; & alia quę in dictione habētur,iubet. Deinde hypochondriis ita affectis,ſoluere aluū clyſteribus præcipit,mulſamq; bibere calidā & coctam. Sed indiſtincte hæc locutus deinceps ſcribit: Ad hęc perdiſcendum & cum exurgit,defectu animi corripiatur,et ſi,inquit, facile ſpiret,qđ defectu animi correpto opponitur. Cōſpiciendā prēterea iubet deiectionē,utrum ne nigra ſit,uel ſyncera & inculpata,qualis in ſanis eſſe uidetur,ueluti & ſi febris tertio exacerbet die. Et ſi his ita habētibus quarta dies tertiæ quippiam ſimile in accesſiōe attulerit,piculoſam eā eſſe aſſeuerās. Nempe quartā diē quæ ſeptimæ index eſt, rem nouā ædere ex grauibus eſt notis. Rei aūt nouæ æditio deſignatioq; patet omnibus. Nā ſi prima die & tertia fiat,& ſecūda facta haudquaq; fuerit,qđ quinta accesſionē habitura ſit par eſt,& non quarta. quapropter ſi quarta habuerit,mali cuiuſpiā alterius generationē demōſtrat. Si aūt & nigra deiecerit,mortē indicat fore. Tu aūt multa ex dictis prętermittēs memoriā rei huius habe. Nā ſi prima & tertia die ꝓportionalē attulerit acceſſionē febris, atq; nouiter quidem quarta paroxyſmū fecerit,ſed æger nigra deiecerit,ſignū eſt letiferū. Qđ ſi diebus oībus ſanis ſimilia deiecerit,ſalutē ęgro ſpera-

LVIII.

CVM autem uenter glandi non obedierit, spiritusq́; tum placidus, tũ quietus fuerit, surgensq́; æger in sedem, uel dum in lecto est animæ defectu corripiatur, si hæc uel mari, uel fœminæ inter initia fuerint, delirium fore expecta.

Confusa est dictionis huius intelligentia. Nempe ubi glans nihil profecerit, uideturq́; æger placidus, quietusq́; esse, si utique & cum exurgit defectu animæ corripitur, delirium expectandum: perperam dictum esse mihi uidetur, cum rei huic neq; experientia, neque ratio patrocinentur: quanquam tale quippiam aliquando fiat. Prænotiones tamen non eorum sunt quæ raro accidunt, sed eorũ quæ semper uel magna ex parte.

LIX.

MANVS quoque contemplari oportet: nam si tremulæ fuerint, huic sanguis è naribus ꝓfluet.

Sermo quoque hic, neque quod cõtinuum est, neque quod magna ex parte fit, sed quod raro accidit docet.

LX.

NARES quoq; inspiciendæ: nam si per utrãq; spiritus æqualiter trahatur, & si multus ex ipsis feratur, conuulsio fieri consueuit: † quæ si fiat, propinqua mors est, quam prędicere pulchrũ fuerit.

† In ant. cod. tam græ. q̃ lat. hæc non habẽtur.

Cum tremũt manus, nempe ita dicere expedit: si spiritus multus per utranque narem feratur, conuulsionem superuenire ait. Consueuit autem ita appellare conuulsificam affectionem, quæ in musculis naris pinnas mouentibus fit.

LXI.

SI in febre hiemali lingua aspera redditur, prehẽ

dantq́; animæ defectiones, huic tametsi febris remitti cõsueuit, in eo tamen qui per famem fit cruciatu, cõseruare ægrũ oportet, & aquæ, mulsæq́; potione, & ptisanæ cremore: neque febris quieti est fidendum. Nempe qui signa huiusmodi habent, his mortis periculum impẽdet. † Ergo cum hæc noueris, optimeq́; contemplatus fueris, ita prędicere pulchrum fuerit.

† Nõ sunt hæc in ãtiqs græ. cod. neq; in latinis.

Sunt qui febrem hiemalẽ simpliciter intelligant eam, quæ in hieme fit, alii eam quæ hiemi peculiaris sit. Ea autem ex pituita est, ueluti æstiua ex ipsa bile. Si ergo, inquit, in huiusmodi febre lingua aspera fuerit, atque animæ defectus, eam periculosam esse est fatendum: atque ob eam rem febriũ quieti fidendum non est, si cum prauis fiant tum symptomatis, tum signis, ueluti in præsentiarum cum animæ defectu & linguæ asperitate. Non negligenter itaque ait regendos ęgros, aquamq́; & mulsam, & ptisanæ cremorem exhibendum. Sed sanè hæc pugnare uidẽtur aduersus id quod fame cruciandos dixerit. Nã huiusmodi cruciatus qui græce λιμοκτονία dicitur, maxime quidem abstinentiam omnimodam significat: aut si nõ, saltem eam quæ in potibus solis fit uictus rationem. Sic sanè & mulsam, & ptisanæ cremorem dare permisit. Videtur ergo eos ob id fame cruciãdos dicere, quod qui remissiones huiusmodi quietissimas habent, longo ita tempore in his morentur, protrahantq́;, ut falsi circumuentiq́; nõnulli ualidiorem ministrauerint alimoniam, & potissimum ob animæ defectionem. Quo fit, ut ad uictum hunc is, qui per mulsam atq́; ptisanæ cremorem multis fit diebus, recte dictus sit ex fame cruciatus, uel inedia.

LXII.

CVM autem in febribus quinta die terrificum

quippiam fuerit, uel uenter repente liquida deiecerit, & animæ defectus prehenderit, uel uocis priuatio, uel conuellatur æger, uel singultiat, ex his angi grauiterq; atrici consueuit, sudoresq; circa tum mustacem, tum faciem, tum ceruicem ab occipitio esse consueuerunt. Qui autem hæc patiuntur spirituosi paulo post morientur.

Ex iis quæ per obseruationem empirice à me dicis scripta sunt, quædam talia existunt, ut, ex semel aut bis cõspectis modi uniuersalis adnotationem habeant, tanquam sæpenumero in eisdem & similiter cõsiderari possint. Tale autem quippiam & id est quod nunc dicitur. Nempe contemplatus ægrum quendam liquida quædam deiecisse, atq; animæ defectu prehẽsum, uocéq; priuatum, alium uero conuulsum, & postea uel ambos, uel alterum ἀσῶδη, id est fastidiis plenum, grauiterq; affectum, partesq; tum faciei, tum colli sudantes, deinde obiisse, hæc scripsit quod signorum empiricorum concursum existimaret. Sed sanè hæc possunt & stomachicam prægredi syncopen, fieriq; ualent & propter copiã oppressa uirtute, uel ea ipsa alio languente modo. Vnumquodque siquidem eorum quæ dicta sunt, per se malum est, nedum si sint cõuenientia omnia. Nempe ex repentinis deiectionibus deficere animam periculosum est, uelu ti & uoce priuari, & fastidiis, angoreq; plenũ esse: partibus uero, tum faciei, tum capitis duntaxat sudare, non bonum. Quo igitur modo hæc, tum multa, tum mala existunt: sic & alia quæ in prognostico scripta sunt. Potestq; quispiam hæc inter se cõnectens uideri nouum quippiam docere, quod si & dictionem obscurã, ambiguamq; ueluti ænigma sermoni miscuerit, iam plebeiis & ex ea sapien-

tior esse uidebitur. Admirantur siquidem plebeii, quæ non intelligunt. Viro autem qui superuenientia symptomata ab eorum quæ morbum indicant concursu distinguere nouit, sermo is uarius quidem deprehendetur, sed inutilis. Nempe pathognomonica syndrome, ita enim Græci symptomatum ægritudinem indicantium concursum uocant, morbi speciem demonstrat. Superuenientia uero symptomata mansuetudinem ipsius & malitiam. Eumq; qui singulorum horum symptomatum uires didicit, quæ apparent, tum æstimare, tum inter se comparare oportet. Et si quidem tum fortiora, tum plura uidentur quàm bona mala, hominem in periculo esse est scien-
dum. Verum si bona malis & fortiora, & plura fuerint, de ægro bene sperandum: quod te facere iubet & ipse Hippocrates. Nempe in prognostico singulorum tum symptomatum, tum signorum uires particulatim docuit, atque circa libri finem ita ait: Oportet autem eum qui recte
» sit tum conualituros, tum morituros prædictu-
» rus, præterea & in quibus ægritudo pluribus
» diebus, & in quibus paucioribus permansura sit,
» signa omnia perdiscere, atque æstimatis eorum
» inter se uiribus, ut scriptum est, ferre senten-
» tiam. Signorum autem uires æstimari præcipit,
atque ex ipsis prænoscere quidnam futurum sit.
Vbi ergo bona malis permixta fuerint, uiribus
quodam modo paria æquaq;, exercitato est
opus uiro, qui in operibus ea sæpenumero fuerit
contemplatus. Vbi uero omnia uel mala, ut nunc,
fuerint, uel bona, cuiuis patet quod futurum sit.
Cum enim deiiciente aluo deficere animã signum
per se malum sit, pari modo & malum uocis priua
tio. Si præterea æger neruorum distentione confli
ctetur, uel singultiat, uel fastidiis refertus sit, mani-

festius indicabit periculum. Si præter hęc & aliud quodpiam malum superuenerit signum, ut circa faciem, cerui cemq; sudores, atque adhuc quæ nunc à scriptore huius libri dicũtur, nullo quod bonum sit malis permixto signo, quod talis de necesitate ex signorum malorum aceruatione morietur, non tum euadit. A dictum autem in fine dictionis πνευματωθεν'τες, ideſt spirituosi facti, tanquã ænigma, ceu quippiam eorum quæ de necesitate fore non reclamant, quicquid significet, siue spirituũ copiam quibus uenter inflari possit, siue magnã & frequentem respirationem: quam sanè his quas comitatur affectionibus haud quaquam bonã esse didicimus, ueluti & eam quæ uętris est. Quapropter uestiganda alia signa non sunt, his de necesitate antegredientibus. Nondum enim ex his ueluti ex nonnullis quæ casu eueniunt, futurorum † secura quędam fit præno tio.

† ἀσαφὴς .i. obscura, alicubi legitur.

LXIII.

QVIBVS per febres crura tuberculis afficiuntur, eaq; tractu temporis manente etiamnum febre non maturuerint, faucibusq; haud quaquam tumentibus irrepserit suffocatio, non maturuerint inquam, sed * extincta sint, iis sanguis è naribus fluere consueuit. qui si multus fluxerit, morbi solutionem portendit: si non multus, morbi prolixitatem. Quare quo minus fluxerit, eo deterius & prolixius erit malũ. Quod si & alia facilia fuerint, pedum dolores sunt expectãdi: qui si pedem affecerint, & doloros us perseueret, inflãmeturq;, & non leuetur, dolores post paulo ad cerui cem perueni ent, clauiculamq;, & pectus, & articulum. Nempe & hic tuberculosus fieri debet. Quibus extinctis, si manus uel contrahantur, uel tremulæ fiant, talem neruorum distentio prehendit, & desipientia: superciliis oriũtur quę φλυζακίδα uocant: ruboresq;

* In ant. cod. legitur μὴ δὲ σβεσθῆ. i. neq; extincta sint.

ruboresq; ægrum habent, & ex palpebris altera ad alteram germinat: dura prehendit phlegmone, tumet uehementer oculus, & delirium ualde crescit, intenditurq;, atque noctu magis quàm interdiu indicatur. Signorum autem multa fiunt in numero impari magis quàm pari. Vtro tamen horum fiant, pernicios i superueniunt.

Qui librum hunc confecit, is hæc omnia quæ dicta sunt, deinceps inter se contemplatus uniuersalem quendam particulari ex obseruatione sermonem temere fecisse mihi uidetur. Melius siquidem erat, si quo Hippocrates modo in epidemiis morbis scribere consueuit, is ita fecisset: præfatus quidem ab initio patientis nomen, deinde dies in quibus singula facta sint, narratione affectus, ut & in ipsis quæ nunc dicta sunt symptomatis facere potuit. Nempe in cuiuspiam cruribus orta sint tuberacula, eaq; non recipiant maturitatem: febriat quoque is, & suffocationem incurrens ab his liber sit tuberculis: existimabit profecto quis sursum factã humorum qui crus infestabant transmutationem, quæ in horum transitu suffocationem homini peperit. Si ergo talis euasurus est, profluere per nares sanguis poterit: qui si multus fuerit, morbum soluit: si nõ, protrahetur ægritudo. Et si reliqua bene fiant, succedantq;, rursum ad pedes decumbere huic dolor poterit. Quod ita factum esse statuatur, ueluti ex his hominem πυριφλεγῆ factum esse, quod caliditatem multam circa pedem manifestare consueuit, uel febrem multam igneamq; & fiagrantem. Et si post hæc non soluta fuerint † symptomata, reuersa iterum ad superiores partes humorum copia, dolores pariet in collo, clauicula, humero & pectore. Vt autem huic omnia hæc absque ratione contingerunt, nempe id extincta esse

† τὸ νόσημα habẽt ant. cod. .i. morbus

fuit)ita manus tremulas factas esse statuatur:deinde neruorum distentionem,quod ad neruosas partes decubuerit humorum copia,principiumq; ipsorum prehenderit, unde insania, subsequutam esse.Contemplatus igitur author quendam ex his qui ita affecti sunt,φλυκταίνας in superciliis habentem(nempe id significant φλυζάκια)omnibus ita habentibus futurum symptoma hoc temere pronunciauit. Idemq; de his quæ continuata serie scripta sunt,sermo existit. Nempe quod uni ita affectorum uel duobus factum est,id ad omnes extendens,ait & ipsos rubores habere, & ex palpebris alteram ad alteram germinare,duram quoque fieri phlegmonem,& uehementer tumere oculos. Quorum cęteris quidem cuiuis patent:sed ex palpebris alteram ad alteram germinare est ambiguum,utrum ne significare uoluerit,quandam ex parte earum exurgentem consertionem,uel carnosam quandam generationem,ab altera quidem enascentem,sed ad alteram sese extendentem. At uero si rei huius quo pacto inuentio quippiam utilitatis afferret,de ea amplior,fusiorq; foret scrutatio.

LXIIII.

HOS SI ab initio purgare uolueris,id ante diem quintum facito,ubi uenter murmurauerit:si non, à medicamentis abstineto. Verum si murmuruerit, fuerintq; excrementa biliosa, scammonia mediocriter purgato: quantum uero ad aliam pertinet sanationem, quamminime exhibebis tum potus,tum sorbitiones,ut melius æger habeat,nisi decimamquartam fuerit egressus.

Sanationem prædictæ concursionis scribit,quam nominatim perstringere mihi, ut dixi,non placet, cum etiam & sanatio nihil commune habeat præter ea quæ sæpius ante sunt enarrata. Ait siquidem

considerandam aluum:quam per murmurationes cognitam,purgandam esse præcipit:& si biliosa deorsum repant,scammoniam biliosa expurgantem exhibet. Quod uero ad reliquum sanationis attinet, sorbitiones perquam exiguas ministrari præcipit,quousque decimumquartum pertransierint diem:qua oratione morbum ante decimumquartum diem coqui non posse significatur.

LXV.

CVM FEBRICITANTI decimoquarto die uox intercepta fuerit, tantũ abest ut morbus celeriter tum solui, tum discedere consueuerit,ut etiam diuturnitas ipsi indicetur. Cum ergo in eo die apparuerit uocis interceptio, morbus protrahitur.

Dictio hæc his superfluit,qui mala symptomata maiori prædita esse facultate didicerunt, cum in diebus iudicatoriis apparent. Nempe qui librum hunc scripsit, nunc in re una,quæ decimoquarto diei est particularis,hoc est ulus uniuersali. Nempe ut diebus cæteris iudicatoriis, sic & decimaquarta,si malum aliquod symptoma apparuerit, id maiorem habet efficaciam. Adnotare autem oportet quod futurum est,neque simpliciter,neque ut res tulerit,sed cum definitione. Nam si ex signis bonis,quæ maiorem habent efficaciam laboranti adfuerint,longiori tempore saluari æger poterit. At si nullum tale fuerit, morietur, nequeunte morbi concoctioni satisfacere uirtute. Qui igitur hæc scripsit, prolixiorem omnino fore morbum male pronunciauit. Nempe & is cito mori potest,cui uox decimoquarto die interrupta est, si cum sæuis aliis notis factum fuerit hoc symptoma.

LXVI.

CVM FEBRIENTIS lingua quarto die turbata quædam loquitur, uenterq́; liquida biliosa deiicit, talis delirare cõsueuit. † Sed obseruare oportet quod euenientibus succedit.

† Hæc in ant. non habentur

Id quoque & in alio quodam die apparet: uerum si quarto apparuerit, in primis periculosiorẽ septimum fore demonstrat, id est, quæ illo die futura sunt.

LXVII.

IN ACVTIS morbis quæ æstate & autumno fit repentina sanguinis destillatio, robur, multãq́; in uenis inflammationem significat. Itemq́; quod postero die urina tenuis apparebit. Et si æger ætate floruerit, fueritq́; corpore ob exercitationes bene carnoso uel melancholico ex potatione manus tremulæ fuerint, delirium uel conuulsionem prædicere bene est.

Dictio quoque hæc symptomatum multorum quæ non in ægro omni coeunt, conueniuntq́;, implicationem, permixtionemq́; habet: quo fit, ut & inutilia sint, quæ ad hunc scribuntur modum, cum doctrina ab uniuersalibus recipiat commoditatẽ, quo Hippocrates modo facere consueuit. Dictum autem est uniuersalium † quędam perpetuam quãdam habere uirtutem, usumq́;, alia uero ut plurimum. ⸸ Quod si anceps quippiã uel rarum fuerit id ad doctrinam inutile censetur. Quæ igitur recẽsuit, particulatim contemplemur: atque ante omnia, quod primo est dictum: In acutis morbis, quę æstate & autumno fit repentina sanguinis destillatio, robur, & multam in uenis inflammationem indicat. Melius siquidem erat quod robur uenas curatione egere indicaret, pronunciare. Nouimus

† Quæ perpetua quidẽ sunt, prima sũt uirtute & utilitate: quæ uero ut plurimum, secundum locum habent. Sic Gal. græ. ait.

enim quod sanguinis è naribus stillationes malũ semper quippiam esse ait, propterea quod natura quidem cõcupiat quod superfluum est excernere, sed ob propriam imbecillitatem nequeat, uel sanguinis crassitiem, uel partium densitatẽ, uel quædam ex his, uel propter omnium concursum. Cũ autem malum semper hoc signũ sit, magisq́; quod primis tum æstatis, tum autumni temporibus uirtutem ipsius intendi contingit (nempe in eis diebus flaua redundat bilis, ambiensq́; nos aer calidus est: quo fit, ut sanguinem utranque ob causam, bene fluẽtem esse oportea) magnitudo quædam causæ indicatur, propter quam fluere inhibetur, quam robur esse ait, forte dẽsitatem ita appellans. Quod porrò ita affecti uenarum curatione egeant nondum ostendit, prius quàm astruat quamnam dicat curationem, nec tamen dixit. Prædictionem præterea primam dixit, quod scilicet postero die urina tenuis apparebit, non solo eo die de necessitate crudis apparentibus, uerum quoque & aliis præcedentibus. Conuulsionem quoque & desipientiam fore ait, si laborans ætate floruerit. Præterea & exercitati, & bonæ ipsius carnositatis meminit, & temperamenti. Nempe melancholicus, nomen est temperamenti. Huc adde quod ex potatione eum manus habere tremulas ait. Hæc sanè symptomata possunt inter se complicari permisceriq́;, non tamen de necessitate: quibus magna ex parte succedent desipientia & conuulsio.

LXVIII.

ET SI PARIBVS quidem diebus superuenerint, melius: in iudicatione autem perniciosum, nisi multus abunde effusus sanguis uiam redundantiæ fecerit, uel per nares, uel per sedem, uel per abscessus, uel commutationes, uel ad hypochõdriorum dolores, uel ad testes, uel ad crura.

Coctis autem his, uiæ patent ſputis, urinæq; excernuntur craſſæ, læues & albæ.

Gemina eſt ſcriptio in hoc uerbo ἐπιγίνεσθαι, id eſt ſuperuenire: una quidem ſcripta per τ, elementum tertia ſyllaba, altera per γ. Verũ ſiue per priorem ſcriptionẽ ægros diebus paribus ἐπιτελεῖσθαι id eſt intendi dixerit, ſiue ſecundum poſteriorem prædicta ſymptomata diebus paribus ἐπιγίνεσθαι, id eſt ſuperuenire affirmauerit, non continuo exiſtit & melius, quanquam id dixit. Neque enim ſi pares fuerint, intueri oportet, ſed ſi & iudicatorii. Nempe quartam, quæ par eſt, & ipſe ex ordine paulo ante maximam habere facultatem aſſeruit. Cæterum quod deinceps dicitur, uerum exiſtit. Nam ſi ſanguis multus, quouis modo id fiat, excretus fuerit, ſalutis ſpem habet. Præterea & per abſceſſum ipſos, & per cõmutationem ſeruari ait: abſceſſum quidem ferè ſua peculiari appellatione declarans. Sed commutationem cum ait, ad hypochondriorum dolores, uel ad teſtes, uel ad crura. Differunt autem inter ſe, quod ἀπόστασις, id eſt abſceſſus iudicationem infert, ægrumq; à moleſtiis omnibus liberat: μετάστασις autem, id eſt commutatio, aliarum habet principium acceſſionũ, offenſionumq;, ut & aliud exigat tempus ad coctionem mali corporis locus, ad quem infeſtantium humorum facta ſit commutatio. Eam ob cauſam adiecit: Coctis autem his, permeationes fiunt ſputis, uel craſſis urinis læuibus & albis. ſigna coctæ commutationis edocens excoctis tum ſputis, tum urinis.

LXIX.

FEBRI SINGVLTVOSÆ laſerpitii ſuccum, oxymeli, daucum tritũ, propina: galbanumq; ex melle, & cyminum in eclegmate, ſorbendumq;

ptiſanæ cremorem dato. Talis autem euadere non poteſt, niſi ſudores ſuperuenerint iudicatorii, & ſomni æquales, urinæq; exierint craſſæ & acres, aut in abſceſſum confirmetur morbus.

Λύγγας & Λυγγῶδες, id eſt ſingultus apellata cõſueuerunt. Sunt autem motiones quædam ſtomachi conuulſificæ, quas quidem fieri aiunt propter immoderatam uel inanitionem, uel repletionem. Quæ ſi propter inanitionem fiant, fere ſanationem non recipiunt: ſi uero ob repletionem fuerint, ab his quæ infarcta ſecant, abſterguntq; ſanantur medicamentis. Quo è numero ſunt, quæ hoc in loco ſcripta ſunt. Videtur autem & nũc morſus is fieri propter acrimoniam ſtomachum mordentem, ut cum quiſpiam piperis plus, uel ſimile quippiam deuorauerit. Et ſanè fuerunt ex febrientibus, qui in ſingultu rodentem, acerrimumq; uomuerunt humorem: à quo tandem ſymptomate ſunt liberati. Verum febris huiuſmodi nequaquam ſingultuoſa appellatur. Nempe ut ſingultuoſa uocietur, permanere amplius debet ſingultus, uel etiã per totum morbum ſimul cum febre exacerbare: febrem hanc per ſudores iudicatorios, ſomnosq; æquales, uacuatasq; urinas, tum craſſas, tum acres ſanari ait: talibus quidem uel excretis, uel in abſceſſum confirmatis.

LXX.

COCCALVS, ID EST nux pinea, & myrrha in eclegmate exhibeantur, bibantq; oxymelitis per quam exiguum.

Scriptum quoque & inordinate hoc eſt. Commodius ſiquidem feciſſet, ſi paulo ante in ea orationis parte, qua eos ſanauit, quibus tum thorax, tũ pulmo p ſputa expurgari debẽt, id ſcripſiſſet, &

non febri ſingultuoſę adieciſſet. Et ſanè quod dicitur obſcurum eſt & claritate deſtitutum. Nempe κόκκαλος ab ipſo dictus, nõ ita, ſed κῶνος magis ab antiqs Græcis appellitatur, ueluti à recentioribus medicis propemodum omnibus στρόβιλος. Conſueuit autem ex eo eclegma conficere, ubi maxime pinguis fuerit, id eſt ubi multam circunfuſam habuerit quæ peculiaris ſit reſinam. Coquunt autem fructum hunc in aqua cum praſſio recenti, mox decocto mellis exiguum miſcent, coquuntq; iterum donec mellis accipiat craſſitudinem: quo ad hunc modum confecto medicamento, utimur ad thoracis, pulmonisq; expuitiones. Quo autem modo & alia quædam medicamento huic ſæpius immittunt, ita & authorem libri huius myrrham immittere ueriſimile eſt, quod poſtea uelut compendio manifeſtauit inquiens: Coccalus & myrrha in eclegmate exhibeantur. Poteſt autem & ipſos qui eduntur conos cum myrrha exhibere, atque huic fortaſſe mel nõ perperam medicamento miſceri intellexerimus. Sunt qui dictionem hanc, ab ante ſcripta ſeparant, ſeorſumq; ſcribunt: alii finem ante ſcriptæ, principium huius efficiunt, hoc pacto: Si autem abſceſſus confirmentur, coccalus & myrrha in eclegmate exhibeantur. ut morbis in abſceſſum confirmatis, ea medicamentum eſſe intelligamus: quod à ratione alienum cenſeo, propter id quod ita infertur: Bibantq; oxymelitis perquam exiguum. Nempe in ſingultuoſa febre formidandũ acetum præcipit ratio: in his uero quæ in abſceſſum confirmantur, nequaquam. Eam ob cauſam ſunt qui dictionem hanc quadãtenus quidem antea ſcriptæ coniungant, copulentq;: ſed quadantenus ſeparant, atque adiecta coniunctione autem, ita ſcribunt: Si autẽ in abſceſſum firmetur morbus. tanquã de ſingultuoſa antedicta febre id

dictum ſit: uolente authore ſi in abſceſſum aliquãdo firmari contigerit ſingultuoſam febrem, coccalum cum myrrha exhibere, & copioſam oxymelitis uitare potionem. Syllaba autem ultima uerbi huius στηρίζη, id eſt firmetur, ſiue per, ζ, literam ſcribatur, ſiue per, ξ, nullam quæ inſignis ſit facit ſermonis mutationem.

LXXI.

QVOD SI ſupra modum ſiticuloſi fuerint, bibant aquam hordei.

Quod potum hunc tanquam ſitim adimentem exhibeat, eſt manifeſtum. Sed melius feciſſet, ſi prius, quonam pacto parare hordeum oporteat, enunciaſſet: utrum ne ſimpliciter madefacere, uel ex eo zythum ut huius temporis homines cõficere, uel quouis alio parare modo.

LXXII.

IN PERIPNEVMONIIS & pleuritide ita conſiderare oportet: Si febris acuta fuerit, ſi dolores lateris, uel alterum, uel utrunque infeſtent, & ſi æger in ea quæ ſurſum fit ſpiritus latione laboret, tuſſesq; adſint, & ſputa educantur, rufa uel liuida, uel & tenuia, & ſpumoſa, & florida, & ſi quippiam aliud diſcrepans, præter ea quæ didicimus.

Pleuritidis, peripneumoniæq;, tum magna, tum effatu digna quidem omnia in legitima libri huius parte ſunt definita, diſtinctaq;: ſed quæ medicis omnibus patent, ea ſunt prætermiſſa. Talia autem ſunt quæ impræſentiarum ab authore ſcribuntur. et primum quidem à ueteribus empiricis appellata ſyndrome, quam ueteres affectibus conſidentia ſymptomata appellabant: ſi uidelicet febris acuta, dolorq; lateris uel alterius uel utriuſq;,

& potisſimum qui in expiratione fit. Nempe id eſt, Et ſi æger in ea quæ ſurſum fit ſpiritus latione laboret, tuſſes adſint, & ſputa educantur, rufa uel liuida, & tenuia, & ſpumoſa, & florida, & quouis alter modo præter ſolitum euariantia. Nempe hoc ſignificat, inquiens: Et ſi quippiam aliud diſcrepás habent, præter ea quæ didicimus. Quæ omnia pleuriticis, peripneumonicisq; oſtendi ait, ſi contingant. Sed hoc ita regere expedit.

LXXIII.

SI DOLOR ſurſum penetrauerit, uel clauiculã, uel mammã, uel brachium, uenam brachii internam ſecare oportet qua dolor afficit parte.

Rurſus & in præſenti loco partis legitimæ ſententiam elaborat: quoniam in ea prætermiſſum eſt quod ſimul cum dictis intelligitur: adiicitq; illud, uenam ſcilicet ſecandam recto à latere dolente tramite: quod expoſuit inquiens: Venam brachii internam ſecare oportet qua dolor afficit parte. ſed manifeſta uſus breuitate, orationem negligentius percurrit. Nam uenam cubiti dicere debuit, cum uenam brachii dixit.

καὶ ἐνδὶ ἰῶν πλευρ. ὀγάσ πλευ σῶν.

LXXIIII.

SANGVINEMQVE auferes pro corporis habitu, anni tempore, ætate, & colore: ampliusq; non ueritus, ſi dolor acutus fuerit, ad animi uſque defectionem detrahes.

Rurſus hoc in loco plus quàm mediocriter ſcopos detractionis ſanguinis omnes recenſere conatus, quoſdam ſilentio præteriit. Neque enim uirtutis meminit, neque ſanguinis mutationis, nec uero regionis, nec temperamenti. Plus autem auferre, atque ad animæ uſque defectionem id audacter agere præcipiens, deliquit ſanè in

Phlebotomiæ ſcopi.

dictione quum adiecit, quam ob cauſam audere conueniat. Nempe quod dolor acutus ſit, plus quidem ſanguinis uacuamus: ſed fluere ſinimus, non quia acutus ſit, ſed ob alia, utpote ſi uirtus robuſta fuerit, flouerit ætas, ſanguis abundauerit, & laborantis natura tum denſior, tum durior, atque ægre magis perſpirabilis, & ſanguinis copioſi fuerit. Anni etiam tempus, & temperamentum eucraton: ſic ſanè & regio. Nempe quod ad animæ uſque defectionem ſanguinem auferre non uereamur, nobis ex his accidit.

Sanguis mittẽdi ratio ad animæ uſque defectionẽ.

LXXV.

CLYSTEREM poſtea exhibebis.

A ſanguinis miſſione clyſterem exhibere iubet. Sed melius erat adieciſſe Hippocratis definitionem, ſi non ſponte probe deiecerit aluus.

LXXVI.

SI DOLOR ſub thorace fuerit, ualdeq; infeſtauerit, pleuritico uentrem ſubpurgabis, nihilq; dum purgabitur dabis: à purgatione autem oxymeli. Veruntamen purgans medicamentum quarto die miniſtrabis, † tribusq; primis diebus clyſteres exhibebis: quibus ſi non leuetur, ad hunc purgabis modum. Cuſtodies deinde ægrum, donec ad febris priuationem & ſeptimum peruenerit diem: qui ſi in tuto eſſe uideatur, in primis exiguum, tenuemq; cremorem, eumq; melle conditum dabis: ſi uero facile reuocatur, & facile ſpirat, lateraq; non doleant, ſenſim craſſiorem, copioſiorem q;, & bis die miniſtrabis.

Hæc cod. ant. non habent nec græ. nec lati.

Pleuriticum nominauit, id quod ab Hippocrate in legitima libri huius parte eſt dictum: ubi

ita habentes pleuriticos purgat: facit autem id duobus modis. Quarto uero die medicandum indiſtincte pronunciauit. Neque enim inter morbi initia aliquod remediorum huiuſmodi ægro iniungere oportet, deſumpto à numero dierum ſcopo. ſed quod Hippocrates recenſuit, eſt exequendum. Nam uel ſtatim ab initio prius quàm in partem aliquam confirmentur humores mediocandum, uel poſtea cum ad maturitatem perducti fuerint. Quam ob cauſam & prima interdum die, & ſecunda, & quarta, & interdum quinta, medicamenta dedimus, & non in quarta ſolum, quo modo is dixit.

LXXVII.

QVOD SI non facile reuocari uideatur, potionis minus, ſorbitionem exiguam, cremoremq; tenuem, & ſemel exhibebis: atque eo quo melius degit tempore, quod ex urinis deprehendes.† Nempe in iſtiuſcemodi morbis ſorbitio ante urinarum, ſputorumq; concoctionem, danda non eſt. Quod ſi purgatus multa deiecerit, dare oportet, minus tamen & tenuius. Non enim ob uacuationem dormire, neque concoquere poterit ſimiliter, neque iudicationes ſuſtinere. Verum ubi crudorum colliquatio facta fuerit, & quæ renituntur reiecta, nihil obſtabit.

† His etiã carent cod. ant.

De particulari cibi exhibendi tempore agens Hippocrates, & libri huius author in iis q̃ ſupra ſcripta ſunt, eam quæ tum in thorace, tum in pediibus eſt caliditatem animaduertendam eſſe uoluerũt. Nempe urinarum conſideratio ad uniuerſalem uictus formam, non ad particularem commoda eſſe uidetur. Quo fit, ut non recte hoc in loco cremorem tenuem ſemel exhibendum eo quo melius degit tempore, deprehendumq; ex urinis.

Nempe tametſi breuiſſimam in particularibus accęſſionibus ad melius inclinationẽ urinæ habuerint, tempus tamen huiuſmodi non uſqueadeo protrahitur, ut has recondamus, expectemusq; utrum nebulas uel ſublimes, uel ſubſidentes habuerint. Hæc ſiquidem non in pauco fiunt tempore. Atqui in acutis morbis interdum ægri in declinationis principio de necesſitate ſunt alendi.

LXXVIII.

COCTA AVTEM ſunt ſputa, cum puri ſimilia fuerint. Vrinæ autem, cum hypoſtaſes erui modo ſubrubras habuerint. Cęteris autem laterum doloribus tepefactoria apponere & ceromata, nihil uetat: cruraq; & lumbos calido inungere, & pinguedine illinire, hypochondriis quoque aduſque mammas ex lini ſemine cataplaſma imponere. Vbi autem peripneumonia ad ſtatum peruenerit, quãdo non repurgantur, auxilium non habet, & mala eſt, ſi laborans ægre ſpirauerit, fuerintq; urinæ tenues, & acres, atque ſi ſudores circa ceruicem caputq; oriantur. Nempe ſudores huiuſmodi mali ſunt, uincente ob æſtum impetumq; & uiolentiã ægritudine, niſi urinæ & craſſæ prodierint, & concocta exierint ſputa. Vtrum autem ex his ſponte euenerit, ſoluit morbum.

Neq; authorem hunc de coctis urinis ſupra ad hunc ſcripſiſſe modum recordor, neque Hippocratem aliter aſſerere, quã quod urina optima ſit, quæ ſedimentum habet tum album, tum lęue, tum æquale. Cætera quæ de peripneumonicis, pleuriticisq; in orationis textura narrantur, conſpicua ſunt, tũ ubi libri huius author ab Hippocratis recedit ſententia, tum ubi maxime, uel prorſus, uel aliqua ex parte huic annuit & conſentit.

LXXIX.

PERIPNEVMONIÆ eclicton seu eclegma. Galbanum & nucleum pineum ex melle attico dabis, uel abrotonum ex oxymelite. Piper quoque & nigrum helleborū ubi feruefecerīs, pleuritico etiam circa initia dolenti, bibendum offeres. Quod si panacem ex oxymelite feruefactam, percolatamq; propinaueris, bene facies. Prodesit autem & hæc hepaticis, aut ex septi transuersi dolore affectis, atque his omnibus qui aut per alium, aut per urinas expelli desiderant, ex uino & melle. Verum quæ uentri expurgando exhibiturus sis, ea cum mulsa aquosa, & multa propinabis.

Medicamentum primum secundumq; sputa educunt. Sed quod ex elleboro nigro conficitur, uentrem subducit. Quod uero ex panace est, quibus dam utile sit, recensuit.

LXXX.

DYSENTERIA quæ cessauit, abscessum uel tuberculum aliquod pariet, nisi desierit, uel in febres, uel sudores, apparuerintq; urinæ crassæ, & albæ, & læues, uel in tertianas, uel in uarices, aut dolor in testiculum uel crura, uel coxam firmetur.

Sermo quoque præsens sine definitone & distinctione est prolatus: quod neque qualem dicat dysenteriam demōstrauerit, quod neq; omnis quę cessauerit, hæc inferat.

LXXXI.

IN BILIOSA febre morbus regius cum rigore ante septimum diem enatus, morbum soluit: si uero absque rigore præter occasionem superuenerit, pestiferum.

Neque proculdubio ante septimum diem cum rigore enatus morbus regius febrem soluit, neque post septimum. Sed sanè ita distinguere oportet. Febrientibus morbus regius superuenit, interdum quidem tanquam affectionis hepatis symptoma: interdum quoque & natura bilem per cutim excernere contendente, sed nequeunte: ueluti in abscessibus omnibus fieri consueuit. Verum in aphorismis de huiusmodi morbis regiis est enunciatum.

LXXXII.

LVMBORVM tetanus, atque in melancholicis per uenas spirituum interceptiones cum fuerint, sanguinis detractione soluuntur.

Cum inquit propter melancholicum sanguinē in uenis redundantem spirituum interceptiones fiunt, sanguinis missio soluit: si interceptionem dicit spirituum qui in arteriis sunt (nam & arterias, antiqui uenas appellabant) quænam alia fuerit quàm pulsus carentia, priuatioq;? Græcis ἀσφυξία dicitur. Si uero eorum qui in pulmone sunt spirituum, interceptionem dicit, rursum & appellatam apnœam, quasi non respirationem dixeris, obscure insinuabit. Potest quoque sanguinis tum copia, tum crassitudo non arterias modo inflare ut permeare non possit, uerum quoq; & proprie appellatas uenas.

CVM AVTEM ob tendines uehementer in anteriorem reuelluntur partem, sudoresq; circa ceruicem, faciemq; oriūtur, morsis ob laborem, arescentibusq; his qui ad ῥαχιν, id est caudam uergunt tendinibus: crassissimi hi spinam continuant, qua † maximæ enatæ copulæ ad pedes usq; fituntur: is si neq; febris, neq; somnus super-

† Antiqui cod. habēt ἢ μέσοι. i. uel mediænō autē μέγιστοι.

uenerint, fuerintq; sequutæ coctionem habentes urinæ, sudoresq; iudicatorii, uinum creticum uinosum bibat, edatq; polentam coctam. Cerato quoque perungatur, & crura ad pedes usque calidis in pelui madefacta, super impositio uelamine contegantur, brachia item ad digitos usque inuoluantur. Spinam præterea à ceruice ad coxam usque molli pelle, quæ pinguedine & cera illita sit, uelabis ita, ut anteriora etiam contineantur. Intermissisq; quæ per utriculos fiant fomentis, calida perfundes aqua, linteo obuolues, & in conclaui cubare ægrum facies. Ventrem autem ipsum non admodum solueris nisi balano, si longo iam tempore se continuerit, idq; si bene tibi processerit: sin autem, †modi radicem in uino odorato tritam & daucum mane ieiuno prius quàm madefeceris, propina. Post hæc cito farinam coctam tepidam uoret plurimam, uinumq; cum uoluerit, bene temperatum superbibat, idq; si ad melius tibi processerit: si non, prædicere te oportet.

†Aliter moleos.

Sermo quoque hic indistincte & indiscrete est prolatus, præter id quod & nomina quædam improprie scripta sunt. Nempe ob laborem mordere tendines, improprie est dictum: uerbo hoc mordere acribus humoribus, & non doloribus quadrante. Præterea & quod in principio dictionis dicitur: Vehementer in anteriorem reuellũtur partem. Deinde ait: Arescentibus qui ad ὀρχίον, id est caudam uergunt tendinibus, qui crasiores spinam continuant. Eos qui usque ad caudam protenduntur ita uocans. Appellãt aũt ὀρχίον, ossis extremũ. Qđ si partẽ utranq; tẽdi manifestare uoluerit, atq; tum in scapulas, tum in pectus tetanũ intendi, fieri sanè potest, quo modo paulo ante dixit: Tetani

lumborum. Non tuto autẽ morbi facilitatem ex urinaꝝ cõcoctione prænoscit. Nẽpe tametsi febris cruditates p urinas manifeste indicẽtur, morborũ tamen musculos infestantium, haudquaquam securа est per urinas significatio, † immo exigua. Vinum autem his indiscrete exhibere utrum ne ob frigiditatem passus æger fuerit, an aliã ob causam, non exiguum est delictum: immo petulans potius immodestumq;. Absque item ratione dictum est uentrem soluendum non esse, nisi balano. Nempe in huiusmodi morbis commode interdum soluitur. Cætera dictionis manifesta sunt.

† Sed id exiguum est, dicit ipse græ.

LXXXIIII.

MORBI omnes soluuntur uel per os, uel per aluum, * uel per ueficam, uel per aliam quæ talis sit, partem: sudor autem morbis omnibus est communis.

* Nõ reperiũtur hæc in ãtiquis

Sermo hic, neque uniuersalis est, neque communiter inest omnibus: neque enim per hæc solum morbi soluuntur, uerum quoque & per uterum, & per sanguinis è naribus eruptionem.

LXXXV.

QVIBVS à capite fluxio est, his helleborum dare oportet.

Helleborum dare omnibus, quibus à capite fluxio est, non est necesse. Nempe interdum capiti soli prouidere consueuimus.

LXXXVI.

QVICVNQVE propter abscessum uel phleborrhagian, uel incontinentiam, uel aliam quampiam fortem causam suppurantur, his ne helleborum dederis, neque etenim proderit: & si quippiam afficiatur æger, fecisse id uidebitur helleborus. Si uero corpus dissoluatur, uel caput

doleat,uel oppleantur aures,uel nares, uel sputum,uel genuum grauitas afficiat,uel corpus præter solitum tumeat: quodcunque horum contigerit,dabis: modo hæc neque ob potum fiant,neq; ob ueneres,neque ob tristitiã,neque ob uigilias. Si enim quippiã horum causam fecerit,ad id curationem dirigere oportet.

Phleborrhagian, uenarum ruptionem dicit. Quod autem neque ex huiusmodi causa suppuratis,neque his qui propter abscessum,neque ob causam aliam afficiuntur, dare elleborum oporteat, nemo ignorat. Sed qui ob incontinentiam, intemperantiamq; suppurantur,perperam in hoc recensentur catalogo. Intemperantia ipsa per se intemperantes lædente,ut redundantia,cruditate,crapula,uenere multa, uigiliis & quibusdam similibus. Cæterum prædicens quibusnam elleborum exhibere oporteat,inquit: Si uero corpus dissoluatur, id est,fractum admodum reddatur,absque scilicet manifesta causa,uel dolor in capite diuturnus, & solutu difficilis fuerit. Nempe & id te subaudire oportet in capitis dolore,& deinceps in his, quæ serie continuata dicuntur omnibus, oppletis scilicet auribus,naribus, & sputo. Adiicit & genuum grauitatẽ,doloremq;,& corporis præter solitum tumorem. In omnibus siquidem his,quæ sine manifesta causa facta sunt,uult elleborum exhiberi. Diuertens autem sermonem uniuersalem ad particularia,inquit: Modo neque ob ueneres, neq; ob curas,neque ob uigilias dicta facta sint. Si enim ex horum aliquo facta sint,pugnandum aduersus efficientem causam præcipit. Quænam autem ex his omnibus quæ recẽsuit,uere diligenterq; dicta sint, & quæ non,didicistis tum in Hippocratis libris, tum in commentariis nostris.

LXXXVII.

DOLORES ex itinere si fuerint,lateris,dorsi, lumborum,& coxæ,& qui inter respirandum dolent occasionem habentes: sæpius enim dolores ex crapula cibisq; inflantibus ad lumbos & coxam uenire consueuerũt: quibus talia fuerint,urinæ difficultas accedit. Horum iter causa est,coryzæ item & raucedinis.

Sine ordine hæc memorauit. Nam prædicens dolores ex itinere,laterũ,dorsi,lumborum & coxæ,rei inanis exhibitionem repræsentationemq; fecit,perinde atq; quonam modo hæc curẽtur esset dicturus. Deinde facto ita additamento, Sæpius enim dolores ex crapulis cibisq; inflantibus uenire consueuerunt: intulit, Quibus talia fuerint,urinę difficultas accedit. Post hæc quoq; inquit: Horum iter causa est,coryzæ item & raucedinis. acephalũ, ut quispiam dixerit,id est sine capite & uertice rei faciens sermonem.

LXXXVIII.

QVÆ OB uictus rationẽ eueniunt,multa quidem unusquisque pro non assueta uictus forma maxime declarat. Nam qui prandere non consueuerunt,& pransi fuerint,his tumor uentris ingẽs accidit,dormitatio,† & plenitudo: quod si su superccœnauerint,uenter turbabitur: * hi ò balneo (confert enim) dormiant, expergefactiq; plures lenta ambulatione absoluant circuitus: & si uentrem exonerauerint,cœnent,parumq; uini, sed meracioris bibant. Si uentrem non exonerauerint, corpus calido perungant. Et si sitiuerint, uinum aquosum album & dulce bibant: si non, amplius dormiant, conquiescantq;. Cæterum talis instituatur uictus,qualis ex crapula

† ῥυπτασμὸς addũt ant. cod.

* Hæc q̃ sequũtur in antiqs cod. græ. & lati. nõ reperiuntur.

laborantibus instituí solet. Pocula aquosiora tar-
de meant, ac ueluti in orbem aguntur, circaq; hy-
pochondria innatant, & non decurrũt ad urinas.
Quibus qui repletus fuerit, nullum celeriter ex
his absoluet opus, quæ compositum corpus ui
& celeritate conficere potest. Maxime autẽ quie-
scat, donec cum cibis cõcocta fuerint: meracio-
ra uero & austeriora palpitationem in corpore
atque in capite pulsum efficiunt. His bene fuerit,
si superdormiant, calidumq; quippiam sorbeant
ex his quæ suauissima habẽt. Ieiunium enim ad-
uersus capitis dolorem crapulamq; malum est.
Qui semel tantum die cibum assumunt, imbeci-
lli fiunt, & calidum mingunt, utpote præter con-
suetum uacuati: os ipsi salsum efficitur, & amari-
cat, atque in quouis opere contremiscunt, tempo
ra contenduntur: cœnamq; non ita concoquere
perinde atque pransi fuissent, queunt. Minus igi-
tur quàm consueuerunt bibant, liquidioremq;
mazam panis loco assumant, atque ex oleribus
rumicem, uel maluam, uel betas, & ptisanã. Dum
autem cibantur, uinũ modice bibant, aquosiusq;,
atque à cena parũ ambulent, donec excurrat uri-
na, mixerintq;.

Totum hunc sermonem in legitima libri huius parte abunde, tum elaboratum, tum explanatum scimus: quo fit, ut ex illis quæ modo dicantur fi-
mili possis tum discernere, tum iudicare. Neque mihi diutius morari in his est necesse.

LXXXIX.

CIBI autem maxime notas & indicia faciunt.

Eduliorum uim non ex ratione aliqua, sed ex-
perientia iudicare conuenit. Neq; hic refert βρω-
ματα uel ἐδἐ σματα, id est cibos uel edulia dicere.

Cæterum qui hæc scripsit, tale quippiam ostendit per hoc uerbum ἐπισημαίνειν, id est notas & indi-
cia facere. Nempe nota corporibus signumq; fit (ut inquit) secundum unamquanque quæ ex ci-
bis ualentibus fit mutationem. Consequenter au-
tem ea enumerat.

XC.

ALLIVM flatum parit, caliditatemq; in thora-
race, capitis item grauitatẽ facit, & cibi fastidium: si & alius quispiam dolor ex consuetudine ante
infestauerit, irritat. Cæterum urinas ciet, estq; hoc præditum bono: eumq; qui potaturus sit & sese crapulæ daturus, uorare allium optimum est.

Si unumquodque eduliorum experientia iudi-
candum sit, non recte dictũ esse uidetur, flatuosum esse allium, neque caliditatis maioris sensum quàm cepam comedẽtibus inferre: & si in nulla alia cor-
poris parte, neque etiam in thorace, neque simili-
ter ἀποσιην, id est cibi fastidium, & potissimum ubi quis ipsum parum ante feruefactum assumpserit. Eduliorum autem multa corpus, si plethoricũ fue-
rit, † calfaciũt: cum uero ante uacuatum fuerit, sic-
cant abũde. Peccauit igitur libri huius author, qui indiscrete rem enunciauit. Nam melius erat uti di-
ctum est definire. In præsentiarum autem simplici-
ter de allio censuit: sed melius fecisset, si & exicca-
re & calfacere ipsum dixisset, & nõ flatuosum esse. Nempe aduersus indiscretum indistinctumq; ferre sententiam, consuetudo non est. Subaudire autem oportet, ubi tempestiue datum fuerit: quod parato ante corpore manifestat. Ante autem paratur, si ne-
que plethoricum, neque cacochymum fuerit. Non recte igitur capitis grauitatem ab eo fieri ait. Nempe si præuacuato corpore, allium obtule-
ris, capitis grauitatem sanabis, partisq; alterius

† Legitur in aliqbus cod. ant. ὑγραίνει. i. humectãt.

omnis. Demiror autem quonam pacto quæ huc usque percurrit præfatus, deinceps dixerit: Eumq; qui potaturus sit, & sese crapulæ daturus, uorare ipsum optimum est. Videtur autem ex his neque crapulam, neque ebrietatem efficere: sed ab his ita præseruare, ut & grauitatem expellere possit, & flatus sanare. Vera quidem hæc dixit, atque adhuc ex cientibus urinas unum esse allium. Sed alia falso adiecit, simulq; & pugnantia, si dicantur.

XCIIII.

CASEVS flatum parit, atque astrictionem, cibosq; accendit, & crudum quoque incoctumq; existit, atq; his q se potu repleuerũt deterrimũ est.

Caseus recẽs & mollis, duro & sicco flatuosior existit, minusq; quàm durum siccumq; astringit, id est, uentrẽ sistit. Siccus etenim flatuosus minus est, sed uentrem magis sistit: prẽterea & sticulosus magis existit, quod ostendit cum inquit: Cibosq; accendit. Crudum autem & incoctum, in dictionis iacet medio, quod exacta enunciatione caret. Ostendit autem quod crudũ omne incoctumq; in corporis humoribus contractum, ex huiusmodi eduliis fieri natum est: cuiusmodi est caseus, crudum & incoctum existens edulium, quasi ita diceret: Caseus flatum parit, atque astrictionẽ uentris, æstuosusq; est: prẽterea & crudum, & incoctile est edulium, talesq; succos generat. Ait prẽterea & deterrimum esse his qui se potu repleuerunt: quod & idiotis ipsis patet. Neque siquidem aliàs bonũ est edulium caseus, utpote qui crassum succum, & coctu difficilem pariat. Si uero inter bibendum eo q̃s utatur repletus, deterrimum omnium eduliorum redditur: grauat siquidẽ os uentris, primumq; corrumpitur, & alia deinceps secum corrumpit.

XCV.

LEGVMINA omnia flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & frícta: minime autem uel macerata, uel uiridia: his autem utendum non est, nisi cum cibariis. Sed horum singula suum uitium habent.

Ventrem implẽt legumina omnia, coctuq; difficillima sunt quæ cruda existunt: fricta flatuosa minus, sed concoctioni non minus renituntur. Quæ autem plurimũ cocta sunt, ea existunt moderatiora. Quod autem sequitur, in exemplaribus nõnullis scriptum est ita: Et macerata, & uiridia. ut talia præfatis uitiis sint prædita. In quamplurimis uero non ita scriptum reperitur, sed principio altero, in hunc modum: Minime autem uel macerata, uel uiridia. Viridia dicuntur, quæ sicca non sunt: † macerata uero, quæ in aqua fuerint madefacta. Cæterum leguminibus haud quaquam sine cibariis utendum esse præcipit: cibaria nimirũ eos qui ex tritico panes fiunt, affirmãs: uel simpliciter omnia quæ quouis modo parátur: uel forsitã & alia omnia ex quibus conficiunt zeam scilicet, tipham, & hordeum. Rustici ex milio panes conficiunt.

† Et quæ nondum omnino perfecta fũt, addit græ. cod.

XCIII.

CICER crudũ frictumq; parit flatũ & laborẽ.

Sunt qui cicer scribant ob id flatuosum esse, qd pudenda intẽdat. Quod aũt in fine dictionis laborem dixerit, id ad eũ referre oportet, qui propter inflationem fit dolorem.

XCIIII.

LENS astringit atque turbationem facit, si non detracto cortice ingeratur.

Vocem hanc τάραξιν turbationem quandam, & ueluti pugnam quæ in uentre ex discrepantibus facultate cibariis oritur, significari dixi.

quo modo & nunc significat, si cum cortice assumatur, utpote quæ quàm caro ipsius longe coctu difficilior existat.

XCV.

LVPINVS inter hæc minime mala habet.

Vocabulum hoc ἥκιστα, id est minime, uocabulo huic μάλιστα, id est maxime, contrarium indicat. Lupinum autem minime prædictorum omnium ait habere mala.

XCVI.

LASERPITII tum caulis, tum succus, nõ nullis quidem maxime, inexpertis uero per uentrem non descendit. Nominatur autem hoc malum cholera arida.

Laserpitii radicem homines æquiuoce cum tota herba uocare consueuerunt: hanc & herbæ succum inexpertis, id est inassuetis siccã generare choleram ait. Sed quænam ea sit, post paulo ipse docebit, ita inquiens: Ab arida cholera uenter inflatur, & strepitus insunt. Patet ergo spiritum flatuosum ex laserpitii ingestione colligi in uentre: est enim acre & æstuosum. Quidnam autem significet uocabulum hoc, Nonnullis, nihil ex dictione est manifestum. Atque ob id explanaturus quispiam, quod maxime probabile uidebitur, id esse affirmabit, Nempe in talibus dicere quod ex ratione est, incertum existit.

XCVII.

MAXIME autem id fit, si cum multo caseo, aut bubularum carnium edulio misceatur.

Siccam ab eo uocatã choleram, ait maxime his fieri qui laserpitium simul cum caseo multum ingesserunt, aut cum carne bubula. Nempe flatus qui

ex laserpitio oritur, cum † opplentibus & tarde penetrantibus eduliis mixtus, manet in uentre & non descendit.

† ἐμπλάσσουσιν dicit Gal.

XCVIII.

BVBVLÆ etenim carnes melancholica proritant pathemata. Nempe harum natura insuperabilis est, nec quiuis uentriculus eas concoquere potest.

Agebat quidem de laserpitii uirtute, sed bubularum carnium esum supermiscuit: factoq; ad pathemata melancholica transitu, ea à bubulis carnibus proritari ait. Deinde geminas assignãs causas, hoc ait: Nempe harum natura insuperabilis est. Vsus est igitur hac coniunctione, Nempe, eorum modo, qui dictorum causas referunt. Non tamen cur à bubulis carnibus melancholica proritentur pathemata, causam dixit: quanquam aliam quampiam communioré dixerit, qua scilicet natura ægre conficiatur, & ualida sit. Natura enim ea insuperabilis, quam nullus superauerit.

XCIX.

AT OPTIME liberabuntur, qui coctis utentur & perquam uetustis.

Hæc quoque sermonis textura uniuersaliorem habet admonitionem non in melancholicis. Nam bubulis carnibus & coctis & uetustis uti præstat: sicuti & aliis omnibus quæ difficulter concoquuntur. At improprie uoce hac βέλτιστα, id est optime, est usus. Neque enim melancholico laborãtes morbo, neque homo alius quispiam uel sanus, uel æger, optime liberatur bubulas carnes & coctas & uetustas ingerens. Nẽpe inter omnia quæ eduntur, hæ non bonam præstant alimoniã: bene tamen talia ingerentes cæteris minus læduntur. Si ergo

pro uoce hac βέλτιστα dixeris ἥκιστα, idest minime, sermonem reddes integrum.

C.

CAPRINÆ carnes, quæ in bubulis mala sunt, omnia habent, & cruditatem: suntq; flatuosiores, ructusq; magis generant, & choleram pariunt. Verũ quæ odoratissimæ, solidæ, & suauissimæ sunt, †non hæ optimæ sunt, tum coctæ, tum crudæ: quæ uero suauitate omni carent, male olent, & duræ sunt, hæ deterrimæ atque non recentes.

† In aliq. bus exẽp. negatio non est.

Cur caprinæ carnes bubulis uitiosiores sint, causam hoc in loco dixit. Nempe cum coctu difficiles bubularum modo existãt, flatuosiores etiam sunt, & sæpius mouent ructus, qui malam habeant qualitatem. Cũ igitur bubulis & acriores, & calidiores sint, si incoctæ maneant, choleram pariũt. Qua efficitur ratione, ut frigidas eas magis quàm calidas esitare oporteat.

CI.

OPTIMÆ autem æstate, autumno uero penitus illaudabiles.

Optimas esse ait caprinas carnes, inter se quidẽ non cum cæteris comparatas. Oportebat igitur quantum ad anni tempus attinet, uitiosissimas ob temperaturam esse. Contingit autem capris tempore æstiuo meliorem esse alimoniam: quo modo praua sunt quæ herbas uorant animalia, ubi uiridem herbam non habeant. Capris autem maxime idoneam præbent alimoniam germina arborum, caulesq;, quos à fine ueris æstas largiter & copiose habet. Quod autem alimonia ad carnis bonitatem plurimum possit, potes ex uulpibus certior fieri, qui autumno probatissimam ob

uuas habent carnem. Sic passer & ficedula maxime laudabilem carnem obtinent. Autumno igitur capræ nutrimento idoneo destitutæ, tum deterrimam, tum perquam tenuem habent carnem. Hieme autem meliorem sanguinis consequuntur habitum, naturalem intemperiem à temperatura temporis contractam corrigentes.

CII.

PORCELLI carnes prauæ sunt, cum uel crudiusculæ, uel ambustæ fuerint. Nempe tum choleraceæ sunt & turbatoriæ. Suillæ autem carnium omnium optimæ sunt: ualentissimæ uero quæ non admodum neque pingues, neque graciles sunt, nec uictimæ ueteris ætatem sunt assecutæ. Edendæ uero sunt detracta pelle & frigidiusculæ.

Χοῖρον proprie appellabant ueteres porcum ualde paruum, ut apud poetam reperitur: ἔσθιε νῦν ὦ ξεῖνε τὰ δὴ δμώεσσι παρέστι Χοίρε ἀτὰρ συάλους γε σύας μνηστῆρες ἔδουσιν. id est, uescere nunc ò hospes, seruorum cibus porcelli sunt. Proci etenim plus quàm absolutos edunt sues. Non sanè uideo quo pacto syalos ederent proci, (nam & syalos ueteres appellabant sues eos, qui perfectos absolutosq; supra essent) nisi quod & ignarissimi essent dignoscendorum tum eorum quæ facile concoquuntur, tum suauium eduliorum: quales & sese ostendebant cum uentres caprarum pingui & sanguine plenos esitarent: quo sanè quod difficilius concoquatur edulium reperies nullum. Caro autem optima, tum ad suauitatem, tum ad concoctionem eorum est, qui mediam ætatem sunt assecuti: ueluti deterrima est porci uetustissimi, atque eius qui confestim à partu uoratur porcelli.

Nempe hi terrestrium ferè omnium quæ uorant homines animalium, maxime humidam obtinent carnem. Atque ob eam rem, quum nuper genitorũ caro exuperanter humida sit, plurimam inde generat pituitam: & si subcruda fuerit, multo adhuc magis. Simili quoque ratione pinguissimam suũ carnem ea quam medii & bene carnosi habent, deteriorem existimat, suspicionem humiditatis habẽs, ob quam pinguedo omnis carne sui generis deterior, tum ad concoctionem, tum nutritionem existit. Quæ autem ob assationem ambustæ sunt, tum ad succi bonitatem, tum ad concoctionem sunt inhabiles, choleramq; pariunt, propter eam, quæ his accedit, acrimoniam. Nempe ea choleraceorum eduliorum communis est malitia, cum & humida & acria fuerint. Talia siquidem similiter corrũpuntur, suaq; acrimonia uasorum eorum quæ adueniunt decumbũt, ora remordent: atque fluxionum earum quæ ex toto corpore in eum fiũt, causæ efficiuntur. Quod autem porcelli absque pelle, id est absque cute edendi sint, nemo ignorat. Non enim cutis animalis carni similiter concoqui nata est, utpote quod frigidior existat. Frigidiusculos quoq; & hos manifeste edendos præcipit, calidas omnes carnes ueritus, ac fortasse calidas frigidiusculis tũ æstuosiores, tum flatuosiores esse existimans. Ego autem in caprinis carnibus, & quæcunque calida sunt, sermonem admitto. In moderatis uero tum caliditate, tum frigiditate, cuiusmodi suillæ carnes sint, simpliciter indiscrete ita dici non admitto. Nempe ei qui distinxerit, calidæ frigidis idoneæ magis erunt.

CIII.

AB ARIDA cholera uenter inflatur, strepitus fiunt, & dolor tum laterum, tum lumborum: nihilq; aluus deiicit, sed astringitur.

Choleram ab hominibus simpliciter appellatã ab arida per humiditatem distinguit. In utraq; autem nomine communi est usus: generationis modum, qui communis est, respiciens. Vt enim cholera humida, ex acribus oritur humoribus, q ex esorum ingestione prodierunt, sic arida ex spiritu flatuoso acri. Quo fit, ut quę prope uentrem sint neruosa corpora mordeantur, intendanturq;, & dolorem pariant. At cum spiritus hi possint interdum quidem retineri, interdum & exire, aridam ꝓpter retentos spiritus generari choleram asserere non possum. Nam probabilius fuerit, ita appellare quę penetrant, egeruntur q;.

CIIII.

ITA AFFECTVM ne uomat seruato, uenterq; subducatur. Clysterẽ ergo ex calido & perquam pingui adhibebis, perunctumq; in aquam demittes calidam & quamplurimã, in scapha reclinans, & calida sensim perfundes: & si calfacto uenter subducitur, morbus solutus est.

Quamcitissime clysterẽ exhibere, & uomitum prohibere, præcepta sunt communia omniũ quæ in uentre præter naturam continentur, & quæ ut excernantur apprime contendimus. Simili modo & calidum exhibere clysterem: ꝓuocat siquidem calidum, & frigidum reprimit. Clysma autem pingue aridam proprie sanat, quoniam & uirtute contrarium est, siccitatem nimirũ humectãs, morsusq; leniens. Eundem habes scopum, si in scapha fouendo tum aqua, tum oleo & calfacis, & mitigas, solarisq;.

CV.

CONFERT quoque & huic dormire.

An eum dum in scapha fouetur, dormire uelit,

an ſine illa, non conſtat. Quod autem ipſum dormire per ſe cruditatibus omnibus maximo remedio ſit, conſideranti patet.

CVI.

BIBERE item uinum tenue, & uetus, & meracius.

Vinum quidem exhibent, ut concoctioni adiumento ſit, ſed tenue, ut in uentre non moretur: uetus uero & meracius, ut calfaciat magis. Vinum ſiquidem omne habitum calfacit, magisq; quod uetus eſt.

CVII.

OLEVM quoque dabis ut quieſcat, & uenter ſubducatur: & ſoluitur morbus.

Oleum quæ acria ſunt lenit, placatq;, & ſiccitatem emendat, uentremq; moderate ſubducit: quibus omnibus ei qui curatur eſt opus.

CVIII.

A CIBIS autem atque * aliis abſtineat.

* ποτῶν. i. potibus hũc anti. cod.

Si corpori nihil deſit, nullaq; apponendi quippiam premat neceſsitas, & cruda quædam concoctionis indiga contineantur, his requie eſt opus, & non cibariis prius quàm cõtenta mediocriter concoquantur.

CIX.

VERVM ſi dolor non ceſſauerit, lac aſinæ bibendum † donec purgetur dabis.

† ὄνπτοτε. i. ut, antiq. cod. leg.

Si feceris quod dictum eſt, & dolor non ſoluatur, contriſtantis cauſæ maiorem eſſe acrimoniam exiſtimandum: atque ob id corpus purgare oportet. Lactæ aſinæ utendum præcipit, quod purgantia inter medicamenta omnia mitius, trãquilliusq;

exiſtit: id quoq; & lacte omni humidius eſt, & uentrem magis ſubducit.

CX.

SI VENTER liquidus fuerit, biliſq; excernatur, uexentq; tormina, & uomitus, & † ſuffocatio, quieſcere his eſt optimum, mulſam bibere, & uomere.

† ὀνπτοτε. legitur in antiqs. i. morſus, & ita legit uetus interpres.

An de arida adhuc cholera agat, an per ſe hæc intelligenda ſint, non ſatis conſtat. Sed quocunque res ierit, contineri in uentre uidetur bilis, quæ acris & elui contumax ſit. Ventrem autẽ moderate ſubducere, atque quæ in uentre continentur cõcoquere molitur. Subducetur autem mediocriter aqua mulſa, & per requiem concoctio fiet. Qui autem in affectionibus huiuſmodi ſæpius ualẽter auxiliatur, is cacochymiam ualente medicamẽto affatim expurgat, uires contemplatus, ægri habitum, anni tempus, ætatem, & conſtitutionem. Quod autem in fine dictionis dicitur, mulſam bibere & uomere, quaſi ſuperiorem uentrẽ expurgari author uoluerit: melius cum aduerbio, non, dicetur. Nam mulſa detergendi pollens facultate, quæ corrupta ſunt in naturalem præuertit uiam, idq; citra oris uẽtris tum læſionem, tum periculum, quæ per uomitum contrahi poſſunt.

CXI.

HYDROPVM duæ ſunt naturæ: quorum hypoſarcidius ſi hominem aggreditur, uitari non poteſt. Alter ex flatibus conſtat, multaq; & bona indiget fortuna: curaturq; tolerantia, fotu, & temperantia. Sicca autem & acria edat. Ita enim maxime tum minget, tum ualebit. Si difficulter ſpiraverit, fueritq; anni tempus æſtiuum, & floruerit ætas, uiribusq; fuerit ualentibus, ſanguinem à brachio tolles, deinde calidos panes ex

uino nigro & oleo tinctos dabis: isq; quammi-
nime bibat, & quamplurimum laboret: suillamq;
edat carnosam ex aceto coctam, ut aduersus ar-
duas resistat inambulationes.

Sunt qui non hyposarcidium, sed episarcidium scribant. Neque tamen anasarca & catasarca alicubi scriptum reperi, quanquam recentiores ita nominent. Cum autem hydropum naturas duas affirmauerit, atque de posteriore flatus citra quoduis aliud symptoma dixerit, de priore autem nihil omnino, non solum in aliquo cõfusus uidetur, uerum quoque & in hydropum differentiis falli apparet. Quidam ergo ex medicis quatuor hydropũ differentias esse affirmant, à iusto recedentes: aduersus quos uerba in præsentiarum facere tempestiuum non est: uerum qui hæc scripsit, manifeste defecit. Nempe hydropum unus humidi substantia tenuis copiam in tota inferiore thoracis regione aceruat, quam aliquando perpurgantes humidum euacuamus: Alter locum hunc non aqua sed spiritu plenum habet, & ferè superiora omnia tumentia, hunc tympaniam appellant. Qui autem habitum totum pituitæ plenum habet, eum hyposarcidium nõnulli appellant. Quo fit, ut nõ exacte duas hydropum esse naturas dixerit. Neque etiam recte protulit, ἐγχειρεῖσαν γίγνεσθαι, id est, si aggreditur. Nam uerius dixisset, ita scribens: Interficit autem protinus postea quàm factus fuerit. Scripta est autem ita dictio, sed perperam ab eo, qui primum scripsit. Alterius sanè hydropum quem ex flatu constare ait, sanationem scribit, quæ profectò hydropum omnium quod commune est, habet. Principio autem scripsit tolerantiam, fotum, & temperantiam, calida & ficca gustare admonens, quod solius anasarca est, quem ut insanabilẽ prætermisit. Nempe hic solus

solus cum incipit, eget interdum sanguinis detractione, cum scilicet ex retentione uel hæmorrhoidis, uel muliebrium, uel ex quapiam quæ ita plethorica fit causa, inceperit. Tympaniam uero & ascitem, nullus per sanguinis missionem sanare est ausus. In eo igitur qui sanguinis detractione eget, fiat quæ subsequens est curatio, quæ scilicet calfacit & siccat. Sanè libri huius author ad id quod expedit intentionem direxisse uidetur. Non tamen recte dixit, Si difficulter spirauerit, sanguinis eget detractione, si non propter plethoram hydropa incurrat, propè scilicet ad extinctionem accedente naturali caliditate, ut igni contingit. Nempe ut ignis propè extinguitur immissis lignis tum humidis, tum multis, nisi quis multitudinem sustulerit: sic & in frigidiore ob copiam sanguine, ubi calor natiuus propè extinguitur, præsentissimum est remedium sanguinis missio: quo tempore periculum ita prehenderit. Perperam quoque dictioni apponitur, fueritq; anni tempus æstiuum. Nempe plus minus auferendi sanguinis alia quædam scopi esse dicta sunt, sicuti & anni tempus: auxilii uero huius, affectionis natura. Dioscorides non æstiuum anni tempus scripsit, sed uernũ, uirtutis exolutionem æstate adfuturam suspicatus, hieme uero affectioni refrigerationem. Vulgariter autem & inepte admodum panes calidos ex uino nigro & oleo ei cui sanguis est detractus exhibet, scopum quidem uerum roborandæ uirtutis habens, ut exercitationum patientiis sufficere possint. Sed materiam scopo dignam non inueni. Vinum etenim nigrum, sanguinem plurimum generat, sed tantum ut & superfluus, fit, & melancholicus fiat. Verum huic melius est uinum dare fuluum, tenue quidem substantia, ut urinas moueat: sed non ętate nouum, quo modo sanè multis contingit. Vinorũ etenim

nigrum, sanguinem plurimum generat, sed tantum ut & superfluus sit, & melancholicus fiat. Verum huic melius est uinum dare fuluum, tenue quidem substantia, ut urinas moueat: sed non ætate nouum quo modo sanè multis contingit. Vinorum etenim nouorum nullum est fuluum, sed uel album, uel rubrũ, uel nigrum: uetustate aũt fiunt & fulua & flaua. Atqui quamminimum bibere, & quamplurimum laborare rectissime est dictum. Nempe talis uiuendi modus calfacit & siccat. Suillæ carnes si quo dictum est modo edantur, florentibus ætate & ualidis dari possunt. Cæterorum autem nullus eas probe coquere potest: utpote qui iam propè est ut caloris natiui patiatur extinctionem. Melius ergo ita affectis dare quæ probe coquent.

CXIIII.

QVI VENTREM inferiorem calidum habẽt, subeuntq; acres dejectiones & inæquales, hi à colliquatione id patiuntur: qui si ualentes fuerint, relles elleboro albo: si non, cremorem tritici uelles elleboro albo: si non, cremorem tritici frumentacei crassum, frigidumq; dabis, & quod ex lente etnos conficitur, panemq; subcineritium & pisces febrientibus quidem elixos, non febrientibus uero assos. Vinum præterea haudquaq; febrientibus nigrum dabis: aliis uero aquam aut à mespilis, aut myrtis, aut malis, aut sorbis, aut palmulis, aut uitium œnanthe.

Excrementa his ob inustionem, non ob colliquationem subire, proprie magis dixisset. Nam colliquatio in eo fit absumpta cõtabefactaq; propter febrem morosam uel pinguedine, uel molli carne. Inustio uero in uentre oritur, propter acrem eorum quæ ingesta sunt caliditatem, ob quam & febrire contingit. Elleborum præterea huic albũ exhibet, quod indicauit per hoc uerbum ἀφ' ἑλκεῖν,

id est reuellere, nempe per uentrem superiorem. Si uero æger quauis ex causa non possit elleborum adsumere, uicerit q; acrimonia, pocula dare iubet tum astringentia, tum refrigerantia. Adiicit autem eduliis & quæ asiccare possunt, ueluti panes subcineritios, atque assos pisces. His ita & non sine ratione enunciatis, quemnam uentrem inferiorem dicat, est cõtẽplandũ. Veteres.n. thoracem interdum uentrem superiorem appellãtes, alimenti receptaculum omne quod à septo transuerso est, uentrem inferiorem nominant. Interdum autem uentrem superiorem appellantes, in quem cibi adsumuntur, quæ ab eo sunt omnia, uentrem inferiorem uocitant. Interdum quoque & sola quæ crassiora sunt intestina. Sunt qui colon duntaxat uentrem inferiorem uocant. Forsan igitur quæsiuissemus quamnam uel quasnam ex prædictis particulis probabilius impræsentiarum intelligere speraremus, si effatu dignum quippiam percepturi essemus. Sed quoniam horum inuentio nihil nos admonet magis quàm ea quæ ipsi & scimus & discernimus, quod nonnulla quidem recte dicta sunt, nonnulla uero non, cognitionis q; curiositatem magis quàm commoditatem habent: melius est cito relinquere, & potissimum cum huiusmodi liber Hippocratis legitimus non sit.

CXV.

SI VERO FEBRIS non fuerit, uexentq; tormina, primum quidem lactis asinini calidi pauxillum, deinde sensim paulatimq; plus bibat, & lini semen, & triticeam polentam mixta hordeacea & sparsa adempto amaro faba ægyptia, uel oua semicocta edat assa, & similam, & milium, & chondrum ex lacte coctum. Cocta hæc & refrigerata edat, atque his si-

milia tum pocula, tum edulia ingerat.

Quamplurimi exponentium conuenientius hæc cum prædictis componunt, præsentem sermonem adhuc de his qui calidum habent uentrē inferiorem fieri existimantes. Alii pauciq; separāt, & seorsum exponunt, scopusq; his est ut interdum quidem cacochymiam expurgent, interdum uero & contemperēt, infrenentq;: interdum q; reficcent, & interdum refrigerent. Lac ergo asininum expurgare potest & † cōtemperare. Lini semen, tum siccare, tum refrigerare. Quæ autem ex tritico conficiuntur polen æ, * cōtemperant: quibus non perperam remiscentur hordeaceæ, utpote quæ siccēt & refrigerent. Fabæ ægyptiæ mediocriter refrigerare possunt. Oua autem, & similia, & chondrus, crasi sunt succi & boni, & humorum acrimoniam infrenant. Siccat autem in edulio milium quo refrigerat modo. Omnia hæc frigida exhibet propter humorum qui affectum procreant, tum acrimoniam, tum caliditatem.

† ε πικρομυναι.

* ε πικρασικὸν i. cōtemperatorium & infrenatorium.

CXVI.

EIVS MEDICINÆ partis quæ uictu medetur, maximum est febrium tum intentiones, tum declinationes, non in acutis modo, uerum quoq; & in longis obseruare, ut tempora quibus cibi offerendi non sunt, & tuto, & quibus offerendi existunt, cognoscas, † atque adhuc quando plurimum ab intentione aberint.

† ε σιδετ. i. est autē, alicubi legi.

Artis ciborum exhibendorum maximum esse ait particulare cibi porrigendi tempus nosse: scopumq; unum ait, quod scilicet tempus illud, quo cibus exhiberi debet, quamplurimum absit ab febris intentione, quam ε πίτασιν dicit, accessionis principium intelligens. Id autem non in diuturnis

solum, sed quoque in acutis uerum esse uidetur. Sed quare longis in morbis adiecit? Nempe quod in his magis, & forsan solis euidens sit scopus. In acutis etenim morbis deprehensa in pedibus caliditas, cibi tempestiue offerendi signum sufficiens fuit. Non tamen in longis ita nutrire oportet, sed melior declinationis pars est expectanda, quod in acutis haudquaquam est expectandum, timore cito futuræ accessionis. Sunt qui dictionem hanc ita scribant: Eius medicinæ partis quæ uictu medetur, maximum est, ut in acutis ita & in lōgis obseruare & scire quando cibum dare oporteat. Alii finem dictionis ita scribunt: Atque adhuc cum plurimum à febris accessione aberunt, scire oportet. ut præter cætera quæ nos in ægro contemplari uoluit, & id admoneat. Quod si quis perquirit, & non particulari tempestiue cibandi inuentioni copulat, id importunum esse de alimonia præceptū, atque re nulla dignum uidetur.

CXVII.

COGNOSCERE autem & eos oportet, qui capite dolent uel ob exercitationes, uel cursum, uel iter, uel uenatum, uel quemuis alium imporunum laborē, uel uenerea. De colores item, rauos, lienosos, exangues, spirituosos, ficce tussientes, sticulosos, flatuosos, & uenarum intercepciones. Huc adde, quibus extenta sunt, tum hypochondria, tum dorsum, tum latera, torpētes, obscure uidentes, eos quibus aurium tinnitus est molestus, eos qui urinas non continent, morbo laborantes regio, quorum uenter cruda egerit, sanguinem è naribus, uel sede uehementer profundentes, inflatos, & quos uehemens labor infestat. Nulli etenim horum, nisi superuicerint, medicamentum exhibebis. Nam periculo, ægrum expones, nihilq; iuuabis, spontaneasq; tum per-

mutationes, tum iudicationes adimus.

Quod inordinate & præparationis ad commentationem modo omnia hoc in libro scripta sint, cuiuis patere arbitror. Multa sanè, ut dixi, in hoc bene dicta sunt: ob quæ ad ea quæ dicta sunt non recte quidam animo & studio incubuerunt, magisq; qui sibi conscii fuerunt, ueluti discretoria eorum quæ scribuntur scientia carentes. Quæ ergo hac in dictione dicuntur, catalogum habent eorum, qui ut medicationem recipiant, idonei non sunt. Καθαίρεσθαι autem, id est purgari, & φαρμακεύεσθαι, id est medicamẽto purgante uti, idem significant, ut φαρμακεύειν & καθαίρειν. Videamus ergo quibusnam ab initio purgationem interdicat. Capite dolentes recenset, uel ob exercitationes, uel aliũ quemuis importunum laborem: summatim eos intelligens, qui ex intempestiuis laboribus capite dolent, haudquaquam expurgandos. Labores autem intempestiui, importuniq; omnino sunt, quos præsens hoc tempore corporis affectio ferre non potest. Admonebo autem tete impræsentiarum rei quæ ad multa est utilis, quam semper in memoria haberi uelim. Corpore igitur nostro ad morbosam affectionem parato, ita ut propè completa sit, externum quippiam obueniens eam affectionem manifestauit, febrem uidelicet accendẽs, uel capitis dolorem, uel catarrhum, uel tussim excitans, uel aliud quod tale sit. Deinde ex eo continenter ad morbosam affectionis præparationem, non sine periculo languent, neque cursu morbum excitante, uel uehementi omnino motione, ut neque intemperantia, uel refrigeratione, uel alia quauis simili causa. Nihil etenim horum suapte natura uehementem generare languorem potest. Nam si febris ab horum aliquo fiat, hæc ex diariarum

genere erit: aut si symptoma aliquod aliud generetur, id sępius pauco edurabit interuallo. Et sanè, ut retuli, propter corporis dispositionem unumquodq; horum, non morbi causa, sed πρόφασις, id est occasio, redditur. Nam huiusmodi causas propriissime quis appellauerit προφάσεις, non simpliciter euidentes & manifestas, ut hi sæpius uocare consueuerunt, cum ab aliqua manifestarum causarum noxa in corpore euidens fuerit. Si enim nulla alia corporis dispositio adfuerit, neque morbus effatu dignus subsequetur, eiusq; quod in corpore fit detrimenti, quod ipsum fecit, causa est. Sciueris itaque hoc in loco de his agi causis, quæ non sua ratione corpori adferunt detrimentum. Summa autem horum est una quidem & prima, labores uarii & particulares, cursus scilicet, luctæ, pancratia, uenerea, fricatio, æstuatio, frigus, uigilia, ira, mœror, & timor. Venereorum quidem meminit, uerum cætera subticuit, quanquam uirtute eadem prædita forent. Nam quæ, ut dictum est spiritum perturbant, ea purgatione non egent, quòd morbus huiusmodi à cacochymia contractus non sit. Ab his autẽ digressus indiciis author, quos prius dixit declarauit. Proprie autem ἀχρόους, id est decolores, λειφαίμους, id est sanguine carentes uocant: † eosq; qui corpus aliter quàm secũdum naturam sit affectum, habent, κακοχρόους, id est mali coloris, appellant. Hi ergo decolores calfieri expostulant tum exercitationibus, tum uini facultate calidi potu, & cibis qui talem obtineant facultatem. Raucos deinde subiungit: nempe & horum humiditatem & frigiditatem ob delapsum ad guttur rheuma sanare conuenit, exiccatis scilicet topicorum auxiliorum usu, tum capite, tũ cæteris quæ affecta sunt membris. Præterea & lienosos purgatione haudquaq̃ egere inquit: quod nõ recte

† ἔτι τε διάλλην διάθεσιν οὐ κατὰ τὴν φύσιν ἔχοντας τὸ σῶμα.

dictum arbitror, quum lienosis, si aliis quibusdã, purganda sint quæ nigra existunt. Post lienosos meminit, λειφωμων, id est eorum qui sanguinis inopiam habent, etsi nondum aperte, manifesteq; fuerint decolores. Deinde mentionem de spirituosis facit, sicce tussientibus, & sticulosis, obscure ita loquutus, ut nõ constet utrũ ne singuli horum seorsum intelligendi ueniant, an hi tres unà comprehendi. Neque adhuc in singulis horum, seorsum intellectis, perspicuus est sermo, ut & antea iam est enunciatum. Nempe πνευματωδεις, id est spirituosos sæpius eos dũtaxat uocant qui cum inspirant, aeris indigent. Interdum autem & inflatos, quorũ uterque multas habet causas: quas omnes si percurrero, prolixior quàm par sit, sermo est futurus: præter id quod quidam ex his sanguinis missionẽ exigere uidentur, alii purgationem, & remedium aliud alii. Sic & sicce tussientes non affectione una fiunt, neque sticulosi. Neque etiam impræsentiarũ certiores fieri possumus, an ne de febrientibus sticulosis sermo sit, an de non febrientibus, an de utrisque. Quod si unius horum quæ in aphorismis recẽsentur, meminerimus, quod uniuersale est tolletur. Dictum autem in aphorismis: Si non febrienti inappetentia fuerit, oris uentriculi morsus, tenebricosa uertigo, & oris amaror: id per superiora purgatione indigere significat. Si autẽ os amaricat, sticulosi sunt. Pari modo & quinam flatuosi ab ipso dicuntur, haud scio, si uidelicet cum uenarum interceptionẽ flatuosi effecti intelligẽdi sunt, cum adsint nonnulli, qui per se legant: atque adeo singula dictionis huius possem transmutare, possem q; omnia quæ cognoscere utile sit, citra librorum multitudinem docere: ueluti & de his quæ deinceps dicuntur. Ait enim: Quibus extẽta sunt, tum hypochondria, tum dorsum, tum latera, torpentes, obscure uidentes, eos quibus aurium tinnitus est molestus, & qui urinas non continent. Nempe in singulis his pathematis, & causę, & affectiones sunt multæ, uariisq; egentes curationibus. Quarum profecto nonnullæ eam quæ per bilis eductorium medicamẽtum fiat, purgationem expostulabunt. De his ergo omnibus, atque adhuc de his quæ deinceps dicuntur, non enunciationes indistinctas, sed distinctiones, doctrinas q; tum claras, tum longo rerum usu probatas habes in nostris tractationibus: quas q intellexerit, omnia quæ ab authore hoc recitantur, discernere ualebit. Atq; si partis meminerit, quam & legitimam, & commodæ doctrinæ plenam fasi sumus. In ea siquidem parte cũ demonstratione & explanatione, cõgruentibus q; distinctionibus scripta sunt omnia. Sed quæ ita disseminata sunt, ut præsens oratio, nihil iuuare possunt. Nempe si quis nunc singula horum simpliciter & indistincte audierit, is multa aduersus artem perperam molietur. Quod si singula ut oportet distinxerit, primum quidem nihil impræsentiarum ad eorum inuentionem iuuari deprehendetur, deinde ad eam quæ de præsentibus sit contemplationem multis egere libris uidebitur. Nec uero plerisque hominum suadendum est, ut aggrediantur quidem sola ea scripta quæ manifesta sunt: ea autem relinquant quæ talia non sunt. Nempe si nullam nobis illi cognoscendi quæ scripserunt † commentationem fecerunt, ut & nos haudquaquam diligenter adhæreamus ea quæ dicuntur tum quærentes; tum diuinantes, par est.

† φροντίδα. i. curam.

CXVIII.

SI CVIPIAM sanguinem auferre confert, uenam confirmare oportet, & ita auferre, mox inediam præcipere, & uinum tollere. Deinde con

gruenti uictu,& fotibus,& infusionibus reliquã curationem absoluere.

Fluente aluo,sanguinem non detrahes. Nam si post detractionem perseuerat fluor,uirtutem prosternit. Inediam autem præcipere quibus detractus fuerit sanguis & uinum tollere,recte dictum est,ut & congruo uti uictu:sed fotibus & infusionibus curare,si de omnibus quidem quibus sublatus fuerit sanguis dicatur,id falsum est:si uero de aliquibus, dicere oportuit.

CXIX.

SI VERO uenter densus,astrictusq; tibi uidetur, mollem huic adhibe clysterem.

Dignum conscriptione quod omnibus pateat, hoc non est.

CXX.

QVOD SI medicamento opus sit, elleboro tute sursum expurga:deorsum uero talium nemine.

Tanquam ægritudinem prædixerit,in qua hæc fieri iubet,sermonem facit:tametsi nihil prædixerit. Vel ergo exempta est quædam oratio,in qua ostendebatur ægritudo, uel obliuiosus fuit qui hæc scripsit:uel talis qualis ab antiquis appellatur μετ'ωρος,id est nondum fixo animo,sed suspensus.

CXXI.

OPTIMVM autem est,si urinæ cieantur, sudores prouocentur, inambulent, & tranquille ita sese perfricent, ut non densiorem reddant habitum. Quòd si in lecto iacuerint,perfricent eum alii.

Scripsit,quoque & hæc ita tanquam ægritudi-

nem prædixerit.

CXXII.

ET SI IN thorace supra septum transuersum infestet affectio,resideat frequentius qui afficitur, minimeq; reclinent donec uires ualeant, sedentemq; calido multo diu refricent. Si uero dolor uentrem inferiorem sub septo transuerso infestat,iaceat is (cõuenit enim)nulloq; pacto corpus moueatur, secluſa etiam fricatione omni.

Oratione ex hac quis coniecerit tum hæc,tum quæ ea præcedunt omnia, de doloribus scripta esse. Prætermissa igitur principio dictionis sunt hæc,peccante primo libri huius scriptore, & manente postea peccato. Quamobrem fieri non potest ut quispiam in his ueritatem perueſtiget, etsi plus quàm temere in huiusmodi tempus conterere uideamur.

CXXIII.

QVÆ AVTEM ex uentre inferiore soluuntur tum per urinas,tum per sudores, si mediocriter per se delabuntur,quæ parua sunt soluuntur,uehementia uero pernitiosa sunt. Nempe tales uel intereunt,uel nõ sine malis aliis saneſcunt. Nam eiusmodi conferri solent.

Per talem quoque dictionem coniicere licet, de dolorum curatione omnia quæ ab ipso ante scripta sunt,dicta esse.

CXXIIII.

POCVLVM hydropi. Cantharides tres abiectis singularum tum capite,tum pedibus, tum aliis,in cyathis aquæ tribus terantur, atque cum bibens laborauerit,calido perfundatur, ungatur prius. Ieiunus bibat,& panes calidos ex oleo uel pinguedine edat.

Quidam dictionis huius mentem haudquaquam intelligens audax medicus, prædictas partes à cantharidibus abiecit, deditq; hydropi: cui cum à primo die abscessus in sura comparuisset, post tres alios dies sectus est: effusaq; copiosa aqua, curatus esse uisus est, qd' pars tumoris prę ter naturam plurima statim ad moderationem redacta sit: ueruntamen non multis post diebus obiit. Quam ob causam medico quidam crimen ingessit, perperam data esse cantaridum corpora inquiens. Nempe propinanda ablatis corporibus, tum caput, tum pedes, tum alas, idq; esse quod in dictione enuntiaretur. Quare non cunctatus audax ille medicus, hydropi alteri ita propinauit: moxq; facto similiter in femore abscessu, sectoq; †multis post diebus hominem mori contigit: quanquam urinarum prouocatorio medicamento ex cantharidibus confecto, quidam citra bibentium incommodum usi sint.

ἡ ρυεν'τος ὁμοι'ως τοῦ ὑγροῦ παραχρῆμα. i. atq; fluēte statim similiter humore.

CXXV.

SANGVINEM supprimētia, q̄ Græci ἴσχαιμα dicunt. Fici succum lana susceptum intus ad uenam appone, uel coagulum inuolutum ad nares immitte, uel chalcitidem digito ante tractā preme, cartilaginesq; utrinque & foris comprime, uentrem lacte asinæ cocto solue, caputq; rade, & astringentia, si calidum anni tempus fuerit, exhibe. Sesamoides superiorem uentrem purgat sesquidrachmæ pondere in oxymelite tritum & potui datum. Miscetur autem ueratris, ita ut tertiam efficiat partem: nempe id hoc pacto minus suffocat. Ad trichosin. Filum ubi acui foramen habenti subieceris, celsioremq; atque acuminatam supra tensæ palpebræ partem, ad inferiorē usque traieceris quod superius est inferiori liga, fila autem extendens consue & colliga donec

deciderit. Et si satis quidem fuerit, bene cedat: si non, deficitq; aliquid, hæc refice. Hęmorrhoidas modo simili persequeris. Nam acui crassissimū lanæ pinguis filum & quāmaximum colligabis. securior etenim est huiusmodi curatio: deinde comprimes, & contabefaciente uteris medicamento, neque prius quàm deciderit perfundes, unamq; perpetuo relinques, & postea purgabis elleboro. Exercitetur deinde, & sudet, & mane multum perfricetur: à cursu contineatur, & crapula, & ab acribus, excepto origano. Vomat septem diebus, aut ter in mense. Nam hoc pacto optime corpus habebit. Vinum fuluum bibat, austerum, & aquosum, & paucum. Purulentis dissectos scillæ orbiculos in aqua excoq;, aquamq; ualde feruefactam effunde, aliamq; infunde & coque ita, ut tangenti percoctum & molle appareat: deinde ubi triueris, cyminum frictum misce, sesamaq; alba, & recentes quæ tritæ sint amygdalas, atque ex melle eclegma facito, datoq;. Post hæc uinum bibat, dulce, papauerisq; albi triti lecisciū aqua perfusum, & cum frumentacea farina melleq; coctum tepidumq; sorbeat, sicq; diem transigat: deinde ad ea quæ contingunt respiciens, cœnā dato. Ad dysenteriam. Fabarum purarum quadrantem accipe, surculosq; rubiæ duodecim immisce, atque abundanter excoque, deinde delingendum porrige. Ad oculos. Cinerem lotum abundanterq; maceratum, ut pinguedinem non liquidā lęuemq; teres, acerboq; vuæ acerbæ amaræq; succo humectabis, in sole desiccabis: humectare enim oportet, ut non solutu facilis sit: cum autem siccus factus fuerit, læui trito, & sicco perunge oculos, & angulos consperge. Ad eosdem. Ebeni drachmam, æris usti obolos nouem, & croci obolos tres in cote tere: quæ

ubi triueris, uini dulcis cotulam atticam infunde: deinde soli expone, cõtege: atque ubi cõcoctum fuerit, eo utere. Ad eorũ dolores. Chalcitidis drachmã, uuæ expressæ partes duas, myrrham, crocumq; tere, mustũ permisce, in sole excoque, & eo dolentes oculos perunge: sit autem in uase id æneo. Quonam pacto uuluæ strangulatio cognoscatur. Digitis duobus comprime: si sentit, ea est: si non, conuulsio est. Hydropi potio conueniens. Meconii, id est, peplii rotundi lecyscium atticum. Catapotia eidem. Lepidos, id est, squammæ, melæ tres latitudine cum farina triticea agglutinentur, teranturq; & in catapotia conuoluantur, denturq; : deorsum enim aquam purgant, & fecem deiiciunt. Aliud. In caricas singulas tithymalli guttas septem etiã pueris instilla: deinde in uase nouo cõpone, concinnaq; & adserua, atque ante cibum exhibe. Aliud. Meconium tere, aquam infunde, & p̃cola, farinam macera, itrium coque, mel coctum infunde, & edendum hydropi exhibe, bibendũq; uinum dulce aquosum, uel dilutam mulsam porrige. Quod ab excrementis meconium colligis, adserua & cura.

Liber hic ex his planè ostenditur commentarius esse uariis mixtisq; constans theorematis, quod in eo incomposite inordinateq; ab aliis in alia fiat transitus: quo modo & hic in ea quæ per nares fit sanguinis profusione scripta sunt auxilia. Nempe alia parti ipsi quæ sanguinem profundit exhibentur: alia reuellunt, ut alui solutio: alia caput addensant astringuntq;, ut refrigerantia. Quæ deinceps sunt, omnia medicamentorum scriptiones habent, & quædam commixta auxilia. De appellato igitur sesamo sermonem in primis facit.

Mox pilorum in palpebris manualem operationem scribit, quam ἀμβροχισμὸν appellant. Pari modo & hæmorrhoidum, alteriusq; earum sanationis meminit. Postea purulentorum tum medicamenta tum sorbitiones scripsit: atque ab his compositiones eorum quæ ad oculos deputata sunt medicamentorum. Præterea de strangulationis uuluæ dignotione egit: mox de meconio: Postea de aquæ eductorio medicamento, & subinde fecis. Et demum hydericis de meconio & itriis exhibet. Sunt autem eorum quæ serie continuata dicta sunt plurima quidem manifesta, alia nequaquam manifesta sunt, de quibus deinceps faciam sermonem.

GALENI IN APHORISMOS Hippocratis Commentarius Primus, Nicolao Leoniceno interprete.

APHORISMVS I.



VITA BREVIS, ars uero lõga, occasio autem præceps, experimẽtum periculosum, iudicium difficile. Nec solũ seipsum præstare oportet opportuna faciẽte, sed & ægrũ, & assidentes, & exteriora.

†Hanc orationem siue unus sit aphorismus, siue plures, esse procœmium totius operis, pro cõfesso habetur apud omnes ferè eius expositores. Quid uero sibi Hippocrates uolens tali utendum procœmio censuerit, non parum sententiæ ambigunt. Forte uero idipsum inueniemus, si singulas oratiõis partes prius diligẽtius cõsiderauerimus.

†Alibi legitur ὅτι μὲν οὗτος ὁ ἀφορισμὸς. i. hũc quidem aphorismum.

Quod quidem igitur uitam dixerit breuem, artis cõparatione, omnibus libri expositoribus est manifestum. Artem uero ipsam hac ratione arbitror longam existimare: quoniam omnium ferè operationum occasionem habeat momentaneam, & ob id difficulter comprehensibilem, ut nemo eam possit agnoscere, nisi qui diu in hoc fuerit exercitatus. Et quum duo sint instrumenta ad artes inuestigandas necessaria, alterum scilicet experimentũ, periculosum est: alterum uero, ex ratione iudiciũ, haudquaquam facile existit, immo sicuti aliquod aliud, maximam habet difficultatẽ. Est igitur occasio præceps, quia materia circa quam uersatur ars, continue fluit, corpus siquidem nostrum mutationibus obnoxiũ est, neq; à causis extrinsecis tantũ, sed ẽt ab intrinsecis faciliter alteratur. Experimentum uero periculosum, propter materiæ dignitatem, non propter transmutationis facilitatem: hæc enim in momentanea occasione continetur. Iudicium uero, si quis (ut ego affero) pro ratione audiat, liquet ipsam esse difficillimam, quum ad hoc usque æui, ambigua permanserit. Si uero, ut nonnulli, qui se ab experientia empiricos nominant, opinantur, per iudicium intelligat, eorum quæ ex experientia eueniunt diiudicationem, sic quoque non est obscura eius rectitudinis difficultas. Sed authorem libri esse dogmaticum, in tota ostenditur commentatione. Prima itaque proœmii particula ad hunc usque locum terminatur. Secundã autem scribit non pronuncianti similis, sed consulenti. Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & asidentes, & exteriora. Quorum uerborum uis talis existit, si debes exquirere, & eorum quæ in hoc libro scribũtur, examinare ueritatem. Nõ modo te ipsum medicum oportet omnia quæ conuenit agere, sed & ægrum,

ἐξ ἑαυτοῦ .i. ex se ipso.

ægrum, atque ministros, & præterea exteriora omnia in nullo delinquere. Prima itaque pars orationis hoc unum caput cõplectetur. Vita breuis, ars uero longa. Nam reliqua quæ sequuntur, artẽ esse longã demonstrant. Post hanc secũda pars, quodam ueluti cõsilium affert uel pactum ad eos qui librum lecturi sunt, ac diiudicaturi. Sed quidnã sibi uult, statim in libri principio hoc scribens, breuem esse uitam, si ad artis magnitudinem conferatur? Nam & hoc ipsum indagare ab initio proposuimus. Sunt ergo nonnulli qui uolũt, id egisse Hippocratem, exhortandi homines gratia ad artẽ naiter exercendã. Nonnulli contra, dehortandi causa. Quidam uero ad hũc finem, ut experiretur atq; discerneret eos qui nauiter, & eos qui secus, artem essent exercitaturi. Alii autem & in hoc uolunt, ipsum causam attulisse, ob quam oportuit scribere commentationes. Quidam adiiciunt aphoristicas. Quidam uero & hoc sermone uolunt ipsum causas assignasse, propter quas hæc ars sit coniecturalis. Alii autem ex quot causis contingat medicos suo fine frustrari. Hi igitur, ut à postremis incipiã, mihi omnino uidentur nihil consonũ dicere. Qui enim hoc esset sapiens inuentum, aut dignum Hippocratis sentẽtia, statim circa initia operis docere, uel quòd ars quædam coniecturalis sit medicina, uel quòd eius frustramur fine, siue hoc fiat ex nobis ipsis, siue ex magnitudine artis? Sed & uerba illa, Nec solum oportet præstare se ipsum opportuna facientem, sed & ægrum, & asidentes, & exteriora: contrarium omnino demõstrant. Hæc enim omnia illi magis scribere conuenit, qui profiteatur omnia quæ in libro continentur esse uera, quã qui fatentur ob plurimas causas non sortiri finẽ. Neq; enim dixisset, Oportet autem: sed post illa uerba, Vita breuis, ars uero lõga, occasio præceps, expe-

rimentum uero periculosum, iudicium autem diffi
cile, hæc alia subiunxisset: Et medicus ipse etiam
delinquit, & ægri, & eorum ministri. Sed neque illi
qui aiunt uoluisse ipsum auertere à studio medici
næ, cum dicat, Vitam esse breuem, artem uero lon
gam, uidentur mihi conuenientia dicere. Nam ex
trema foret dementia simul scribere commenta
tiones, & tradere posteritati ad uitæ utilitatem, &
simul ab initio, non solum à legendo, atque discen
do ea quæ scripseris dehortari, sed ab arte uniuer
sa cuius doctrinam profitearis, abalienare. Qui ue
ro aiunt uoluisse ipsum homines ad artem impen
siori studio capessendam excitare (neque enim ali
ter potest tota tempore breui, quum sit longa, per
disci) Hi & si aliquid ueri dicunt, non tamen mihi
uidentur, uel uiri sententia dignum, uel his quæ in
libro scribuntur, proœmium cõgruens satis osten
dere: Sicuti neque quicunque arbitrantur hoc ge
nus sermonis fuisse ab Hippocrate usurpatum ten
tandi gratia illos, qui ad artem accedunt. Verum
enim est, quod etiam à Platone dicitur, hac maxi
me uia periculum fieri illorum animi, qui quamuis
artem sunt percepturi, si magnam atque difficilem
esse eius perceptionem ostendamus: at hoc haud
quaquam per librũ, sed per mutuos sermones agi
tur. Neque mihi congruens uidetur præsenti com
mentationi, siquidem proœmiũ oportet his quæ
sunt in libro scribenda, cohærere. Nisi forte qs sen
tiat, omnium librorũ primos esse legendos apho
rismos, atque ideo in proœmio commentationis,
communem feciſse de uniuersa arte sermonẽ, per
hunc uolentem ostẽdere, non posse unumquẽque
pro suo arbitrio artem discere medicinalem, quæ
longa sit, sed illos tantum quibus suppetat tempus
ad discendum, & sit natura ad hoc aptior. Quod
si omnino probabile appareat, hãc totius artis cõ

munem esse præfationem, neque illi sunt reprehen
dendi qui aiunt Hippocratem causam assignasse,
ob quam commentationes scribere oporteat. Fe
cit autẽ & in libro qui κατ' ἰητρεῖον inscribitur, om
nium lectionum commune proœmium, quemad
modum in eiusdem libri expositione fuit à nobis
ostensum. Quicunque igitur uel doctrinæ modi,
uel omnino commentationum utilitatis uolũt cau
sam in proœmio assignari, mihi uidetur eorũ sen
tentia præferenda. Nam forma doctrinæ aphoristi
ca, quæ omnes rei proprietates quàm breuissimis
uerbis circunscribit, est illis utilissima, qui uolunt
breui tempore artem docere longam. Atque hoc
omnino, uidelicet scribere commentationes, ob id
quòd uita sit breuis, si ad artis magnitudinem con
feratur, summam habet prę omnibus aliis rationẽ.
Nemo enim nostrum sufficiat ad artẽ simul & con
stituendam & absoluendam, sed satis uideri debet,
si quæ multorum annorum spatio priores inue
nerint, posteri accipientes, atque his addentes ali
quid, illam aliquando compleant, atque perfici
ant. Vel enim propter istorum alterum, uel pro
pter utrunque, mihi uidetur tali esse usus proœ
mio, ac si ita scripsisset: Quoniam artis magni
tudo uitam excedit hominis, adeo quòd ab ho
mine quantumuis diligenti, ac laborioso, non
possit, & inchoari, & ad finem usque perduci,
propterea operæpretium est, quæ quisque co
gnouit ea mandare literis, & tradere poste
ritati commentationes, quæ rerum docenda
rum naturam omnem diligenter, ac cito, &
sermone dilucido interpretentur. Quòd ue
ro ars longa sit, uerba hæc quæ subsequuntur
ostendunt: Occasio præceps, experimentum
uero periculosum, iudicium autem difficile.
Quasi ita dixerit: Vita breuis, ars uero longa,

quoniam occasio præceps,& experimentum periculosum,& iudicium difficile. Propter hoc enim & ars longa,quoniam occasio agendorum in ipsa est admodum præceps,hoc est angustissima,& tenuis momentanea. Præterea quũ sint duo instrumenta per quæ remedia inueniuntur, ratio scilicet & experientia:hæc quidem est periculosa,ratio uero difficilis,hoc est non facilior altera cognitu. Vera aũt esse quæ dicuntur,non est difficile paucis ostendere. Occasio enim præceps est,propter * materiæ fluxum:dico autem corpus, quod continue fluit, & momento temporis transmutatur. Experimentum autem,& ipsum periculosum, materiæ ratione: Neque enim lateres,lutum, ligna,lapides,tegulæ,& coria,ita artis medicinalis,sicuti aliarum materia sunt:in quibus multis modis impune licet experiri,& circa materiã exercitari,& in omni theorematum meditatione uersari. Quod in lignis fabri lignarii faciunt,in coriis coriarii: ligna enim & corium,si male tractãdo destruxeris, nullũ exinde periculum. In corpore autem humano illa experiri quæ non sunt experientia comprobata, non est citra periculum,cũ mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. Et quidem iudicium (est autem ratio ipsa iudicium,quoniam per eam quæ sunt facienda iudicãtur) difficile est,& uerum iudicium,seu uera ratio non facile inuenitur,quod multitudo hæreseum in arte ostendunt medicinali. Neque enim si ueritas esset,inuentu facilis, tot ac tanti uiri,qui illam perquisierunt,unquã fuissent in tam contrarias sectas dispartiti. Empiricis uero non uidetur ratio dici iudicium,sed ea quę fit illorum quæ per experientiam inuenta fuere,auxiliorum diiudicatio. Nam ut uerum fateamur, & hæc difficilis est,& non facilis exploratu:quando multa remedia adhibita fuerunt ægrotanti, & aliquod

τὸ λιγόχρονιώτατος .ī. breuissimi tẽporis.

* διὰ τὴν πίστεχνης ὕλην. propter artis materiã.

illorum in causa fuisse dicatur,ut æger uel melius se habeat,uel deterius:quem si forte contigerit,bene dormisse,deinde unctum fuisse,& postea emplastrum adhibuisse,deinde clysterem,uel spõtaneam habuisse uentris deiectionem,& deinde comedisse,& tales assumpsisse cibos, & post hæc omnia, sensisse iuuamen,uel detrimentum,non facile dictu est,quidnam eorum quę circa ipsum facta sunt,aut iuuerit,aut nocuerit. His igitur ex causis omnibus, iudicium perdifficile est. Iam ergo sermonem totum uno capite colligamus. Ars quidem lõga fit, si eam unius hominis uita metiamur. Expedit autẽ relinquere posteris cõmentationes, præsertim cõpendiosas,atque aphoristicas. Nam talis doctrinæ modus,& ad primam disciplinam, & ad illa quæ didicerimus memoria retinenda, uel si forte obliuio interciderit,ad memoriam reuocanda, utilissimus est. Consonant autem his & uerba sequentia: nam ut qui prooemium fecerit ad commentationem,& ad ea quæ in ipsa scribenda erant,cõueniẽter subinferẽs,hæc protulit uerba: Non solũ oportet præstare seipsum opportuna facientem, sed & ægrum,& asidentes,& exteriora. Si quis, inquit, aliquando diiudicaturus est quæ in hoc libro scribuntur,quantum habeant ueritatis, non solum seipsum præstare debet opportuna facientem, & nihil qđ ægro possit cõducere prętermittẽtẽ:sed & ipse æger parere medico debet,& in nullo ꝓpriæ indulgere uoluptati,ministri etiam idonei asideãt oportet,& exteriora omnia adsint apparata. Nam propter illa plerunque, uel præcognitionem, uel curationem,uel utraque interrumpi contingit. Exteriora autem sunt habitationes idoneę,uel turbarum plenæ,uel omni turba uacantes,& præterea quæ nuntiantur aut aguntur, quæ iram, tristitiam, aut aliquem alium affectum infligunt ægrotanti.&

præterea illa quæ ſomnum nocturnum abrumpũt aliquando, quæ millia ſuper millia poſſunt contingere. Si igitur, inquit, hęc omnia bene & recte ſe habuerint, nihil eorum quæ in hoc libro ſcribuntur, falſum eſſe inuenietur.

II.

IN PERTVRBATIONIBVS uentris, & uomitibus ſpontinis, ſi talia purgẽtur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: ſin minus, cõtra. Sic & uaſorum inanitio, ſi talis fiat qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: ſin minus, cõtra. Inſpicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non.

Non de quantitate eorum quæ euacuantur ſermo ipſi eſt, ut nonnulli ſunt arbitrati, ſed de qualitate tantum, ut manifeſtant duo uerba, Qualia ſcilicet, & Qualis. Nam in his quæ ſponte fiunt euacuationibus, ita dixit, Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt. In aliis uero quę à medico, Si qualis fieri debet ita fiat. Atq; potuiſſet dicere, Si quantum purgari oportet, purgetur: & rurſus, Si tanta fiat, quanta debet fieri. Hoc idẽ oſtenditur, & ex uerbo purgari, neq; enim ſimpliciter dixit, Si qualia oportet euacuari: ſed Si qualia oportet purgari. Eſt autem purgatio, humorũ qui ſua qualitate moleſtant, euacuatio. In his itaq; multi delinquunt expoſitores, qui neq; uerba, neq; hominis mentem recte percipiunt. Adhuc autem magis peccant, quum uaſorum inanitionẽ alii pro inedia accipiunt, alii pro uenæ ſectione. Hippocrates ſiquidem omnem euacuationem ſolet, ab euentu nominare uaſorum inanitionem, quoniã in omnibus euacuationibus cõtingit uaſa inaniri. Sermo quippe nunc ipſi eſt de qualitate eorum quæ euacuãtur. Sicuti autem ſemper adhortatur, ut quæ recte à natura fiunt, etiã medicus imitetur: ſic & nũc idem egit, à ſpontinis euacuationibus, ſuam exorſus orationem: in quibus ſi qualia oportet purgari purgentur (hoc eſt ea quæ corpus infeſtant) confert, & leuiter ferunt. quòd ſi aliorum fiat euacuatio, & non eorum quæ corpora noſtra moleſtant, contrarium euenit: neq; enim confert, & grauiter ferunt ægrotantes. Eodem pariter modo, ſi medicus moliatur aliquam facere euacuationẽ, eorum eſto quæ corpora noſtra moleſtant: quemadmodum & in aliis locis humorem noxium præcipit euacuari, neq; alterum illi in euacuatione præferri. Si igitur pituita ſuperabundet, hanc omnino oportet euacuari: flaua autẽ bile, uel atra infeſtante, abſtinendum eſt à pituita, & bilem infeſtantem euacuandum. Sic & ſi humor ſanguineus in corpore modum exceſſerit, ſanguinem euacuari oportet, ſicuti & ſeroſam eius partẽ, ſi hæc fuerit ſuperabũdans. Humorem autem ſuperabundantẽ, ex colore debemus coniectari, niſi aliqui forte in profundum receſſerint. Color enim ſimilis efflorescit humoribus, ſi non regurgitauerint. In his ergo præcipue, qui retroceſſerunt, & non ſunt æqua portione per totum corpus diffuſi, oportet inſpicere regionem, & anni tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non: hoc eſt in quibus conueniat, aut non talis, uel talis humoris facere euacuationem. Habet enim & unuſquiſque humor in corpore ſuperexcedens indicia propria, de quibus deinceps plenius dicemus: perfectæ tamen gratia cognitionis, inſpicere oportet tempus anni quod præſens eſt, & regionem in qua degunt ægrotantes, & eorum ætatem, & ſpeciem ægritudinis. Sint enim, ſi ita contigerit, flauæ bilis in corpore abundantis indicia,

simul cum ipsis inspiciendum erit, si tempus æsti-
uum,& regio calida,& si æger in ætatis uigore cō
sistit. Eodem modo & in pituita considerandum,si
adsit hiems,si regio frigida,si homo senex. Et præ-
ter hæc omnia ipsam morbi spē inspicere opor-
tet,ueluti quòd tertiana (si ita contigerit) fit à fla-
ua bile modum excedente,quartana ab atra,quo-
tidiana à pituita,cancer ab atra bile,erysipelas,à fla
ua,atque singulæ aliæ morborum species. Si enim
hæc omnia distinxerimus, firmius atque stabilius
ad noxii humoris euacuationem perueniemus. Il-
li autem expositores præ aliis (ueluti absurda di-
centes) repudiandi,qui putant ipsum de sola ine-
dia quæ adhibetur in febribus,sermonem habere:
quum tamen febres nō nominauerit, & sermo fiat
de omnibus quæ sunt præter naturam,quorū nos
docet intentiones,ad quas respicientes non opor-
tet inuenire non quantitatem,sed qualitatem eua-
cuationis,nam de quantitate sequens differit apho
rismus. Quo autem morbi tēpore aggredi opor-
teat euacuationem,& quo modo ipsa sit facienda,
in aliis deinceps dicet aphorismis. Quare neque
nunc mihi de his dicere est necessarium: sic enim
nostra doctrina non foret sapientior,& nostræ cō-
mentationes ad immodicam & minime necessariā
prolixitatem peruenirent.

III.

HABITVS exercitatorum qui ad summum
bonitatis attingunt,periculosi si in extremo con-
stiterint: neque enim possunt in eodem permane-
re,neque quiescere,quū uero non quiescant, neq;
possunt proficere in melius. Reliquum est igitur,
ut decidant in deterius. His de causis, bonum ha
bitum statim soluere expedit,ut corpus rursus nu
triri incipiat: neq; compressiones ad extremum
ducendæ,periculosum enim. Sed qualis natura

fuerit eius,qui debet perferre,ad hoc ducere con
uenit. Sic & euacuationes,quæ ad extremum de-
ducunt,periculosæ. Et rursus, refectiones quum
extremæ fuerint,periculosæ.

Illum qui antecedit sermonem esse de eorum
quæ euacuantur qualitate,docuimus. In hoc autē
& sequentibus uult de quantitate docere, & ab im
moderata repletione,atq; euacuatione initium su-
mit,in hoc quoq; aphorismo proposito, sicuti in
alio præcedente,quoddam exemplum supponēs,
& ad hoc,ut consueuit,suum sermonem dirigens.
Exemplum autem ipsi est,exercitatorū bonus ha-
bitus. Vocat autem bonum habitum exercitato-
rum,illorum scilicet,quorū hoc est totius uitæ in-
stitutum,assidue operam dare exercitationibus,ut
alios deiiciant,more athletarum. Qui enim simpli
citer bonus habitus nominatur,quē plurimi agri-
colæ habent in fodienda terra,metēdis segetibus,
& aliis ruralibus laboribus occupati, ad immodi-
cam repletionem non attingit. Athletarum autem
bonus habitus paruam hanc culpam habet, quòd
studeat molem corpori adiicere,& (ut liquere po-
test) humorum multitudinē. Hi enim apparatus
quidā sunt totius corporis nutritioni. qui nisi ipsi
præsto sint,fieri non potest,ut corpora ad molem
immodicam perducantur. Quare necessarium est
huiusce modi dispositionē esse periculosam. Quū
enim uasa cibis ac potibus fuerint supra modum
repletā,periculum est,ne disrumpantur, aut calor
natiuus stranguletur,aut etiam extinguatur. Sicuti
& nonnulli athletæ,qui quum ad immodicam ue-
nissent repletionem,subita morte interierunt. Qui
autem ad naturæ opera utilis est bonus corporis
habitus,nulli tali periculo obnoxius est,quia nun-
quam ad extremā peruenit repletionē: quare neq;

ipſum ſoluere oportet, ſicuti habitum athletarum, quum ad extremum peruenit. Hunc enim ſoluere oportet, haudquaquam morantes, ſed anticipantes ſolutione periculum. Cauſam uero ob quam ſoluere oporteat, talem ipſe ſubiecit dicens: Neq; enim poſſunt in eodem permanere, neq; quieſcere. Nam quum ſemper natura coctionem, alimenti diſtributionem, ſanguinis generationem, adiectionem, agglutinationem, atque aſſimilationem operetur, quando nihil adiici ſolidis corporis partibus poteſt, neque uenæ amplius habent conceptaculum in quod alimẽtum diſtributum recipiatur, tunc periculum neceſſario imminet, aut diſruptionis uaſis alicuius, aut mortis repẽtinæ. Vt igitur corpus rurſus habeat locum quo nutriatur, bonum habitum oportet ſine mora ſoluere. Eius autem ſolutio eſt euacuatio, ut liquet. Et hanc quoq; oportet nõ ultra modum facere: quum ſit immodica euacuatio non minus immoderata repletione periculoſa. Intentio autem quantitatis euacuationis, non ſolum humorem reſpicit ſuperabundantem, ſed & naturam, hoc eſt uires hominis qui debet euacuari. Alii enim, aliis magis perferũt euacuationes. Hæc quidem ab ipſo de bono habitu athletarũ dicta fuere, quæ ipſa per ſe ipſa poſſunt conducere his qui tale uitæ inſtitutum elegerunt medicis autem ſunt ueluti exẽplum ſermonis poſtea ſubiungendi. Inquit enim: Sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt, periculoſæ. Et rurſus, refectiones quum extremę fuerint, periculoſę. In quo ſermone toto ſumma ſententiæ hæc eſt quod neque euacuare, neq; replere ſupra modum oporteat: cuius rei documento eſſe poteſt bonus habitus athletarum, qui alioquin inculpabilis exiſtens (ut qui & bonis abundet humoribus, & uires habeat robuſtas) hoc ſolum malum perma-

ximum gerit, quòd ad extremam uenit repletionem: quapropter ſtatim eum ſoluere oportet. Et ſicuti rurſus qui ſunt tali habitu præditi, non ſunt ad extremam euacuationem perducendi: ſic & qui alia quauis egent euacuatione, non ſunt ſupra modum euacuandi. Nam, ut in uniuerſum dicamus, in omni euacuatione uires ægroti oportet attendere, & donec tolerat, & nondum laborat, tentandũ eſt humorem exuperantem educere: quum uero hæ diſſoluuntur, etiam ſi reſtent ſuperfluitates, cauere oportet earum euacuationem. Quod autem ait, Et rurſus refectiones extremæ quum fuerint, periculoſæ: ſi quis debeat ſermonem hunc ad exemplum referre, ne ſit decurtatus, de ultima dictus repletione uidebitur, quam iubet caueri, & non uſq; adeo refici corpora, ut ad extremam ueniant repletionem. Si uero ſermonis figuram attenderis, ut nonnulli expoſitores fecere, de eadem re bis ipſum dicere, ſed aliter atque aliter, cogitabis. Quum igitur ita dixerit, Sic & euacuationes, quæ ad extremum perducunt, periculoſæ: hoc ſolum putabis præcipere, fugiendas eſſe immodicas euacuationes, quoniã ſint admodum periculoſę. Quũ uero ſubiungens dixerit, Et rurſus refectiones, quũ extremæ fuerint, periculoſę: ob hoc uetare immodicas euacuationes, quoniã & refectiones in ipſis haudquaquã ſecuræ exiſtunt, quũ ſit natura iam facta imbecillis, & neq; iam poſsit ſufficiẽter coquere, neq; diſtribuere alimentũ, neq; aſſimilare. Verũ ſi quis ita ſermonẽ acceperit, altera doctrinæ pars, de ſuperflua repletione relinquetur, & fruſtra exemplum de bono exercitatorum habitu erit allatum. Quidq; & hoc ipſum uerbũ, rurſum, in tota adiectum oratione, ſententiã quã diximus uidetur manifeſtare, quum ita dicat, Et rurſus refectiones, quũ extremæ fuerint, periculoſæ. Vt enim qui de alte-

ra re ſermonem faciat, ita uerbum rurſus appoſuit.

IIII.

VICTVS tenuis, atque exquiſitus, in morbis quidem longis ſemper, in acutis uero, in quibus non conuenit, periculoſus. Et rurſus qui ad extremum, deuenit tenuitatis, grauis eſt. Nam & repletiones, quæ ad extremum deueniũt, graues ſunt.

Quum in ſuperiori aphoriſmo de qualibet immodica repletione, atque euacuatione locutus fuerit, in hoc de ęgrotantium uictu ſermonem habet, præcipiens nobis, in morbis lõgis ſemper uictum cauere tenuem, in acutis uero nõ ſemper. Plurimi enim horum uictum tenuem exigere uidẽtur, quidam uero eorum, & illũ qui ad extremum tenuitatis deuenit: eſſet autẽ uictus tenuis in extremo, qui per ſolam inediam, uel melicratum, uſque ad criſim, ſiue iudicationem procedit. Tenuis uero, qui perpauca, aut parum nutriẽtia edulia, quale eſt ptiſanæ ſuccus. eius autem terminus eſt, uirium exolutio, quarum gratia nutrimus. In ſanis quidẽ corporibus ſemper oportet robur ſeruare naturæ, uel augere alimentis, nõ demoliri. Et augens quidem alimentum eſt quod plenum uocatur, conſeruans uero quod modicum exiſtit, quod uero cõminuit tenue. Hoc igitur ſemper fugere oportet: aliis uero, ut præſentia exigunt, uti. In ægrotantibus autẽ † raro accidit, ut robur corporis maius reddere, q̃ acceperimus ſtudeamus. Magna uero ex parte ꝑperamus, in lõgis quidem morbis fouere uires, in acutis uero modicẽ debilitatas conſeruare. Nam ſi eas tales, quales accepimus, properemus in iſtis ſeruare, uel etiã augere, ſemper addemus ad morbum. Qui uero ſint morbi acuti qui uictũ exigant tenuiſſimum in extremo, & qui tenuiſſimum quidem, non tamen in extremo, qui etiam tenuem, in

† Alicubi græ legiẽ σπαρτὸν μεν᾽ ενιο᾽ π δε᾽.i raro quidẽ nonnunquam tamen.

libro de uictu acutorum (qui de ptiſana à nonnullis inſcribitur) plenius Hippocrates docuit. Et nos in noſtris in eũdem librum expoſitionibus, totum ſermonem abſoluimus. Nunc uero tantum dixiſſe ſufficiat, quòd in omnibus morbis, quibus uigor, & iudicatio primis quatuor diebus futura ſit, modo natura ſit fortior, integram inediã ſeruare debemus, quæ eſt uictus tenuiſſimus in extremo. In quibus uero non ultra primam ſeptimanam protrahantur, forti exiſtente natura, ſolo utendum eſt melicrato: ſolus autem & hic ipſe uictus tenuiſſimus eſſet, non tamen in extremo. Quòd ſi naturæ robori non ſatis fidamus, ptiſanæ utemur ſucco. Rationabiliter autem huiuſcemodi uictus tenuis diceretur, ſicuti qui per ptiſanam hordeaceam, nõ eſt quidem tenuis exquiſite, niſi omnino pauca aſſumpta fuerit, non tamen propterea plenus, qualis qui fit per oua, & alicã, & piſces, atq; alia huiuſcemodi. Quod igitur adiectum eſt ſermoni de acutis, in quibus non conuenit, haudquaquam dicitur propter peracutos: de his enim ipſe mox inquiet. Vbi igitur morbus peracutus eſt, ſtatim & extremos labores habet, uictu etiam in extremo tenuiſſimo utendum eſt.

V.

IN TENVI uictu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniori uictu: propterea etiam ſanis periculoſus exiſtit ualde tenuis exquiſitus & conſtitutus uictus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis uictus, atque admodum exquiſitus, eo qui ſit paulo plenior, magis periculoſus.

Huius initium aphoriſmi etiam aliter ſcriptum inuenitur, hoc modo ſcilicet. In tenui uictu magna

ex parte † duo peccant qui ęgrotant, quo fit ut magis lædantur. Et hanc ſcripturam plerique magis altera probant, hoc putantes Hippocratem uoluiſſe dicere, quòd in tenui uictu bifariam ægri deliquętes magis lædantur: nam inſciis medicis obhoc ipſum coguntur cibari, quoniam tenui uictu ab ipſis regũtur, & hinc maius detrimentum ſuſcipiunt, quàm ſi uictu tenuiore nõ regerentur.* Adhuc autem delinquũt, ſcilicet & iam natura exiſtente imbecilli, ut quę antea aliměti inopia laborauerit. Mihi autem uidetur prior ſcriptura melior, ut quæ hanc quoque complectitur, & ſermonem facit generaliorem, quum de omni delicto doceat, ſiue uolentibus, ſiue inuitis ægrotantibus accidat, adeo ut talis ſit ſermo. Quicunque error accidit ægrotantibus, qui tenui uictu reguntur, hic maximum affert periculum, & quia natura à tali uictu debilitatur, & quia ad eum tranſitus eſt inſuetus. Confirmant antedictam ſcripturam, ea quæ de ſanis dicuntur, in quibus tenuem ait uictum eſſe periculoſum, quoniam errores grauius ferunt: non quia propter uictus tenuitatem cogãtur delinquere. Quæ uero de aphoriſmo ſequuntur ſunt manifeſta.

†Exẽpl. Leonicẽ uidet habuiſſe δῦο μὲν λαν βλα' πονπες, & pinde ſic ille uertit

* Quod autẽ delinquunt manifeſtum eſt, quoniam uires habent imbecillas. hoc uidẽtur uelle impreſſ. cod. Leonī. tamen uidet legiſſe · ἐπ δὲ' ᾶ μαρτα'νϱσι δηλονο'π ἢ

VI.

EXTREMIS morbis, extrema exquiſite remedia optima ſunt.

Extremos morbos nominauit Hippocrates ſummos, ultra quos non ſunt alii. Quare præcipit in ipſis fieri exquiſitiſſimam totam curationem, & uictum † pariter adhiberi tenuiſſimum. Eſſent autem omnino morbi huiuſcemodi peracuti. Vnde ſequentem ſubiungens aphoriſmum, ait.

† δηλονο'π uidelicet.

VII.

VBI MORBVS peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extreme tenuiſſimo uictu utendum eſt: ubi uero non, ſed plenio rem uictum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum eſt, quanto morbus extremis eſt mollior.

*Sicuti extremos morbos, ſummos nominauit: ita & nunc extremos labores, ſummos appellat: labores autem uel accesſiones uel ſimpliciter † caſus uniuerſos. Etenim accesſiones, atque omnes ſimpliciter caſus maximos poſſidet morbus peracutus ſtatim in primis morbi diebus: nam in ipſos ſtatim morbi incidit uigor, qui nihil aliud eſt, quàm morbi quantum ad caſus ſpectat ſummum. Et quidem morbus ille eſt peracutus, qui ſtatim in ſummo uigore conſiſtit. Statim autem eſt intelligendum, circa primos quatuor dies, uel paulo ulterius. Idcirco autem extreme tenuem uictum adhibere conuenit, quoniam uictus tenuiſſimus morbis iam conſiſtentibus eſt neceſſarius, quem admodum docuit in libro de uictu acutorum, & in hoc ipſo aphoriſmo. Conſiſtit autem morbus peracutus ſtatim in primis diebus. Quod autem ſit rationi conſonum in morbi uigore, tenuiſſimo uti uictu, alibi eſt à nobis plenius oſtenſum. Nunc id tantum dixiſſe ſat erit, quòd ſi quis propter inflammationes uel febres, quæ à morbis acutis ſunt inſeparabiles, quiſpiam uetetur effatu dignum afferre alimentum: hoc ipſum morbo in ſuo uigore conſiſtente magis uerebitur facere. Tunc enim phlegmaſiæ maxime exiſtunt, ut ipſe inquit in libro de uictu acutorum: ſiue quis per phlegmaſias uelit intelligere

ὥσπερ ἐ'μ προσθεν ait cod. anti. i. ſicuti prius

† Συμπω'ματα

Labor.

Morbis peracutis.

Inflãmationes & febres, à morbis inſepara. biles. anuſ.

Φλεγμασίας.

illas quæ proprie dicuntur inflammationes, siue etiam libeat febres unà complecti, secundum antiquam uocabuli acceptionem. Accedit ad hæc, ꝙ melius est naturam permittere uacare circa morbi coctionem, morbo in suo uigore consistente, neq; distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos cõficiendos. His itaq; rõnibus, quũ morbus cõsistit, uictu tenuissimo oportet uti. Hoc ergo supposito, in aliis morbis q̃ suũ uigorẽ sunt posterius accepturi, nõ licet afferre statim ab initio tenuissimũ uictũ. Nã prius homo morietur, q̃ morbus in uigore cõsistat. In quibus uero morbi uigor statim futurus est, hoc est in primis quatuor diebus, in his possumus uictu extreme tenuissimo uti: si etiam uires tolerent inediam omnimodã, & solius melicrati exhibitionem, & ptisanæ succum, paucum omnino. Talis siquidem est tenuissimus uictus. Qui uero hoc minus tenuis existit, quem etiam pleniorem nominauit, illis cõuenit morbis qui posterius in suo debent uigore consistere, in quibus præcipit tantum à uictus tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis recedit, hoc est à uigore summo. Hoc.n. proximo existẽte, paulo pleniorem uictum afferemus: longius uero distante magis plenum, & quanto tardiorem fore summum morbi uigorem expectabimus, tantum uictus figuram commutabimus.

Natura à morbi concoctione nõ auocanda.

Victus extreme tenuissimus.

VIII.

QVANDO morbus in suo uigore constiterit, tunc uictu tenuissimo utendum est.

Hic pariter sermo pars quædam est artis, quæ docet uictum conuenientem adhibere, qui à nonnullis seorsum scribitur per uerba nuper dicta, ab aliis uero antecedẽti annectitur aphorismo, eo modo quo antea scriptus est. Docet autẽ nos, utcunq; scribatur, unam & eãdem uictus rationem antiquo magistro

magistro præcipiente: Vbi morbus in suo uigore consistit, uictu tenuissimo utendum est, tum propter casuum magnitudinem, tum propter morbi coctionem. Neque enim distrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, cum eo tempore uni humorum noxiorum coctioni fortiter uacet, & haud ita multo post ipsos sit euictura. Sic enim ostendimus & in tractatione De crisibus. Nunc uero de his tantum morbis sermo transigitur, in quibus omnino, & curationem, & uictus intendimus rationem: hi uero sunt in quibus post uigorem sequitur declinatio. Nam quorum summum uigorem excipit mors, in his parte artis utimur, quæ prognostica nominatur, id quod futurũ sit prænunciantes, ne euentus rerum nostro adscribatur errori. Hæc igitur tibi sit una indicatio sumpta ex morbi tẽporibus ad uictus rationem, altera uero à uiribus ægrotantis, quam in sequẽti docet aphorismo.

IX.

CONIECTARI autem oportet, an æger cum uictu sufficiat perdurare, donec morbus consistat, & nũquid prius ille deficiat, nec possit cum uictu perdurare, uel morbus ante deficiat atque hebetescat.

Quia in superiori aphorismo tantum iussit ab eo, q̃ extreme tenuis uictus nominatur, declinare, quanto morbus mollior extiterit, quàm sit eius uigor, nunc in hoc loco alteram adiicit intentionem, ut quantitatem declinationis exquisite noscamus. Est autem hæc intentio uis ipsa ægrotantis, cuius gratia nutrimus, neque enim morbi causa. Quum enim uis ita robusta fuerit, ut speremus ipsam posse perdurare totum tempus intermedium, usque ad summum morbi uigorem, cũ tali uictus

forma, tunc exquisitam habebimus declinationis (quam diximus) quantitatem. Quòd si imbecillior† extiterit, adiiciendum aliquid uictui, & plenior est adhibendus, tantum scilicet, quantum uirium imbecillitas expostulat. Quocirca aliquãdo in ipso morbi uigore, ubi casus aliquis interuenerit, robur naturæ dissoluens, nutrire cogimur. Esset autem hic sermo pars totius offerendi alimenti rationis. Et si quis, & hunc & priorem atq; sequentem aphorismum unum fecerit, non aberrabit. Ego uero in partes secans expono, quoad fieri potest, doctrinæ gratia clarioris.

†φαίνηται

X.

QVIBVS igitur statim morbus consistit, iis statim tenuis uictus adhibendus est: quibus uero posterius debet consistere, his & in ipso consistẽdi tempore, & parum ante illud cibus subtrahendus, prius uero uberius agendum, ut æger sufficiat.

Hic pariter sermo eandem sententiam habet cum priore, nisi quòd est illo uniuersalior. Prius enim in peracutis morbis dicebat, quòd statim in ipsis tenuissimo uictu uti oporteret. Hic uero simpliciter de omnibus morbis pronunciat, quibus statim consistendi tempus futurum est, hoc est non multo post primam accessionem, iubens ob id tenuem adhibere uictum. Quæ uero sequũtur, manifesta, quum eidem hæreant sententiæ.

XI.

IN ACCESSIONIBVS abstinere oportet: nã cibum dare nocuum est, & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

Totius quidem uictus rationem in unoquoq;

morbo à duabus intentionibus iussit assumere, ex summo totius morbi uigore, & ex uiribus ægrotantis. Quo modo uero quispiam particulatim cibum offerat conuenienter, in hoc docet sermone, caueri iubens morborũ accessiones: ipse uero manifestius in libro de uictu acutorum dixit, Quã neque quum iam adsunt, neq; haud ita multo post affuturæ sunt accessiones, cibus dandus est, sed quum declinant aut cessant.

XII.

ACCESSIONES uero, & constitutiones, morbi indicabunt, & anni tẽpora, & circuituũ successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed ex his quæ mox apparent, indicia sumuntur, quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat: si uero postea appareat, producit. Et urinæ, & alui excrementa, & sudores, quæcunque apparuerint, uel bonam morborum iudicationem, uel malã, uel breues, aut longos fore morbos ostendunt.

Si quæ prius dicta fuerunt ab eo de uictus ratione ad memoriam reuocemus, eorum quæ nũc dicuntur, utilitas fiet nobis manifestior. Quæ autem prius dicta fuerunt, hęc sunt: Totius uictus figuram ad duas respiciens intentiones faciebat, quarum altera erat uis ægrotantis, altera constitutio morbi. Nam si morbus sit acutus, uel peracutus, uel longus, & quãdo maxime in uigore consistet, nihil aliud est, nisi morbi cõstitutionẽ cõsiderare: particulares autẽ ciborũ oblationes ex accessiõibus cõiecturabatur. Quũ igitur tres essent intentiones ad ꝑfectam & absolutã uictus rationem, prima quidem sumpta est ex uiribus ægrotantis, secunda ex morbi constitutione, & tertia

præter has ex particularibus accessionibus. Vires quidem sub primo statim ingressu comprehendere medicus potest, ex pulsibus scilicet, & aliis, quæ ipse in libro prognostico latius scriptitauit: quàuis forte quis dixerit uirium magnitudinem esse incomprehensibilem. At si non possumus earum quantitatem exquisite cognoscere: posse nos tamen artificiosa quadam coniectura ad ueritatem proxime accedere, nemo inficiabitur. Sed morbi constitutionem qualisnam sit, & particulares accessiones, multi medici existimarunt nō posse dignosci: non tamen idem sensit Hippocrates, sed & in hac parte, sicuti & in aliis †sæpe quidem exquisite, & ut quispiam dixerit, perite, atque scienter, sæpe uero coniecturaliter, non tamen inartificiose, neque longe à ueritate, sed prope atq; proximius peruenimus ad cognoscendum futurum consistendi tempus, & accessionum successiuas reciprocationes. Verum hæc omnia latius, & in libris qui Prognostica, & in alteris qui Epidemiæ inscribuntur, Hippocrates docuit: & nos, iuxta antiqui magistri sententiam ipsius uerba cum decenti expositione apposuimus in libro primo De crisibus, in quo ostendimus quo modo quispiam futurum morbi uigorem possit præcognoscere. Nunc uero omnia sunt ab Hippocrate per capita tradita. At nos quàm breuissime fieri poterit ipsa dilucidabimus. Quibus uero curæ est omnem de his disciplinam diligenter perdiscere, ad librum de crisibus à nobis scriptum, legendum accedat. Ipsi quoque morbi, & accessionum similes proportiones, & suas etiam constitutiones nihilominus ostendent, uelut in intermittentibus, quòd tertiana cito †terminatur, quotidiana uero longa est, quartana autem etiam hac lōgior existit. In continuis uero, †incendētes quidē acutæ sunt, quæ uero typhodes, id est

†Græca exēpl. manu scrip. addunt ἁπαμ'πων .i. omnibus.

succendentes nominantur, longiores, mediæ uero inter has semitertianæ. Quo modo uero quispiam has omnes febres statim inuadentes dignoscat, secūdo libro de crisibus plenius edocuimus. Quare non oportet ad hunc transferre sermonem quæcunque bene dicere in aliis anticipauimus, neque sæpius eadem in pluribus libris sunt repetenda, sed solum ad memoriam reuocandum, ut si possibile fuerit tertianam inuadentem statim ab initio cognoscere, ex ea comprehendere queamus, quòd cito terminabit, & quòd per tertium diem fient accessiones, & hoc est quod ab Hippocrate dicitur: Accessiones autem, & constitutiones morbi indicabunt. Nos quidem quum statim prima die febrium quartanarum initia sæpe cognouissemus, nō expectata secunda accessione, formā uictus ab initio constituimus, tanquam ad morbū qui lēgo post tempore ad suum uigorem foret peruenturus: sic in quotidiana, & tertiana fecimus, tempus futuri uigoris in utrisque secundum proprium terminum metientes. Sicuti autem in febribus, itidem in aliis morbis est faciendum. Morbus enim lateralis, & qui peripneumonia, & phrenitis à Græcis nominantur, morbi acuti sunt. Angina autem, iuxtangina, & cholera, & distentio neruorum, peracuti. A qua intercutem, atra bilis, & suppuratio, & tabes, diutini. Et morbo qdē laterali, & phrenitidi magna ex parte per tertium diē accessiones fiunt. his autē quæ uentri eueniunt, aut hepati, suppurationibus q; & tabi, quotidie, & magis ad noctem: qui uero ex liene laborant, & omnino ex atra bile, per quartum. Quod autem subinde dicitur de anni temporibus, ad ea quæ antea dicta sunt, habet relationem. nam & morbi cōstitutiones & accessiones, possunt ab anni temporibus unà cum morbo indicari, neque enim sufficit hoc tātū

sciuisse, quòd quartana inuasit hoc die, ut ab initio præcognoscamus instituendam esse uictus rationem, ut ad morbum futurum diutinum: sed etiam si hieme, aut uere, uel æstate, uel autumno suum fecit initium, prospicere oportet, id cognoscentes quòd æstate quartanæ magna ex parte breues sunt, autumnales longæ, & magis quæ hiemẽ attingunt. Nã hæc eadem ipse nos in sequentibus edocebit. & quidem tertiana febris, quum alioquin cito terminetur, citius tamen æstate quàm hieme: & aliis pariter singulis morbis æstas addit celeritatem, hiems uero tarditatẽ. Sed & accessiones, per tertium quidem magna ex parte æstate fiunt, per quartum uero autumno, singulis uero diebus aut noctibus hieme. Sicuti autem in anni temporibus, sic & in temperaturis, ex proportione se habet, de quibus & ipse Hippocrates sæpe disseruit, non tamen hic quidquam dixit, ut qui ex uno alia nobis ad memoriam reuocanda reliquerit. Quæ enim tempus æstiuum, eadem & ęgri temperatura, si fuerit calidior, & siccior, & ætas si in suo uigore constiterit, & locus si calidus & siccus, unà indicabunt. Liquet autem quòd & industria uitæ, & assuetudo eodem modo se habent, & præsens aeris nos ambientis constitutio, de quibus postea docebit. Sic & quæcunque de tempore autumnali ad morbi constitutionem, & accessionum reciprocationem assumebantur, hæc eadem & de ætate ægrotantis, atque natura, & uitæ industria, & assuetudinibus, & regione in qua ægrotat, & aeris ambientis, quæ tunc uagatur, temperatura, assumere licet. Ex his quidem iam constare potest, quòd & morbi cõstitutionem & accessiones cognoscemus. Constitutionẽ quidem, si morbus fuerit peracutus uel diutinus, quod ad consistendi tempus agnoscendum est necessarium. Accessiones uero an per tertium,

uel per quartum, uel singulis diebus, siue qua hora diei aut noctis sint inuasuræ. Quod uero circa finem aphorismi scribit, deinceps uideamus, si ad eorum quæ nos diximus facilitatem declarationem: sic enim Hippocrates inquit, Et circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiunt. Clarum est autem intelligere per circuituum incrementa, accessionum augumenta quæ in ipsis eueniunt, ex quibus ostenditur & morbi †augumentũ, & futuri uigoris tempus præfinitum, hinc discere possis. Secundę accessionis ad primam accrementum in hisce tribus conspicitur, in hora qua fit accessio, in longitudine accessionis, & in magnitudine. Nihil autem differt, si etiam in uehementia dixeris: quia hæc duo nomina sunt apud medicos usitata, & sæpius ea de re eadem pronuntiant, cum aliquando dicunt maiorẽ fuisse febrẽ ea quæ præcessit, aliquãdo uehementiorem. Contingit autẽ hanc febrem uehementẽ, uel æquales horas cum præcedente obtinere, uel pauciores, uel plures, quod ad magnitudinẽ non pertinet, siue uehemẽtiã accessionis, sed ad prolixitatẽ. Per accessionẽ autẽ te nunc oportet intelligere deterius tẽpus totius circuitus, quæ est à primo insultu usq; ad tẽpus consistendi, sicuti reliquũ tẽpus declinationis est melius. Quũ itaq; accessio siue per tertium, siue per quartum, siue quotidie fiat, simili anticipauerit ꝓportione, atque ita anticipando ad longius extenditur tempus, atque insuper uehementius afflixerit: tũc manifestum est morbi augmentum. Quantũ autẽ augebatur, unumquodq; ex dictis sua quantitate mõstrabit. si qdẽ accessio pluri tẽpore anticipãs, & lõgius atq; etiã uehementius affligẽs, effatu dignum indicabit augmentũ, & uelocem esse morbi

†Alibi nõ χρό'νων ἀλλ' ἐπιτάσεως. i. tempus augmẽti, sed πρό'σ. κνι. mv.i.mo dũ, legit. Lon. Cipiãdo hõmõ hia ac. Cossionis.

Circuitũ, ũm mero. menta.

Accessio.

Anticipatio.

motum, atque haud ita multo post in suo uigore futurum. Neque enim fieri potest, ut magna incrementa suscipientibus accessionibus non proxima sit morbi cõsistentia. Cõtraria aũt accessio, q̃ scilicet parua faciat incrementa, omnium eorũ quæ diximus, quantum ad hoc attinet, longius distare futurum morbi uigorem ostendit. Hoc igitur ipsum per circuituum incrementa discemus coniectura assequentes post quantum tempus morbus in suo uigore consistet, ac præterea horam præfinitam qua accessio inuasura sit. Conducit autem prima cognitio ad formam totius uictus constituendam. Secunda uero ad temporum particularium cognitionem, in quibus cibus est dandus, quorum intẽtiones ipse ab initio docere proposuit. Quod autem circuitum uocet similem ad idem reditum, neminem puto dubitare. Sed & ex his quæ mox apparent ait coniecturandum esse de accessione, & totius morbi constitutione. Siue autem †casus, siue signa uelit quispiam illa quæ mox apparent nominare, nihil retulerit. Illud autem de omnibus casibus signisve est cognoscendum, quòd nonnulla quidem eorũ significant pasionem, aliqua assident, aliqua decernunt, ac iudicant, aliqua coctionẽ, aliqua cruditatem, aliqua salutem, aliqua perniciem ostendunt. Pasionis significatiua sunt quæ unà cum morbo inuadunt. Quæ uero assident, aliquando simul inuadunt, aliquando superueniunt, nonnunquam uero neque omnino ueniunt. Neque enim sunt à morbo inseparabilia, neque eorum ueluti substantiam constituunt, sed proprias faciunt differentias. Quæ uero ab Hippocrate decernentia, siue iudicantia uocantur, cum primo quidem exquisite morborum principio non sunt apta natura inuadere: cum duobus aliis autem apta natura sunt: de quibus paulo postea dicemus.

†Symptomata.

MOX APPARENTIA.

Aliquando uero neque in his, sed cum morbi augentur, aut iam consistunt apparent. Signa uero coctionis inuadunt quidem, & ista nunquam in primo statim morbi principio: terminant autem illud principium quod est pars totius morbi. Signa uero cruditatis cum primo morbi principio statim inuadunt, & nonnunquam posterius apparent, sicuti & mortis signa. Nam & horum generatio morbi principium subsequitur. Morbi autem principium intelligi uolumus, ut in commentariis de crisibus manifestauimus, & primum eius insultum, quod nullam habere latitudinem dicitur, & id quod est sicuti pars totius morbi, quando in principium diuiditur, augmentum, & tempus cõsistendi, & declinationem, & aliud, quod usque ad tertium extenditur diem. Sed & in eadem tractatione docuimus omnium casuum potestates, & simul quæ expositione indigere uidebantur uerba Hippocratis ad hoc pertinentia, exposuimus. Sed & nunc per modum compendii de ipsis à nobis dicetur. Qui uero uoluerit totam Hippocratis artem circa ista perdiscere, ad illam uadat tractationem. Ex mox apparentibus igitur totam iubet morbi constitutionem cõiectari, deinde quãdam morbi speciem in medium adducens ita inquit: Veluti in laterali morbo, si circa initia statim » sputum appareat, morbum inchoantem breuiat, » si uero postea appareat producit. Quod aũt do » cet pspicue addisces, si tibi apposuerim ex tertio libro Epidemiarum, quæ ipse de Anaxione scribit morbum lateralem patiente, quem etiã ægrotum ego in primo libro de crisibus mea expositione patefeci, uerba autem Hippocratis hæc » sunt. In Abderis Anaxiona, qui iuxta portas Thra » cias, febris acuta inuasit, lateris dextri dolor con » tinuus, tussis sicca, neque primis diebus expuebat

aliquid, sitibundus, peruigil, urinæ bene coloratæ, multæ, tenues. Sexta die delirauit, neq; calefacientia aliqd proficiebant. Septima die magis laborabat, quia febris intendebatur, neque dolores cõminuebantur, & tusses infestabant, & difficulter spirabat. Octaua uenam in cubito secui, sanguis plurimus fluxit, & qualem oportuit, dolores aliqua ex parte cessarunt, uerum tusses siccæ subsequebãtur. Vndecima die febres decreuerunt, parum circa caput sudauit, tusses & quæ à pulmone, humidiora. Die decimo septimo cœpit paucum, quid coctũ expuere. leuatus est, siti premebatur, & quę ex pulmone purgationes, non erant admodum bonæ. Vigesimo die sudauit, & desiit febricitare. Post crisim leuatus est. Vigesimo septimo die febris rediit, tussiit, multa concocta educebat, urinis plurimũ sedimẽ albũ, sitis cessauit, bene spirabat. Trigesimo quarto die sudauit totus, & post crisim omnino ex febre cõualuit. Hic igitur Anaxion ab initio morbũ lateralem patiebatur, non tamen ab initio expuebat, sed & octauo die adhuc tusses siccæ subsequebantur, ut inquit Hippocrates. Quare rationabiliter totius morbi solutio ad trigesimum quartum diem extenta est, quum tamen magna ex parte lateralis morbus terminum suæ iudicationis habeat quartumdecimum, & si non hunc, saltem omnino uigesimum. Quod si ante tertium diẽ expuisset, uel circa septimũ, uel nonũ, uel undecimũ diẽ, iudicatio esset subsecuta: & si in ipso die tertio spuere cœpisset, quartumdecimum diẽ non transcendisset. Hoc enim accidit in omnibus inflammationibus, quæ non teguntur operculo densiore, uti in his quæ exteriorem occupant cutem, quandam † saniem resudare, ab initio tenuem: postea uero si coctionem accipiant, & ad melius proficiant, crassiorem, & ex hac ipsa

Terminus lateralis morbi aut XIIII aut XX dies.

Ἰχῶρας.

Inflammationũ excrementa.

crassiore aliquam esse magis concoctam, aliquam uero minus. Hoc idem in omnibus inflammationibus, quæ uel os, uel oculos infestant, licet intueri: nec minus in quacunque alia corporis parte, quando pars aliqua interior simul cum cutis diuisione patitur inflammationem. Nam ex huiuscemodi ulceribus sanies profluit talis, qualem ego dixi. Quando igitur aliqua fuerit inflammmatio cum tanta meatuum angustatione, ut nihil extra effundatur, necesse est illam esse & coctu difficilem, & longo tempore perdurare. Hac igitur ratione & in morbo laterali (qui & ipse est ex genere inflammationum) attendere oportet signa coctionis. Nam crudissimus morbus est, in quo nihil omnino expuitur: Secundum ordinem obtinet ille, in quo sanies tenuis est: Tertium, in quo crassior: Et quartum, in quo perfectam habet coctionem. Verum si hæc circa tertium uel quartum diem apparuerit, non contingit morbum transcendere septimum diem: in aliis uero singulis necesse est, ut pro coctionis modo, mensura temporis consequatur. Sicuti igitur sputum, perfectæ coctionis est signum, quando album fuerit, & lene, & æquale consistentia, neq; nimis humidum, neque nimis crassum: eodem modo integram cruditatem ostendit quod nullo modo expuitur. Quod si expuatur quidem, sed tenue adhuc fuerit, debilis coctionis est signum. Quod si impermixtum fuerit, uel flauum, uel ruffum, haudquaquam bonum. Quod si liuidum fuerit, aut ærugini simile, aut nigrum, perniciosissimum existit. Quum itaque à nobis distincta sint signa coctionis & cruditatis, & præterea tertium genus exitialiũ, illud scire oportet, quod signa coctionis semper sunt bona, ut

In pleuriti de signa Coctionis.

Sputum bonũ & malum.

Consistentia.

Color.

quæ morbi ſolutionem haud ita multo poſt futu-
ram oſtendant, ſicuti & genus ſignorum exitia-
lium mortem ægri citam prænuntiant. At uero
ſigna cruditatis diutinum quidem ex neceſſitate
morbum ſignificant, ſed quantum in ipſis eſt, neq;
moriturum, neque euaſurum è morbo hominem
oſtendunt. Tibi uero prius ratiocinanti, & ægroti
uires expendenti, etiam ex his licet prægnoſce-
re. Aliud eſt ſignorum genus quæ criſima, id eſt
iudicatoria ab ipſo nominantur. Sunt autem hæc,
ſudores, ſanguinis fluxus, & rigores, multum alui
profluuium, & ſimilis uomitus, dolor capitis re-
pente inuadens, difficultas ſpirandi præter ratio-
nem & uehemens, uel cordis morſus, ilia citra do
lorem extenta, uigiliæ plurimæ, delirium, & nox
abſque ratione moleſta, & accelſio anticipans, &
lachrimæ inuolũtariæ nihil patientibus oculis, ne-
que ex triſtitia prouenientes, rubor faciei, & labrũ
inferius agitatum, lucida, uel obſcura, & tenebro-
ſa quædam ante oculos obuerſantia, & allucinatio-
nes quædam, & malæ uel naſus repente rubeſcen
tes, parotides, aut omnino materiæ alicuius in ar-
ticulum decumbẽtis generatio. Hæc igitur omnia
& præter hæc alia multa huiuſcemodi ſecundum
propriam eorum ſubſtantiam caſus nominata,
quatenus uero ſubitam mutationem oſtendunt
ſigna criſima, ideſt iudicatoria appellata, duplicẽ
tibi præſtabunt prægnitionem. Siquidem mor-
bo iam cocto ſuperuenerint, futuram ſtatim ſani-
tatem denunciant. Si uero crudo adhuc morbo,
iudicationem non bonam, quę ſcilicet aut ad pe-
riciem agat, aut in longum tempus morbũ pro-
ducat. Quod uero alia ſit natura horum ſignorũ
quæ criſima, ideſt iudicatoria nominantur: alia ue
ro eorum quæ coctionem ſignificant, hinc diſcere
poſſis. In primo libro Epidemiarum inquit Hip-

» pocrates. Coctiones, iudicationis celeritatem, ſe-
» curitatem ſalutis q; ſignificant. Cruda uero & in-
» cocta, & quæ in abſceſſus malos conuertuntur, iu-
» dicationum carentias, dolores, uel tempora, uel
» mortes, uel recidiuas oſtendunt: ſic quidem in uni
» uerſum collaudauit morbi coctionem. In libro
autẽ qui Prognoſtica inſcribitur, particulatim in
» hunc modum ſimul docens ipſius indicia. Vrina
» autem optima quando ſedimentum album, lęue
& æquale fuerit in tempus omne, donec morbus
» iudicetur. Significat enim ſalutis ſecuritatem, &
» morbum pauco tempore duraturum. Sic rurſus
laudauit urinam monſtrantem coctionem in ue-
» noſo genere. Rurſus autẽ cum dicit, Alui excre
» mentum optimum eſſe, quod molle, conſiſtens, &
hora excretum, qua ſolet cum ſanitas adeſt, indi-
cia coctionum uentris ſimul collaudat, & docet.
Sic & eam, quæ fit in membris reſpirationi ſeruie
entibus coctionem ſimul collaudans, ac docens,
in hunc modum ſcribit: Sputum oportet in omni-
» bus doloribus, qui pulmonem, & coſtas infeſtãt,
» celeriter, ac facile expui, flauitiem fortiter ſputo
commixtam apparere. Coctionis igitur ſigna ſem
per bona ſunt, iudicationis uero ſigna nõ ſemper.
» Sic ergo inquit, ſigna criſima, ideſt iudicatoria, nõ
» iudicantia, aliqua mortem, aliqua difficilem iudi-
» cationem portendunt. Et quidem cum ait, quæ ad
melius iudicant non confeſtim apparere, per hæc
uerba eãdem profert ſententiam. Nam coctionis
ſigna quo tempore apparent, bona ſunt, ſemper
enim eorum uniuerſum genus optimum exiſtit.
Non ergo repugnat illud quod nunc dictum eſt,
in morbo laterali ſputum ſtatim apparere: illi al-
teri quod dicitur, ſigna iudicantia ad melius, non
ſtatim apparere: nam ſigna iudicatoria nonnun-
quam mala fiunt, ſignum uero coctionis nullum

unquam prauũ fuit, ſed omnia optima ſemper, & tanto citius ægrum ſanitatem recuperaturum oſtẽdunt, quãto citius apparuerint. Hæc dixiſſe ſufficiat per modum compendii, quantum ad præſentẽ attinet locum. Totam uero de iſtis antiqui magiſtri ſententiam, in libro de criſibus expoſuimus. Vt autem ſermo, quem nuper dixi ſecundum diuiſionem perfectus habeatur, quo modo à dictis differant, & quæ paſſionis ſignificatiua, & quæ aſſidentia dicuntur ſigna, iam uolo trãſigere, unam in medium adducens, pro exemplo paſſionem, hanc ipſam uidelicet, quam Hippocrates nominauit. In morbo igitur laterali, acuta quidem febris, unà cum ſpirandi difficultate, & tuſſi, & dolore lateris pungenti ſimili, ſigna paſſionis ſignificatiua nominantur. Quòd autem dolor, aut ad †ilia, aut ad clauim perueniat, aſſidentia dicuntur, ſicuti quòd facilius in latus patiens, quàm in alterum decumbat æger, ad idem genus aſſidentium attinet. Scripſit autem & Nicandro Praxagoras duo uolumina de aſſidentibus ſignis. De his autem quæ ſuperueniunt alterum, ac ſi de mox apparentibus inſcriberetur. Hæc igitur mox apparentia inquit Hippocrates, & bonam morbi iudicationem, & malam, morbumq; uel longum, uel breuem futurum oſtendere. Meminit autem non ſolum ſputorum, ſed & urinarum, & excrementorum aluí, & ſudorũ: ea ſcilicet q̃ ſunt in libro Prognoſtico ſcripta, nobis exẽplo ſubiiciens, q̃ ad hũc locũ trãferre ſit ſupuacuũ: nã de his in libro de criſibus diximus, & in commentariis in Prognoſtica, in quibus adhuc magis magiſtri antiq ſentẽtiã explanauimus.

Signa παρὰ τὸ συμβεβηκὸς, ſiue ab aſſidentib. quomodo differant.

†Hypochondria

Mox apparentia.

XIII.

SENES FACILLIME ieiunium ferunt, ſecundo loco qui ætatem conſiſtentem habent, minus adoleſcentes: omnium minime pueri, præſertim

qui inter ipſos ſunt uiuidiores.

Differentia etiam ætatum confert aliquid ad capiendam uictus rationem. Senes ſiquidem facile ferunt inediam, pueri difficulter. Eſt autem facilitas in non appetendo, & nihil inde mali ſuſtinendo. Difficultas autem ex contrariis oritur. Etenim pueri magis appetunt, & plus offenduntur in longis inediis. Mediæ uero ætates inter ſenes, & pueros, quanto alteri ipſorum proximiores exiſtunt, tanto minus, aut magis moleſtantur, atque offenduntur ex longis inediis. Huius autem aphoriſmi cauſam ipſe in ſequente docet, qui ita incipit. Quæ autem gentur corpora plurimum caloris innati habent. Ita quòd ſiquis uelit ipſum priori adiungere, & cum, enim, coniunctione proferre, tũc ſermo unus fieret, & manifeſtus, in hunc modum ſe habens: Senes facillime ieiunium ferunt, ſecundo loco qui ætatem conſiſtentem habent, minus adoleſcentes, minime uero pueri. quæ enim augentur corpora plurimum caloris innati habent. Appellat autem ætatem habentes conſiſtentem, eos qui mediam ætatem habent inter iuuenes, ac ſenes, ita quòd ab ætate uigente recedunt, nondum tamen ſenſum habent ſenectæ manifeſtum. Sic & Thucydides dixit quoſdam in ætate conſiſtente eſſe. Verum inter hanc ætatem & adoleſcentiam altera quædam eſt, q̃ ſicuti mediũ ætatũ obtinet ordinẽ, ita etiã facilitatis, & difficultatis, ita q̃ neque ita facile ferre inediã poteſt, ſicuti q in ętate ſunt cõſiſtẽte atq; ſenili, neq; difficulter, ſicuti adoleſcentes & pueri. Eius tamẽ nõ meminit Hippocrates, ut quã poſſit unuſquiſq; ex illis quas dixit intelligere. Nam cum inquit, præſertim qui ſunt inter ipſos uiuidiores, naturarum differentias manifeſtat. Qui enim pueri calorem innatũ †plurimũ habent, promptiores

Ἡλικίαν ἔχοντα τὴν μέσην

†Alibi Ieגιὲ τὸ πλῆθος τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ ἰσχυρότερον ἔχει πολύ. i. qui calorẽ naturalem ualidiorẽ ad modũ habent.

sunt ad cibos assumẽdos,& ipsos magis possunt cõcoquere,& si non assumpserint,plus offendũtur. Talis est sermo Hippocraticus. Indiget tamẽ insuper quadã parua additione ad perfectionẽ. In his quidem qui sunt in principio senilis ætatis,recte dictum est. Senes facillime ieiunium ferunt. In his uero qui ad extremam peruenerunt senectutem,non recte: quia neque hi possunt tolerare longas inedias. Vel igitur addere oportet aphorismo breue aliquid, & hoc modo ipsum pronuntiare: Senes facillime ieiuniũ ferunt, præter eos qui ad extremam senectam peruenerunt: secundo loco,qui ætatem consistentem habent. Vel uerbum,Ieiunium,in paucos cibos transponendum,atque ita dicendum: Senes ciborum tolerant paucitatem,secundo loco qui ætatem cõsistentem habent. Nam & qui ad extremam senectam attingunt,inuenientur,& si non possint longam inediam tolerare,paucis tamen cibis indigere. Tale enim quiddã patiuntur,quale lucernis penè extinctis accidit, quæ continuam exigunt olei suffectionem,multam autem & subitam simul,nequeunt sustinere: sic & his exhibere oportet uniuersam multitudinem paucam,& hanc ipsam cibi paucitatem in multas partiri portiones. Neq; una illis longa inedia est iniungenda.

Senij principiũ.

XIIII.

QVI CRESCVNT plurimum habent calidi innati. Plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur. Senibus uero parum innati calidi ineſt: paucis propterea fomitibus egent,quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus.

Dictum est à nobis plenius,etiam in commẽtariis

de temperaturis, quo modo nõnullis medicis uisum est,eos qui in iuuentæ uigore consistunt,nonnullis uero pueros esse calidiores. Habent enim hi quidem calorem acutiorem,hi uero abundantiorem. Nunc uero etiam necessarium est dicere,quãtum ad præsentem locum cõducit,sermones longos quoad fieri potest † in pauca cõiicientes. Hoc ipsum igitur uerbum,Calidum,aliquando transferimus ad qualitatem, cuius proprium nomen est caliditas: aliquando uero denominatiue totũ corpus dicimus calidum, à caliditate: & is loquendi modus plurimum per totam uitã in usu est apud antiquos,ueluti Theophrastus ostendit in eo libro qui de calido & frigido inscribitur. Nã quũ substãtia corporea contrarias qualitates,caliditatem,frigiditatem,humiditatem,siccitatem uicissim recipiat, secundum substantiam quidem recipientem, cum corpus calidum nominamus,multũ uel paucum dicimus esse calidum,ad quantitatem substantiæ referentes. Et hoc dupliciter facimus,uno quidem modo in substantiis impermixtis: alio autem in mixtis. In impermixtis quidem,ueluti si duo haberent aquam æqualiter calidam in duobus inæqualibus labris cõtentam,alterum diceremus plus habere calidi qui maius labrum possideret, alterũ uero minus. In mixtis uero,ueluti si essent æqualia labra,sed inæquali mensura ex uino & aqua temperata,alterum ipsorum plus uini continere, alterum uero plus aquæ diceremus. Cui modo etiam ille esset persimilis,si duo labra inæqualia supponeremus,æqua proportione temperari. Nonnunquam uero non ad substantiæ multitudinem sermonem referentes,sed ad qualitatem solam, huic quidem alicui dicimus plus calidi inesse, huic uero minus: sicuti si ex duobus labris parem prorsus habentibus magnitudinem,alterum quidem cali-

† Anti. co. habẽt ἐν ὀλίγοις λέξεσι. i. paucis uerbis lõgos sermones cõplectẽtes.

dius, plus habere calidi diceremus, frigidius uero, minus. Non tamen proprie uerbo, plus, utentes in hoc loco, quũ melius sit dicere, uel magis, uel minus, uel uehementius, atque debilius, & similia uocabula, quæ nos solemus qualitatibus accommodare. Nam paucum, & multum in sola decet substantiæ quantitate seruare. Verum non in hoc tantum hmõi fiunt nominum abusiones, sed in pluribus aliis, quæ per uitam sermone usurpamus, non minime uero fit in ipsa arte medicinali. Omnes siquidem morbos, magnos aut paruos nominant, quãuis substantiæ non sint, febrẽ magnam, febrem paruam, apoplexiam magnam, apoplexiam paruam: sic & pleuritidem, phrenitidẽ, peripneumoniam, & omnes itidem alios morbos. Aduertere igitur oportet æquiuocationes, & cõsiderare quid sibi uelit semper unaquæque dictio dicentis. Si.n. ille in altero significato nomen protulerit, nos uero in alio accipientes, sermonem redarguimus: nõ illum qui protulit (si uerum fateri uelimus) sed nostram potius existimationẽ redarguimus. Quod nonnulli uidelicet agunt hoc in loco, q Hippocrati student contradicere. Nam ad qualitatem nomẽ calidi transferentes, conantur ostendere hanc esse uehementiorẽ his, qui in ætatis uigore consistũt. Verũm Hippocrates non ad hanc, scilicet qualitatem, sed substantiam, in præsenti sermone refert id nomen. Nam substantia innati caloris aerea est & aquea, sicuti ex semine licet coniectari, qđ paucam omnino terrenam substantiã participat, plurimum aũt aeris calidi, humidiq; in seipso continet, quemadmodum & in commẽtariis nostris de semine ostendimus. Atqui & alterum nostræ generationis principium, sanguis menstruus uidelicet, humidũ natura est. Cum igitur magis terrestre efficitur animalis corpus (tale autẽ quotidie efficitur,

dum augetur) tunc licet ualde uehementer calidum existat, & igneum, substantiam tamen innati caloris paucissimam habet: alioquin, febricitantes diceremus plurimum habere calorem innatum, qui nedum plus, uerum neque priori habent æqualem. Bene enim temperata est caloris innati substantia: Ignea aũt aduẽtitii. Itaq; & effluxus caloris aduentitii per totum corpus nostrum fumei, sunt fuliginosi, aridiq;, & acres: Cõtra uero uaporosi, suaues, & bene tẽperati caloris natiui. & ipse hæc potes tactu discernere. Nam sanorum calor uaporosus est, atq; suauis, & tactu cõueniẽs, nihil triste, nihil asperũ, nihil mordax præ se ferẽs. Eorum uero qui febricitant, & præcipue hecticas febres, aut eas quæ ex putredine humorum ortum habẽt, acris est, & insuauis, ac mordax, & nostrum corrodẽs tactũ. Salubris uero eius qualitas in pueris exqsita habetur. Sicuti plures eoꝝ qui in ætatis uigore cõsistunt, inuenire cõtingit calorem iam habentes mordacẽ, & non amplius humidũ, ac uaporosum, neq; aereum. Neq; id mirum uideri debet. Oportet.n. similẽ esse defluxũ subiectæ substantię. nam quãdo humida atq; aerea substãtia existit, tũc quod ab ea defluit, uaporosum est, atq; suaue. Cũ uero terrestris atq; arida, tunc & qđ effluit fumosumq; est & acre. quod & in exterioribus euenit. Nam quæ ex aqua dulci, & calida euaporant, optima sunt, & uaporosa: quæ uero ex aliquo corpore solido exusto, fumea sunt, & acria. Quum igitur duæ substantiæ sint, & hæc quidem suauem habeat caliditatem, hæc uero tristem: alteram quidem plurimam habent pueri: alteram uero hi qui in ætatis uigore consistunt, ut ad totius uidelicet corporis proportionem. Vt autem sermo sit naturalior, totum ad elementa transferens in hunc modum transigam. Quum quatuor sint ele-

menta, ex quibus omnia corpora sunt temperata: puerile quidem corpus multum in seipso cõtinet aereæ, atque aquosæ substantiæ, minimũ terrestris: contra uero eorum qui in ætatis uigore consistũt, à terrestri siccitate obtinetur, deficit autem aquosa, atque aerea substantia: adeo ut si quartum in uniuersumque elementum, ignem scilicet pari portione posuerimus, atq; æqualiter calida corpora esse uoluerimus, nõ tamen similẽ substantiã calidã in ipsis esse dixerimus, cũ puerorũ quidem substantia humida sit: eorũ uero qui in ætatis uigore consistunt, sicca. Humida siquidem est maxime innati caloris affinis, quia ex humido nostra est generatio. Sicca uero aduenticii caloris est propria. Sic quidem infantes recenter nati substantiam calidam aquosam plurimam participantes, plurimum dicerentur habere calorem innatum. Qui uero ætate uigent, & iam declinant, quantum istæ deficiunt, terrestris uero superabundat, tantum habere minorem substantiam natiui caloris, & ipsi putarentur. Quòd uero ex aquosa, & aerea substãtia plus defluere sit necesse, quàm terrestri, etiam si ambæ sint æqualiter calidæ, secundum qualitatem, neminẽ arbitror dubitare. Hoc tibi etiam in exterioribus liquido licet intueri. Nam ex corporibus quæ ad similem perueniunt caliditatem, non æqua portio uidetur defluere, sed ex siccis quidem minimum, ex humidis uero plurimũ. Statim igitur aqua, & oleo mediocriter calefactis, plurimum defluit, atq; dissoluitur. Ex ferro uero, & ære, atque lapidibus, minimum: adeo quòd si tibi libuerit exponere ad solẽ ardentem aquam, si ita contigerit, & ferrum æqua mensura, deinde transacto die ambo perpendere, aquã quidem inuenies multo scipsa minorem effectam, ferrum uero æquale. Sic & si uelis oleũ, æri, & ferro, & lapidi comparare, illud quidem absumptum

inuenies, hæc uero æqualem substãtiæ molem retinentia. Hinc uero ad ceram, & picem bitumẽq;, & resinam transcendens, & quæcunque alia pluriam substantiam humidã obtinent, uidebis & hęc sub sole calente multo magis absumi, atque defluere, quàm lapidem, æs, & ferrum, & alia admodum sicca. Quare si necessarium est alimentum, ut quod efluxit ex corpore suppleatur: ex humidioribus uero, & plus aeris participantibus multo plus effluit: fit ut huiusmodi corpora pluri egeant alimẽto. Puerorum uero corpus tale existit, plus humidæ, & aereæ substantiæ obtinens, non sicuti iuuenum, & declinantium, ac senum, siccæ, atque terrestris. Hippocrates igitur quum hoc in libro proposuisset compendiosam, atque aphoristicam doctrinam facere, non ita sermonem ampliauit, quẽadmodum ego nũc, sed loco illorum uerborum: Quæ augentur corpora, & si æqualẽ habeant substantiam calidam, atq; igneam, cum his qui in ætatis uigore consistunt, aquosæ tamen, atque aereæ substantiæ plus habent, Qui crescunt, dixit, pluriumum habent innatũ calorẽ: simul memoriæ subiiciens ipsorum substantiam, & simul etiam propositum demonstrans. Quia enim humidã, & calidam habent substantiam, quæ augentur, idcirco pluriumum ab ipsis defluere est necessariũ: plurimo aũt egent alimẽto, alioqn corpus, inquit, absumitur: & recte. Vbi enim id quod defluit plurimũ est, quod uero influit paucũ, hic necesse est subiectam corrũpi substantiã. Senibus uero paucũ ineſt calidũ. His sanè secundum utrũq; nuncupationis significatum exiguum est calidum, siue quis ad qualitatem referat monem, siue ad substantiam. Nam & qualitas debilis, & substãtia minima est, si quidem eorum meminimus quæ supra diximus. Ob hoc igitur inquit, quòd paucis fomentis indigent. Nam

Fomenta.

†Ὑπεκαν-
ματα.

Ignis vitæ causa.

†fomenta alimenta nominauit, suo & aliorum nobilissimorum philosophorum dogmati consentanee, qui eorum quæ animalia constituunt elementorum, ignem maxime uitæ esse causam existimarunt. Sicuti enim lucernarum flammæ, quarum tamen oleum est alimentum, siquis id totum simul superinfundat, extinguuntur potius q̃ nutriantur: Eodem modo & in senibus, calidum sui fomentũ quidem habet alimenta: si uero multis & totis simul opprimatur, ac quodam modo stranguletur, periculũ est ne extinguatur: sicuti & si paruæ scintillæ ignis, lignorum multitudinem superacerues. Quod autem subinfertur: Et propterea febres senibus non simiiter acutæ sunt: signum est* & hoc ipsum, ꝙ corpora senum frigida sunt, & quòd ob innati caloris maxime conuersionem ad igneã naturam accenditur febris. Verum tantã euenire senibus conuersionem, ut æqua sit ei quæ iunioribus accidit, uix fieri potest. Multum enim calidũ prompte in immensum attollitur, paucum uero non facile, sed maximam exigit causam quæ cogat ad hoc. Ob hanc igitur causam neq; senes magna ex parte febricitant acutas febres, sicuti iuniores: & si quando, quãuis raro, talis his accidit febris, qualis iuuenibus, omnino hæc ad interitum ægrotantis terminatur. Indicio est enim immensam quandam esse causæ febrem facientis magnitudinem. Hæc sufficere possunt his, qui secundum naturam se habent, ad intellectionem & fidem eorum quæ scripsit Hippocrates. Ad eos uero qui per calumniã Hippocratem reprehenderunt, è quorum numero unus fuit Lycus, nos unum integrum uolumen scripsimus aduersus ea quæ contra aphorismum perperam obiiciuntur. Huic talem titulum fecimus: Ad Lycum, quòd nihil erratum sit in aphorismo cui principium, Quæ augentur, plurimum habẽt

* Alibi ꝓ ὄντω legit ὄντως, ut dicamus, & hoc re uera esse signum.

FEBRES senũ nõ perinde acutæ.

innatum calorem. Datus autẽ est mihi Lyci liber, post scriptos à me hos commentarios, unde ego postmodum his hæc uerba subiunxi, quæ nõ sunt in his quæ prius ędideram. Seorsum autem in alio uolumine defendi Hippocratem in his, in quibus fuerat à Lyco reprehensus.

XV.

VENTRES hieme, & uere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egent alimentis: indicio sunt ætates, & athletæ.

Non parum etiam tempora anni cõducunt ad uictus rationem inueniendam. Nam hiberno tempore plus appetunt homines, & cibum facilius cõcoquunt: cõtra in æstate, cuius rei causam ipse Hippocrates reddidit inquiens, Ventres hieme, & uere calidissimos esse. Quid autem sit, quod natura dicitur, & quòd non frustra id uerbum adiecerit in hoc aphorismo, ipse paulo post explanauit, inqẽs, Et enim tunc calor innatus multus: plurimo igitur indiget alimento. Ventres itaq; hieme, & uerè calidissimi sunt, non simpliciter, sed calido naturali, cuius substantiam antea ostendi. Causam uero ob quam hic idem calor hieme augeatur, etiam Aristoteles dixit: refugit enim propter circunstantem extrinsecus frigiditatem, sicuti rursus æstate ad sibi affinem protenditur. Atque ita contingit dissolui quidem, ac dissipari eius substantiam tẽpore æstiuo: contineri, ac cohiberi, & in profundum secedere hiemali. Ob hoc igitur & coctiones, & sanguificationes, & nutritiones, hisce tẽporibus sunt meliores. Addidit autem & aliud ipsis contingẽs, quòd uidelicet somni lõgissimi fiunt ob noctiũ uidelicet longitudinẽ, ꝙ neq; ipsum parũ cõfert ad

Calor in hieme augetur.

naturæ opera. Quod uero in fine adiicitur, Indicio sunt ætates, & athletæ, pro argumento ponitur, quòd plurimum alimentum sit necessariũ, ubi calidum superabundat. Pueri siquidem quia calidum plurimum habent, idcirco & pluribus indigent, & plura cõcoquunt. Athletæ uero quia exercitiis augent calorem natiuum, ob id multis frui possunt alimentis. Quæ igitur per aphorismũ dicuntur, sufficiẽter exposuimus. Si quis uero de ipsis ueritatem diligentius examinet, non ad omnia animalia sermonem extendat, sed ea excipiat, quæ in latibulis degunt. Hæc enim cum se recondunt, non egent plurimo alimento, siquidem & fine cibo possunt perdurare. Et si supposuerimus ea tanto uti cibo, quanto antequam reconderentur, male ipsum concoquerent. Quod enim hominibus contingit ex aqua frigida lotis, id etiam animalibus accidit hieme. Contingit autem hominibus, qui aqua frigida perluuntur, si debile corpus habuerint, refrigerari, atq; offendi. Si uero robustum, primum quidem innatum calorẽ ad interiora refugere, & seipsum colligere, postea uero ad exteriora remeantem, multo quàm prius erat, fieri fortiorẽ. Sic & animaliũ quęcũq; sunt natura frigidiora, his calor innatus à frigore hiberno supatur, adeo ut ferè extinguatur, quare plurima ipsorum similia mortuis conspiciuntur, cum fine sensu ac motu in latibulis iacent, quędam uero omnino in hoc ipso affectu moriuntur. Quæ autem plurimo sanguine abundant atq; calore, tale qd hieme patiũtur, quale accidit corporibus fortibus aqua frigida lotis. Nã calor coꝛ ad interiora se colligit non (per Iouem) carnibus ad hæc, prima sede derelicta, refugientibus, sed spiritu unà cum sanguine. Tria autem erãt corpora, quæ primæ nostræ naturæ substantiam compleuerunt, spiritus, sanguis, & † aerea

Animalia quæ sine cibo latent.

† In aliquibus cod. legitur θοꝛω'δηsυ ϛ ꝛο' πsi. seminalis humiditas, & forte rectius. in aliis ἀ ἑꝛω' δηs. ĩ. aerea, nõ o' ꝛω'δηs ut in impressis.

Constituunt corpora tribus.

humiditas, ex qua in primo ortu, uelut in libris de semine diximus, fiunt partes animalis solidiores, mox uero augmentũ in istis perficitur. Quòd igitur melius hieme cibum concoquimus, sanguine, ac spiritu ad profundum corporis retrocedentibus, unicuique est manifestum. Non modo igitur hoc ipsum dicit Hippocrates, sed quòd plura accipere cõfert. Hisce enim temporibus, inquit, hoc est hieme, & uere, plures cibi dandi sunt. Atqui si parum defluit, ac diffiat hiberno tempore ad exteriora, plurimum alimentũ non est corporibus necessarium, siquidem nutritio est eius quod euacuatur, repletio. Oportet igitur alimenti quantitatem esse eius quod diffiat quantitati proportionalem. Verum igitur esse, quòd quidam hieme non modo melius concoquunt cibum, sed etiam ꝙ pauca assumentes refrigerantur, atque ideo offenduntur: si uero plura assumpserint, in nullos plethoricos incidunt morbos, ipse euentus ostẽdit manifeste. Causæ uero inquisitio in commune proponatur, neque enim adeo Hippocratem, quantum omnes alios, huiusmodi inquisitio fatigat. Nemo itaque est, qui nõ consentiat diffiari corpora animalium ea quæ fit per sensui occulta foramina diffiatione. Idcirco enim ad hoc deueniunt ut egeant alimento, quoniam euacuantur. Quòd si nihil à corporibus nostris effiueret, sed semꝑ æqua moles substantiæ seruaretur, nulla foret alimenti necessitas. Tu uero animaduerte, num hac in parte aliis quidem omnibus ratio sit inexplicabilis, soli uero Hippocrati atque eius sectatoribus explicabilis. Neque enim aliud quicquam animal ab initio afformauit, sicuti neque rursus adauxit, aut usque ad mortem enutriuit, præterquam iste calor innatus, de quo nũc habetur sermo. Hic enim est omnium operum naturalium causa. Quia uero pluri-

Melior hieme concoctio.

Nutritio

Diffiantur corpora.

Calor innatus.

mus est hiberno tempore, idcirco cibi appetentiam intendit, coctiones auget, & plus sanguinis cumulat, & crassius efficit corpus, & ut superfluitates excernantur, prouidentiam habet. At calor circunfusus, non modo superfluitates, sed omnia euacuat æqualiter, materiam inutilem, & ea etiam quæ in corpore secundum naturam continentur unà dissoluens per eam quæ à medicis occulta difflatio nominatur, quam calor innatus operatur. Neque enim aliud quicquam est natura animalium præter hoc calidum, secundum Hippocratis opinionem. Ostensum autem à nobis est in commentariis de uiribus naturalibus, non solum appetens, atque conficiens, agglutinansq; singulis partibus proprium natura alimentum, sed & huius dissoluens superfluitates, & quanto fortius extiterit calidũ innatum, tanto magis difflatio effugit sensum. Et ob hanc causam Diocles inquit, sudores esse præter naturam: quoniam omnibus quæ ad corpus attinent, recte administratis, & alimento à natura subacto, nunquam sensibilis humor per cutem excerneretur. Quæcunque enim in balneis, uel uehementibus exercitiis, uel propter æstiuum calorem, exudant homines, ex causis uiolentis originem habent. Bene igitur omnia tempore hiberno in corpore animalis administrantur, quando hiems mediocritatem seruauerit. Nam immoderatas illius intẽperaturas & ipse Hippocrates in sequentibus damnat. Quòd aũt omnia bene hiberno tempore in corpore animalis administrẽtur, indicio sunt naturæ opera fortiora: nam cibi in uentriculo concoquuntur, quoniam calor innatus plurimus est, & in somnis longioribus superfluitates expurgantur. quæ quidem exquisite extenuantur, per cutem: quæ uero in uapores cõuertuntur,

Natura animaliũ est Calor.

Sudores præter naturã.

Hyemis intẽperatura damnatur.

per expirationẽ: quæ uero sufficientẽ habent crassitudinem, per urinas. In his enim plus est sedimẽti, quàm per æstatem, præter id quòd etiam tota urinarum multitudo hieme sufficienter augetur: & quidem nutriuntur, & secundum carnem augentur corpora hieme magis, & plus optimi sanguinis cumulant, nisi malo omnino utantur uictu. Nam si cõsideraueris quòd corpora nostra paucum habentia sanguinem autumni tempore, atq; extenuata, suscipiens hiems bonis implet humoribus, & crassiora efficit, hinc (utputo) percipies, nos gubernantis robur facultatis, quæ est calor innatus. Verum nisi hic abundans habeat, quo fruatur, alimentum: primus ipse à circũstante frigore superabitur, tam ab eo quod extrinsecus ingruit, quàm ab illo quod per inspirationem attrahitur. cum ipso uero & coctio ciborum debilitabitur, & optimi sanguinis generatio, & partium animalis enutritio, & superfluitatum expulsio. Si uero tantum habuerit alimentum, quantum potest peruincere, hoc copiose perfruetur, & ipse magis augebitur, atque omnia quæ antea diximus circa corpus animalis ꝑficiet. Verum quòd ex plurimo alimento oblato, quod non solum bene in uentriculo cõficiatur, sed etiam in uenis, & toto animalis corpore, unumquodque animal carnosius reddatur, & plus sanguine abundet, habent homines satis ipsa experientia cõpertum, non in seipsis tantum, sed etiam in iumentis. Nam ante æstatis initium, circa ultimam ueris partem, & sibi, & illis sanguinem detrahunt, quoniam ad memoriam reuocant, quibus capiantur morbis, quando repente calor æstiuus superuenerit. hic enim amplius sanguinem extendit, atque diffundit, & quodam modo efferuere facit, adeo ut quod hactenus modicum fuerat, non possit amplius in uenis contineri, sed uel

Sedimentum urinæ.

Imbecillus calor superatur sæpe.

In uera phlebotomiæ usus

diſrumpat ipſas,uel exedat: & quando impetum fecerit ad aliquam corporis partem, aliis debiliorem,uel in ipſa inflammationem,uel erysipelas,uel aliquod aliud morbi genus operetur. Nam multo plures,ac grauiores morbi,quibus plenitudo dedit occaſionem,ex humorũ fiunt fuſione. Hæc igitur omnia aliis adſtipulantur,quæcunque in præſenti aphoriſmo Hippocrates docuit,& hoc quoque probant,non ſolum poſſe per id tempus multos coquere cibos,ſed etiam multis indigere. Semper enim oportet alimenta eſſe innati caloris multitudini proportionalia,niſi forte aliquãdo ex aeris ambientis † qualitate fuſio aduenies (ut dixi) cogat ſubtrahere. Quare quum & de uere Hippocrates ſermonem fecerit indiſtinctum, ego diſtinguam. Primum quòd ſuum habeat initium hiemi ſimile,magis quàm æſtati,& finem contra. Deinde quòd nonnunquam talem habeat frigiditatẽ,qualem tempus hibernum. Aliquando talem qualem tempus æſtiuum caliditatem. In primis igitur partibus eius, ſiquando frigidum fuerit,hibernæ ſimilem rationem uictus adhibebimus. In poſterioribus autem, ſi quando fuerit calidius,æſtiuæ ſimilem. Quòd ſi mediam ſeruauerit temperaturã, illi uictum proportionalem inſtituemus. Hæc quidem omnia de uictus ratione quam ſanis oportet adhibere dicuntur. Deinceps aũt de illa quę ęgrotis conuenit ſermonem faciemus.

† Calore natura facta imbecillior, ſic uident habere impreſſ. cod. Græ. unde codex. Leon. habuit χυ'σις ubi impſſ. habet φυ'σις.

XVI.

DE victus qualitate. VICTVS humidus febricitantibus omnibus confert, maxime uero pueris, & aliis qui tali uictu uti conſueuerunt.

In præcedentibus aphoriſmis de uictus quantitate doctrinam nobis tradidit, nunc uero de qualitate tranſigit, multa ſanè quæ in arte conducunt

breuiſſimo ſermone docens: primum quidẽ qualis ſit adhibendus uictus febricitantibus: deinde ꝙ uictuum †ſanorum indicationes, in his quidẽ quæ præter naturam ſunt, contrarias: in his aũt quæ ſunt ſecundum naturam, ſimiles facere oporteat. Febri enim, quoniam calida, & ſicca paſſio eſt (eſt enim conuerſio natiuæ caliditatis ad igneam) uictum humidum conſulit. Humidioribus uero naturis, ſiue propter ætatem, ſiue propter conſuetudinem, non contrariã, ſed magis affinem ſeruandã ſtatuit. oportet enim naturã eorum fouere per humida, nõ eo dẽ quo morbos modo demoliri. Qui uero aquã intercutẽ (cui febris adiungitur) in mediũ adducentes, ſermonem Hippocratis ſtudent per cauillũ reprehendere, quoniã hic morbus non humidũ exigit uictum, ſed magis ſiccũ, ignorant hi artis curatiuæ caput in primis neceſſariũ, quod nos uberius in illa tractatione trãſegimus: uidelicet ꝙ unaquæque ſimplex ægritudo, ſimplici eget curatione. Si uero inuicẽ copulentur, tantũ habebunt cõmunem curationis indicationẽ, quantum copulabũtur, non bis. ſ. ad id qđ magis urget obuiantibus, non tamẽ alterius cura omnino poſthabita, uel omnibus pari ſtudio auxiliantibus. Quòd aũt de aqua inter cutẽ ſimul & febre laborãtibus meminere, nõ eſt abſimile morbo laterali, in quo ſanguis expuitur. Nã & in his cõtrarias exigunt morbi curationes, eductio ſanguinis & paſſio lateralis: quæ ubi cuipiam ſimul contigere, ad id quod magis urget obuiare oportet, non omnino poſthabita etiã alterius curatione. Sic itaq; ſiquis ſimul febricitauerit, & ealaboret diſpoſitione quæ aqua inter cutem nominatur, ad ambos affectus reſpicientes, qui contrariam exigunt curationem, utriq; eorũ probe reſiſtimus: ſicuti & aliis omnibus pari modo copulatis. Neq; igitur ipſi tale quicquã dixerimus, neq; alterum ta-

† ὑγιεινῶν .i. ſalubrium.

FEBRIS.

lia dicentem admiserimus. Verum siquid per uerba sua Hippocrates in aphorismo non dixit, quod tamen idem habeat iudicium cum his quę ab ipso dicuntur: hoc quoq; fuisse dictum potentia, debemus existimare. Nam & ætatis meminit, & consuetudinis. Tu uero & naturalis temperaturæ, & temporis anni, & regionis, non absq; ratione memineris, quæ & ipse Hippocrates adiicit aliquãdo. Nõ nunquam uero unius, aut duorum mentione facta, reliqua quæ sunt eiusdem naturę atq; ordinis prętermittit. Fiunt autẽ & ab his indicationes, quemadmodum supra & ab ætate, & à morbo fieri diximus, seruantibus nobis quæcunque probari merentur per similem uictum temperaturæ: quæcunque uero improbanda sunt, per contraria corrigentibus. Diximus autem plenius de omnibus indicationibus in libris quibus ars curatiua docetur.

Hippoc. nõ omnia semper exprimit, potentia vero dicit.

XVII.

ET QVIBVS semel, aut bis, & quibus plura, uel pauciora particulatim oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, ætati, & consuetudini.

Quoniam de quantitate, & qualitate eorum quæ offeruntur sermonem habuit, mox docere proponit modum eorundem. Neque enim sufficit hoc solum cognoscere, quòd huic plus, uel minus sit offerendum, uel quòd uictu exiccante, uel humectante utendum sit: sed nunquid semel, aut sæpius qualibet nocte, uel die cibum offerre oporteat, necessarium est considerare: & ad hæc ipsa, à tempore, ab ætate, à consuetudine, sumere indicationem, sicuti in qualitate, & quantitate sumebatur. Nam & ad hæc primæ erant

intentiones, & morbi ipsi, & uires ægrotantis, & præterea ætas, & tempus, & consuetudo, & quæcunque his sunt proportionalia: & propterea ipse Hippocrates illud adiunxit, Condonandum autem aliquid tempori, regioni, ętati, & consuetudini: liquido ostendens per uerbum, condonandum, quòd neque totum, neq; maximum à talibus accipit. Nam si sæpius, aut raro, siue omnino nutrire oporteat, ab ægritudine, & uiribus primũ, & maxime accipitur, post hoc autẽ, & ab anni tempore, & ab ætate, & talibus. Si enim uires laborantis debiles fuerint, & ea quæ in corpore est dispositio sit ex corruptione humorũ, uel defectu: parum alimenti, & sæpius talibus afferemus. Parum quidem, quia uirium imbecillitas non potest totam simul multitudinem alimenti sustinere. Sępius autẽ, quoniam multis indiget dispositio. Defectus siquidem exigit adiectionem, corruptio uero contemperamentum. Si uero cum uirium debilitate, neq; defectus aliquis affuerit, neque corruptio, humores autem naturales se modice habuerint, uel etiã superabundauerint: his raro & pauca afferemus, & multo magis istud agemus, si cum naturæ robore humores superabundauerint. Si uero cum humorum defectu, uel corruptione, uires ualidæ fuerint: tunc multos cibos, atque multoties his qui ita laborauerint dabimus, utpote multos exigente dispositione, & natura robusta potente illos concoquere. Si uero accessiones non permiserint, neque multi alimenti offerendi occasiones præstiterint: raro plura exhibebimus. At si uires ualidæ fuerint cum plethorica dispositione, raro pauca afferemus. Nam & si id quod cibum debet concoquere, robustum habeamus, quia tamen dispositio multis non indiget, rationabile est ut pauca afferamus. Sic quidem oportet,

& à morbo,& à uiribus ægrotãtis ad ea quę pro-
posuimus sumere indicationes. A tempore aũt,&
ætate,& aliis,quæ his sunt ꝓportionalia,hoc mo-
do. Æstiuo quidem tempore,quantum ad tempo-
ris rationem attinet,sępius pauca danda sunt,quo-
niam & pluri egent adiectione,ut qui sunt dissolu-
ti,& uires habeant imbecilles. Hiberno uero tem-
pore multa quidem propter robur uirium,sed ra-
ro,quia non ualde multa indigent adiectione labo
rantes,ut quibus nõ multa fiat euacuatio. Nam sa-
nos quidẽ antea ostendimus sufficiẽter hieme eua-
cuari,quoniã plus habeant innati caloris. Vere aũt
adhuc medio existente,atq; adhuc magis ęstati pro-
ximo,paucis,& ex lõgo interuallo nutriemus. Nã
tempus id periclitatur,ne proxime accedat ad ple
thoricam dispositionem,propter humorũ,qui hi-
berno temporis frigore cõcreuere,fusionẽ. Quẽ-
admodum ergo in plethoricis dispositionibus,si
uires ualidæ fuerint,paucum cibũ,& ex longo tẽ-
poris interuallo damus: Sic & in uere faciẽdũ,prę
sertim in febricitantibus,de quibus nunc sermo ha
betur ab Hippocrate. Sanorum.n.uictũ antea do-
cuit. Autumnus uero morbis qui ex corruptione
fiũt assimilatur. Quapropter qui eo febricitant tẽ-
pore,continua optimi indigẽt adiectione. Et si ui-
res ualidæ fuerint,sæpe & multa dabimus. Si uero
imbecilles,pauca & sæpius afferimus. Simili mo-
do quispiam,& ab ætatibus,& à consuetudine,&
à regionibus sumeret indicationes ad duas primas
redigens intentiones. Singula enim quæ diximus,
aut fortes,aut debiles uires efficiunt,& corpus red
dunt,aut superabũdans bonis humoribus,aut suffi
cientibus carẽs,aut uitio humorum deprauatum.

XVIII.

ÆSTATE & autumno cibos difficillime fe-
runt,hieme facillime. Sẽcundũ locum uer habet.

Non bis

Non bis, ut forte quispiam existimauerit, de

eisdem differuit Hippocrates cum superius illum
scripsisset aphorismum cuius principium est, Ven
tres hieme, & uere calidissimi sunt natura. nunc
autem rursus quòd æstate,autumno cibos diffici-
lime ferunt,hieme facillime,& uer secundum ha-
bet locum: uerum quoniam,& ad quantitatem ui-
ctus,& ad modum usus ciborum tã in sanis,quã in
ægris, quãdam accipit à temporibus indicationẽ,
non absque ratione eorum in utrisque commemi-
nit: illic quidem ostendens cibos plures sanis dari
hieme oportere,quoniam plus inest innati calo-
ris,quem nutriri oportet: nunc autem, quòd si se-
mel etiam multum illis ciborum attuleris, haud-
quaquam nocebis: facile enim †omnes ferunt ci-
borum multitudinem hieme, difficulter uero æsta
te. Quapropter hieme quidẽ raro,& plurimum
cibi afferri concedendum,æstate uero quia cibos
ferunt difficulter (si quidem is cui eos coquẽdi,ac
conficiendi officium natura tribuit,calor innatus
scilicet,exiguus est) cauendum omnino est,ne to-
tum simul cibum exhibeamus: sed studere opor-
tet,ut frequentius pauca afferamus. nam corporis
dispositio similis his qui ex humorum defectu
morbis consistunt,exigit adiectionem. Hiems qui-
dem,atque æstas talem naturam habent: reliqua
uero duo tempora, autumnus quidem æstatem
subsequitur, uer autem hiemem. & causa aperta
est. Nam refrigerari,& cogi in unum,atque densa-
ri corpora autumno. laxari: uero,& rara fieri uer-
no tempore incipiunt. Ob hanc igitur rationem
non idem bis de temporibus enunciauit,uel ob il-
lam etiam,quia in altero aphorismo de sanis ser-
mo habebatur.

Indicatio à tempore.

† Alibi legit ἅπαντα .i. omnẽ multitudinem.

XIX.

IIS QVI per circuitus accessiones habent, ni-
hil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere

adiectioni ante iudicationes.

Cum tria sint capita quibus uictus ratio comprehenditur, & quod attinet ad quantitatem, & quod ad qualitatem, & tertium quod ad usus modum, ad duo quidem priora capita ex accessionibus nullam habemus utilitatem, ad tertium uero ex illis aliquid proficere possumus. Quare non temere Hippocrates earum in tertio capite meminit. Nam tempora commoda ciborum particularium præcipue docent accessiones. In morbis tamen, in quibus ordinatim obueniunt, hoc est per circuitus, atque ideo Hippocrates inquit, His qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet: ut qui non ignoraret alios esse quibus fierent in morbis accessiones, non tamen per circuitus, hoc est non ordinatim. In hisce igitur ratio exquisita inueniendi temporis quo cibus offeratur, haberi nequit. In quibus uero accessionum ordo seruatur, principia earum oportet obseruare, hoc est ne eis iam factis, uel non multo post futuris nutriamus. Quod autem dicitur, Ante iudicationes, uel ante accessiones quascunque simpliciter, uel ante morbi uigores, uel ante illas quæ proprie iudicationes nominatur, est intelligendum. Nam hic triplex intellectus uerus est. Primus autem magis uidetur ad propositum pertinere, si uidelicet ante accessiones intelligamus, nam de morbi uigore cõsistentis retro dictum est. Et si de hoc intelligatur, etiam de iudicatione intelligetur, quoniam magna ex parte morbo in suo uigore consistente fiunt iudicationes.

XX.

QVÆ iudicantur, & iudicata sunt integre, neq; mouere, neque nouare aliquid, siue medicamẽtis siue aliter irritando, sed sinere,

Iã perfecto de uictus ratione sermone, ad alterum caput transcendit, in quo docet, quando sit totum ipsi naturæ permittendum, quod ad regimen pertinet ægrotantis, nihil aliud nobis agentibus, nisi uictum cõuenientem instituentibus: quãdo etiam non sit totum naturæ permittendum, sed & aliquid nos oportet operari. Vbi igitur, inquit, uel integra iudicatio facta est, uel adhuc fit, totum naturæ permittere, & nihil nos nouare oportet: ubi uero non integre iudicatur, id quod deficit supplere nos conuenit. Hoc autem & ipse dicebat in libro de humoribus, per hæc uerba: » Quæ perfecte iudicantur, non mouere neque medicamentis, neq; aliter irritando nouare quicquã. Nam quod in aphorismis ἀρτίως, id est integre, dixit, hoc in illo libro ἀπαρτὶ, idest perfecte nominauit. Est autem huius nominis ἀπαρτὶ, apud alios antiquos significatum pro perfecte & cumulate atque sufficienter, quæ omnia etiam hoc loco per ἀρτίως, idest integre, debemus accipere: neq; enim per id uerbũ, dies pares oportet intelligere. Est enim in propatulo falsum, siquis in diebus paribus, uel iudicatus est, uel iudicatur, nihil in his nouandum esse: neq; etiã hæc dictio ἀρτίως, hoc in loco significat Nuper, quod maxime ostendunt uerba sequentia. Neque enim simpliciter dixit Nuper iudicata, sed Quæ iudicãtur & iudicata sunt: quorum alteri, scilicet iudicata, aduerbium Nuper, possit conuenire: alteri uero, iudicantur, nullo modo: sed & hoc ipsa rerum ueritas demonstrat. Neque enim siquid paulo antea sit iudicatũ, hoc nouari non debet, sed si perfecte & indeficienter & integre: tunc uerum quod dicitur. Si uero quicquam deficiat, id quod deficit oportet adiũgere: nam quæ post iudicationem relinquuntur, faciunt recidiuas. Quænã igitur est perfecta & indeficiens

iudicatio? An quæ scilicet per omnia bene fit, & cui nullus numerus deficit iudicatorius? Primum .n. melior est iudicatio quæ fit ꝑ euacuationē inferiorē, q̄ quæ per abscessum: deinde ꝑ quam humor noxius & exhuberans, quàm per quam alter euacuatur: tertio loco, quæ κατ' ἴξιν quàm quæ minime (κατ' ἴξιν autem ipse uocat, quod recto fit tramite) & quarto post has quæ facile toleratur, deinde quæ cum coctione, & in decretorio die. Hæc omnia adesse conuenit perfectæ iudicationi: cui si quid desit, uel plura: neque exquisita, neque integra fuerit iudicatio.

XXI.

QVÆ DVCERE oportet, quò maxime natura uergit per loca conferentia, eò ducere.

Quænam illa sunt quæ ducere oporteat, nempe quæ neque iudicantur, neque integre sunt iudicata. Hæc igitur per quam partem sint euacuanda, docet, duplicem nobis dans intentionem, & ipsius partis naturam, & humoris motum. Ad quem enim locum ex conferentibus uergit, eò ducere conuenit. Sunt autem euacuationibus conferentia loca, intestina, uenter, atque uesica, uterus, & cutis uniuersa: ad hæc & palatum & nares, quando uidelicet, uel cerebrum expurgamus, uel per profluuium sanguinis fit excretio, præcipue uero si recto tramite, hoc est per directum ad locum patientem. Nam quæ contra fiunt profluuia sanguinis, mala. Motus uero humoris noxii ad loca inutilia sunt, si quando uidelicet hæc ipsa loca aliquem habuerint suapte natura principatum, & maius ex ipsis damnum est subsequuturum, quàm morbus, qui iudicatur, expostulet, uel nullam habeant efluxionē. Exēpli gratia. Vbi hepar humores infestāt, quos oporteat euacuari, duæ sunt commodæ ip-

sorum motiones: prima per uentrem, & huius illa quæ fit per aluum inferiorem: altera quæ fit per uomitum, melior existit: secunda per renes, atque uesicam, non tamen qui ad pulmonē, atque thoracem, & cor, motus est bonus. Oportet itaque medicum naturæ motum animaduertere, & si quidem idoneus fuerit, ei conuenit sumministrare & adminiculari. Si uero contrarius & noxius prohibere, transferre, atque diuertere oportet.

XXII.

CONCOCTA medicari, atque mouere, nō cruda neq; in principiis, modo nō turgeant, plurima uero nō turgent.

Consueuit Hippocrates dicere, medicari, prouti medicamento purgante. Verbum autem Turgere, translatum est ab animalibus in uenerē concitatis ad humores. Nam sicuti illa stare loco non possunt, quodam modo titillata, atque impulsa concitataq; à passione: sic & humores plerunque in motu uehementiore atque trāsfluxu ab una parte ad aliam, in morbi principio hominem infestant mouentes, titillantes, & quiescere non permittentes, quū & ipsi pariter moueantur & transfluāt, & tanto motu de loco ad locum, ægrū molestent. Tales itaque humores euacuare conuenit, hoc est qui agitantur, & de loco ad locum mouentur, ac transfluunt: eos uero qui iam sunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem. Tunc enim & naturam ipsam habemus euacuationi adminiculātem. uidetur siquidem & ipsa post coctiones, humores discernere, & superfluitates expellere, quo in tempore fiunt iudicationes. Sed quum perfecte ipsa mouetur, medicamento opus non est: si uero mediocrius atque imbecillius agat, id quod deficit

oportet ſupplere,ut ex utroque noxii humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medi-camento uero attrahente. Oſtenſum enim eſt à nobis in commentariis de potentiis naturalibus, naturam uniuſcuiuſq; particulæ quatuor uti potentiis,& attractiua proprii alimenti, & eiuſdem retentiua,& præterea concoctiua, & quarta alienorum expulſiua. Singula uero medicamẽta proprium ſibi attrahunt humorem. Bene autem ſermoni addidit, Plurima uero non turgent: & diſcere oportet hoc ab experientia,quòd uidelicet humorum tranſfluxus ab una parte ad aliam raro contingunt,ſed frequentius quietem habent,& in una aliqua parte conſiſtunt, in qua etiam concoquuntur toto morbi tempore uſque ad eius ſolutionem. Scire autem oportet,quòd in quibuſdam exẽplaribus hic aphoriſmus ſcriptus non eſt,in libro aũt de humoribus paſsim ſcriptus inuenitur.

XXIII.

DEIECTIONES non multitudine ſunt æſtimãdæ,ſed ſi talia deiiciantur,qualia conueniunt, & ægri facile tolerant. Atque ubi uſque ad animi defectionem expedit ducere,faciendum, ſi æger poſsit tolerare.

Siue à natura,ſiue à nobis euacuatio fiat,omnino metiri oportet quantũ ſit euacuandũ. Sicuti.n. qualitatem eligimus,humorẽ noxium atq; moleſtũ euacuantes:ita quantitatẽ oportet eiuſdẽ humoris noxii multitudini facere cõgruentem. Sed qualitatis quidẽ indicia ſuperius diximus, ubi illũ aphoriſmum expoſuimus,cuius principiũ eſt, Inperturbationibus uentris. Quãtitatis uero nullum huiuſmodi habemus indiciũ. Ob hanc igitur cauſam nobis dedit Hippocrates de eadẽ quantitate iudicandi uiam,ex facilitate tolerantiæ. Nã ſi humor ſuperexcedens euacuetur,tunc ipſum ſe ipſo ægrotum fieri leuiorem,& melius tolerare eſt neceſſarium: quòd ſi aliquod etiam ex his quæ natura conſtant,excernatur,diſſolui ac debilitari ægri uires,& quandam ſentire afflictionem. Quare nõ promptam eorum quæ euacuantur quantitatis phantaſiam oportet attendere,ſed duas quæ dictę ſunt ſignificationes,Si qualia oportet euacuantur, & ſi facile tolerant. Quod autem poſtea ab ipſo ſubiungitur: Atq; ubi uſq; ad animi defectionem expedit ducere,recte quidem ab ipſo dictum eſt, ſed adiicere oportet uſus ſignificationes. Quia uero ipſe prætermiſit,nos ex quibus ipſa experientia & ratione uidemur inueniſſe diſpoſitiones, in quibus expedit uſq; ad animi defectionem euacuare,dicemus. Et primum uſque ad quam animi defectionem,dictũ ab ipſo fuerit,diſtinguere oportet. Neq; enim tales dicit animi defectus, qui & expauẽſcentibus aliquando ægris †uenę ſectionẽ, uel tale auxilium aliquod ſolent accidere. Neque uero cũ in ore uentriculi humores mordaces aliquando fuerint,uel prius in ipſo coaceruati, uel qui in ipſo remedii uſu ad ipſum defluxerint, qui cauſam dederint animæ defectionis. Solent enim & hoc tempore pati animi defectionem, non tamen huiuſmodi animi defectio eſt ſufficiens menſura euacuationis, quæ nonnunquã citra neceſſitatẽ cõtingit: ſicuti febricitantes pleriq;, uel inter ſurgendũ,uel reſidendũ,animo defecerũt,ob quã cauſam accumbentibus ipſis ſecamus uenam. Ea igitur quæ ſit animi defectio ratione euacuatiõis, nunc ab Hippocrate dicta eſt eſſe menſura euacuationis,& in maximis inflammationibus,& in aduerentibus febribus,& uehementiſsimis doloribus. Oportet autem,ſicuti & ipſe inquit, uiribus interis atq; ualentibus tantam moliri euacuationẽ,

† Alibi legitur, uel phlegmones, uel uenæ.

& nos sæpius huiusce modi euacuationes p̄desse plurimum, experientia didicimus. Nam & in ardentissimis febribus, si usque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant, & quidã eorum ex his sanitati sunt restituti, alii adiuti plurimum, uehementiam ægritudinis absciderunt. In maximis uero doloribus nullum maius inueni remedium, quàm usque ad animi defectionem euacuare, adhibita distinctione, an mittere sanguinem, an purgare oporteat usque ad animi defectionem, quemadmodum in libro de uenæ sectione monstrauimus.

3 aph. 20.

XXIII.

IN ACVTIS pasionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum.

aph. 22.

Paulo antea dictum erat, Concocta medicari, & mouere non cruda, neque in principiis, si non turgeant, plurima uero non turgent. Nunc autem quòd circa principia acutarum ægritudinum tantum contingit purgare utiliter, nos docet Hippocrates. Nam in lõgis morbis semper oportet expectare coctionem: in acutis uero quum turgent, etiam ab initio possumus uti medicamentis purgantibus, & hoc ipsum cum multa cautione, & præmeditatione facere. Vnde mihi uidetur Hippocrates recte adiecisse, Et hoc cũ p̄meditatiõe facere. Siue enim per hoc uerbum diligentem intelligat examinationem, siue ægroti p̄paramentum, siue recti iudicii expectationem, siue horum aliquid, siue omnia unius uocabuli significatione comprehendantur: quantum huiusce modi uerea tur purgationes, manifestat. Neque enim periculũ

In acutis, medicamentis nõ nimium.

καὶ τοῦτο προσεκρίνει ὁ ἀνὴρ ποιεῖσθαι.

minimum in morbo acuto, perperam uti purgante medicamento, quum omnia id generis sint potentia calida: febris uero, quatenus febris est, & sui ratione, non calefacientibus atque exiccantibus, sed potius contrariis, hoc est humectantibus & refrigerantibus egeat. Non igitur ob igneam febris caliditatem purgationem adhibemus, hanc enim scimus sui ratione nocituram, sed propter humores illam efficientes. Quare maiorem oportet ex noxiorũ humorum euacuatione fieri utilitatem, quàm id quod necessario consequitur expurgantibus medicamentis detrimentum. erit autem utilitas maior si absque molestia omnis humor noxius & infestãs euacuetur. Vt uero hoc fiat, primo oportet considerare, nunquid æger idonee se habeat ad huiusmodi purgationem. Nam qui cunque multa cruditate laborant, uel qui tenaces ac crassos cibos assumpserunt, quibus itidem ilia extenta atque inflata sunt, aut supra modum calida atque ignea existunt, & hoc ipso in loco aliqua est uiscerum inflammatio: omnes hi haud quaquam sunt apti ad purgationes. Hæc itaque abesse oportet. Humores autem quammaxime fieri potest esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullum lentorem participantes, & aperta esse foramina per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem. Nam & nos ista antea paramus, quum quempiam sumus purgaturi. Et hoc est qđ ab ipso Hippoctate dicitur in illo aphorismo, Corpora ubi quis purgare uelit, oportet fluida facere: uerum in acutis morbis circa principia statim, circa primum uidelicet diem, uel non ultra secundum, si sumus usuri purgantibus medicamentis, quando turgent, non datur facultas ista præparandi, nisi quis forte arripiat occasionem propinãdi melicratũ, in quo decoctum sit aliquid hyssopi,

Purgantia sunt calida & exiccantia.

Purgationi ut aptus sit æger, considerandũ.

Humores & uiæ p̄parandæ.

2 aph. 9.

In acutis passionib. p̄paratione opus nõ datur.

uel origani,uel tragorigani,uel thymi,uel pulegii, siue quid huiusmodi uim habens humores extenuandi. Quare non sine ratione dixit. Raro circa principia morborum acutorum nobis uenire in usum purgationes,quoniam non sæpius turgeant humores in principiis,neque(si etiam quid istorũ adsit) ægro satis ad purgationem parato, neque dante morbo nobis temporis occasionem, quo posſimus ex imparato paratum facere.

XXV.

SI QVALIA oportet purgari purgentur,confert,& facile ferunt:si contra, difficulter.

Non est dubium,hunc aphorismum in illo contineri,in quo dicebatur: In perturbationibus uentris,& uomitibus spontinis,si qualia oportet purgari purgẽtur,cõfert,&facile tollerant:si uero nõ, contra. Verum quia in hac libri parte de purgationibus à medico factis loquebatur,& omnes ferè necessarias distinctiones commemorauit,non piguit ipsum hunc quoque adiungere aphorismum in quo nihil magis nouum edocetur,sed ad memoriam reuocantur ea quæ prius in alia libri parte enuntiauerat de spontinis euacuationibus, ut hoc etiam in loco totus sermo de purgationibus esset absolutus.

Hippocratis Commentarius Secundus, Nicolao Leoniceno interprete.

APHORISMVS I.



IN QVO morbo somnus laborem facit,mortale:si uero iuuat,non mortale.

Quòd quidem labor apud ipsum nunc læsionem significat,clarum est ex eo quod opponitur. Inquit enim: Si uero iuuerit non mortale. Quũ uero duplex sit ea quæ ex somno fit læsio, altera communis quando in principiis accessionum, quas annotationes uocant,ægroti dormiũt:altera propria,ut in quibusdam morbis,quando in aliquo alio tempore, de hac ipsum dicere est existimandum: altera enim neque mortem,neque aliquod aliud graue significat, quum naturam temporis consequatur. In principiis siquidem accessionum, & calor naturalis totus,& humores in profundum corporis uergunt,quemadmodum ipse docuit,& præcipue in quibus horror,uel rigor,uel fortis partium exteriorum refrigeratio contingit. Et propterea, si in principiis dormierint,casus illis protenduntur, & uix febres ad consistentiam perueniunt. Siqua uero inflammatio sit circa uiscera, rationabile sit ipsam adaugeri:& si humores aliqui ad uentrem confluant,non æque atque in aliis somnis concoquuntur,sed longe plures fiunt incocti permanentes. Ob hanc itaque causam,ægrotis uigilias præcipimus tempore illo,eam quę fit ex ipsis uigiliis, spiritus, sanguinisve, atque caloris qui in eis est,

ad exteriora motionem uolentes opponere, tam quam maximum auxilium aduersus illam quæ fit in accessionum principiis, sanguinis, spiritus, & caloris naturalis ad interiora retractionem. Quare non sine ratione dixerit quispiam huiuscemodi læsiones hoc tempore accidere ex natura accessionis, & ex uigilia prohiberi. Cum uero hac priuati fuerint ægrotantes, tunc damnum sentiunt manifestius, non quia altera læsio accedat ex somno, sed quia deest illa quæ ex uigilia habetur utilitas. Hic quidem sermo ostendit nullam fieri in accessionū principiis, ex somno læsionem, sed hoc ipsum tantummodo carentiam utilitatis. Est uero & alter sermo concedens ex somnis fieri hoc tempore læsionem, & uult nunc Hippocratem docere de his qui in aliis temporibus dormiunt, in quibus in totum manifesta utilitas ex somno consequitur, præsertim ubi morbo declinante adhibeatur. Nā & aliquando morbo iam consistente adhibitus manifestam affert utilitatem, & quandoque in extremis partibus augmenti, quæ ad consistentiam colligantur. Sed manifestissima omnium utilitas in declinationibus fit: & quidem cum somni nocent, minus quidem exitiales sunt iam consistente, atq; increscente accessione, præcipue uero in declinationibus pernicioſi. Nam quo tempore aliquod est utilissimum, si præter id quod nihil prodest, etiam nocet, mortem non sine ratione significat. Ex somno aūt læsiones contrarię sunt utilitatibus, quòd uidelicet febres ex ipsis non dissoluuntur, uel etiam excitantur, & quòd dolores intenduntur, & fluctiones multiplicantur, & crescunt inflammationes. Quidam uero inter dormiendum delira loquuntur, & ubi expergefacti fuerint multo tempore in delirio perseuerant. Quosdā somnus grauissimus dormientes occupat, & uix cū punguntur, excitantur. Hæc uero omnia contingunt propter humoꝝ prauitatē: quos, ubi calor innatus fortior extiterit, p̄ somnos concoqt. quādo uero debilior, succūbit, & ab illis uiscera aggrauātur, & dictis affectibus homo corripitur. Ipse etenim Hippocrates uult hominē uigilantē extrinsecus esse calidiorē, dormientē uero contrario modo se habere, id nos edocēs (quod etiam quibusdam aliis rerū naturaliū studiosis uisum est) somnū, atq; uigilias fieri secundū innati coloris motiones. Nō absq; ratione igitur euenit, ut cū in uisceribus iste collectus, causas morbificas nequeat euincere, pnicie significet. Si tamē euicerit, nō propterea certæ salutis est signū, nisi quispiā, quātū ad talē affectū attinet, ægrotū dixerit non periclitaturū, q̄ tamen ex alio posit interire. Nam si qua inflāmatio aliquā ex partibus principalibus præoccupauerit solutu difficilis, contingit ægrū qui ita se habeat interire. Quare securius pronunciandum est, Vbi ex somno læsio aliqua aduenit, letalem esse notam: cum uero prodest, non letalē. Quòd uero ex somnis aliquæ accidant læsiones, ipse in libris quos Epidemias iscripsit, ostēdit his uerbis: Inter hos multi erant graui oppressi somno, & delirantes, nonnulli uero ex somno tales fiebant.

II.

VBI SOMNVS delirium sedat, bonum.

Si subinde ambos dixerimus aphorismos, & hūc scilicet & antecedentē, inuicē iungi, totus sermo talis utiq; fiet. In quo somno morbus laborē facit, mortale: si uero iuuat, nō mortale. Vbi igitur somnus deliriū sedat, bonū. ut quoddā ueluti exēplū particulare subiungat sermoni antecedēti uniuersaliter dicto. tanq̄ si ita dixisset. Vbi dolorem somnus sedat, bonū. Vbi igitur febrē somnus se-

dat, bonum. Vbi igitur inflammationē ſedat ſomnus, bonum. Sed ſatis fuit ei tantum periculoſiorē morbum nominare. Nam ueritas ſermonum uniuerſaliū, ex huiuſcemodi exēplis magis dilucet.

III.

SOMNVS, atque uigilia, utraq; ſi modum exceſſerint, malum.

Nonnulli ex medicinæ ꝓfeſſoribus exiſtimarunt uigiliā modū excedentē, malū eſſe & ſignū, & cauſam, nō tamen ſomnum. Hunc enim ſemꝑ bonū eſſe & ſignū, & cauſam, & nunq̄ fieri ſomnū modum excedentem: plurimos uero decipi arbitrantes ſomnolentas & graues diſpoſitiones incipientes, ſomnū eſſe longum. Verum hi à nobis diſcentes quòd nōdū ſomnus grauis nominatur, niſi difficilem habuerit expergefactionem, concedant ſomnū lōgum recte nominari, quando ſolū tēpore exceſſerit modū naturæ cōuenientem, & nōdum habuerit difficilem expꝑgefactionē. Fit aūt huiuſcemodi ſomnus refrigerato primo ſenſitiuo, hoc eſt cerebro ipſo, quæ refrigeratio cū fortis fuerit, mixta q̄dem humiditati facit lethargicas paſſiones: cum ſiccitate uero eas quæ Græco uocabulo catalepſes, id eſt, deprehenſiones nominantur. Sic & uigiliæ fiunt quidē propter calorem primæ partis ſenſitiuæ, ſed uel ex ſola intemperatura, uel ex humoris bilioſi abundantia. Horum uero taliū omniū demonſtrationes in noſtris ſunt ſcriptæ tractatibus. Nunc autem ſufficiat ſola eorū capita tetigiſſe. Sicuti autē quidam fuere qui ſolū ſomnum ſemꝑ fieri cum modo exiſtimarunt, & nunq̄ extra modum: ſic nōnulli rurſus aiunt uigiliā nunq̄ eſſe moderatā. Sed hoc nomē ſolam immoderātiā ſignificare, obliti eius q̄ in uſu uitæ ſeruatur conſuetudinis, quoniā & mala nōnunq̄ me-

diocria dicimus magnorum comparatione. Sic igitur audire oportet uigiliam mediocrem, ac ſi ſignificet paruam.

IIII.

NON SATIETAS, non fames, neq; aliud q̄dquam, quod modum naturæ exceſſerit, bonum.

Rurſus hic aphoriſmus, ſicut & alter qui antecedit, quod in una materia, idem uult intelligi in omnibus. Nā cum ſanitas moderantia quædā ſit, neceſſe eſt omnes immoderantias quę plurimum à modo receſſerunt, iā ægritudines eſſe: quæ uero nondum id quod plurimum eſt obtinent, ægritudinum generationem oſtendere.

V.

SPONTANEÆ laſſitudines morbos prænunciant.

Nō eius q̄ fit ex motionibus immoderātiæ nomē eſt laſſitudo, ſed eius q̄ aduenit in corporibus animaliū diſpoſitiōis: neq;.n. laſſitudinū meminit, q̄ ex talibus accidūt motionibus, ſed q̄ ſpōte cōtingūt. Cū igitur abſq; motu huiuſmodi euenerit diſpoſitio, nō ſimpliciter laſſitudo, ſed laſſitudo ſpōtanea nominatur. Sed quum tres ſint laſſitudines, quēadmodū in ſalubribus declarauimus, prima q̄ ulcerū, ſecūda q̄ tētionis, tertia q̄ inflāmatiōis ſenſum habet, q̄ ex iſtis cōponitur: Prima q̄dē ex uitiatis humoribus ortū habet, ſecūda ex plenitudine, tertia ex utrisq; ſimul cōiunctis. Sic enim à nobis eſt demonſtratū in ea quæ de ſalubribus inſcribitur tractatione. Quare non temere dictum eſt ſpontaneas laſſitudines morbos nunciare.

VI.

QVICVNQVE dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorē nō ſentiūt, his mēs ægrotat.

Dolores ſolet nominare nonnunquam diſpoſitiones ipſas in quibus dolemus: in quem ſenſum dicebat in libro Epidemiarum, quòd in Cranone antiqui dolores frigidi, noui autem calidi: haudquaquam dolores calidos, frigidosve, ſed diſpoſitiones ex quibus fiant, ita nominãs. Et hoc in loco igitur eodem modo dolores ipſas diſpoſitiones nominauit, quæcunque cum dolore fieri ſunt natura aptæ, quemadmodum eriſypelas, inflammationem, & uulnus, & fractionem, atque rupturam, & conuulſionem, & quodcũque tale aliquid: quod ſi adſit & ab ægroto non ſentiatur, mentem indicat ægrotare. Siue autem mentem, ſiue animũ dixerit, nihil ad præſentia refert.

VII.

QVÆ LONGO tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet: quæ uero breui, breuiter.

Quę enim pauco tempore extenuata ſunt corpora: ob humorum, & ſpirituum euacuationem, non ex ſolidorum colliquatione id perpeſſa ſunt: quæ uero longo tempore extenuãtur, his carnes contabeſcunt: graciles etiam reddũtur †aliæ partes per quas concoctio in animalibus, & ſanguificatio, atque nutritio perficitur: quare tantũ non poterit concoqui alimentum, quanto indiget corpus. Quam ob cauſam talia corpora longiori tempore reficere oportet, atque tenuiter, quod lente nominauit. In quibus autem ſoli humores & ſpiritus ſunt euacuati, in his celeriter, ac plenius contingit reficere, quum fiduciam nobis præſtet ſolidarum partium robur. In fine autem aphoriſmi duplex ſcriptura inuenitur, & idem utraque ſignificat, ſiue, breui, caſu ablatiuo, ſiue breuiter aduerbialiter ſcriptum ſit.

†Alibi legitur ὄργαμα.

VIII.

SI A MORBO cibum aſſumens quis nõ corroboratur, pluri alimento corpus uti ſignificatur. Quòd ſi non aſſumente cibum hoc accidat, ſcire oportet quòd indiget euacuatione.

Propter breuiloquium, & uſum quendam dictionis, qui etiam eſt apud nos in multis ciuitatibus Aſiæ, hic aphoriſmus habuit obſcuritatem. Conſuetum enim eſt nobis dicere, non aſſumere cibum illos qui ſine appetitu, aſſumere autem appetentes, ac paſtos uſque ad ſatietatem. Quicunq; igitur appetentes, & abundans alimentum accipientes non poſſunt ſalubres uires recuperare, magis ex eo grauantur, & non nutriuntur. Qui uero neque quod ſatis ſit poſſunt aſſumere, uitioſos humores habent, quos niſi euacuauerint, fieri nõ poteſt ut robur recuperent ſanitatis. Hippocrates uero non hic tantum, ſed & in aliis ſuis commentariis, quando inuicem proportione ſeruata humores omnes augẽtur, miſſione ſanguinis auxiliatur. Vbi uero unus aliquis ex ipſis ſuperabundat, illi purgatorium dat medicamẽ. Vt igitur iſta cognoſcens, & qui ſæpius in ſuis commentariis eadem tradiderit, recte duos ſequẽtes aphoriſmos ſubiũgit, in quibus de eadem docet diſpoſitione, de qua etiã in hoc propoſito docuit aphoriſmo, inquiẽs: Si uero non aſſumente ægro hoc fiat, ſcire oportet quòd indiget euacuatione. Et ordinem quidẽ duorum ſequentium aphoriſmorum puto eſſe deprauatum in multis aliis exemplaribus. Illa uero rectius ſe habẽt in quibus alter ſcribitur prior: ille uidelicet, Non pura corpora quanto magis nutries tanto magis lædes. ut totus ſermo talis exiſtat: Si uero non aſſumente hoc accidat, ſcire oportet qd̃ indiget euacuatione. Non pura enim corpora

quanto magis nutries magis lædes. Nos uero illum sequentes ordinem, quem in pluribus exemplaribus scriptum inuenimus, sic eorum fecimus expositionem.

IX.

CORPORA CVM quispiam purgare uoluerit, oportet fluida facere.

Multi quidem uolunt corpora fluida fieri, ubi per medicamenta uomitoria euacuatio est facienda, cum his quæ ad mouendum irritant. Vbi uero per deiicientia, continuo aluum subducendo. Et ideo totam dispositionem utriusque, his quidem ad alui subductionem, his uero ad uomitum, faciunt habiliorem. Ego uero Hippocratem puto, nō minimum id, sed aliquid maius hoc in loco nos docere uoluisse, quod nos longa experientia dicimus ita se habere. Siquis enim extenuet, atq; incidat crassos, atq; tenaces humores qui in corpore sunt, & meatus aperiat per quos isti transmittuntur, atq; trahūtur à medicamentis quæ uim purgatoriam habent, tunc purgatio in omnibus recte procedit. Qui uero istud neglexerint, & uomitus, atq; alui subductionem procurauerint, his difficiles ueniunt purgationes, non sine torminibus, & quadamuertigine, fastidioq; multo & malo pulsu, ac dissolutione, & difficultate. Nos uero extenuante utimur uictu, de quo integrum scripsimus librum, & nihil horum contingere cōsueuit: sed eorum quæ in corpore præter naturam continentur sine ulla molestia, ac celerrime fiunt euacuationes. Idcirco Hippocratem dicimus suo adiecisse sermoni: Vbi quis uoluerit purgare corpora oportet fluida facere. ac si ita dixisset: Siue per uomitus, siue per alui subductionem purgare uelis, fluidū totū corpus efficiens, sic purgabis optime.

Erit aūt fluidū, ut diximus, omnibus meatibus reseratis, humoribus uero incisis, abstersis, atq; extenuatis, siquis fuerit humor in corpore crassus, ac glutinosus.

NON pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.

Corrumpitur enim adueniens alimentum corpori malos humores habenti, ita quòd ipsius quidē quantitas augetur, qualitas uero seruatur. Hoc uero præcipue fit quando uentriculus quibusdam humoribus uitiosis plenus extiterit, ex quibus paulo antea dictus reualescentibus accidit casus, non posse uidelicet cibum assumere.

XI.

FACILIVS est impleri potu, quàm cibis.

Quum sermo ipsi de his q indigēt corporis refectione antea sit habitus, propterea nunc scripsit materiem & diuersitates ex qbus nutriūtur. Scriptū aūt est ab ipso & in libro de aliméto sic. Quicūq; indigent citissima adiectione, humidū remediū ad recuperandas uires optimū est: Vbi aūt adhuc citius, & odoratū. Oportet aūt nō simpliciter intelligere in utroq; libro, uel in illo humidū, uel hic potū, sed humida, & potus, q̄ suapte natura apta sunt nutrire corpus. Nā si nō ita nutriūt, sicuti solidiora, superant tamē nutriendo celeritate, sicuti uina crassiora. nam aquosa (sic autem nominant alba, & tenuia) sicuti aquæ similem formam habent, ita etiam uim: quare urinam cient, & minime nutriunt. quæ uero, & crassa sunt, & colore rubea, plus alimenti habent quàm reliqua uina. Ineſt autem eis & citissime implere corpora euacuata, & ob hoc indigentia adiectione. Quòd uero hu-

† In impſis deest negatio. in aliquibus uero manuscriptis reperitur.

dum alimentum & præcipue natura calidum facilius nutriat, manifestum his qui norunt quo modo & coctio & distributio fiant.

XII.

QVÆ RELINQVVNTVR in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt.

Hic etiam aphorismus antecedentibus iũgitur. Nam quum Hippocrates dixerit, Si à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimẽto corpus uti significatur, quòd si non assumente cibũ hoc accidat, scire oportet quòd indiget euacuatione. Et ob hanc causam cum deinceps de euacuationibus sermonem habuisset, nunc causam assignat ob quam oporteat euacuare eos qui post morbum non appetunt, ac si totus sermo ita ab ipso transigeretur. Quòd si non assumente cibũ hoc accidat, scire oportet quòd indiget euacuatione. quæ enim relinquuntur in morbis post iudicationem recidiuas facere consueuere. Per ea quæ relinquuntur in morbis, malorum reliquias intelligens, quas necessarium est tempore putrescentes, febres accendere: quoniam omnis humor alienus à natura corporis in quo continetur, neque aptus natura est ad eius nutritionem, quare relinquitur, ut necessario ad putredinem conuertatur. Cum uero & locus calidus erit in quo fuerit collectus, tunc maxime & celerrime putridus fit.

XIII.

QVIBVSCVNQVE crisis, ideſt iudicatio fit, his nox grauis ante accessionem. Quæ uero subsequitur, magna ex parte leuior existit.

Iudicatio est subita in morbo, uel ad sanitatem, uel ad mortem mutatio: fit autem natura seperante à nobis mala, & ad excernendum pręparante. Nõ

temere igitur in tali turbatione grauiter se habent: & grauitas hæc noctu fit manifestior. nam hoc tempore dormire consueuimus. Somnis ergo à turbatione interruptis, clarius grauitas illa percipitur: licet similis fiat interdiu turbatio, quando nocte sequente est iudicatio futura. Quod autem in fine aphorismi scribitur, Quæ uero subsequitur magna ex parte leuior existit: in multis exemplaribus non habetur. Vult autem docere nos, quod nox subsequens iudicationem magna ex parte facilior existat, quoniam plures iudicationes bene terminantur. Nouimus enim plures esse ex ægrotis sanatos, quam mortuos, nisi sit pestilens constitutio.

XIIII.

IN PROFLVVIIS alui, mutationes excremẽtorum iuuant: nisi ad mala mutatio fiat.

Mutationes excrementorum quæ multis formis uariantur, exquisitius corpus expurgant, nisi adsint signa colliquationis, aut putredinis: de quibus in Prognosticis dixit, ubi & pinguium & fœtidorum ac male olentium meminit excrementorum.

XV.

VBI FAVCES ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nam si bilioſæ fuerint, corpus unà ægrotat: si uero similes sanis, tutum est corpus nutrire.

Duos inuicem sermones ex aduerso ponens, in utroque id quod consequitur prætermisit. Quare si utrique id quod deest adiungatur, erit uniuersa oratio huiusmodi: Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascũtur in corpore, inspicere excretiones oportet. Si enim bilioſę fuerint, corpus unà ægro-

tat, neque tutum est ipsum nutrire. Si uero similes sanis, neque corpus unà ægrotat, & tutum est ipsum nutrire. Ex quibus uero mihi uidetur Hippocrates ipse sibiipsi persuadens, in hunc modum scripsisse, iam dicam. Animalium natura nonnunquam ex principalibus membris humores malos euacuans, alios per urinas uel uomitus uel alium inferiorem excernit: quosdã uero extra pellit ad cutim, quos quũ non possit euacuare propter eorum crassitudinem, ibi reponit: atque hoc modo tubercula nascuntur in corpore: sæpius & fauces ex capite fluẽtes humores suscipiẽtes infestantur. Tunc igitur considerandum est ac distinguendum nunquid natura totam reponat patientibus partibus superfluitatem, an adhuc etiam corpus uitiosis humoribus superabundet, quod excrementa indicabunt. Nam si omnino natura mota est ad expurgandum corpus, ea biliosa apparebunt: quoniam tubercula sanguine calefacto, à bilioso humore fieri, naturam habent. Et liquet, prius esse purganda, non nutrienda huiusce modi corpora. Non pura enim corpora quanto magis nutries magis lædes. Si uero excretiones sunt similes sanis, totum corpus bonos habere humores indicatur, & sine ullo periculo nutriri potest.

XVI.

VBI FAMES, laborandum non est.

Fames cere illos dicimus, qui ob ciborum inopiam ad extremam esuritionem perueniunt. Sic igitur Hippocrates ipse secundo libro Epidemiarũ dixit. In oppido Æno qui ob famem legumi-
» nibus uescebãtur, crura debilitata sunt. Et quidem
» omnem eximium ciborum defectum, si etiam citra penuriam ex electione, uel iussu fiat, famem cõ-
» suetuit appellare, ueluti cum ait, Carnes humidas

» habentibus famem adhibere cõuenit: fames enim exsiccat corpora. Et cum in Prognosticis inquit,
» Interrogare oportet nunquid uigilauerit homo,
» uel aluus fortiter exinanita fuerit, uel si fames obsederit: pro defectu ciborum famem accipit. Et hoc etiam in loco sic dixit. Vbi fames, non oportet laborare, ac si ita dixisset, Qui non sunt reficiẽdi cibo, neque illo die aliquem laborem iniungere oportet. Hic autem per laborem oportet intelligere uehementem motum, quem exercitium nominant. In hanc igitur sentẽtiam ipse dicebat, Labores cibum antecedant. est autem ipsi sermo cõmunis ad ægros, & sanos. Sanis enim non sunt præcipienda exercitia simul cum inedia, neque etiam ægris aliquis uehementior motus adhibendus unà cum cibi abstinentia, neque sanguinem mittere oportet, neque citare uomitum, neq; purgare, neque multa uti frictione, neq; in uniuersum aliquo forti motu, uel corporis alteratione. In talibus sigdẽ motibus omnibus ubi cibus defuturus sit, uires dissoluũtur, siue ægrotent, siue ẽt sani sint homines. Vbiq; uero Hippocrates magnũ studium habet seruare fortem eam quæ regit animalia potentiam. Siue igitur numero singulari potẽtiam dixerimus, siue plurali potẽtias, nil refert. Et hoc ipsum in libro de alimento Hippocrates dixit, potentia una, & non una: genere quidem ostendens unam esse potentiam, species autem plures habere.

XVII.

VBI CIBVS præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit, ostendit autem sanatio.

Quod in altero aphorismo uniuersaliter dixit, hoc nũc in una specie docet. Vniuersalis enim est hic sermo. Nõ satietas, nõ fames, neq; aliud aliqd

bonum quod modum naturæ excesserit. uerum propositus aphorismus de una re, scilicet satietate, pronunciat. Plus enim cibi quàm modo naturæ conueniat, repletio nominatur. Semper igitur id quod plus, ad aliquid dicitur. Verum in nostris corporibus duplex est, unum quantum ad uasorũ amplam capacitatem, alterum quantum ad illam quæ nos gubernat naturam, de quo nos nũc Hippocrates docens dixit Cibum excedentem esse præter naturam: ne eos qui ita cibo sunt repleti, ut uenter extendatur, omnino ex hocarbitremur sensuros læsionem: neque eos quibus aliquid deest ad conceptaculi mensuram, pauca assumpsisse, & omnino illa bene concocturos. Nam priores contingit quæ pleno uentriculo continentur cõcoquere, si eorum natura fortis extiterit. Secundos uero non posse concoquere propter imbecillitatem, tunc præsertim cum priores assumpserint cibos concoctu faciles, secundos uero concoctu difficiles. Sic & in distributione alimenti, potentia sanguifica illi proportionalis quæ in uentre cibum concoquit, nonnunquam ex imbecillitate non alterabit humorem ad uenas distributum, etiam si modicus esse uideatur: aliquãdo uero istius multiplicem prompte in sanguinem transmutabit, & ex sui robore, & ex cibi natura ad coctionẽ idonea. Eodem modo & tertium alimentum (quod maxime proprium alimentum nominamus) quod scilicet partibus animalis adiicitur, pro natura potentiæ uel excedere, uel non excedere dicetur, & uel bene cõcoquetur, & nutriet, uel nõ, & iuxta hoc, uel ab ipsa obtinebitur, uel nõ obtentũ corrumpetur, & morbum generabit. Vna igitur expositio hæc est, Illud quod plus est, quantum ad potentiam à quo animalia reguntur nobis intelligentibus: Altera quantum ad qualitatem præter naturam, uera &

Repletio. Duplex

Alimentũ tertiũ.

ipsa. Nutritur siquidem pars unaquæque ex proprio alimento, quod recte diceremus esse illi secũdum naturam. Cum igitur aliquando ad ipsam peruenerit aliquis humor qui alteri quidem particulæ sit secundum naturam, ipsi uero alienus, & præter naturam: malum quidem hoc existit, non tamen ex necessitate sequitur morbus, ubi exigua portio fuerit. Nam quum neque illa medicamenta quę naturam habent exitialem, sicuti mandragora, papauer, atque cicuta, possint sine quantitate nocere, multo minus huiuscemodi humor qui præter id quòd non est exitialis, etiam alias partes enutrire potest, alioquin neque alimentum uocaretur, nisi tali esset natura præditus. Sicuti igitur, si parum aliquid aeris per gulam ad uẽtriculum deferretur, aut potæ humiditatis pauxillum ad pulmonem per asperam arteriam dilaberetur, neque uentriculus quo ad hoc ægrotaret, neque pulmo: Eodem modo se res habet & in aliarum partium alimento. Est quidem & alia tertia expositio dicta à quibusdam, qui nos audire iubent, præter naturam, pro ualde, & exuperanter, ac si ita diceretur: Vbi cibus exuperanter intrauerit, hũc facere morbum. Nam cibum paululum mediocritatem excedentem nõdum posse facere morbum, sed adhuc seruare corpus intra latitudinem sanitatis. Vera quidem & hæc sententia. Oportet siquidem cibum q morbum facturus sit, non paruo aliquo excedere exquisitam mediocritatem, uerum non est mos ob hoc sermonem distinguere. Solent enim ipsum tãtummodo genus enuntiare, uel humorum corruptionem, uel exustionem, uel frigefactionem, uel cruditatem, & quæcunque alia huiuscemodi morbum facere dicentes, quasi nos in singulis horum effatu dignam quãtitatem subintelligamus. Eodé igitur modo, & cibum, excedentem dicunt facere

morbum,nõ adiicientes multo.cũ nos nõ lateat, ꝙ si quintadecima unius drachmæ parte medio/ critatẽ excesserit,nõdũ potest morbũ efficere:ue/ rum si hic excessus multiplicetur,faciet & ipse alio/ quãdo morbũ:ex genere.n.causæ est quæ mor/ bos cõmittendi uim habent. Secundũ hæc igitur tertia expositio,etsi q̃ maxime uera sit, mihi tamẽ uidetur esse curiosior,quã deceat ueterũ consue/ tudinẽ,præter id quod uiolentius exponit uocis illius,præter naturã,significatũ. Verba autem quę in fine aphorismi scribuntur,ubi ait, Ostendit aũt sanatio:melius scriberentur cum cõiunctione,&, hoc modo. Ostendit autẽ & sanatio. Neq;.n. sola sanatio ostẽdit cibum ubi plus modico ingeritur, facere morbum, sed & rei natura indicat, atte/ stante simul etiã sanatione:in omnibus siquidem artibus his quæ sunt recte excogitata, accedit etiã ex euentu testimoniũ. Quodnam igitur illud est in præsenti sermone ea quæ sequitur ad noxio/ humorum euacuationes sanatio, quã etiam He/ rophilus in tritemporea significatione uocata cõ/ prehendit. Si quis enim plus consueto assumpse/ rit cibi,æquali autem prioribus,aut etiam minori utatur exercitio,mox aggrauato corpore cum ru/ bore,atque tumore uenarum incipiat febricitare: nõ absq; ratione quispiam illum ex multitudine febricitare existimauerit. Si igitur euacuatus inde iuuatur,statim existimatio de multitudine confir/ mabitur,& crescet audacia in eisdem simili modo euacuandi,non expectantibus empiricorum ob/ seruationem,quam ipsi aiunt eorum esse quæ sæ/ pius in eisdem eodẽ modo cõtigerunt. Forte igi/ tur & in aphorismo adiecta erat cõiunctio,&, de/ inde aliquis tanquam superfluam abstulit. Forte autem & ipse Hippocrates ab initio simpliciter scripsit absq; coniunctione: Ostendit autẽ sanatio,

ac si ita dixisset: His enim quæ prius dicta sunt, ita se habentibus,ut dictum est,hoc est plurimo cibo præter naturã cõprehenso in corpore, ubi adhi/ bita euacuatione ægrotus leuabitur, argumento erit morbũ aduenisse ex multitudine cibi. Quòd aũt euacuationem simpliciter Hippocrates dice/ re consueuerit, quãdo humores omnes æqualiter euacuantur,purgationem aũt quando praua affe/ ctui qualitate:meminisse oportet,& ꝙ præsens sa/ natio,nõ à purgatione facta,sed euacuatione,atte/ statur illi quæ fuit de multitudine existimationi. Euacuatio autẽ omnium humorũ æqualiter,quæ quidem exquisitissima est,fit per uenæ sectionem. Proxima aũt huic est quę p tibiarum scarificatio/ nem,ut nos facere cõsueuimus,& quę p exercitia, & frictiones,& balnea,& præterea ex accidenti p inediam. Dixi aũt ex accidenti,quoniam non per seipsam inedia euacuat,ut singula antea dicta; ue/ rũ euacuatio fit naturali modo trãspirationis, nul/ lo uero accedente alimento in locum eius quod fuit euacuatum,tunc sensu manifeste deprehẽdi/ tur,quũ tamen antea lateret. Hæc igitur sufficiant ad aphorismi expositionẽ. Qui uero uult sermo/ nem de multitudine diligentius perlegere,unum habet uolumen integrum à nobis conscriptũ, cui titulus est De multitudine. Nunc uero hoc tantũ sufficiet adiũgere,his quæ prius à nobis sunt enar/ rata: ꝙ incipere quidem potest ea quæ ad uires refertur multitudo absq; corruptione, uerum nõ potest optima permanere.nam omnino necesse est,ut secundum qualitatem transmuterur,& pro/ cessu temporis corrumpatur:uerũ etsi istud fiat, interim multitudinem ipsam nominabimus do/ nec ex superflui euacuatione residuum optimum fieri posit. Quod.n.in uinis accidit acescentibus, tale quiddã & in sanguinis alteratione cõtingit.

Quod autem in uinis accidit, tale est. Vbi ex toto acida facta sunt, non redeunt rursum ad uini naturam: paruo autem in ipsis facto momento, ita ꝙ acidum quidem habent saporem, nondum tamen acetum sunt, multa sæpius ex his pristinam naturã recuperarũt. Hoc idem in sanguine euenit. nam & ipse ubi magna in eo sit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem. Si uero paulatim fiat, ubi id quod superfluum, fuerit euacuatum, qđ residuum existit ad suam naturam restituitur. Et ꝙdem consuetum est huiuscemodi dispositionẽ nõ corruptionem, sed multitudinẽ nominare, illa (ut dixi) sola uocata corruptione quæ tã effatu dignã habet eam quæ ad naturæ contrarium euersionẽ, ut non possit iterum ex naturæ coctione ad primã humoris redire bonitatem.

XVIII.

EORVM QVÆ uniuersim, & uelociter nutriunt, ueloces quoque fiunt excretiones.

Velociter quidem nutrire audiendum est ab ipso dici ea quę paruo post assumptionem tẽpore statim nutriunt, suæ naturæ ratione, quam in his exploramus q integra sanitate fruũtur. Vniuersim autem, quæ postquã alere cœperunt, exiguo tẽpore totum ex se præstãt corpori alimentũ. Talia igitur quantũ ad hoc solum attinet ꝙ uniuersim nutriunt, etiã ueloces habebunt excretiones. Si uero aliqua adsit acritudo excitans ad excretionẽ, aut lẽtor ob quẽ magis retineatur, hæc quidem uelocius ad excretionẽ prorumpent, hæc uero tardius. Celerrime igitur omniũ & uniuersim maxime uinum alit, tardius autẽ & paulatim caro bubula, & cochleę, & uerticelli marini, squillæ, cammari, atq; locustæ. Et (ut summatim cõprehendam) quęcũq; dura carne constant, eãdẽ cũ his naturã habent, &

casei duri, carnes salitæ, lentes, ac bulbi, necnõ oua usquequo indurescant elixata. Hæc enim omnia multo post assumptionem tempore, atque paulatim nutriunt. Indicium autem tibi sit uelocis nutritionis ex assumpto cibo, in pulsibus quidem fortitudo, ac magnitudo, in motibus autem uoluntariis robur nutritis adiectum. Ipsum uero præcipue oportet explorare in illis qui ex euacuatione aliqua sensibili sunt dissoluti, uel propter euacuationem aliquam sensu perceptibilem, uel propter laborem superfluum, uel propter inediam. In hisce igitur quæ antea diximus omnibus tarde fiunt excretiones, hoc est longo post assumpionem tempore, in contrariis uero ueloces. Maxime autem omnium contrarium est uinum, celerrime, ut diximus, nutriens, post ipsum uero per ordinem alia, de quibus sermonem faciam. Et primum de uinis ipsis percurrens. Etenim aquosa ex eis exiguum præbent corpori alimentum. Sunt hæc colore ꝙdem alba, tenuia uero substantia. Crassa autem & sulua multo magis corpus alunt. Tantum uero uincuntur à nigrioribus in nutriendo plurimum, quantum superant in præstando uniuersum & uelox alimentum. Quæcunque uero uina alba sunt, sed crassa, minus quidem his alunt, plus autem tenuibus, & albis, sed neque uelociter, neque uniuersim alunt. Quantum uero in hisce differunt, tantũ & in excretione. A quosa enim celeriter per urinã excernuntur, quia celerrime tota ferè anticipant resumi. Ex aliis uero omnibus quantum aliquid uentrem subierit manifeste, proportionalem nutritionis tempori habet excretionem. hoc idem in aliis omnibus accidit. Nam succus ptisanæ non multo post assumptionem tempore uidetur nutrire, non tamen multum præbere corpori alimentum, id uero breui tempore præbere uniuersum.

Alica uero neque paucum, neque uniuersum affert alimentum, sed multo tempore multum affert alimentum. Oportet autem & ea quæ inuicem comparantur, esse secundum substantiam similia, & nõ esse hoc quidem exquisite humidum, hoc uero extreme siccũ. In ptisana igitur, & alica & huiuscemodi omnibus quæcũq; parantur ex miliis, uel fabis, uel aliis fructibus, eodem modo se habeant quæ comparantur secundum substantiæ qualitatem. In carnibus autem propria est uniuscuiusque constitutia. Comparare igitur ipsa oportet secundum modum quo parantur, uel utrisque assis, uel eodem modo elixatis. Auferre autem oportet, dum parantur, mordaces humores, quemadmodum in brasica, acleguminibus, si certã uelis habere experientiam eius quæ in ipsis alit substantiæ. Auferuntur autem humores dicti, si dum elixantur aba una aqua ad aliam transferantur. Si igitur adhibita distinctione diligentem omnium feceris inquisitionem, inuenies omnia quæ in pauco tempore nutriunt, hoc enim est uniuersim, & paruo post assumptionem tempore, hoc enim est uelociter, etiam uelocem habere excretionem, quando hominibus eodem modo affectis exhibentur. Nam & hoc in talibus omnibus oportet præfinire. At quæ contrariam naturam habent, tarde excerni. Causam horum inuenies ex his quæ ostensa sunt in commentariis de potentiis naturalibus. In his uero ostendebatur uentriculus prior proprium sibi ex cibis alimentum attrahere, & suis apponere tunicis: mox ubi hic fuerit saturatus, tunc ipsos emittere ad excretionem. In hoc autem tempore, & hepar ostendebatur ex cibis attrahere, ubi indigeret alimento. Nam si non egeat, illo quod prius aderat perfrui. Eodem autem tempore trahere rursus ex hepate totum corpus, quo tempore

Ventriculus prior ex cibo alitur.

scilicet & hoc indiget alimento. Vnde in quibus totum corpus est uacuum, quispiã maxime possit experiri qui cibi sint uniuersim, & uelociter nutrientes, quibus & illud ineſt celeriter tendere ad excretionem, quantum ad id attinet. Verum nonnulli dixere eam quæ fit ex toto corpore euacuationem, ab ipso excretionem nominare, ut idem sit quod nunc docetur, ei quod dixit in libro de alimento, ubi inquit. Cibus qui difficulter alteratur, difficulter absumitur, qui facile apponitur, facile absumitur. Quod dictum uerissimum quidem est, non tamen proprie uidetur audiri sub appellatione excretionis. Nam magis proprie dicitur solum de ea quæ fit per uentrem: possumus quidem & ipsam audire de ea quæ fit ex toto corpore. Differt enim excretionem, uel subductionem dicere. Subductio igitur solum de his dicitur quæ per alũ deiiciuntur. Contingit autem excretionis uocabulum esse utrisque commune. Carnes itaq; suillæ, & quæcũq; lentos ac crassos humores habent in tẽpore faciunt ex toto corpore trãspirationem. Olera uero, & pisces saxatiles, & simpliciter q̃cũque tenuẽ habent humorẽ distribuendũ, celeritate quidẽ distribuitionis, atq; appositionis exuperãt, stabilẽ uero naturã nõ habẽt, sed facile diffluãt.

Excretio

XIX.

ACVTORVM morborum non omnino sunt certæ prænuntiationes aut salutis aut mortis.

Acuti morbi, præter id quod celeriter iudicantur, statim etiam magnitudinem habent. Nam febres diariæ, quas Græci ephemeras uocant, licet cito finiantur, non tamen acuti morbi nominantur. Duplex autem est acutorum morborum natura. Vel enim in humoribus calidis solis, q̃ nullum obsedere locum, sed q̃aliter in omnibus anima-

Acuti morbi

duplex natura acutorũ

lis partibus apti sunt ex sua natura generari, uel loco aliquo patiente fiunt, ut in morbo laterali, pulmonis inflammatione, angina: & febres omnino in acutis morbis continuæ sunt. Rari enim sunt ex ipsis quibus febres non adsint, ut morbus attonitus, quem Græci apoplexiam uocant. Morbi uero longi ob crassos, lentos, ac frigidos fiunt humores, qui non facile concoqui possunt, & in patientibus partibus impacti sunt atque agglutinati, ita quòd eorum dispositiones magis præduris tumoribus quàm inflammationibus assimilantur. Pauci uero ex ipsis fiunt † per compassionem, & absque loco patiente, in quibus uenæ omnes æqualiter habent humores putrescentes, uel atræ bilis, uel pituitæ naturam præ se ferentes. In his omnibus uidetur Hippocrates fidere præcognitionibus, in acutis uero non omnibus. Verum est aliquando, quod & falli præcognitionem confitetur. Tale enim quid est quod dicitur, Non omnino, negatio existens: non omnino enim idem quod non prorsus significat, estq; non omnino perinde ac, non in omnibus: quod genus sermonis usurpare cõsueuerunt, quãdo paucos ex multis uolunt excipere, ut quum dicunt, Non omnes homines mali. Qui enim hoc dicit, ostendit paucissimos esse bonos: Ita igitur & nunc Hippocrates ostendit, inquiens, Nõ omnino certas esse in morbis acutis prænunciationes: quãliquando, quanuis raro, contingat medicum optimum aberrare: hoc autem fit propter subitam iudicatione permutationem, quæ naturam humorum sequitur morbificorum, & quia nonnunquam humor noxius ex uno loco transfertur ad alterũ.

† In aliquibus cod. græ. deest per cõpassionem.

XX.

QVIBVS iuuenibus adhuc aluus humecta est: his senescẽtibus exiccatur. Quibus uero iuuẽibus adhuc aluus ficca est, his senescẽtibus humectatur.

Quòd

Quòd quidem hoc ex magna parte fiat, & non semper, ostendit ipse inter sequentes hunc scribẽs aphorismum. Quorum aluus humida est, si iuuenes fuerint melius cõmutant, quàm hi quibus est ficca, in senectute uero deterius, nã magna ex parte senescentibus exiccatur. Oportet autem humidas, & siccas aluos intelligere, non simpliciter, sed eadẽ uictus seruata rõne. Si quis enim in iuuentute Alexandrinorum uictu uteretur, salsis utens cibis, & porris, zythumq; superbibens, in senectute uero nihil horum assumeret, lentem autem esitaret, & uinum austerũ potaret, quo pacto diceremus huius hominis deiectiones ętatis ratione permutari? Sic & qui in iuuentute lẽtibus uescretur, & mespilis, & uinum austerum potaret, in senectute autem uictu uteretur Alexandrinorum, atque ita cum uictu excretiones mutaret, non recte ex deiectionibus iudicium fecerimus. Sed cum omnia alia, non solum quæ ad cibos attinent, paria agẽtur, & deiectiones commutabuntur, tunc rectum fiet iudicium de his quę ab Hippocrate in hoc aphorismo dicũtur. Variantur autem deiectiones quantum ad naturã æta tum attinet, secundum eas quæ in corpore mutantur dispositiones, ex qbus aluus siccior humidiorve fit. Quænam uero sint hæ dispositiones, unum est ex his quæ quæruntur, atque adeo longũ mihi futurum super hoc sermonẽ existimo, si proprias studuero adhibere demõstrationes, quòd unus integer liber erit necessarius. Sed hoc aliàs forte à nobis fiet. Nunc breuibus capita expediã, his utẽs quæ in commentariis de potentiis naturalibus, & de causis accidentiũ demonstraui. Plus quàm modo conueniat, fit aluus humidior, quando cibus in chylum conuersus, in ipsa parcius distribuitur. Siccior uero rursus, omni humore in ipsa cõtento ad hepar relato. Causa uero, ob quam parcius distri-

buitur, eſt, quia plus cibi aliquando aſſumimus, quàm hepar indigeat: quandoq; autẽ celerius ille ad excretionem properat. Nam cum cibus modum excedit, eius ſuperfluũ derelinquitur, ubi hepar tantum ad ſe attraxerit, quanto indiguerit. Cũ uero properat ad exeundum, non præuenit hepar tantum attrahere, quantum ipſi eſt neceſſarium. Citius autem feſtinat ad exitum id quod excernitur, nonnunquã ob multitudinem bilis ad aluum defluentis quæ irritat ad excretionem, nõnunquã uero ipſa alui potẽtia retentiua facta debiliori, expulſiua uero eius atque inteſtinorum forti exiſtente. Plura igitur appetimus cum os uentriculi (in hoc enim uis appetendi præcipue conſiſtit) frigidiorẽ habuerit temperaturam. Sic uero & hepar minus attrahit propter frigiditatem. Vim autem retentiuam habet uentriculus imbecilliorem propter humiditatem, ſicuti expulſiuam fortiorẽ propter ficcitatem. Senum igitur corpus cum frigidum efficiatur, tantum augeri cõtingit in ore uentriculi frigiditatem, ut appetitus deficiat, atq; ita excrementa exiccentur, inopia eorum q̃ ingeruntur ut diſtribuantur. Sic & quicunq; ob multitudinem, uel naturam humoris bilioſi aluum humectam habent, ad contrarium tranſmutantur, quum hic humor in ſenectute deficiat. Quibus uero ob uirtutis retentiuæ debilitatem aluus humectatur, non omnibus tranſmutatio aduenit, ſed pro quãtitate caloris adiuncti. Si enim ſtatim ab initio frigidiorem habuerit aluus temperaturam, mox ad immodicam ueniens in ſenectute intemperiem, ſecundum frigiditatem, uirtutem retentiuam æque habebit imbecillem: quoniam omnis immodica intemperies operationem exoluit. Quòd ſi exquiſite calida fuerit in longo ætatis proceſſu fortem habebit operationem retentiuam, ut quæ neutrã habeat exquiſite intemperiem, neq; eam quæ eſt ſecundum ficcitatem (ſi quidẽ erat omnino humidior natura, alioquin non habuiſſet debilem uirtutem retentiuam) neq; ſecundum caliditatem. hoc enim ſupponebatur. Liquet igitur q̃ ferè omnibus qui aluos habẽt natura humidiores, fit ad contraria ſeneſcentibus tranſmutatio: qui uero ficciores, his fiẽt in ſenectute humidiores propter contrarias temperaturas. uel enim quia minus aſſumitur cibi, quàm potentiæ hepatis congruat, uel quia parum bilis cõfluit ad aluũ, uel propter potentiæ retentiuæ robur excrementa exiccantur. Ex his aũt quòd parum appetant, & citius impleantur, fit propter partium appetentium caliditatem. Quòd uero cibus aſſumptus exiccetur, contingit uel modice ſe habẽte hepate ſecundum temperaturam, uel paulo plus modico calidiore. Quòd uero pauca bilis cõfluat ad aluum, hoc ex eo accidit, quia etiam pauca generatur ob uiſceris frigiditatem. Fortis autem iuuenibus ineſt retentiua potentia, quoniam ad ficciorem uergunt temperaturã. Non abſq; ratione igitur in omnibus quos diximus ſenibus fit ad contraria tranſmutatio. Nam qui nõ appetunt ob caliditatem, in progreſſu ætatis plus etiam appetent, quàm poſſit hepar euincere. Quibus uero ob innatam ſiccitatẽ uirtus retẽtiua fortior exiſtit, his ſeneſcẽtibus fiet imbecillior ob ſiccitatis exceſſũ, & ea rõne excrementa humectabuntur, quoniã ciborum exitus feſtinat. Quibus uero propter bilis defectũ tardante excretione, ob exitus morã plurimum humiditatis abſumitur, fieri poteſt, ut eadem diſpoſitio perſeueret. Contingit etiam, quòd propter immodicam hepatis frigiditatem, ad ſatis magnam peruenientem alimenti diſtributione imbecillitatem, fiant excrementa humidiora. Hæc in præſenti dicta ſufficiant de cauſa earum quæ

fiunt in ætatibus permutationum, quantum ad alui attinet humiditatem ac ficcitatẽ, quæ propter breuitatem sunt futura obscura his, qui in nuper dictis commentationibus non sunt exercitati. Sed mox aliquando per unum uolumẽ integrum de eisdem clariorem doctrinam faciemus. Quantum autẽ ad usum artis attinet, hoc solum scisse sufficiat quod fuit ab Hippocrate dictũ, etiã si causa nõ adiiciatur.

XXI.

FAMEM thorexis (id est uini potio) soluit.

Vini potionem thorexin nominare consueuit. In libro enim de natura hominis, & uictus ratione in hunc modum scripsit. Liquet igitur quòd uictus singulorum non sunt causa, quando omnes subinde morbo corripiantur, Iuniores scilicet ac seniores, uiri simul, ac mulieres, similiter & thoresceme ni, & aquæ potatores. Quũ ergo aquæ potatores thoresceme nis ex aduerso distinguat, hinc ostenditur ipsum per thoresceme nos uinum potantes intelligere. Quare & thorexis uini potus ab ipso dicitur, quem dicit famem soluere, non (per Iouem) quemcunque defectum famẽ nominans, sicuti nõnulli arbitrantur, sed neq; illam quæ cum appetitu naturali fit, sed eam quam habent qui hac pasfione laborant, quæ uehemẽs & sedari contumax ciborum appetentia dicitur, quam & quidam medicorum appetentiam caninam nominant. Talem enim famem uini potio sanat, non eam quę ex longa inedia, uel alui profluuio, aut fluxu sanguinis, aut aliqua alia facta est euacuatione. Nam qui ex tali aliqua indigent causa, nedum aliquam ex uini potu capiunt utilitatem, sed etiam plurimum offenduntur, quoniam & conuulsionibus, atque deliriis cõfestim corripiũtur, si antequam cibos assumpserint uinum potauerint. Qui uero famẽ quam diximus

patiuntur, his uini potus, non cibi multitudo, remedium est. Equidem multos ipse sanaui qui indesinenter famescebant, uinum ipsis abundanter exhibens, ex eorum genere quæ sufficienter caleofaciunt. Neque enim acerba uina talem famem sanant, siquidem neque calefaciunt, sed quæ colorem subrubeum habent, uel rubeum absque astringente sapore, maximo sunt illis remedio qui canino laborant appetitu. Oportet siquidem cum ad prandium accedũt, primum illis afferre pinguia edulia, atq; (ut ita dixerim) oleaginea, & quæcũq; alia ex plurimo parantur oleo, sed in primis nihil austerum, aut acre offeratur: postea unum aliquod ex uinis quæ diximus, etiam si nondum sitierint adpotandum dari præcipimus. Statim enim sedatur fames tali uictu, atq; ita faciendo cessat omnino. & hoc mihi magis uidetur ĩ prẽsenti aphorismo Hippocratem docere. Quum enim canini appetitus, uel propter solam intemperaturam frigidiorẽ fieri consueuerint, uel propter humores acidos quos exorbuit os uentriculi: hæc uerò ambo sanare potest uinum quod diximus, non sine ratione cessare facit caninos appetitus. Qui uero putant uehementem esuritionem quam Græci bulimon uocant, fuisse nunc famem ab Hippocrate nominatã, non satis recte mihi uidentur eius sermonem accipere. Primum quia ipsum pro generali, atque uniuersali faciunt specialem, ac magis particularem: Deinde etiã mentiuntur. nam pasfio bulimos nominata, est casus potentiæ ex frigiditate exteriore, qui à fame quidem inchoauit, sed non habet eam amplius adiunctam.

XXII.

QVICVNQVE morbi ex repletione fiũt, curat euacuatio: Et quicũque ex euacuatione, repletio, & aliorum, contrarietas.

†In ant. exẽpl. ita legit initium huius cõmẽtarii ὃ δ' ὄκως μηδ' ἤδη μεγαν. i. neque qđ nondum a repletione fit, neq; &c.

Non ſiquid factum ex repletione, neque ipſa non amplius exiſtente, ſiquid remãſerit curat euacuatio, ſed quæcunque eo ipſo quo ſiunt tempore curare aggredimur, euacuatione indigent, quòd quidem igitur multitudo morbum efficiat, antea dictum eſt: quòd autem euacuatio ſit eius curatio, non opus eſt dicere, ſicuti neq; de omnibus aliis cauſis quæ morbos cõmittunt, quòd per contraria curentur. Neq; enim aliud quicquam quimus excogitare præter contrarium cauſis ipſis efficientibus morbos, ſicuti in morbis ipſis iam factis ruſus conſiderabimus, quemadmodum & in caſibus qui ad eos ex neceſsitate conſequuntur. ſed nũc de his qui adhuc fiunt, ſermo à nobis habetur. Liquet igitur q̃ unà cum cauſis ipſos faciẽtibus deſtruuntur, cauſarum uero facientium abolitio fit ex contrariis. Si enim ex refrigeratione morbus fiat, curatio eſt per calefactionẽ: ſi uero ex calefactione, per refrigerationem. Sic & ſi propter repletionẽ morbus conſtituatur, tunc oportet multitudinem euacuare: ſicuti & ſi propter euacuationẽ, reficere, q̃tinus conuenit. Atqui nonnullis uidetur nunquã fieri ab euacuatione morbũ. exiſtimant aũt (ut appareret) huiuſcemodi homines, ſolã febrem eſſe morbum. q̃ ſi didiciſſent quamlibet lædentem operationes diſpoſitionem, morbũ eſſe, & quod à uehementibus intemperaturis operationes læduntur, haudquaquam dubitarent, an fortes euacuationes morbos efficiãt. Sanguis enim cum ſupra modum aut ex utero muliebri, aut ex uenis quæ hæmorrhoides appellantur, aut ex ulcere fluxerit, tũc uel omnes, uel plurimas operationes hi, qui ita affecti ſunt, offenſas habent. Nonnulli uero ipſorum non modo hæc patiuntur, uerũ etiam aqua inter cutem corripiuntur. Longæ autem inediæ his qui calorem habent ad igneam naturam propenſiorem,

Morbus ab euacuatione.

Sanguinis euacuatio q̃s mor bos ea.

Inedie longe.

præter alia mala, inſuper afferunt febrem. Quantum ueritas ipſa, atque utilitas exigebat dictum à nobis eſt. Sed & his addamus aliquid propter nugatores, quales ſunt quidam medici recentiores, qui de nominibus altercantur, & putant ſe de rebus ipſis habere ſermonem. Hi igitur ſunt qui aiunt, cauſarum efficientium morbos abolitionem non eſſe curationem, ſed præſeruationem. Qui primum quidem docendi ſunt, quòd de nomine litigant, deinde quòd neque de hoc ipſo recte. Vbi enim cauſa non adeſt quæ morbum efficiat, hic ſola curatio factorum relinquitur. Vbi uero ea quæ ineſt corpori diſpoſitio, nondum aliquid facit, uelut quæ plethora, id eſt plenitudo, uocatur, hoc ad præſeruatiuam artis attinet partem, ſi huiuſmodi cauſæ deſtruantur. Cum uero iam aliquid agit, mixtum iam eſt huiuſmodi opus ex præſeruatione ac curatione. Nam quod facturæ erant cauſæ illæ, prohibitum eſt fieri, & hoc ad artem attinet præſeruatiuam. Quod uero iam factum eſt ex morbo, propriam exigit curationem. Quapropter cũ mixta ſint talia ex præſeruatione, ac curatione, proprio caremus nomine, atque idcirco aliàs alia utimur appellatione, nonnunquam præſeruari dicentes, ne morbus qui iam incipit generari ad complementum perducatur, nonnunquam uero curari, quemadmodum in his quos canis rabidus momorderit. quæ enim ipſis adhibentur medicinæ duplicem habent appellationem. Nam & nonnunquam rabiei remedia dicuntur, ac ſi rabiem facientis diſpoſitionis dicerentur. Nonnunquam uero non remedia præſentis diſpoſitionis appellantur, ſed à rabie futura præſeruantia.

Curatio factoꝝ eſt.

XXIII.

ACVTI morbi ĩ quatuordecim diebus iudicãtur.

Acuti morbi.

Ἱπποκ.

Acutorũ permutationes.

Acuti morbi magni sunt, & ad suum uigorem celerrime properant. Non absque ratione igitur in pauco tempore, & magnas faciunt permutatiões, quod idem est quod iudicari. Huiuscemodi enim permutationes, quando repente in morbo fiunt, Hippocrates crises uocat, id est iudicationes: in quibus nonnunquam subito integra sanitas restituitur, nõnunquam uero moritur æger, aut magna fit uel ad salutem, uel ad mortem permutatio, non tamen aut subito sanãtur, aut moriũtur. Ita ut quatuor sint in ipsis subitæ pmutationes, quas ipse docuit in primo libro Epidemiarum inquiens, Ad salutem, aut mortem, uel inclinatio ad melius, aut ad peius. Quòd uero sit necessarium ob morbor magnitudinem, ac casuum uehementiam, uel citò uires prosterni adeo, ut homo moriatur, uel si ad noxiorum humorum excretionem impetum faciant, & quos inuasit, exuperent, bonam sequi iudicationem, si uero exuperentur, malam, unicuiq; fit manifestum. Propterea igitur est imposibile, ut in longum tẽpus iudicatio differatur in morbis acutis. Terminum igitur in hisce omnibus Hippocrates posuit duarum septimanarum, tanquam nullus eorum ulterius progrediatur, uerum ante quartũ decimum diem multi possint iudicari. Etenim unus decimus, nonus, septimus, & quintus, multos uisi sunt iudicasse in libris epidemiarum. Iudicat autẽ & sextus nonnullos, sed nõ bene, sicuti in libris de iudicatoriis diebus plenius ostendimus, in quibus †si quis debeat exercitari, illum uolumus ea cõsectari, quæ Hippocrates breui sermone perstrinxit. Quæcunque uero iudicationes sunt ueluti imperfectæ, his finem imponit aliquis alius ex corũ numero, qui deinceps sequuntur, de quibus qualesnam sint, in libris Prognosticis Hippocrates docuit, sed & de ipsis aliqd in sequenti docebit apho

† Duo in Græ. cod. uidentur uerba trãsponẽda, ut rectum Gale. sensum habeamus ut sic legamus οὐ οἷς ἀξιῶ μοι μεγ μ' ἀλλ' τὸν μετ' ἀλλοντας .i. in qbus esse exercitatũ dignum cẽsemus eũ qui uelit ea consequi, quæ &c.

rismo. Est autem & harum * imperfectarum iudicationum terminus quidã exterior, post quem nõ amplius fieri progressus natura potest, dies quadragesimus. Quicunque igitur morbi intra diem quartumdecimum integre iudicãtur, hos solet Hippocrates acutos simpliciter nominare. Quicunque uero imperfecte iudicati, seruati sunt ad aliquem deinceps ex iudicatoriis diebus, usque ad quadragesimum, hos non solet simpliciter acutos nominare, sed appellatione cõposita per hæc uerba simul, acuti qui in quadraginta diebus iudicantur: uerum manifestius illi declarãt, qui eosdẽ morbos, acutos ex decidentia uocãt, De his igitur in Prognostico scribit in hunc modum. Oportet autem existimare spirandi facilitatem magnam habere uim ad salutem in omnibus acutis morbis, quicunque febres habent adiunctas, & in quadraginta diebus iudicantur. Nunc uero in aphorismis de acutis simpliciter ostendens, ait eos intra quartũ decimum diem iudicari. Non (per Iouem) hoc dicens quod nonnulli existimarũt, quòd quatuordecim sint numero dies qui in his morbis faciant iudicationem. Nam secundũ hanc expositionem etiam illos qui iudicant morbos acutos ex decidentia nominatos, decemus esse numero quadraginta, quũ idem loquendi modus in utrisque sit, hic quidem cũ ait, morbos acutos in quatuordecim diebus iudicari, in Prognosticis autem, quicũq; cum febribus in quadraginta diebus iudicantur. Verum hi quum non inueniant, qui possint ostendere utroscp sermones, & hunc qui in Aphorismis scribitur, & alterũ qui in Prognostico, sibi inuicẽ esse concordes: hãc ab

* Gale. uero ait ἡ μίρρο'πων qđ forsitan nõ recte quis imperfectarum interpretetur. nam & crises quæ ultra quartãdecimam diẽ fiunt, sæpe perfectæ sunt, ut in libris epidemiis obseruari potest, unde ἡ μίρρο πων dici crisim ex aduerso ponit illi quam ὀξυ'ρρο πον appellauit. ubi Leoni. exposuit quæ subitã habẽt mutationem, sic ἡ μίρρο πις erit quæ non ita repentinam & uehementẽ habet permutationẽ, sed quasi ex parte dimidia.

Ex deficiẽtia.

ἀκύπους

ſurdam excogitarunt expoſitionem. Neque enim quatuordecim ſunt, uſq; ad quadrageſimum, dies iudicatorii, ſed cum intercidentibus quidem plures, abſque illis uero pauciores, quemadmodum clare in noſtra oſtẽditur de diebus iudicatoriis tractatione. Sed & ipſa rerum natura ſuffragatur ei ratiocinio, quo dicitur acutos morbos habere terminum iudicationis quartũdecimum diem. Nullus enim inuentus eſt unquam qui ab initio uelociter moueretur, hunc trãſgredi terminum, qui aliquam ex iam dictis iudicationibus unam non acceperit: ſicuti quidam leues, ac parui circa primos dies exiſtentes, quarto, aut quinto die, continui, uehementes, & acuti fieri incipiẽtes, ad decimumſeptimum terminarunt. Alii uero ſexto, aut ſeptimo die exacui incipientes, ad uigeſimum terminarunt, adeo quòd morbi continui acuties nunquam poteſt plures quàm quatuordecim obtinere dies. Ex his uero qui motus habent inæquales, multi extenduntur uſque ad aliquod tempus exterius pręfinitum. Dico autem inæquales habere motus eos, qui aliquot diebus fuere uehementiores, poſtea ſine aliqua ſignificatione torpuerunt: deinde rurſus adaucti continuitatem acceperũt. Si quis igitur, ut dixi, faciat in ægrotantibus obſeruationem, omnes inueniet qui duas ſeptimanas totas uelociter mouentur, nunquam ad exteriorem progredi terminum.

Cels. 3 cap. 4.

XXIIII.

SEPTENORVM quartus eſt index. Alterius ſeptimanæ octauus principium. Eſt autem & undecimus cõtemplabilis. Ipſe enim quartus eſt alterius ſeptimanæ. Rurſus uero & decimuſſeptimus contemplabilis: ipſe ſiquidem quartus eſt à quartodecimo, ſeptimus uero ab undecimo.

Contemplabiles dies.

Indices & contemplabiles ſolet Hippocrates nominare dies, in quibus aliquod ſignum apparet indicatiuum futuræ iudicationis in altero aliquo iudicantium dierum, quos ipſe in Prognoſticis, unamquãque ſeptimanam in duas diuidẽs partes, per quaternarios digeſſit. Primum itaque quaternarium ſeptimi diei ab initio indicem eſſe ait: undecimum autem quartidecimi, quoniam & hic ſecunda ſeptimana in duas partes diuiſa prouenit. Eadem ratione, & decimuſſeptimus uigeſimi eſt index quoniam ex diuiſione tertiæ ſeptimanæ in duas partes efficitur, niſi quòd hanc tertiam ſeptimanam ſecundæ coniungit, quanuis primam à ſecunda ſeparauerit. nam eius initium diem octauum eſſe dixit: non tamen tertiæ quintumdecimum, quemadmodum nonnulli poſt ipſum exiſtimarunt, quoniam neque uigeſimum primum pro termino ſtatuit: ſed principium quidem tertiæ ſeptimanæ quartumdecimum, finem autem & terminum uigeſimum. Cur uero duas primas ſeptimanas ſecundum diſiunctionem inuicem ordinauerit, tertiam uero ſecundæ ſecundum continuitatem, in libro de diebus iudicatoriis docuimus. Quantum uero ad præſentia, ſufficiat etiam ſine cauſa nouiſſe quod experientia comprobat. Et ipſe uero Hippocrates plurimos ægros tali ordine dierum iudicatoriorum & in libris Epidemiarum ſcripſit fuiſſe iudicatos. Dixi autem ſecundum talem ordinem; ex quo primæ tres ſeptimanæ ad uigeſimum, ſequentes uero tres ad quadrageſimum perducantur. Sic enim & ſexageſimum & octuageſimum diem iudicatorios habebimus, hos pariter ipſos experientia confirmante, quemadmodum in libris de diebus iudicatoriis oſtendimus, illos qui in libris Epidemiarum notantur iudicati ſecun-

Certiores dierum rõm experientia cõprobauit.

dum talem dierum ordinem describẽtes. Illos uero ægros lõgum esset hoc in loco sermone complecti. sufficiet autem sola ex Prognosticis uerba in hunc modum se habentia subscribere, Febres iudicantur in eisdem numero diebus, ex quibus etiã homines liberantur, & pereũt. Nam mitissimæ febres, & quæ tutissimis signis incedunt, quarto die finiuntur, uel antea: pessimæ autem & grauissima signa præseferẽtes, quarto die interimũt, aut prius. Primus igitur earũ insultus ita terminatur. Secundus uero ad septimum ducitur, Tertius ad undecimum, Quartus ad quartũ decimum, Quintus ad decimumseptimum, Sextus ad uigesimum. Hi igitur per quatuor ex acutis ad uigesimum, ex adiectione finiunt. Hæc uerba ostendunt manifeste & tertiam septimanam per continuitatẽ secundæ annumerat, & quòd decimamseptimam indicem facit uigesimæ.

XXV.

ÆSTIVÆ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ, & maxime quæ hiemem attingunt.

Non solum quartanæ breues æstate fiunt, sed & ægritudines aliæ, propterea q̃ humores fundũtur inutiles, & per totum corpus feruntur atq̃ diffluntur. In quibus igitur uires ualidæ sunt, noxiis humoribus euacuatis, morbi cessant. In quibus uero sunt imbecilles, unà cum ipsis euacuatis & ipsæ dissoluuntur. Quare non absque ratione nulli morbi æstate sunt lõgi. Hippocrates uero de solo omnium longissimo fecit mentionem, ueluti exemplo de omnibus aliis ex isto pronuntiãs. Si cuti uero æstate, & discuti humores, & uires dissolui contingit: ita hieme contraria eueniunt, & humores intus remanere, ueluti latibulis incubantes,

& uires seruari robustas. Neque igitur morbi soluuntur, manentibus his qui eos efficiunt humoribus, neq̃ ægroti moriuntur, uiribus interim suffi-
cientibus.

XXVI.

FEBREM cõuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem.

Ipse Hippocrates in sequẽtibus aphorismis docet, cõuulsionem fieri ex repletione & euacuatione. Cum igitur aliquem sanum contigerit repente conuelli, huiuscemodi conuulsionẽ fieri ex repletione necessarium est. Et quidem nerui replentur à frigidis & glutinosis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur, unde conuulsionẽ patiuntur. Hisce igitur febris superueniens, solita est ex magna parte calefacere, extenuare atque dissoluere. Si uero ex febribus adurentibus totum corpus exiccetur, & neruis deinde ex siccitate conuulsio accidat, hoc maximum est malum & penè insanabile, quoniam longum tempus exigunt nerui ad siccitatem remouendam, sed morbi acuties tempus non expectat, quin cito uires dissoluit, & subito exitium affert.

XXVII.

HIS QVI non ex ratione leuius se habẽt, nõ oportet fidere: neque multum formidare mala quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt, neque multũ durare, & permanere consueuere.

Sermo uere quidẽ integer de talibus omnibus in libris de crisibus, siue iudiciis dictus est, nũc uero quantum ad propositorum expositionem sufficiens est dicere, à nobis dicetur. Quũ morbus inuadituehemens, mox subito quiescit, neq̃ per sudorem, nec uomitum, neque alui excretionem, aut

profluuium sanguinis corpore euacuato, sed neq; uiso signo coctionis, signum infidum existimat talem quietem esse. Sicuti etiam siquis præter rationem spiret difficulter, uel deliret, uel uehementius febricitet, uel magno rigore corripiatur. Nam & hæc quoq; firmitatem non habent, tantumq; abest ut malum aliquod significent, quòd nonnunquam bonum iudicium haud ita multo post futurum enunciant. Quo modo autem hæc oporteat dignoscere & præcognoscere, in libris de crisibus diximus.

XXVIII.

FEBRICITANTIVM non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil minui, uel etiam plus quàm ratio postulat contabescere, malum. Hoc enim morbi longitudinem, hoc uero imbecillitatem significat.

Hæc uerba, Nõ omnino leuiter, distinctiõis gratia appositi Hippocrates. Si enim simpliciter dixisset, Febricitantium permanere corpus, & nihil minui, malum: sermo careret ueritate. Cõtingit.n. in tempestate frigida cuiquã ex repletione ægrotanti, non collabi corpus, neque extenuari, cum febres paruæ fuerint: sed cum maiores fuerint, multam adesse repletionem significatur. Contabescere autem plus quàm ratio expostulat, malum: etiã si non adiiciatur, Non omnino leuiter. Siue enim leuiter febricitauerit, siue non, signum imbecillitatis est, ea quæ fit præter rationem extenuatio. Neque enim putandum est uerbo, Contabescere, in proprio significato nũc fuisse usum, sed magis abusum. Recte autem dixit in secunda parte Aphorismi, Magis quàm ratio expostulat. Et melius est, hæc quoque uerba priori parti Aphorismi adaptare, ita ut totus sermo talis efficiatur: Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus magis quàm ratio expostulat, uel etiam contabescere magis quàm ratio expostulat, malum: ut communiter de utroque prædicetur, Magis quàm postulat ratio. Siue enim permaneant magis quàm ratio expostulat, siue extenuẽtur, malum. Melius autem fuisset, si hoc quod ait, Magis quàm ratio postulat, quibus finibus iudicetur, aperuisset. Sed quia doctrinæ modus est aphoristicus, summã sequens breuitatem, nos exponentes uerbum Secundũ rationem, ad febris magnitudinem referemus, & ad tempus ægritudinis, ætatem, & regionem, & tempus anni, & illam quæ tunc urget temporis constitutionẽ, & præterea ad sensibiles euacuatiões, uigilias, curas, inedias, motus plures. Nam maiores febres magis & citius corpora extenuant ægrotantiũ, sicuti & diuturnitas morbi, & ex ætatibus puerilis atq; decrepita: sed ambæ diuersa ratione. In pueris enim pp caliditatem atque humiditatem multum defluunt atq; extenuantur corpora: In decrepita uero ætate hoc idem patiũtur propter potentiæ imbecillitatem. Ex regionibus autem & anni temporibus ac constitutionibus, calidæ quidem ac ficcæ magis euacuant: humidæ uero ac frigidæ magis astringunt, ac diffiare corpora atq; extenuari non sinunt. De sensibilibus autem euacuationibus quid dicere oportet? Neminem enim ignorare arbitror, quòd ex profluuio sanguinis multo, atq; sudoribus plurimis, & urina superfluente, uel uomitu, uel alui excretione, cito corpus extenuetur. Adiacet autem & dictis causis inedia, & præterea uigilia & curæ sufficienter extenuant, & plures motiones: sed hæ raro febricitantibus adsunt, nam magna ex parte iacent quiescentes. Verum aliquando contingit moueri aliquos qui in itinere cœperint febricitare, uel urgente

Secundũ rationẽ.

Extenuãs corpora febres.

necesſitate,uel ſtudio domũ reuiſendi. Sed ex deli
rio quidam ægroti iugiter ſe attollentes,uel iacen
tes quidem,ſed continuo partem aliquam corpo
ris commouentes,aut etiam delira loquentes, in
tra paucos dies extenuantur. Hæc quidem omnia
ægrotos reddunt macilentos,ſicuti & cõtraria his
corpus in maiori mole conſeruant. Signum autem
nullum ex his eſt uirium imbecilliũ: ſed cauſa tan
tummodo ipſorũ ſingulũ. Nam ſicuti ex eo cor
pus cum ratione extenuatur,ſic & uires deſtruun
tur. Abſque his autem corpus præter rationẽ exte
nuari,ſignum eſſe uirium imbecillitatis Hippocra
tes inquit,quam & in decrepitis pro cauſa aſſigná
mus. Neque mirum uideri debet in his qui ita ſe
habent,imbecillitatem quidem cauſam eſſe exte
nuationis,extenuationem uero eſſe ſignum imbe
cillitatis. Hoc enim contingit in omnibus quæ fa
ciunt & fiunt. Hæc quidem eſt ſententia Hippocra
tis ſemper exiſtimantis eam quæ eſt citra rationem
extenuationem,ſignum eſſe imbecillitatis. Nos ue
ro adiiciamus eius ſermoni,& aliam diſpoſitionẽ
quæ cauſa eſt in febribus extenuationis. Eſt autem
hæc humorum quidem tenuitas, corporis uero ra
ritas. Quum enim hæc ambo conuenerint,celerri
me corpora euacuantur,per eam quæ diffliatio in
ſenſibilis nominatur. Sicuti in diſpoſitione cõtra
ria,crasſitudine humorum,& corporis ſpiſſitudi
ne neque fit humorum euacuatio, & permanere
corpus,& nihil tunc deteri de ipſius mole contin
git. Hanc itaque diſpoſitionem oſtẽdit Hippocra
tes in prima parte aphoriſmi per ea uerba, Longi
tudinem morbi ſignificat. Alterá uero contrariam
prætermiſit. Sed nos & hãc adiicientes,iam totum
ſermonem integrum proferamus. quantũ fieri po
teſt breuiſſime dictum, Febricitantium non omni

no leuiter,

no leuiter, permanere corpus,& nihil imminui,
uel plus quàm ratio poſtulat cõtabeſcere,malum.
Nam permanere,ex cutis ſpiſſitudine accidit,&
craſſitudine humorum, & propterea longitudo
morbi ſignificatur. Contabeſcere autem nonnun
quam fit ob humorum tenuitatem, & cutis rari
tatem. Contingit uero & ob ſolam uirium imbe
cillitatem.

XXIX.

QVVM MORBI inchoant, ſiquid mouendũ
uidetur,moue: quum uero conſiſtunt ac uigent,
melius eſt quietem habere.

Cur Hippocrates hoc conſulat,ſequenti indi
cat aphoriſmo,quem ſi nuper dicto annexueris,
totum ſermonem talem efficies, Quũ morbi in
choant,ſi quid mouendum uidetur,moue: quũ ue
ro cõſiſtunt,ac uigent,quietem habere melius eſt.
Circa principia enim ac fines omnia debiliora,
morbo autem cõſiſtente fortiora. Oportet autem
his adiicere ſymptomata,id eſt caſus omnes,nam
de his dictionẽ attulit uniuerſalẽ. Diſpoſitio ſiqui
dem ex qua hi generantur,quam & morbum no
minamus,non omnino dum morbus conſiſtit,eſt
fortior: uerum in his qui ſaluari debent melior
multo,quàm in morbi principio,in quibus etiam
nunc Hippocrates conſulit habere qetem,in mor
borum initiis ſi quid uidetur, mouentes. Nam in
morbis exitialibus,non modo quando ſunt uigo
ri uicini,nihil mouere oportet,ſed etiam priori
bus temporibus, recordantibus nobis,quòd de
ploratos non oportet curare,ſed magis abſiſtere,
& morbi finem prænunciare. Circa initia uero il
lorum morborũ,in quibus ſperatur ægrotum cõ
ualiturum, tentandum maiora afferre remedia,de
quibus Hippocrates dixit. Si quid uidetur mouẽ

dum, moue. Sunt autem hæc, maxime quidem uenæ sectio, nonnunquam uero & purgatio, quorum nihil oportet morbo iam consistente adhibere. ut enim in libro de crisibus manifestauimus, coctiones, tunc maxime fiunt. Vt igitur hæ citius eueniant, melius est circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam, facilius possit natura concoquere. Morbo autem consistente, cum iam natura† concoquit, superfluum est euacuare, tum propter alia, tum quia uis animalis magna ex parte eo tempore est fatigata, licet duæ aliæ, uitalis scilicet ac naturalis, fortes persistant.

†Alibi legitur πε' πεπται. i. cōcoxit.

XXX.

CIRCA INITIA & fines, omnia imbecilliora: quum uero consistunt, fortiora.

Casus omnes circa principia, & fines ait esse imbecilliores, accessiones uidelicet febrium, & uigilias, atque dolores, & fastidium, & sitim. Sicuti ipsas dispositiones, in quibus hæc fiunt, ubi morbi consistunt, necesse est esse meliores in his qui debent sanitati restitui.

XXXI.

EIVS QVI ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.

Oportebat & hunc, aphorismum, & illum qui sequitur, adiunctum esse illis qui supra scripti sunt, ubi dicebat: Si quis à morbo cibum assumens non corroboratur. In illo igitur aphorismo, pro uerbo nūc dicto, bene cibatur, inqens cibū assumere, de casu aliqd docuit, scilicet non corroborari. Illic uero cibū assumere cōmune utrisque seruauit, casum autem uariauit, quoddam illia scribens proportionale. Nā nihil corroborari, nihil proficere corpus, similia quodā modo sunt. Illud enim

potentiæ nostrū regentis corpus, hoc uero ipsius corporis affectus est. Fit uero hoc, ut scilicet corpus non bene alatur, atque ꝓficiat, nōnunq̄ ex potētię quæ ipsum nutrit imbecillitate, nonnunq̄ aūt ex malorum humorum superabundantia.

XXXII.

OMNES FERE qui male se habent circa initia bene cibati, neq; quicquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt. Qui uero circa initia cibum ualde non appetunt, postea bene appetentes, ii melius euadunt.

Hic etiam aphorismus de his esse dictus uidetur qui ex morbo conualescunt. Non proficere enim de his dicere consueuerunt tum alii, tum Hippocrates ipse. Siquis igitur bene ab initio cibatus non nutriatur, qua causa hunc subit affectum, ex eadem rursus fit male appetens cibum. Causa uero ob quam bene ab initio cibati nihil proficiant, est totius corporis uitium cum partium appetentium uigore: uerum processu temporis ob cibi multitudinem aucto in toto corpore uitio, ipsum etiam appetendi instrumentum male se habebit: quare inappetentes fiunt qui prius bene appetebant, quos recte bene cibatos nominauit. Dixerat autem hoc ipsum in præcedentibus aphorismis, hoc modo. Si uero cibum non assumēte hoc fiat, scire oportet quòd euacuatione indiget. Porrò eos qui ab initio male appetunt, adeo ut parum omnino assumant cibi, postea uero ad contrarium transeunt, melius permutari inquit. Hoc uero ideo euenit, natura eo tempore, quo parum cibi assumebant, ipsam quæ causa erat inappetentiæ, dispositionem concoquente.

XXXIII.

IN QVOVIS morbo mente constare, & bene se habere ad illa quæ offeruntur, bonum: contra uero se habere, malum.

Neque cum aliquod bonum dixerit eorum quæ ad corpus attinent, omnino existimandum est ex eo hominem reualiturum, neque cum malum dixerit, omnino moriturum. nam fieri potest ut bonum signum à maiori malo superetur, & malum à maiori bono uincatur. Tales itaque enuntiationes audiendæ sunt de eo solo quod dicitur. Dicitur aũt ꝙ signũ est bonum, quãtũ in ipso est, hoc aliquid: & signum malum, quãtum in ipso est, hoc aliquid. De morte autem, ac uita oportet omnium signorum uires prius bene perpendentes, ita pronuntiare, quemadmodum & ipse in Prognosticis consulit: sic & nunc, constare mente, & appetitum permanere, bonum est signum in quouis morbo. Quædam enim non in omni bona sunt, ut ipse cõsueuit nobis significare, inquiens: Spirandi autem facilitatem putare oportet ualde magnam habere uim ad salutẽ in omnibus morbis acutis. Quòd autem constare mente bonum sit signum, ex isto cognosces: quæ ad cerebrum attinẽt, atque membranas, & spinalem medullam, necnon & septum transuersum, & omnino partes neruosas, quæ præsertim sunt iuxta cerebrum, sana esse omnia significantur ex mentis cõstantia, sicuti & quæ ad uẽtrẽ attinent, & hepar, & cor, ubi adest promptitudo ad cibos qui offeruntur. Cum uero hæc omnia robusta sunt, non parua spes de ægroti salute haberi potest.

XXXIIII.

IN MORBIS minus periclitantur, quorum naturæ aut ætati, aut habitui, aut tempori magis

congruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum congruit.

Cum natura multis dicatur modis, audiendum nunc iuxta illud significatum, quo in multis aliis locis usus est, & in toto libro de natura hominis, in quo eam quæ fit ex primis elementis temperaturam, naturam nominat, ac si ita diceret. In morbis minus periclitantur quorum primæ corporis tẽperaturæ, uel ei quæ nunc uel ratione ætatis, aut habitus, aut temporis superuenit, magis congruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum congruit. Calidæ enim naturæ, & ætati, & habitui & tempori, & anni constitutioni, ac regioni, morbi calidiores sunt cõgruentes, frigidioribus uero frigidiores: eadẽ ratione & ficcioribus ficciores, & humidioribus humidiores. Contrariũ aũt à Diocle dictũ est itẽ in libro de septimanis, cuius authores opinantur incitari quidem à similibus morbos, solui uero à contrariis, quoniam & ab ipso Hippocrate scriptum est, contrariis morbis contraria esse remedia. Putant igitur febrem ardẽtem factam hiberno tempore facilius posse sanari ea quæ fit in æstate: non aduertentes quòd uehemens dispositio causa est, ut febris ardens hieme fiat, neque enim ab initio facta fuisset, nisi causa potentior temporis contrarietatem superasset. Cum igitur anni tempus cohibere non possit causæ magnitudinem, quanuis habeat sanitatem sibi suffragantem, multo minus morbo iam facto superauerit, non assistente sanitatis robore. Sed & hoc est ipsa experientia compertum. Nam duarum febrium ardentium magnitudine parium, illa quæ aduenit hieme est perniciosissima: sicuti quando in calidiori temporis constitutione ortum habuerit, subita autem ad frigus mutatio facta fuerit, non parum

iuuatur hæc febris ardens ab ambentis aeris frigiditate, cum hæc ipsi utraque bona insint: prima quidem temporis constitutio, in qua morbus factus est tanquam signum: altera uero in qua solutus est tanquam causa. Hæc igitur omnia magis atteſtantur, & non aduersantur sententiæ aphorismi, sicuti neque illud, quòd raucedines & graueſdines in ualde senibus non concoquuntur. Atqui hæ pasiones senili ætati maxime congruunt. Primum & enim non idem est quòd aliquid non concoquatur, & quòd sit periculosum. deinde quòd non simpliciter senes nominauit: sed cum adiectione, ualde. Omnia enim in his sunt periculosa ob uirium imbecillitatem. Sed neque illud quod scribitur in primo Epidemiarum, Et maxime moriebantur quibus natura uergebat ad phthisim, his quæ dicta sunt aduersatur. Neque enim eam quæ fit ex elementis nunc dixit temperaturam, sed corporis formam. Est enim ubi & hanc naturam nominat. Et sicuti uerum est, calidam temperaturam minus in morbis calidis periclitari. ita qui angustum pectus habent, non solum magis incidere in phthisim, sed etiam ubi incidere, periclitari. Nonnulli quidem qui aphorismos exposuerunt, talibus decepti suasionibus, illum congruere naturæ ægrotantis morbum dixerunt, qui sit temperatura contrarius, quasi aptior esse diceretur, multum, ut ostendimus, & à ueritate ipsa, & ab Hippocratis sententia deerrantes.

XXXV.

IN QVOVIS MORBO partes ad umbilicũ & imum uentrem attinentes, crasitudinem habere melius est. Multum uero extenuari, ac contabescere, prauum. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes, periculosum.

Partes omnes quæ ad epigastrium, id est abdomen, attinent, omni uacare dispositione, quæ sit præter naturam, oportere, est manifestum. Et hoc in Prognostico dictum fuit, ubi his utitur uerbis,
» Præcordia optimum est absque dolore esse, &
» mollia, & æqualia. sed ex his ipsis quædam sunt tenuiora, quædam crasiora, de quibus nunc sermonem habet: quæcunque quidem crasiora sunt, hæc meliora esse inquiens: quæcunque uero tenuia, mala, & tanquam signa uidelicet, & tanquã causas. Signa enim sunt partium quę contabuerũt, imbecillitatis. Causæ uero, quòd coctio bona non fiat in uentre ciborum, neque sanguificatio in hepate. Etenim membrum utrunque à crasitudine dictorum corporum concalefactum iuuatur. Tantum igitur ubi contabuere offenduntur eorum operationes, quantum integris ipsis iuuabantur.

Quòd autem earum quas diximus partium tenuitas ad inferiores purgationes sit periculosa, manifestum est. Oportet enim omnia quæ sunt infra thoracem esse robusta, ut bene purgationibus seruiant, alioqui magna incommoda patiuntur. Cur autem de solis inferioribus purgationibus fecerit mentionem, dignum est quærere. Superiores enim, hoc est quæ per uomitum, his qui ita affecti sunt, periculosæ. An has quidem tanquam manifestas prætermisit, illarum uero commeminit, ut de quibus magis posset dubitari? græce autem ὑπόχονδρον proprie appellat partem uentris imam, quæ umbilicum, ac pudenda interiacet. Ita ut in hæc tria totum † epigastrium, id est abdomen diuidatur, in hypochondrium, id est præcordia umbilicum attinentia, & ὑπογάστριον, id est uentrem imum.

† Ex fide antiquor. exẽplar. sic legẽdum est, nõ ut in impressis græcis.

XXXVI.

QVI salubritatẽ corporis habent, ꝑ medicamẽta euacuati cito exoluũtur, & ꝙ prauo utũtur cibo.

Qui ſalubritatem corporis habent,non abſq; ratione in euacuationibus cito exoluuntur. Contabeſcunt enim,non purgantur. Qui uero uitioſo utuntur alimento,ob malorum ſuperabundantiã facile exoluuntur in purgationibus. Siue autem quod exterius aſſumitur,ſiue quod in corpore continetur, uitioſum alimentum nominet,uterq; ſermo ueritatem habet. Quoniam cibi uitioſi ſoleant ſanguinem gignere uitioſum. Sic ergo uitioſi dicuntur per relationem ad ſanguinem qui debet ex eis generari.

XXXVII.

QVI BENE ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes.

Non cuiuſcunque medicamenti aſſumptionem ſolet Hippocrates medicationem nominare, ſed tali uocabulo in ſola utitur purgatione. Verum is qui prius ſcribitur aphoriſmus,caſum unũ qui in ea fit manifeſtauit. Cito enim inquit exoluũtur in purgationibus qui corporis habent ſalubritatẽ. In hoc autem generaliori uocabulo de eiſdem oſtendit,inquiens hos difficulter ferre medicationem. Nam & uertigines,& tormina patiuntur,& difficulter his purgatio procedit,& præterea celeriter exoluuntur. Fiunt autem hæc omnia purgante medicamento proprium quidem attrahere humorem appetente,flauam bilem uidelicet, aut atram,aut pituitam,aut aquoſam ſuperfluitatem. Quia uero iſti non adſunt, ſanguinem colliquat ac carnes, ut ex ipſis proprium attrahat humorem.

XXXVIII.

PARVM DETERIOR potus aut cibus,ſuauior autem,melioribus quidem,ſed minus ſuauibus,eſt præferendus.

Non ob id ſolum hoc eſt faciendum,ut ægro gratificemur,ſed etiam quia utilius ipſi exiſtit. Nã quæcunque cum uoluptate aſſumuntur,iſta uẽtriculus amplexatur,& longe facilius concoquit,ſicuti illa quæ diſplicent,refugit. Vnde & nauſeæ,& flatus,& fluctuationes ſubſequuntur. Quod quidẽ in plurimis qui boni ẽt ſucci ſint cibis,fit. quando itaque cum uoluptate aſſumitur cibus,qui paulo deterior ſit,non modo non amplius manet deterior,ſed quandoque redditur melior.

XXXIX.

SENIORES IVVENIBVS plurimum ægrotant minus. Qui uero morbi ipſis accidunt longi,maxima ex parte comitantur ad mortem.

Non omnes ſeniores minus ęgrotant quàm iuuenes,neque enim omnes maiorem habent circa uictum continentiam: qui uero non habent,magis ægrotant,ut qui iuuenibus ſunt debiliores. Quod uero plures ex morbis diuturnis ipſos ad mortem comitantur,clarum eſt: ſiquidem & uis eſt imbecillis,quæ neque morbos facile coquere poſſit,& omnes morbi diuturni frigidi ſunt,unde & magis ſenibus,quàm iuuenibus accidunt. Omnes ſiquidem ſimilioribus morbis facilius corripiuntur.

XL.

RAVCEDINES ET grauedines,in ualde ſenibus coctionem non admittunt.

Si ſimul iunxerimus ambos aphoriſmos,utriuſque ſermo talis erit. Senes iuuenibus plurimum ægrotant minus. Quicunque uero morbi ipſis accidunt longi,maxima ex parte comitãtur ad mortem. Raucedines igitur atque grauedines in ualde ſenibus coctionem non admittũt,ita ut hic aphoriſmus ſit ueluti exemplum quoddã antecedẽtis.

Neque enim hi soli morbi senes comitantur ad mortem, sed nephritis, id est passio renum, podagra, morbus articularis, coxendicum dolores, & quæ laxiori intestino, ac spleni, frigidæ insunt dispositiones, & præterea crebri anhelitus (quos Græci asthmata nominant) tusses, gibbi recuruationes, obliquationes, & quæcunque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent, quæ in quibusdam iuuenibus nedum in senibus difficulter coquuntur.

XLI.

QVI FREQVENTER, ac fortiter absque causa manifesta exoluũtur, derepente moriũtur.

Non omnes qui exoluuntur, de repente moriuntur: sed si tres distinctiones adieceris, unam quidem & primam, ut sæpius hoc patiantur, secundã ut fortiter, tertiam ut sine causa manifesta. Nam mulier quædam longum in balneo tempus commorata, frequẽter exoluebatur ob temporis diuturnitatem, & quoniam balneo magna ex parte ligna succendebantur uitiata, uerum non erat hoc morbi signum, quum causam haberet manifestam. Altera uero quam uteri affectus infestabant, hoc idem patiebatur. Quidam uero alter post longum ieiunium in balneo exoluebatur. Alteri autem, & si per horam lauabatur, idem accidebat, nisi prius aliquid panis assumpsisset. Quibus aut debile erat, aut sensum plurimum habebat uentriculi os. Quicunque uero ex nulla tali causa sæpius ac fortiter exoluuntur, hi ob uirtutis † animalis imbecillitatem hoc patiuntur, sicuti & ille, cui dũ exolueretur, cor fortiter palpitabat, derepente mortuus est, non aliter quàm illi qui acutissimis cordis affectibus, quos syncopas uocant, arrepti, subito intereunt.

Exoluti na pleruntur.

† Alibi τὸ πνεῦμα hoc est uitalis legitẽ & melius.

συγκοπάς.

XLII.

SOLVERE MORBVM, quem apoplexiam uocant, fortem, impossibile: debilem uero, non facile.

In apoplexiis totum corpus sensu priuatur ac motu, solus restat anhelitus, qui si & ipse prohibeatur, maxima est & acutissima hæc apoplexia. Quicunque uero respirant quidem, sed magna cũ ui, fortis adest istis apoplexia. Fortis aũt adest, & illis, sed minus, qui neq; intẽtũ, neq; uiolẽtum, inæqualẽ tamen, atq; exordinatum, ac præterea intermittẽtem habent anhelitum. Sicuti in quibus aliquem seruat ordinem debilior existit, & si omnia fiant quę sunt necessaria, † cito curatur. Omnes autem apoplexiæ fiunt ui animali non potente deferre ad partes infra caput existentes, aut propter aliquam dispositionem * similem inflammationi, quæ in ipso cerebro sit constituta, aut uentriculis ipsis oppletis humore pituitoso. Verum causæ magnitudinem, etiam passionis magnitudo consequitur. Magna autem ex parte curationem non admittit propter respirationis læsionem, & mirari licet quo modo omnibus aliis musculis motu carentibus in apoplexiis, illi qui thoracem attollũt, quanuis difficulter, moueantur tamen plerunq;. Videtur autem hoc fieri propter respirationis necessitatem, quæ neruorum uim excitat ad operationem. Et ob hanc ipsam causam magna ex parte musculi omnes in apoplexiis operantur thoracem mouentes, & si raro prius omnes operabantur, quemadmodum & in uehementibus exercitiis, quoniam in his anhelitus pluribus est necessarius. Verum in apoplexiis, non ob id quod sit adaucta necessitas respirationis, sed quia uis est imbecillis, ideo omnes musculi

Gradus apoplexiæ 4.

Apoplexia.

† græcus codex habet τὰ χαλεπὰ ὧν πάσχουσιν ἰᾶται. i. ἀπο. i. ipsam fortasse curare potest.

* phlegmonosam.

Cur respirant apoplectici.

thoracis simul cogũtur operari, quemadmodum & in his qui alioqui cum febre uires habent imbecilles, ob hanc ipsam causam omnes mouere coguntur, seipsos in summam effatu dignam ex omnibus operationem colligentes.

XLIII.

STRANGVLATI AC dissoluti, nondũ mortui, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

Spuma

Omnis spumæ generatio, ex duarum substantiarum mixtione conficitur: altera spirituosa, altera humida. Fit autem earum mixtio, ambabus in multa perfractis, & multis mutuo complexu paruis ampullis ab ipsis effectis. Quũ uero tenacem habuerit is q ꝑfringitur humor cõsistentiã, quo spiritum circumplectente, ampullas cõtigit generari, non facile dissolubilis, sed stabilis spuma perficitur: qualis maxime currentibus equis, uel ira percitis apris, circa os aggregatur. Ambarum uero substantiaꝝ confractũ, ac mixtionem facit nonnunquam motus uiolentus, uel utriusque, uel alterius tantum, nonnunquam uero & fortis calor, nisi & hunc dixerit quispiam spumam per motum operari. Verum homini ea quæ manifesta uidentur consectanti, tutius est duplicem dicere spumæ generationem. Ventis quidem uehementioribus mare occupãtibus propter ictum fortiorem, in lebetibus autem caloris ratione. Sic itaque & in corporibus animalium, quum adsunt ex morbo comitiali conuulsiones, uehementia motuum solet spumam generare, in apris uero calor, in cursibus autem equorum utraque causa uigorem habet. Nam quum continue per respirationes aer intro, atq; extra feratur, & saliua in ipsis extenuatur, & aliquid etiam ex pulmone instar uaporis effertur, quod saliuæ miscetur, ac circumplicatur: unde fa-

Duplex spumæ gñatio.

Maris spuma.

ctam spumæ substantiam augeri contingit. Qui uero opinantur hanc spumam ex uentre prodire, aberrant. Neque enim fieri potest ut subito tota inde proueniat, quum neque eo tempore animal euomat, neque nauseam ullam patiatur, citra quos casus quicquam efferri ex uentre est impossibile: & multo magis fieri non potest, ut plurimus aliquis uapor efferatur eodem modo quo in expirationibus: quum nulla talis ex uentre substantia efferatur, qualis è pulmone expiratur. Et sanè sanguis qui quidem è pulmone educitur, spumosus est, similis uisceri: qui uero ex uentre, neque huic proximus est. Sed quæ unà cum sanguine è pulmone educitur spuma, subito simul, & cum tussi educitur. Qui uero ex tali humore paulatim uapor expiratur, nõ excitat tussim. Vbi autem laqueus collo circundatur, necesse est quidem cordi, atque pulmoni ut fuliginosam expiret superfluitatẽ. Hoc enim à nobis ostẽsum est in libro de utilitate respirationis. Prohibente autem laqueo, totam uiolenter impellit, quo fit ut pars propriæ humiditatis unà expellatur, eo modo quo fit in sanguinis eductionibus. Signum itaque est exitiale, quoniam pulmonis uiolentiam significat, quam strangulato patitur animali. Præcipue uero hoc fieri rationabile existit, propter eam quæ ex corde ad ipsum impellitur caliditatem: unde & caloris efferuescentia & motu spiritus uiolento, & uehementi pulmonis conatu ad educendum, spuma enata signum est mortale. Nonnulli tamen raro strangulatorum relati sunt, quibus spuma circa os apparuerat: & forte Hippocrates non tanquam semper intereant, sed quòd contrarium rarissime eueniat, ita pronũciauit: quemadmodum & paulo antea ostenderat per alterum aphorismum, ita inquiens, Quibus iuuenibus aluus humida, his senescentibus exicca-

Ex uentre spumam nõ prodire.

Spuma signũ letale.

tur. Nam hoc in loco magna ex parte dicere prætermisit, quod tamen uerbum insequentibus adiecit, ubi inquit: Quicunque aluum humidam habẽt iuuenes quidem, melius commutant, his qui siccas habent, ad senectam uero deterius commutãt. Nam magna ex parte senescentibus exiccantur.

XLIIII.

QVI NATVRA admodum crassi sunt, citius, intereunt, quàm qui graciles.

Eos qui ex prima ætate crassi sunt, & graciles inuicem comparans, de crasis pronunciat, quòd cito ad mortem perueniunt, magis quàm graciles. Optimum enim bene carnosum esse natum, hoc est ita commoderatum, ut neque crassitudo adsit, neque gracilitas. Tales enim possunt ad longam senectam perduci. Si uero à modo recedatur, melior ad gracilitatem: malus autem est ad crassitudinem excessus. Angustæ enim sunt horum arteriæ ac uenæ, atque ob id paucum omnino sanguinem habent spiritum ve, adeo ut cum ætate processerint, cito ipsis uel paruam ob causam calor natiuus destruatur. Graciles autem hac quidem ratione non periclitantur: quia uero partes principales ita affectæ sunt, ut nullum habeant munimen, à causis exterioribus prompte offenduntur. Qui uero natura quidem mediocres erant, uerum uictu delicatiore utentes postmodum crassi facti sunt: his licet carro atque pinguedo adnatæ sint, uenæ tamen atque arteriæ latæ consistunt, atque idcirco † in eis calor natiuus minus est obnoxius extinctioni.

† Græcus habet μείζονας ἔχουσι τὰς μὲν φυτὸν θέρμας πρὸς αρ.ι. maiorẽ habent caloreẽ in natum.

XLV.

QVICVNQVE iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & uictuum quoque liberantur.

3aph.19. & 5aph.7.

Morbus comitialis proximus quodam modo est morbo, quem apoplexiam appellant, quum idem locus in utroque patiatur, & idem humor in causa sit. Verum apoplexia ob omnimodam carentiam illius potentiæ, quæ ad neruos defluit, Morbus autem comitialis propter motum uitiosum generatur. Frigidus autem, & crassus est humor ambobus, atque id circo adolescentium ætas calidam, & siccam habens temperaturam, maximum affert auxilium, his qui morbo comitiali laborãt, sic & locorum proportionales mutationes. Dico autem proportionales, quando ad calidiorem, ac ficciorem commutantur, eodem modo & uictuum. Neque enim & horum mutatio quælibet morbum soluit comitialem, sed quæ calidiorem, & ficciorem corporis habitum efficit. Contingit autem & audire simpliciter uictus mutationem morbo comitali prodesse, quoniam magna ex parte uictus deprauatus passionem generat, unde & mutatio multo ad melius perducit.

Epilepsia apoplexiæ similis, & differunt.

ætas.

Loca

Victus.

XLVI.

DVORVS DOLORIBVS simul eundem locum infestantibus, uehementior alterũ obscurat.

Si quis eundem exquisite audiat locum, nunquam duo possunt in eodem fieri dolores. Si quis uero late, possibile est. Dico autem late circa membrum maius, ueluti circa brachium, uel cubitum, aut femur, aut tibiam. Verum hi duo dolores simul augent loci afflictionem, cum neuter lateat ægrotantem. Si uero sint in locis diuersis,

alter quidē,(si ita contigerit,in cubito,)alter uero in tibia:tunc alterum ab altero obscurari cōtingit, cum uis sensibilis tota ad uehementiorem ducatur,ac distrahatur. Nam & hoc nobis in mœroribus solet accidere,qui sunt & ipsi ueluti dolores quidam solius animi sine corpore. Nam & horum qui sunt uehementiores occultant minores, si quidem non eadem ex re ortum habeant,alioquin & illi seipsos coaugent.

XLVII.

DVM PVS conficitur,dolores,ac febres accidunt magis quàm iam confecto.

Pus ex sanguine ortum habet,qui semimalam (ut quispiam dixerit) habet transmutationem. Nāmala simpliciter cum putrefactione fit olida,sicuti quæ simpliciter optima,est ipsa nutritio partium animalis.at quæ pus generat medium inter has obtinet locum,neque à solo calore extra naturam, neque à solo secundum naturam facta. Mixtus enim quodam modo ex utrisque est calor inflammationis. Fit autem dolor extenta simul ac calefacta præter naturam inflammata particula: Febres uero sequuntur principio concalefacto. & hęc ambo contingunt ex quadam ueluti ebullitione,atq; exustione sanguinis: qui ubi ex toto exustus fuerit,residuum eius fit pus,quemadmodū ex lignorum exustione cinis.atque ideo tempore illo dolores sedantur ac febres, præsertim cum pus fuerit excretum,utpote iam consumpta materia,extinctaq; ignea caliditate.

Pus transmutatio.

XLVIII

IN OMNI corporis motu,ubi laborare cœperit,quies statim lassitudinem aufert.

Verbū, laborare, significat & dolere,significat autem

autem & fatigari,& in utroque significato sermo uerus est, Siue enim membra iam doleant ex multitudine motionū,siue sint fatigata,ut uix iam agere aliquid possint,quies statim lassitudinē aufert.

XLIX.

QVI consueti solitos labores ferre,& si fuerint imbecilles,& senes,non consuetis,fortibus,atq; iuuenibus,facilius ferunt.

Alius alii labor consuetus est, huic cursus, uel alius aliquis motus per crura factus,huic uero manus certa mouere lege, siue quouis alio modo operari manibus,aliis fodere terram, uel remigare,uel arare,uel simpliciter quoduis aliud agere. Differunt autem omnes isti labores, quia uel plures,uel pauciores partes operantur,& quia uel magis,uel minus laboratur,hoc tamen omnibus commune existit quod partes exercitatæ fiunt robustiores, atque idcirco labores consuetos facilius ferunt.

L.

QVÆ EX longo tempore consueta sunt, & si deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari.

Non de solis exercitationibus, hic sermo est, sicuti prior,uerum de omnibus simpliciter consuetis hic aphorismus enūciat,cibis,potibus,balneis, illotionibus,uigiliis,somno, calefactione, frigefactione,curis. Horū etenim singula minus nocent, cum fuerint consueta,his quæ natura quidem minus noxia sunt,sed nunquam in consuetudinē pervenerunt. Quòd igitur ita se habeat in exercitationibus,ad partium quæ operantur robur, refertur, ut antea diximus. In reliquis uero quo modo fiat, iam dicemus. Cibi ac potus,naturam aduenitiam

Cibj nam aduentitia efficiunt.

efficiunt, maxime quidem in uentriculo, cum hoc uero & in aliis partibus. Nam etsi maxime obtineantur, & transmutentur à corpore, ipsum tamen quodam modo pro sui natura disponũt ita, quòd processu temporis multa fit permutatio, ac similitudo nutritorum ad nutrientia. Hoc enim ostẽsum est à nobis, in libro de consuetudinibus: ostensum est etiam quòd unumquodque facilius à similibus alteratur. Ob hanc igitur causam quanto similius factum fuit id quod transmutat ei quod transmutatur, citius alterat ipsum. Et quidem ab aliis omnibus quibus corpus adhæret quodam modo afficitur, ueluti in aere frigido, ac calido, densatũ quidem à frigido, laxatum uero à calido, atque ideo consueta facilius perfert, ab insuetis uero molestatur. Si enim laxato corpori ob caloris adhęsum repente frigus supuenerit, & in imas eius statim partes subintrat, & maxime offendit. Causa itaque de omnibus consuetis dicta est in libro de consuetudinibus. Quod uero experientia notum est, id iam noscimus, quod solum ab Hippocrate scriptũ est, qui causam adscribendam non censuit. Nos uero ad eiusdem inuentionẽ aliquas dedimus occasiones. Hæc igitur dicta sufficiant quantum ad primã aphorismi attinet partem. Quod uero in fine scribitur, in quo consulit transmutari quodam modo ad non consueta, salubris gratia securitatis dictum est. Est enim unica tantum consuetudo periculosa, cum omnes homines inopinatis rerum sortibus subiiciantur. Ne igitur incidentes aliquãdo repente in nobis insueta plurimum lædamur, satius esse inquit omnia tentare. Fit autem hoc non inhærentibus nobis semper his quibus assueuimus, sed & nonnunquam contraria tentantibus.

Unica consuetudo periculosa.

LI.

PLVRIMVM, atque repente euacuare, uel

Gal. de ptis. cap. 5.

replere, uel calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum. Quoniam omne nimiũ est naturę inimicum. sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum transitus fit.

Causam ob quam plurimum, aut repente euacuare, uel replere, calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum sit, ipse ostendit, inquiens, Omne nimium esse naturæ inimicum. Nam in elementorũ consistens commoderatione natura suam habet substantiam: quare non absque ratione nimium omne, ut quod destruat commoderationem, unà substantia animalis dissoluit. quod uero paulatim, ut inquit, implere scilicet, uel euacuare, & quæcũque alia subinde dixit, tutum est, tum aliter factum, tũ maxime cũ ab altero cui assueuimus, trãsimus ad alterum. nam in antecedente aphorismo consuluit, & ad insueta ꝑmutari. In hisce igitur permutationibus, quod plurimum existit, atque repente, periculosum est satis: quoduero paulatim fit, tutum.

LII.

OMNIA secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem: non est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio uisum est.

Non paruæ est opus scientiæ nõ permutari ab his quæ recte uisa sunt, si nondum manifesta appareat utilitas ex his sequi ad ea quæ ita facta sunt. Quemadmodum enim in gutta subiectam petrã percutiente uix longo tempore sensibilis passio in lapide manifestatur: sic accidit etiam in crudis, & quæ difficulter concoqui possunt dispositionibus, in quibus cũ recta ratio inuenerit id qd' conducit,

non discedit ab illo qđ primum faciendũ existimauit, etiam si nihil ex facto manifestũ sit subsequutũ.

LIII.

QVICVNQVE aluos humidas habent, si quidem iuuenes fuerint, melius commutant his qui siccas habent. Ad senectam uero deterius cõmutãt, nã senescẽtibus magna ex parte exiccãtur.

Manifestus est hic aphorismus, & quicquid de eo dicere conuenit, prius est dictum in eo aphorismo cuius principium, Quibus iuuenibus uentres humidi sunt, his senescentibus exiccantur.

LIIII.

MAGNITVDO corporis iuuentæ quidem nec indecens, neque illiberalis. Senectæ uero inutilis, & deterior paruitate.

Magnitudo corporis proprie quidem nominatur, quæ lõgitudine, latitudine, profunditate moderantiam exuperat. Iam uero & quod longitudine sola amplius auctum est corpus, solemus magnum nominare. Atqui huic proprium nomẽ est longum: nam & aliquando quod secundum latitudinem, ac profunditatem ultra modum corpus est auctum, dicunt esse magnum, quãuis & hoc crassum proprio uocabulo nominetur. Si igitur magnitudinem corporis in proprio significato Hippocrates dixit, nihilo deterior est in senectute, q̃ paruitas. Si uero uel longitudinem corporis, uel crasitudinem intellexit: hę deteriores atque inutiliores senescentibus sunt. Verum neq; crasitudo est iuuentę decens, neq; liberalis. In sola ergo longitudine, q̃ sit iuuentæ liberalis, senectæ uero inutilis, uere diceretur. Ex hac enim senescentes gibbi fiunt, & uix possunt onus perferre, quod Hippocrates inutile dixit.

GALENI IN APHORISMOS Hippocratis Commentarius Tertius, Nicolao Leoniceno interprete.

APHORISMVS I.



MVTATIONES TEMporum potissimum pariunt morbos, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo.

IN hoc tertio in Aphorismos Hippocratis commentario, eorum quæ de temporibus atque ætatibus ab Hippocrate scripta sunt, expositionem faciemus: maxime quidem quicquid est in ipsis obscurum declarantes. Hoc enim est proprium expositionis opus. Verũtamen singulis etiam quæ recte dicta sunt demonstrationem apponentes, quoniam & hoc fieri in Commentariis consueuit. Miror autem hoc loco & Lyci inæqualitatem, scribentis quidem (ut ipse ait) expositiones Quinti præceptoris, nulli autem eorum quæ de temporibus & ætatibus dicta sunt, probationem demonstratiuam apponentis, sed ad experientiam & obseruationem omnia referẽtis: quum tamen ipse in aliorum Aphorismorum expositionibus rationalem adhibeat considerationem de ea quæ in ipsis continetur ueritate, non sola cõtentus experientia. Quòd uero sola experientia non sufficiat ad talem contemplationem aggregandã, ipse Hippocrates ostendit. Hoc & in processu sermonis ostendetur.

Lycus reprehenditur.

Sola Experientia satis nõ est.

Mutationes temporum nonnulli existimant dici, quibus inuicem commutantur, quasi successiones diceret. Nã hieme in uer cõmutata, fit dictorũ morborum generatio: de quibus ipse deinceps loquetur. Vere enim furores, atræ biles, & morbi comitiales. Vere rursus in æstatẽ desinente, quod est æstate incipiente, febres continuæ (inquit) & tertianæ, & ardentes, & quæ subinde connumerauit. Et de autumno atq; hieme similiter scripsit: ut inquiunt illi, qui pro eodem accipiunt mutationes, & successiones. Verum id uerbum potissimum, qd', in cõtextu adiectũ est aphorismi, hanc expositionẽ non admittit. Nam † nõnunq; mutatis inuicẽ anni temporibus, sicuti quidam morbi generãtur, eodem modo etiam soluuntur: & hoc ipse Hippocrates dixit. Quare nihilo magis successiones temporum pariunt morbos, quàm soluunt. Quo modo igitur non sat fuit ipsi dicere, Mutationes temporum pariunt morbos: sed &, potissimum, addidit. Melius itaque fuerit ob hanc adiectionẽ per mutationes temporum intelligere eas, quæ fiunt secundum illorum temperaturas, alterationes. Hæ siquidem sunt, quæ potissimum generãt morbos, quando multæ alia post aliam fiunt alterationes: quemadmodum in Epidemiis scripsit, & nunc etiã paulo post dicet. * Si uero unius temporis solius alteratio efficit morbos aliquos, non tamen potissimum: quando igitur fiunt morbi potissimum ex unius temporis alteratione: quando cõtigerit magnam esse alterationem, & ob hanc causam ipse Hippocrates inquit, Et in quibusdam temporibus magnæ mutationes, uel caloris, uel frigoris, uel alicuius alterius rei, ueluti humiditatis, siccitatis, aut uentorum, aut horum defectus. Hæc igitur expositio recta est in ista scriptura. Inuenitur tamẽ & alia scriptura, quæ ita se habet, Mutatiões tempo-

Mutationes ipsũ accipiũt uarie.

† In antigoribus exẽplar. nõ habetur ω'ιοτε .i. nõnunquam.

* In antigs exẽpl. habet ει'. .i. si nõ ut in impress. & sic legit Leonic.

rum pariunt morbos, & maximos: potissimũ autem & in quibusdam temporibus magnæ mutationes. Quæ scriptura nullam habet obscuritatẽ, his præsertim qui ea audierũt, quę à me statim antea dicta fuerunt. Sunt uero & aliæ scripturæ idem dicentes, quas intelliges atque probabis, si illa quę diximus animaduerteris.

II.

NATVRARVM hæ quidem ad æstatem hæ uero ad hiemẽ, bene, maleve se habent.

Naturas hoc in loco dixit Hippocrates secundum principalissimum, & proprium significatum quod secundum ipsam maxime substantiam naturæ est. Dicebamus autem in præcedentibus, ipsam esse temperaturam quatuor elementorum, humidi, sicci, calidi, & frigidi. Et quidem ostensum à nobis est in libris de temperaturis. Vna quidem temperatura bene temperata atque optima: male autem temperatæ & uitiosæ numero octo, quatuor quidem secundum unam qualitatem excedentem, quatuor uero aliæ secundum duas: Secundum unam quidem calida, & frigida, sicca, & humida: Secundum duas uero calida & sicca, humida & calida, & frigida & humida, & frigida & sicca. Ad æstatem quidem frigidæ & humidæ naturæ optime afficiuntur. Ad hiemem uero calidæ & siccæ, sicuti & male afficiuntur calidæ & siccæ ad æstatem, frigidæ & humidæ ad hiemem. Perfectissime quidem igitur naturæ huiuscemodi ad dicta tempora optime ac pessime afficiuntur: Mediocriter autem quæ quouis modo ex temporibus uel iuuantur uel offenduntur, sicuti humida & calida, æstate & hieme: quoniam æstate quidem quatenus humida est, melius afficitur: hieme uero contra, quatenus calida.

Natura

Tempora tria IX.

III.

MORBI quoque alii ad alia bene uel male se habent, & quædam ætates ad tempora & loca & uictus genera.

Inordinato quodam interpretandi genere mihi uidetur usus Hippocrates in hoc aphorismo. Nã melius utiq; ita dixisset, Morbi & ætates, alii ad alia tẽpora, & loca, & uictus genera bene maleve se habent. Morbi igitur bene se habent, ad tempora quidem, ut ad generationem, similes: ut ad solutionem uero, contrarii. Nos enim de hoc ipso determinauimus in expositione illius Aphorismi cuius initium est, In morbis minus periclitantur. Ætates autem, quemadmodum & naturę, frigidæ quidem ad calida, calidæ uero ad frigida. Senum quidem ad æstatem, iuuenum uero ad hiemẽ. Eadem ratione & ad loca, non morbi tantum, sed etiam ætates afficiuntur. Nam morbi calidi in locis calidioribus magis generantur, & minus sunt periculosi, & magis sanæ sunt in frigidis regionibus ætates calidiores, & in aliis proportionaliter. Sic uero & ad uictus genera, alii ad alia bene maleve se habent morbi, & ætates. Nam calidiores ad frigidiores, frigidiores uero ad calidiores, & ficciores quidem ad humidiores, humidiores uero ad ficciores bene se habent: & (ut simpliciter dixerim) contrarii quidem ad contraria bene, similes autem ad similia male: præterquàm si ætas temperata, & uictui, & regioni, & loco temperato comparetur: hoc enim solo modo similes à similibus bene afficientur. Quæ uero plus à temperie recesserũt ætates, iis secundũ temperaturam cõtraria loca, & tẽpora, & uictus genera conferunt magis. Quũ uero omnes morbi à temperie & modo recedãt, generatio quidem à similibus locis atque temporibus, solutio uero à contrariis fit.

Morbi bene se habent.

Contrarijs similia.

IIII.

IN TEMPORIBVS, quando, eadẽ die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

Cum ratione fit hoc. Neq; enim appellationes temporum, causæ morborum sunt, sed temperaturæ. Quũ igitur ipsæ conuariant, necesse est & morbos conuariari.

V.

AVSTRI auditũ hebetãtes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Quando huiusce modi tẽpestas prẽualuerit, talia in morbis patiuntur. At si Aquilonia fuerit, tusses, fauces, aluiduræ, difficultates urinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.

Id quidem quod fit, declarauit, inquiẽs: Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauãtes, pigri, dissoluentes. Causam aũt adscribens ob quam: Vbi hęc tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. Semper siquidem oportet medicum distinguere, & separare id quod ex causa extrinseca fit, & non morborum ratione, ut prænotiones faciat diligentiores. Causam uero ob quã austri reddant auditum grauiorem, & uisum caliginosum, non est difficile ex eius temperatura cognoscere, quæ calida & humida natura est. Omnia etenim talia sunt apta replere caput. ob hoc igitur & senum instrumenta plurima implent humiditate, & capitis grauitatem efficiunt. Principio autem neruorum humectato, necesse est & circa uoluntarios motus pigritiam euenire, & ueluti in seipso dissolutum hominẽ apparere. Contra uero in aquiloniis,

Causa extrinseca.

Auster.

Aquilo

(ut ipse inquiet inferius) corpora fiunt robustiora, uegetiora, & ad motus promptiora, & melius audientia. Nunc uero hæc non opposuit his quæ ex austro circa corpus contingunt, quoniam in hoc aphorismo de læsione tantūmodo, quæ ex utroque accidit uento, tractare proposuerat, ut hæc cognoscentes ab illis separemus quæ ex morborum natura contingunt. In aquiloniis igitur (ut inquit) fiunt tusses, propter uidelicet instrumentorū respirationi obseruientium intemperiem, & propter faucium asperitatem, de qua nobis insinuauit adiungens uerbū illud, fauces, ut subintelligeremus, patiuntur. Nam solet hoc modo loqui aliquādo. Paulo post igitur inquiet: Autūno & plurimi æstiuorum, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes. Licet autem & simul duo cōiungentes legere, fauces alui duræ, ut nonnulli expositores legendum existimarunt. Nam fauces in aquiloniis constitutionibus apparent duræ, quoniam exiccantur, ac refrigerantur, & uenter inferior dura excernit, & propter temporis constitutionis temperaturam quæ uergit ad siccitatem toto corpore exiccato, & magis ipso ad seipsum trahente eas quæ fiunt ex cibis humiditates. Sed & alia ratione, quoniam si longiori tempore maneant, & non excernantur, omnino exiccantur. Vrinæ etiam accidunt difficultates, uesica flatu aquilonis ob frigiditatem offensa. Est enim exanguis, & propterea ex causis frigidus plus quàm aliæ partes, ipsa est offensioni parata. Eadem aquilonis frigiditas etiam thoracis dolores efficit, communi etiam & ad alias partes læsione, & illam quoque quæ fit ex respiratione affumentis, quæ non pari modo pulmonē attingit & cor, ob sui caloris multitudinē. Homines uero hortidos fieri in aquiloniis cōstitutionibus, clarū est. consentaneæ uidelicet aeris ambientis temperaturæ.

Tusses propter asperam.

Fauces durat.

Vrinæ difficultates.

VI.

QVANDO æstas sitsimilis ueri, sudores in febribus multos expectare oportet.

Quemadmodum paulo antea dicebat, Quando die eadem aliquando frigus, aliquando calor accidit, morbos autumnales expectare oportet: sic nunc rursus, Quando æstas sit similis ueri, hoc est temperaturam habet commoderatam, expectare, inquit, oportet multos sudores in febribus, & hoc non sine ratione. Neque enim sine aeris ambientis calore multi sudores fieri possunt, neq; absq; hoc, q aliqua humiditas supflua in corpore contineatur. Horum uero alterum est in æstate, alterum uero in hieme: Autūno uero neutrum, uere autem utrunque. Rationabiliter igitur æstas quidem arida satis absumit atque resoluit humiditatem. Similis autem ueri, ob caliditatem quidem attrahit ad cutim, ob humiditatem uero nō potest per modum uaporis resoluere. Tota igitur simul humiditas in morborum iudiciis expulsa sudores multos facit.

VII.

IN SICCITATIBVS febres acutę fiūt: & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales plurimum morbos oportet expectare.

Non multas ait febres in siccitatibus fieri, sed acutas, quoniam paulo post inquiet: Constitutionum autem anni, quod in totum dixerim sicca tempora, pluuiosis sunt salubria magis, & minus mortifera, & his adiungens rursus inquiet: Morbi in pluuiosis temporibus, magna ex parte fiunt febres longę. Non absq; ratione. Nam aeris ambiētis humiditas pituitosos aceruat humores,

& non paucas generat aquoſas ſuperfluitates: Sic
citas uero, pauciores quidē humores efficiet, ſed
qualitate bilioſiores, & ob hanc cauſam febres nu
mero quidem ſunt pauciores his quę fiunt in tem
poribus pluuioſis, ſed acutiores. Quæ uero dein
ceps in aphoriſmo dicuntur, ſunt manifeſta.

VIII.

IN CONSTANTIBVS tēporibus, cum
tempeſtiue tempeſtiua redduntur, morbi cōſtan
tes, & boni iudicii fiunt: in inconſtantibus autem
inconſtantes, & mali iudicii.

Conſtantia tempora nominat quæ ordinatim
ſuam recipiunt temperaturam. Quē uero conſtan
tem appellet annum, tibi licet diſcere ab ipſo in
libro de aqua, aere, locis, & regionibus, ita dicēte:
Si quidem pro ratione facta fuerint ſigna huiuſce
modi in ortibus, & occaſibus ſiderum, & in autū
no, ſi aquæ deſcendunt, & hiems mediocritatē ſer
uauerit, neque ualde ſerena, neq; frigore excedēs,
& uere aquæ euenerint tempeſtiuæ, & æſtate, ſic
par eſt annum fore ſalubriorem. Poſtquam igitur
qualis debeat eſſe conſtans annus didiciſti, facile
eſt etiam inconſtantē intelligere. Omnia enim quæ
non ſeruant ſecundum aliquid anni conſtantis duc
tum, ea nunc Hippocrates inconſtantia uocat, &
eos qui in ipſis accidunt morbi, ſimiliter appellat.
Ait autem, & ipſos difficulter, hoc eſt male, iudica
ri. Vel enim cum caſibus periculoſis iudicia in his
morbis eueniunt, uel ſtatim ſunt pernicioſi, uel om
nino faciunt recidiuam.

IX.

AVTVMNO morbi acutiſſimi, atque exitia
les maxima ex parte, ver uero ſaluberrimum, &
minime exitiale.

Cum tempora conuenientem ſeruant totā tem
peraturam, inter ipſa uer quidē eſt ſaluberrimum,
ut quod bonam habet temperaturam. Morbos au
tem acutiſſimos, atque mortiferos, aliorum tem
porum comparatione autumnus afferet, quando
quidē uer bonā temperiē habet. Autūno uero hoc
in primis ineſt, quod eadem die aliquando calorē,
aliquando frigus continet. Deinde æſtiuum ſubſe
quitur tempus, in quo multis quidē humores aſſa
ti ſunt. quibuſdam uero & uires ſunt debilitatæ.
Non ſolum uero hac ratione autūnus malus eſt,
ſed etiam quia prius quidem humores mouebano
tur ad cutem, atque difflabant, autūno uero ab ae
ris ambientis frigiditate truduntur, atque ad in
teriora impellūtur. Hæc quidem omnibus homi
nibus cōmunia ſunt: his uero q̄ malo uictu utūtur,
ex ſuperabūdanti fructus accedunt, q̄bus abundāter
repleti, malorū humorum multitudinē generant.

X.

AVTVMNVS tabidis malis.

Damnauit quidem & aliter autumnum in ante
cedente aphoriſmo. Nunc autem prę cipue nocen
tem tabidis rurſus uituperat. Vtrum uero illos ſo
lum nominet tabidos quibus pulmo eſt exulcera
tus, uel omnes quomodocunque tabefactos, non
poſſumus coniectari. Liquet autem utriſq; autum
num eſſe malum, cum ſit ſiccus, ſimul ac frigidus,
& inæqualis.

XI.

DE TEMPORIBVS, ſiquidē hiems ſicca, & aquilonia fuerit, ver uero pluuioſum, & au
ſtrale, neceſſe eſt æſtate febres acutas, & lippitu
dines (Græci ophthalmias uocant) & inteſtino
rum difficultates fieri, præcipue uero mulieribus,
& uiris qui natura ſunt humidiores.

De alteratione quæ in temporibus fit, hic do-
cet, ab hieme ſicca & aquilonia initium ſumens:
uere autem pluuioſo, & auſtrino. Paruæ igitur ta-
les mutationes, præter naturam tamen, quapro-
pter & ad æſtatē ſequi ait hos morbos, febres acu-
tas & lippitudines, & inteſtinorum difficultates.
Cauſam uero ob quam ſuperabundant in tali con-
ſtitutione huiuſcemodi morbi, ipſe explicauit in
libro de aquis, locis, & aere. Verba autem eius ſe
habent in hunc modum: Si autem hiems quidem
ſicca & aquilonia fuerit, uer uero pluuioſum & au-
ſtrale, neceſſe eſt æſtatem febribus abundare, & lip-
pitudines, & difficultates inteſtinorum aduenire:
quando enim æſtate ſtrangulatio repente ſuperue-
nerit, & terra madida ex pluuiis uernalibus, & ab
auſtro fuerit, neceſſe eſt æſtum duplicari, & à terra
madida atque calente, & à ſole comburente, non
conſtantibus hominum uentribus, neque exiccato
cerebro. Neque enim poſsibile eſt tali uere exiſten-
te, non inflammari corpus ac carnem, unde febres
accidunt acutiſsimæ tum reliquis omnibus, tum
præcipue pituitoſis. Difficultates uero inteſtinorū
mulieribus, & uiris humidioribus conuenit fieri.
Hæc quidem Hippocrates in libro de aquis & lo-
cis & aere, dixit: Nos uero latius eius ſermonem
explanabimus, & primum quidem ob quam cauſa-
ſam, neq; in hieme, neq; in uere per talem conſti-
tutionem dixerit uulgari morbos: quum tamen
in ſecundo Epidemiarum, in ipſo tempore uitia-
to dicat apud Cranonē factos eſſe carbones. Ver-
ba autem eius inibi hæc ſunt: Pluebat in æſtibus
aqua ruente per totum, fiebant autem auſtro ma-
gis. Manifeſta igitur ex his quæ dixerat cauſa, ob
quam apud Cranonem facti ſint æſtate carbones.
Neq; enim paulatim mutauit naturalem tempe-
raturam, ſed ad talem peruenit conſtitutionem, in

Hippocra. his locis.

qua facile putrent quæ cunq; naturā habent ut pu-
treant. Habiles enim ſunt humiditates modū exce-
dentes ad putreſcendum. Nam (ut ipſe inquiet)
morbi in temporibus pluuioſis fiūt magna ex par-
te febres longæ, & alui fluxus, atq; putredines, ado
huc autem illis magis calores. In unum itaque cō-
uenientibus adeo fortibus, atque immoderatis di-
ſpoſitionibus, ueluti in Cranone, tempus ſecundū
corpus non expectat, uerū anticipat in priore plu-
rimum offendi. Per hiemem uero ſiccam & aqui-
loniam, corpora quidem tali modo afficerentur,
quali ipſe dixit per hæc uerba: Si uero aquilo-
nia fuerit, tuſſes, fauces, alui duræ, urinæ difficulta-
tes, horridi dolores laterum, pectorum: non tamē
effatu dignus morbus accreſcet. nam & alioq; fri-
giores temperaturę ſunt ſalubriores. Ex toto enim
ait ſiccitates pluuioſis temporibus eſſe ſalubrio-
res, & minus mortiferas. Hiems uero aquilonia,
ac ſicca: nocebit quidem *rectis ſtantibus hominī-
bus, ad tuſſes, & alui ſuppreſsionem, & difficulta-
tem urinæ, atque dolores locorum ad thoracē ate-
nentium, non tamen febres, uel difficultates inte-
ſtinorum, aut tale quiddā operabitur. Cur autem
neque in uere pluuioſo atq; auſtrali exiſtēte mor-
bi uulgantur: quoniam antecesſit hiems ſufficiēter
frigida ac ſicca. Ipſe uero dixerat non ſimpliciter
præſentes conſtitutiones fore conſiderandas, ſed
ex qualibus, ad quales fiant permutationes. Ita-
que corpus exiccatum per hiemē, cuius ſicca atq;
aquilonia fuit tēperatura, non modo nihil ex uero
nis pluuiis patietur, ſed potius aliqua ex parte iu-
uabitur ad naturalem rediens mediocritatem. Si
uero totum uer humidum fuerit, ad contrariū illi
quæ prius inerat ducetur corpus conſtitutionem,
ſiccæ inquam tranſcedens illam quæ medium te-
net, mediocritatem. Quare æſtas ſubſequens pa-

Humiditas putredinis materia.

i. f. 16 aph. 1 mido

aph. 12 eodē

* ὀρθοῖς ἐφ' ἵππων. i. rec etc.

In uere cur morbi nō uigent

Tranſeundo nō agnoſce.

ratum excipiet offensioni, quum terra adhuc hu-
mecta sit, atque ob hanc causam strangulatio-
nem efficiet, utpote Etesiis nondum potentibus
flare. Nam illi postea flare incipiunt etiam &
post Canem. Quare totum tempus medium habe
bit febres acutas propter caliditatem & humidita
tem, humoribus in corpore putrescẽtibus, necnon
lippitudines & difficultates intestinorũ, pro aptitu
dine partium quæ offensionẽ recipere natura aptę
sunt. Aliæ.n. aliis magis, minusve passibiles sunt,
secundum corporum temperaturas. Nam lippitu
dines ferè omnes infestant repleto capite, quibus
dam exceptis quibus oculi prævalidi sunt: diffi-
cultates uero intestinorũ, ut ipse dixit, eos qui na-
turas humidas habẽt, & mulieres, hæ siquidẽ uiris
sunt humidiores. Si igitur totã cõstitutionem, tanq̃
nostra putrefacientem corpora, damnamus: liquet
quòd putredo magis humidis adueniet corpori-
bus. Ipsum siquidem humidũ quod in nostris pu-
tret corporibus, quædam ueluti materia est à ui ca-
loris patiens: humiditas uero ambiẽtis aeris, qua-
tenus exiccari non sinit humorũ in corpore super-
abundantiam, eatenus adiuuat uim putrefaciẽtẽ.
Nihil itaque mirum si in talibus constitutionibus
plus offendũtur naturæ humidiores, & propterea
ait febres pituitosis magis aduenire. hi siquidẽ ne-
cessario sunt humidiores. Manente igitur putredi
ne in corpore, febres fiunt: Si uero per uentrẽ eua-
cuetur, difficultates intestinorum. Et hæc per totã
æstatem contingent, nisi fiat circa Canis ortũ per-
mutatio, de qua ipse in libro de aquis, locis & aeꝛ
re trãsegit post uerba paulo antea scripta, post illa
uidelicet: Difficultates autem intestinorum par est
fieri mulieribus, & uiris humidissimis. Ná sermo-
nem continuans, scribit in hunc modum: Etsi qui-
dem superuenerit circa Canis ortũ aqua, & hiber-
na tempestas,

na tempestas, & Etesiæ perflauerint, spes est quie-
tis, & quòd autumnus salubris erit. Alioqui peri-
culum est, ne pueri moriãtur, & mulieres, minime
uero seniores, & ne qui euaserint, in quartanam fi-
uiant, & ipsa quartana in aquam inter cutem termi
netur. Verum de his quæ adiecit in libris de aqua,
& aere, & locis, cum librum illum exponemus, di
ligentius considerabimus. De his uero quæ in præ
senti aphorismo proponuntur, sufficienter est di-
cendum, excepta una dictione, ex necessitate, quam
non solum apposuit in aphorismo, sed etiam in li-
bro de aquis, locis, & aere, ostendens per eam, q̃
rei natura persuasus, & nõ ex aliqua obseruatione,
ista notauerit. Quotiens igitur uerisimile fit ipsum
uidisse talem cõstitutionem, uel quot in locis, nũ-
quid bis, uel ter, uel quater. Sed neque si sæpius in-
quias, possumus dicere q̃ ita semp erit: sicuti neq̃
si ex medicina aliqua uideris purgatos sex, uel se-
ptem homines, iam dicere certe poteris quòd om
nes posthac homines similiter purgabũtur. Qua-
re pro manifesto relinquitur quòd rei naturã Hip
pocrates sequens, & non aliquam obseruationem,
ita scriptitauerit, Necesse est æstate febres acutas,
& lippitudines, & difficultates intestinorum fieri.

XII.

SI VERO hiems australis, & pluuiosa, † & serena fuerit: ver autem siccum, & aquiloniũ, mu
lieres, quibus partus ad ver inest, ex quacunque
occasione abortiunt: Quæ uero parient, imbecil
les, & morbidos infantes pariunt. Quare uel sta-
tim intereunt, uel tenues, & ualetudinarii uiuunt.
Cæteris uero mortalibus, difficultates intestino-
rum, & lippitudines siccę fiunt, senioribus autem
destillationes, quæ cito interiment.

Cõtrario modo se habet temperatura duorum

quæ in priore Aphorismo sunt dicta temporum, ad illas quæ in isto dicuntur. Qualis.n.erat hiems primum in illo,tale nunc est ver. Quale autem est in illo ver,talis nũc est hiems. Quod igitur nõ erat in illo necessarium in uere morbos uulgari uehementes,sufficienter dictũ est. Nũc autem ꝙ hieme humida quidem ac calida facta,uere autem frigido ac ficco,necessariũ sit in ipso uere homines ægrotare,est demonstratum. Mulieres itaq; quibus partus ad ver,ex quacunque abortiunt occasione: corpora siquidem humida ac mollia & laxa facta, hieme serena ad intimas sui partes aeris ambientis frigiditatem facile admittunt: ita ꝙ quicunque infantes longo iam tempore calori aeris sunt assueti,percussi uehementer à frigore,non absq; causa, hi quidem iam mortui in ipso utero sunt, hi uero in ipso partu morientur. Qui uero uiui in lucem æduntur non ferentes subitam ad contrariũ transmutationem,uel breui post tẽpore moriuntur,uel exiles atq; insalubres creati,uix in uita perdurant. Aliis uero ceu pituitosis,ac mulieribus, difficultates intestinorum ait accidere ex pituita à capite ad uentrem defluente. hunc enim humorem par est in dicta cõstitutione plurimum generari, hieme quidem capite repleto,subito autem refrigerato circa ueris initia: quoniam cerebrum natura aptũ est ad generãdas pituitosas supfluitates. quum enim refrigeratur,non potest alimẽtum conuincere. Inest autẽ & hoc pituitæ * generationi: ut quæ à forti fit frigiditate,acida euadat. Quæ uero à calidita te replente caput,salsa. Sicuti & quæ à pauca fit frigiditate,uel paucam habet dulcedinẽ,uel nullam manifestam qualitatẽ. Ea igitur quæ fit in præsenti constitutione pituita,propter eã quæ est in hieme caliditatem,salsa erit: & hac ratione maxime difficultatem intestinorum generabit, quãdo longiori

*Alibi legitur φύσεα. i. naturæ.

tempore mordens,atq; abradens intestinum offenderit. † Quum enim quæ propter lentorem inter exeundum,in intestinis retineatur,& tardet,& sem per ipsa propter qualitatem detergat,facit intestinorum difficultatẽ. His autẽ qui natura calidi sunt, ac bilioſi,inqt ipse Hippocrates lippitudines ficas accidere,sic autem uocat eas quæ sunt sine fluxu. Par autem est calidis ac siccis naturis in sicca,ac frigida constitutione,quæ calidam atq; humidam excipit,tales lippitudines fieri. Caput enim prius repletum est in calida atq; humida constitutione: frigus autẽ superueniens,ueluti manus quędã extrinseca capiens ac premẽs,quandã uti spongiam cerebrum,exprimit illã quæ in ipso continetur humiditatẽ. Hæc uero delata aliàs ad alium locum, ex his qui faciles sunt ad patiendum,multos generat morbos,atq; ita his qui oculos habent natura imbecilles,lippitudines accidũt. Nihil uero exipsis effluet extra,propter aeris ambientis frigiditatem densantis superficiem exteriorem. Quòd uero Hippocrates ipse hæc omnia quæ diximus ad causas referat antedictas,manifestũ ex his quæ scripsit in libro de aqua,locis & aere,in hæc uerba: Pituitosis itaq; par est difficultates intestinorũ aduenire,& mulieribus pituita à cerebro defluẽte,propter naturæ humiditatẽ: Bilioſis aũt siccas lippitudines ob carnis caliditatẽ ac siccitatem. Quod uero scribitur circa finem aphorismi, Senioribus uero destillationes quæ subito interimant, ipse in libro de aqua,locis & aere, per hæc uerba scripsit. » Valde autem senibus destillationes propter rarita» tem & uenarum colliquationem,ita quòd repente interimant quosdam,quosdam uero contingit » dextra aut sinistra parte stupidos fieri. Per hæc uerba uidetur Hippocrates, non quas cõmuni uocabulo destillationes consueuimus nominare,quę

† In aliq; bus anti. exẽplar. nõnulla in hoc loco interposita reperiũtur quæ in aliis nõ habentur, q̃ sic uerti possunt. Et molestissima est hæc cĩ testinorũ difficultas, quum bilioſus humorin trãsitu ulceret, ac ipse lętus exiſtens ibi ꝓmanet, manẽsq; magis etiam exulcerat

ophthalmiæ siccæ.

ſcilicet ex capite feruntur ad pulmonem per aſperam arteriam, ſed omnes quæ feruntur fluctiones per uenas à capite ad partes inferiores: quare & cito interimentes, bene uidetur adiectum, quoniam hæ uelociter terminantur, quum aliæ diutius perdurent. Quidam uero expoſitores per deſtillationes intelligẽtes illas quę à capite ad pulmonẽ fiũt per fauces & arterias, cum negatione, Non, hunc ſcribunt ſermonẽ hoc modo: Non cito interimentes. Et recte quidem. Neque enim fluctiones in ipſis concoquuntur ob ætatem. In quibuſdam uero exemplaribus ſcriptum eſt, Cito interimẽtes: quoniam & in libro de aqua, locis, & aere, ipſe inquit, Ita quòd repente intereunt.

XIII.

SI VERO æſtas ſicca fuerit, & Aquilonia, autumnus uero pluuioſus, & Auſtralis, dolores capitis ad hiemem fiunt, & tuſſes, raucedines, atque grauedines, quibuſdam autem & tabes.

Eandem temperaturam nunc ſimul poſuit æſtati & autumno, quam & paulo antea dixit de uere atque hieme, quum ita dicebat: Si hiems ſicca & aquilonia fuerit, ver autem pluuioſum & auſtrale. Verum ibi quidem in hac conſtitutione æſtatis dixit febres acutas, lippitudines, & difficultates inteſtinorum fieri. Nunc uero hieme dolores capitis, tuſſes, raucedines atque grauedines. Non autẽ uel ibi adiecit æſtiuam conſtitutionem, uel hic hibernam, ut qui utrunque tempus ſuam ſeruare temperaturam ſuppoſuerit. Si enim & in his altera aduenerit aeris ambientis intemperies, erit etiam propter illã aliquis à prædictis morbis diuerſus prius intemperiei. Verum in illa quidem conſtitutione, qua dixit hiemem fieri ſiccã & aquiloniam, ver autem pluuioſum & auſtrale, ipſe ſubiecit cauſas ob quas tales morbi æſtate fiũt, in libro de aere, locis, & aquis. De præſenti uero conſtitutione, nihil dixit in illo. Nam poſt duas antea ſcriptas cõſtitutiones: Alteram quidem in qua hiemem aquiloniam & ſiccam uult fieri, ver autem pluuioſum & auſtrale: Alteram uero in qua contrarium pluuioſam & auſtralem hiemem, ver autem ſiccum & aquilonium: & ſequentem ordine poſt has tertiã exiſtentem conuerſionem, de qua præſens eſt ſermo, non amplius adiecit, ſed loco huius, alterã talem. Si uero æſtas pluuioſa fuerit & auſtralis, & autumnus ſimiliter, neceſſe eſt hiemem fore inſalubrem. Deinde per ordinem quaſdam alias, neque illas eodem modo quo iſta propoſita, ſe habẽtes. Sed de illis quidem, quum ad earum expoſitionẽ peruenerimus, ſermonem faciemus. Nũc uero de ea quę ab ipſo dicitur in Aphoriſmis, agamus, idẽ noſtro ſermoni initium facientes, quod etiam antea diximus. Par etenim eſt ſeruare ipſam hiemem ſimilem ei quæ eſt naturalis, hoc eſt frigidam atq; humidam, quantum hæ duæ qualitates cõueniunt temperatæ regionis habitationibus, de qbus ipſe ſermonem habet, & eorum nos paulo poſt nominatim mentionem faciemus. Seruante itaque hieme ſuum temperamẽtũ, nulla fortior in ipſa ęgritudo cõſiſtet, ſolum autem capitis dolores ac tuſſes, raucedines atq; grauedines, quæ ſunt repleti capitis accidentia. Si igitur (ut prius diximus) utriq; tempori, æſtiuo ſcilicet, atq; autũnali fieri pluuias auſtrales cõtigerit, forte & in ipſa æſtate: ſi minus, ſaltem in ipſo autumno uulgabuntur morbi proprii conſtitutionis humidæ & auſtralis. Nũc quoniam ęſtatem ſiccã & aquiloniam fieri ſuppoſuit, Autumnum aũt humidum & auſtrinũ, par eſt non ſolum quoſdam non incipere ægrotare, uerum & immodicæ per æſtatem ſiccitatis habere remediũ

non mediocre, eam quæ facta est in autumno humidam constitutionem. Quia uero totus autūnus talis est subsecutus: necesse erit his qui naturam habent humidiorem, supra modum repleto capite, nuper dictos morbos hieme aduenire, quibusdam autem eorum & tabem, qui scilicet ad hunc morbum apti natura sunt. Sunt apti natura & qui angusto sunt pectore, & quibus à capite ad pulmonem fluctio defertur. Hi igitur tabidi fiēt. Aliis uero nullus quidē fortior morbus aduenier, sed tusses, atq; raucedines, & quicūq; alii huiuscemodi casus fiēt, tempore hiberno capita suscipiente austrinis pluuiis antea repleta, deinde in quibusdā hoc solū efficiente, quòd superfluitas in capite perseuerans sit ipsi † doloris causa. Nullam siquidem plenitudinem in parte aliqua corporis dissoluit hiems. In quibusdā uero coacto amplius, & cōpresso quodam modo capite expressa materia inutilis, ad loca capite inferiora descendit: hoc quidē ueluti purgatio quædam, & capitis est euacuatio. In quibus uero à multa materia grauatū antea laborauit, nec potuit hibernum frigus tolerare: subiectis sibi partibus, refrigeratum iam propter intemperiem, malorum fluctionum causa est.

† Alicubi legiē νοσημ' ματος. i. morbi.

XIIII.

SI VERO aquilonius & siccus, his qui naturam habent humidiorem, & mulieribus cōferet: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines: nōnullis uero & atrę biles.

Hic sermo nunc dictus liquet quòd nō est integer aphorismus, sed pars secunda unius aphorismi, cuius priorem partem nuper destitimus explanare. Nam manente cōmuni ea quæ est ætatis dispositione, utriscq; sermonib. prior quidē pluuium, & australē in ipsa supponit autūnum: secundus uero qui instat, siccum & aquiloniū. Quòd uero nil differt, siue siccum, siue squalentē, siue inaquosum dixerimus, unicuiq; est manifestū. Ambobus ergo tēporibus squalidis, & siccis effectis, humidæ quidem naturæ, non modo nihil offendentur ex tali constitutione, quin potius aliquā sentient utilitatē.

Causam uero ipse dixit in libro de aquis, & locis, & aere, scribēs in hunc modū. Pituitosis uero hęc omnia auxilio sunt. Exiccantur.n. atq; ad hiemem minime laxi perueniunt, sed exiccati. Reliquis uero qui nō sunt tali natura prædi ti, lippitudines siccæ, febres acutæ, atq; grauedines accidunt, & nōnullis eorum atræ biles. Causam uero horum generationis, ipse in libro nuper dicto, per hæc uerba inquit. Biliosis uero hoc est inimicissimum, qa ualde exiccātur, & lippitudines his siccæ eueniūt, & febres acutæ, & diuturnæ, & atræ biles. Deinde causam subinferens, inquit, Bilis.n. pars humidissima, atque aquosissima exiccatur atq; absumitur: crassissima uero, & acutissima linquitur, & sanguinis pariter eadem ratiōe, ex quibus hi morbi ipsis contingunt. Hæc itaq; à nobis ad propositas constitutiones dicta sunt sufficienter. Cur uero de his solis constitutionibus fecerit mentionem Hippocrates, cum & plures aliæ sint, non habeo dicere. Volo autem potius declarare uiam, ac rationem, qua quispiam utens, omnes constitutiones cōpleteretur. Est autē talis. Primum igitur incipere est necessarium, ueluti ab elementis, à simplicibus aeris ambientis intēperaturis, atque ipsas diuidere, in ualde paruas, ualde uehementes, ac medias: mox dicere de qualibet earum quæ dictæ sunt intemperaturarum, in singulis temporibus cōtingentium, quos scilicet morbos secundum unamquanq; naturam generabūt. Posthac duorum temporū complecti inuicem intēperaturas, quemadmodum co-

natus est nunc & ipse Hippocrates facere. His uero transactis omnibus, deinceps trium temporum coniungere omnes omnibus intemperaturas, deinde quatuor. Sic.n. foret integra, atq; perfecta meditatio. Hæc igitur & nos forte aliquando, si plus ocii nacti fuerimus, seorsum scribemus. Sufficiat autem in præsentia hoc dixisse solum, ꝙ paucos admodum intemperaturarum complexus scripsit Hippocrates, adeo ut hę potius quoddam exemplum uideantur, quàm pars aliqua effatu digna totius circa talia disciplinæ. Dicemus aũt plenius de ipsis, cum librũ de aquis, & locis, & aere, & de Epidemiis primum exponemus. Quod uero paulo antea sum me dicturũ pollicitus, nunc adiungẽs in ipso finiam orationem. Audire.n. oportet omnes de quibus scripsit Hippocrates constitutiones in locis factas terrę habitabilis tẽperatis, exceptis ab hoc sermone Thraciæ locis, quæ à mari distant. Hæc.n. in frigiditate, atq; humiditate modũ excesserunt, sicuti & quæ ad Ægyptum, ac Libyam attinent, loca calida sunt, ac sicca, exceptis & hic illis quæ mari adiacent locis. In frigidis.n. quales sunt circa Thraciam, ac Pontum regiones, quoniã loca mari adiacentia humilia sunt, ob hanc cãm calidiores habent temperaturas. In calidis uero, quales Aegyptus, ac Libya, quoniã æstate à uentis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcirco minus sunt calida his quæ ad mediterranea recesserũt. Zona uero exquisitã habens temperiem, ac media orbis terrarũ, est quæ per Gnidum, & Coum, & quęcũq; loca non multũ ab his recesserunt, uel ad aquilonem, uel ad austrũ. Oportet aũt ut temperatam zonam nominatã, ab his qui talium habent peritiam, perfecte intelligas, excogitare quandã lineam rectam, extentam per ea quæ dixi loca. Quidam aũt astrologi non zonas, sed parallelas, id est æquidi-

Hippocrates in temperata zona scripsit.

OPORA

stantes, uocãt tales in terra habitationũ similitudines, quæ ab ortu ad occasum ꝓtenduntur. Sermo igitur ab Hippocrate habetur de his pręcipue quę diximus locis. Ordo aũt temporum, sicuti ipse sæpius in libro Epidemiarũ ostendit, & sicuti hi qui studio excelluere, scripserũt, hic est. Ortus Pleiadis principiũ est æstatis, post q̃ Canis ortus oporam, id est fructuũ generationem, inchoat, quã & ipsam pro secunda parte æstatis ponũt. Post hunc Arcturus oriens initiũ facit autũni. Deinde occasus Pleiadum hiemis principiũ facit. Deinde qd' hiemem sequitur æquinoctium, principium ueris habet.

Ordo tpm Anni.

S. eodẽ xi.

XV.

EX ANNI autem constitutionibus (quod in totum dixerim) siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.

Quòd melius fuisset inter antea scriptos aphorismos, in quibus agit de temporũ constitutione, hunc primũ scribere aphorismũ, quem nunc præ manibus habemus, ex ipsis rebus didicimus, quoniam ad confirmandos priores aphorismos hoc etiam eguimus. Et hoc ex necessitate didicimus, quoniam prius est natura, atque doctrina, simplex composito. Post illum igitur aphorismũ cuius initiũ est: Austri hebetãtes auditum, caliginosi, caput aggrauantes, pigri, dissoluentes. primo loco ponemus illum, cuius principiũ: Quotidianæ constitutiones, aquiloniæ quidem corpora in unum cogunt. Secundo loco hunc nunc propositum, in quo ex omnibus anni constitutionibus siccitates imbribus anteponit, & hoc cum ratione. Nam in siccitatibus superfluæ humiditates dissoluuntur, per imbres autem intra corpus collectæ putrefiunt, nisi qs singulis diebus collectas exercitiis expurget. Quæ.n. fit per balneas euacuatio parua

eſt,& ſolã ferè cutẽ euacuat. Quę aũt ſunt per carnem,& partes ſolidiores diſperſæ ſuperfluitates, haud ſufficienter ex balneis euacuantur: neq; tamẽ ea quæ fit per purgantia pharmaca ſuperfluitatum euacuatio,idonea eſt. Nam ualde indigentibus,& ex lõgis interuallis,utilis eſt. Eaq; uero quæ quotidie generantur in corpore ſuperfluitatum, euacuatio minor eſt,quàm ut exigat purgantis pharmaci operationem. Si uero quiſpiã uoluerit bis in meſe,aut ſemel ſaltẽ ea uti,ueritus ne ſuperfluitatum multitudo aggregetur,prẽter id q̃ nocebit,corpora ẽt in malã trahet conſuetudinẽ. Alimenti ſiqdẽ pars una ueluti ſeroſa& humida eſt,quę ipſi gratia diſtributionis admiſcetur: Altera ueluti fuliginoſa ſuperfluitas quæ in pluribus cibis, quæcuuq; ſunt peiora continetur,quæ naturæ operationem ſubterfugit,cũ neq; aſſimilari corpori quod nutritur, neq; agglutinari queat. Hæ igitur omnes diebus ſingulis ſunt euacuandæ,uerum magis in ſiccis cõſtitutionibus euacuantur,quàm in humidis, atque ideo has dixit eſſe ſalubriores.

XVI.

MORBI in pluuiarum multitudine,magna ex parte fiunt,febres longæ,alui profluia, putredines,morbi comitiales,& attoniti, quos apoplexias græci uocãt,& anginæ. In ſiccitatibus autem tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, ſtillicidia urinæ,& difficultates inteſtinorum.

Febres quidem longas ex multitudine fieri humiditatis,minime mirum: ſiquidẽ ægroti ad morborum ſolutionẽ egent coctione,plures aũt humiditates nõ niſi in longo tẽpore concoqui poſſunt. Accedit ad hoc q̃ frigidiores,& magis pituitoſi generantur humores in multitudine pluuiarũ,ſicuti cõtra in ſiccitatibus bilioſiores. Quare in tẽpo-

ribus pluuioſis febres erũt diuturniores,in ſiccitatibus aũt acutiores. Alui aũt ,pfluuia in tẽporibus pluuioſis rõnabiliter euenire,quũ humoꝝ ſuperabũdantia per aluũ expurgetur obſcurum non eſt: ſicuti etiã quod eiſdẽ tẽporibus putredines fiant, quoniã perſpicuũ eſt humida ſiccis magis eſſe putredini obnoxia. Sunt aũt & morbi comitiales, & apoplexiæ,morbi ex pituita ortũ habentes. Angina aũt fit nõnunq̃ ſuperfluitatũ multitudine ad fauces inuecta: fit etiã magna ex parte fluctionibus ex capite firmatis in faucibus. Quòd aũt in pluuioſis tẽporibus fluctiones,ſed maxime ex capite uenientes ſuꝑabundent, & manifeſtũ eſt,& dictũ eſt à me ſæpius. In ſiccitatibus autẽ, & tabidos morbos ait abũdare,& lippitudines,& articulorꝝ paſſiones,& ſtillicidia urinæ,& difficultates inteſtinorum, ſatis ut mihi uidetur indiſtinctũ de hiſce faciens ſermonem. Morbi ſiquidẽ tabidi has duas ſequũtur conſtitutiones,unã ſumme frigidã,ex qua nõnulla exuaſis quæ ſunt in reſpirationis inſtrumẽtis,diſrumpuntur,& alteram quæ coniunctã habet cum caliditate humiditatẽ,quaꝝ occaſione caput repletũ mittit ad pulmonẽ fluctiones: ſiccã uero conſtitutionem,quæ ſecundũ caliditatẽ,& frigiditatẽ naturaliter ſe habet,omnia alia magis quàm tabitudines conſequuntur. Quare mihi uidentur nõnulli fuiſſe coacti oculorum tabitudines intelligere,ut ſit ſermo huiuſcemodi. In immoderatis autẽ ſiccitatibus lippitudines tabidę fiunt,hoc eſt ad tabem oculorum terminantes,ex qua fiunt extenuati, ac ſicci plus quàm naturæ conueniat, facta ſimul & ipſa pupilla anguſtiore,exiccatis uidelicet humoribus,à quibus ipſa diſtenta mediocriter quidem, modum ſeruabat naturæ conuenientem: plus uero quàm oporteat,ad prauam latitudinem extendebatur. Si uero ipſas per ſe ipſas dictas lippitu-

dines audiamus, uerbum ſiccas adiungemus. Di-
ximus autem & paulo antea cauſam ob quam fic-
cæ lippitudines in magnis fiãt ſiccitatibus. Et qui-
dem articulorum morbi, qui ex fluctionibus fiunt,
nullo modo in immodicis ſiccitatibus fient. Qui
uero ab aliqua acritudine accidunt, ſi & caliditas
ulla immodica acceſſerit, tunc ſolum euenient.
Quas igitur articulorum paſſiones in ſiccitatibus
dixerit fieri, dignum eſt inq̃ſitione. Si enim immo-
dice factę conſumpſerint articulorũ humiditatem:
difficilem motum, & ſiccitatẽ efficient, forte uero
& nonnunquam dolorem: eam paſſionẽ, quæ ar-
thritis nominatur, haudquanquã efficient, niſi quiſ-
piam omnem articulorũ dolorem ita uelit nomi-
nare. Atqui ipſe in libro ſecundo Epidemiarũ, ita
inquit: In Aeno per famẽ qui leguminibus ueſce-
bantur, infirma habebant crura, & qui orobos co-
medebant genuũ dolores patiebantur. Nõ arthri-
ticos, ſed genua dolentes ipſos appellauit. Quiſ-
piam uero fortaſis dixerit, nẽ unius articuli dolo-
rem, ſed multorũ ſimul arthritim nominari, & iu-
xta hoc genua dolentes nunquã arthriticos appel-
lari. De morbo igitur, qui arthritis nominatur, hęc
dubitaſſe ſufficiat. De urinæ uero ſtillicidiis dein-
ceps uideamus. Nam nec etiam ipſæ ad ſiccitates
ſimpliciter conſequuntur, niſi tribus adhibitis di-
ſtinctionibus, quarũ prima eſt immodica ſiccitas,
ſecunda ſi illi caliditas adiungatur, tertia ſi frigidi-
tas, de quibus non fecit mentionem Hippocrates.
Sed ſicui (ut dixi) libeat omnium anni cõſtitutio-
num naturã inueſtigare, ſic ipſum facere oportet.
Erit autem ſermo manifeſtus exemplo huius pro-
poſitæ cõſiderationis. Nam immodica ſiccitas in
naturis bene tẽperatis aliam efficit corporis diſpo
ſitionem, aliã in ſiccis, ſicuti & in humidis aliam, ſic
& ſecundũ calidam, ac frigidam, aliã in alterutra fa

ciet diſpoſitionem. Secundum etiã coniugationes
ſimplicium intemperaturaꝝ, aliam quidẽ in calida
& ſicca: differentem aũt ab ipſa, in frigida & ſicca,
& in reliquis duabus eodẽ modo. Sicut uero ſim-
plicem paulo antea ſeruantes aeris ambientis tem
peraturam, in unaquaq; natura propriã quandã di-
cebamus facere diſpoſitionẽ: ſic compoſitã ſuppo
nentes, in unaquaq; rurſus natura futuras diſpõnes
conſiderabimus. Erit aũt compoſita ſicca aeris am
bientis conſtitutio, quãdo frigiditati, uel caliditati
adiungetur, quanquã & ſimplex uidebatur quodã
modo, & ipſa cõpoſita. Nam miſcebatur bene tẽ-
peratæ conſtitutioni, mediæ inter immoderãtiam
utranq;, & eam quæ eſt ſecundũ caliditatẽ, & alte-
ram quæ eſt ſecundũ frigiditatem. Quũ uero con-
ceſſum ſit in doctrinis, ſimplices quidẽ fieri tempe
raturas eas quæ ſecundũ unam qualitatẽ à modo
naturæ receſſerũt, non ſimplices aũt eas quæ ſecun
dum plures: nõ ſine ratione, cũ aer ambiens ea quę
eſt ſecundũ ſiccitatem & humiditatẽ oppoſitione,
fuerit male tẽperatus: in altera aũt quæ eſt ſecundũ
caliditatem, & frigiditatem, bene temperatus, ſim-
plicem dicemus eſſe intẽperaturã. Hac igitur ha-
bita in omnibus cõſideratione, non eſt obſcurum
quàm fiet ſermo prolixus tum de reliquis conſti-
tutionibus, tum qui paulo nunc dictus eſt de ueſi-
ca. Nam urinæ ſtillicidia fiunt, & propter acutiem
urinæ, & propter uis cõtentiuæ, quæ eſt in ueſica,
imbecillitatẽ. quæ rurſus imbecillitas ex immodi-
ca intẽperatura cõtingit. Quum uero octo ſint im
moderãtiæ, in ſingulis earũ debilis ueſica erit, atq;
idcirco ad eam urinæ ſtillicidia conſequentur: ſed
& urinaꝝ acritudines à quibuſdam fiunt intempe-
raturis, ſed magis ab ea quæ eſt ſecundũ calidita-
tem: poſthac aũt ab ea quæ eſt ſecundum calidita
tem, & humiditatẽ: tertia ab ea quæ eſt ſecundum

humiditatem. Fiet itaque & ob hæc urinæ ſtillicidium, demptis his quæ ſunt propriæ ueſicæ paſſiones, ad quas urinæ ſtillicidia caſus ratione conſequuntur, ueluti cum ob ulcus, aut erysipelas, aut abſceſſum in ea factum, uel inflammationẽ, aut tale quid aliud, urinæ ſtillicidium contigerit. Nunc enim non de his ſermo exiſtit, ſed ſolũ de illis quę aeris ambientis ratione proueniunt, ſicuti neq; de illis, quæ ex malo uictu habent occaſionem. Quæ uero in urinæ ſtillicidio ſunt dicta, hæc etiam à nobis dici in difficultate inteſtinorum oportet intelligere, de qua, neq; ipſe idem cũ Hippocrate ſentio. Difficultas enim inteſtinorum, non ſimpliciter ad ſiccitates cõſequetur, niſi prius diſtinctio adhibeatur: Primum quidem quòd ſit exuperans ſiccitas, deinde quòd aer ambiens ſecundum caliditatem, & frigiditatem permutetur, deinde ut naturæ corporum patientes conſiderentur. Non autem adeo ęquum eſt de Hippocrate dubitare, qui primus talis conditor contemplationis, non totam perfecerit, quantum de Diocle primũ, & Mnęſitheo poſt ipſum, demum & multis aliis medicis, qui ueras uias Hippocratis ingredientes, multa particulatim elaborãda propoſuere. Quum.n. oporteret eos, ſi quicquã aliud, & eã quę eſt de tempor. cõſtitutionibus cõtẽplationẽ, ut paulo antea, ꝓpoſui, corrigere, & totã elaborare, omnino contẽpſerũt. Nos uero hoc facere aggrediemur, ꝓprio his dicato opę, ſi hęc prius, q̃ pr̃ manibus hẽmus, abſoluerimus.

XVII.

QVOTIDIANÆ autẽ conſtitutiones, agloniq; quidẽ corpora dẽſant, contendũt, & bene mobilia, coloratiora, & melius audiẽtia faciunt, & aluos exiccãt, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliqs obſederit, dolorẽ augẽt: auſtrinæ diſſoluũt corpora, & humectãt, auditũ obtũdũt, capita agrauant, & uertigines faciũt, oculis atq; corporibus difficilẽ motũ præſtant, & aluos humectant.

Aquilo

Quum frigidus ac ſiccus uentus ſit aquilo, omnes corporis conſumit ſuperfluitates. Robur autẽ adiicit ipſis inſtrumentis, ex eo quòd adſtringit, & in unum cogit denſando ſubſtantiam. Ob hoc (ut inquit) omnia meliora fiunt, & ſecundum naturæ, & animæ operationes. Nam animæ quidem operationes oſtẽdit p ea uerba, Bene mobilia, & melius audientia: Naturæ uero, quũ inquit: Bene coloratа. Commune aũt utriſque eſt quod, contendunt, nominat: & clarũ eſt, quod ex uno ſenſu auditus, ueluti exemplo quodam, etiã de aliis oſtendit. Hæc igitur bona adſunt aquiloniis cõſtitutionibus, qbus maxime perfruuntur, qui ſalubre corpus habent, & ex his ipſis humidiores. Adſunt uero & mala quædam hiſce conſtitutionibus, uerum parua, & non ſimilia malis, quæ Auſter affert. Cur enim non parua ſint, & aluũ cohiberi, ac morderi oculos, & præcedentes dolores pectoris excitari noſces autem euidentius ipſorum paruitatem auſtralibus comparans conſtitutionibus, quas dixit diſſoluere corpora. Maximum.n. eſt hoc malũ ad opus oĩnne, ſiue animæ ſit, ſiue ad uitam pertinẽs. Non paruum autẽ malum eſt & aggrauatio capitis & difficilis auditus. De uertiginibus autẽ quid dicere oportet? quæ proximæ ſunt morbis comitialibus, & his quos apoplexias nominant. Vertigo etenim ſcotodinia eſt quæ fit moto humore in capite cum craſſo ſpiritu: unde prędcedit comitialẽ morbũ & apoplexiã. Sed & difficilẽ (inquit) operantur oculoꝝ, & totius corporis motũ. Praui aũt ſunt huiuſcemodi caſus. Solum autem eſt in ipſis quoddã mediocre, qd̃ aluos reddũt humidiores. Hoc aũt & alia omnia efficiunt, maxime quidem

Auſtralis conſtitutio, nũ corpora.

Vertigo. Scotodinia

propter humiditatem, uerum etiã propter caliditatem. Et quod in initio sermonis scribitur, melius fuisset ordinem cõmutasse, ut primum quidẽ foret uerbum, humectãt, secundum uero, dissoluũt, deinde ea quæ deinceps sequũtur. Quia enim humectant, ob hoc & singula alia operantur, conferente ad hæc & caliditate. Fiunt siquidem operationes p solidas animalis partes, quæ ueræ sunt eius partes. Aggrauantur autem & hæ, quapropter & deterius operantur, propter humiditatum excessum.

XVIII.

PER tempora anni, uere quidem & prima ætate pueri, & qui hos sequuntur ætate, optime degunt, & sani sunt maxime: Æstate uero & autumno, usque ad aliquid, senes: Reliquum & hieme, qui mediam ætatem habent.

Non solum in ætatibus, uerum & in omnibus aliis, quæ secũdum temperaturã uel modice se habent, uel immodice, si quis sermonem in hoc loco Hippocratis examinauerit, uerum inueniet. naturis siquidem, ætatibus, & regionibus bene temperatis optimum tempus est, quod summã habet temperiem. quũ eum quo præditæ sunt habitũ, non permutari, sed conseruari desiderent: quoniam omne quod est, à similibus quidẽ conseruatur, à contrariis aũt transmutatur. Quare puerorum ætas, adhuc aũt magis adolescentium (hæc enim est omnium ætatum optima) uere optime degunt: & eadem ratione quæcũq; uel regiones uel naturę sunt bene temperatæ. Adiunxit aũt ueri principiũ ætatis Hippocrates in latum extendens uniuscuiusq; theorematis utilitatẽ. Magis aũt exquisitus sermo fuisset, si ita scripsisset, Adolescẽtes uere, pueri ęstatis principio optime degũt. In senibus uero ꝓpter tẽperaturæ frigiditatẽ æstas utilis est: sicuti his qui in ætatis

Similia cõseruãt.

in ætatis uigore cõsistunt, hiems maxime confert. Hæc enim contraria est illi quæ in his fit ex bilis multitudine, intẽperaturæ. Sic & naturæ, bilioso res quidem hieme optime degunt: Pituitosiores autem, æstate: bene autem temperatæ, uere. Similiter & regiones, quæ quidem bene temperatæ, optimum uer habent, ex aliis uero frigidæ æstatẽ, hiemem uero calidæ. Et quidem pessima tempora unicuique ætati, atque naturæ, & regioni, ex his quæ dicta sunt, possumus inuenire. nam maxime contraria sunt optimis, pessima. Eadem ratione & media inuenies inter optima, & pessima. Illud præterea animaduertere oportet, quòd uer quidẽ optimum dicitur esse adolescentibus, aliis uero omnibus medium, neque enim optimum est, neque pessimum. Sic & ad naturas, & regiones se res habet. Autumnus quidem omnibus malus est ætatibus, naturis, ac regionibus. Minus quàm aliq ex ipsis leduntur calidẽ, & humidæ p autumnum.

XIX.

MORBI, OMNES quidem in omnibus temporibus fiunt: quidam uero magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & excitantur.

Si aeris quidem ambientis temperatura sola esset morborum causa, tunc nos quolibet tempore illos morbos pateremur qui sunt affines temporum naturæ. Nunc uero cum etiam ob errata quę in uictu contingunt, morbi fiant: omnes quidẽ in temporibus omnibus fiẽt, plures uero qui sunt unicuique tempori natura proximi. Non parum autem in his confert, & differentia naturarum. Neque enim similiter ab eadem causa calidum corpus, & frigidum, offẽndi aptum est, uel humidum, & siccum: sicut neque temperatum æqualiter istis, neque illis qui secundum aliquam qualitatum

coniungationem à bono temperamento recedũt, ut antea diximus.

XX.

VERE ETENIM furores,& atræ biles,& morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauidines,& leprę,& tusses,& impetigines,& uitiligines,& pustulæ ulcerosæ,& tubercula,& articulorum dolores.

Et quo modo antea recte ab eo dictum uideretur? Ver uero saluberrimum,& minime mortiferum, cum multæ in eo fiant passiones. Videtur siquidem †magis quodlibet tempus adæquare, secundum morborum,quos generat,uarietatem. Furores etenim & atræ biles,& morbi comitiales,& anginæ,sunt morbi autũnales. Grauedines autem & tusses,sunt hiemales. De æstate autem ipse deinceps dicet, communionem eius ostendens ad uer. Æstate uero quædam horum,scilicet prius dicto? in uere. Ex superabundanti aũt,præter †alios morbos,uer profluuia sanguinis,lepras& impetigines,& uitiligines,&pustulas ulcerosas plurimas efficit,tubercula,& articulor? dolores. Hæc igitur quę cũq; sunt uerni tẽporis ꝓpria,omnia periculo uacant,& tantum absunt, ut aphorismum illum falsum ostendant,in quo dixit: Ver uero saluberrimum,& minime mortiferum: ut potius ipsum uindeantur confirmare. Nam hoc ipso tempore profundum corporis expurgatur uitiosis humoribus, à partibus principalibus ad cutem peruenientibus. Sic igitur & lepræ,& uitiligines,& impetigines,& pustulæ quædam ulcerosæ multæ generantur. Alio uero modo in tuberculis,& articulorum doloribus profundum corporis expurgatur, uitiosis humoribus ad loca uiliora transpositis. Quod aũt& ꝓfluuia sanguinis,& multitudinẽ,& uitiosos

† Alibi legit μόνον .i. solum.

† In ant. legit παρὰ τὰς ἄλλας ὥρας.i. ꝑter alia tẽpora.

humores euacuantia cohibeant eos qui ex ipsis oriuntur,morbos,perspicuum existit. Si uero aliquod corpus bonos humores habens, uernum tempus excipiat,hoc seruat saluberrimum, nihil ex propria nouans natura: non sic æstas,uel autumnus,uel hiems. Hæc enim tempora & si purum corpus,& omni uacans reprehensione,suscipiant,hoc quidem flauam bilem ultra modum generat opportunum,hoc uero atram, hiems uero pituitam. Tale quid etiam uere contingit,quod in exercitationibus uidemus fieri. Etenim hæ quoque sunt saluberrimæ. Verum si hominem pituita plenum, uel flaua bile, uel atra, uel etiam sanguine ipso uolueris ad exercitationem perducere, aut ei morbum comitialem, aut apoplexiam efficies exercitatione: aut si hæc mala non euenient, periculum imminet, ne rupto aliquo in pulmone uase, in morbum incidat insanabilem. Multi uero cum febricitare cœpissent, propter exercitationes acutissimis morbis fuere correpti. Quibus uero uicem purgationis humorum qui sunt in profundo corporis exercitatio suppleuerit, ad cutem euocans malorum humorum abundantiam: his & ulcera & scabies inde generantur. Et hoc innuens dicebat Hippocrates: Si impurgatus laboraueris, ulcera erumpent. Et quidem uero tempore aeris ambientis calor humores diffundens educit ad cutem, & hoc quoque opus ipsis exercitationibus persimile existit. Non solum autem ipsarum exercitationum operibus,veris opera assimilantur, sed & naturæ ipsius,cuius opus est occultam per totum corpus facere transpirationem,per quam excernũtur superfluitates, necnon & corpus in morbis uariis modis expurgare.

XXI.

AESTATE AVTEM nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres, & quartanæ, & uomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris ulcerationes, genitalium putredines, & sudamina.

Aestate inquit, & nonnullos ex uernis morbis fieri, circa initia eius uidelicet. Nam quæ fini ueris continuantur, sicuti similem habent temperaturam cum uere, ita & in morborum generatione communicant. Inquit enim alios quosdam æstate generari illi proprios, ueluti febres continuas, & ardentes, & tertianas: & (ut simpliciter dixerim) quæcunque ex flaua bile mala corporibus accidunt. Nam & hac per summã natante uomitus fiunt, & ad inferiora defluente, uentris profluuia: & lippitudines quoque æstate plurimæ, utpote repleto capite. sic & aurium dolores, & alia similia æstate corpus patitur ex capitis repletione, aliam ad alias corporis partes superfluitatem deponentis. Oris autem ulcerationes quòd propter biliosum humorem contingant, perspicuum existit. Genitalium uero putredines, non simpliciter, sed quando æstas aut humida magis fuerit, aut nullus flauerit uentus, aut auster in ea abundauerit. nam cum plurimum à modo naturæ recesserit, ad humiditatẽ, aut flatuum carentiam: non genitalium tantum putredines facit, sed & cuiuscunque partis alterius, qualis est illa quæ scribitur in tertio Epidemiarum constitutio, uel in secundo circa eius initia. Quæ uero paruæ sunt aeris euersiones, genitalia tangunt, ut quæ ob humiditatem, ac caliditatem, ex quacunque occasione sint parata, putrescere. Quare cum propriam æstas seruauerit temperaturam, qui multis superfluitatibus infestantur, quãdo hæ aliquam ob causam ad genitalia defluxerint, ipsorum putredines patiuntur. Sudamina autem è genere pustularum sunt in summa hærenti um corporis parte, quæ instar ulcerum cutem exasperant. Proueniunt autem, quẽadmodum & ipsum ostendit nomen, propter multos sudores, qui uel biliosiores, uel omnino mordaciores existunt: mordent enim hi cutem, & pruriginosam efficiũt, & per modum ulcerum exasperant. † Nonnulli uero antiquorũ causam quæsiuerunt cur assidue circa sedem & pudenda putredines exoriantur, & aiunt, humiditatem quæ per ea loca fluit esse in causa. non enim humida sunt eorum corpora & maxime pudendi, quippe quod neruosum est.

† Hæc in quibusdã ant. exẽplaribus reperiuntur.

XXXII.

AVTVMNO VERO & plurimi æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum, & læuitates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes (quas Græci asthmata uocant) ilei, morbi comitiales, furores, atræ biles.

In autumno inquit, & æstiuorum morborum permulti fiunt, manente adhuc æstiuo humore in ipso, flaua bile scilicet. Neque enim sicuti æstas ueri superueniens humores euacuat, ita & autumnus æstiuos, sed contrarium ex toto accidit. nam ex partibus extimis ad intimas ducit. Cum ratione igitur æstatem inquit nonnullos ex morbi uernis genere, autumnum uero non ex æstiuis aliquos, sed multos. Præterea & quartanas febres in hac ipsa hora fieri inquit, quę scilicet ex atra bile ortum habent, quæ duplicem habet generationem: alteram quidem ex flaua bile superassata: alteram uero ex sanguine crasso. Fiunt autem & erraticæ

febres in autumno propter temperaturæ inæqua-
litatem: & lienes magnę, ob atræ bilis superfluita-
tem, & aqua inter cutem ex liene contingit. Et si
qua dispositio tabida in dubio est, maxime autum
no deprehenditur propter frigiditatem, ac siccita-
tem, & temporis inæqualitatem: nihilominus au-
tem & propter humorum prauitatem. Fiunt au-
tem ob easdem causas eo tempore maxime urinę
stillicidia. Nam uesica inordinatis, ac repentinis
ad calidum, & frigidum permutationibus refrige-
ratur. Et quæ ex malis humoribus fiunt acritudi-
nes, ipsam molestant: & tum præsertim, cum facta
ad frigiditatem subita commutatio, eos qui hacte
nus difflabantur, & per sudores euacuabantur hu-
mores ad uesicam conuerterit. Læuitates uero in-
testinorũ sunt ueloces, & sine aliqua transmutatio-
ne ciborum excretiones, aut propter ulcerationẽ
in summa parte uentriculi, aut intestinorum, quæ
eodem modo fit quo illa quæ in pueris græco uo-
cabulo aphthæ, id est oris ulcera, nominantur, uel
propter potentiæ retinentis imbecillitatem. Quo-
rum primum ex mordacibus, & substantiam te-
nuem habẽtibus humoribus fit: Secundum uero
ex magna uentriculi, atque intestinorum prouenit
intemperie. Hæc ambo uero maxime autumno
fieri contingit. Coxẽdicum autem dolores ex ma
lignitate humorum, & frigiditate fieri par est. An-
ginæ uero ex biliosis humoribus ortum habent,
qui ad fauces autumno decumbũt, ab illis quæ ue
re fiunt differentes, quoniam illæ sunt quodã mo-
do pituitosiores: & quæ asthmata, id est anhela-
tiones, græci uocant, tum propter humorum mo-
tum ad partes interiores, tum propter frigiditatẽ
fieri consueuerunt. Propter hæc eadem & qui ilei,
id est uoluuli, nominantur: sunt autem cibi super-
fluitatum quæ per aluum inferiorem excernuntur

retentiones, quæ magna ex parte fiunt ex alicuius
intestinorum partis inflammatione. Maxime uero
par est, ut frigido, sicco, & inæquali, & malos gi-
gnente humores tempore, partes ad uẽtriculum,
atque intestina attinentes offendantur. Nam qui
æstate tenues, & bene mobiles humores sunt gene
rati, autumnus excipiens qui frigidus simul atque
inæqualis existit, ad profundum corporis agit. Sũt
autem in profundo etiam intestina. Morbi uero
comitiales accidunt his qui naturam habent ad
hanc pasionem procliuem, propter repentinam
ad contraria transmutationẽ. Calor .n. media die,
frigus uero in prima, & ultima parte. Nihil autem
adeo comitiales accessiones, sicuti talis uarietas,
aptum est generare. Furores uero ob tenuem, ac
biliosorũ humorũ eueniũt malignitatem, sicuti me-
lancholiæ ex atra bile, de qua paulo ante dictũ est.

XXIII.

HIEME VERO morbi laterales, & pulmonis
inflammationes, grauedines, atque raucedines,
tusses, dolores pectoris & laterum atque lumbo-
rum, capitis dolores, uertigines, & apoplexiæ.

Hiemales morbos post autumnales exponens,
non eodem modo, sicuti prius, dixit, neque quòd
hieme multi ex autumnalibus. Atqui prius in æsti
uis ipsos comparans uernis, ita dixerat: A æstate ue
ro horum nõnulli. In autumnalibus autem, Autũ-
no & æstiuorũ multi. Nũc uero morbos hiemis
simpliciter connumerauit: uel quòd ex communi
uoluerit hoc quoque in loco subaudire dictorum
aliquid, uel simpliciter ostendens, tanquam nihil
autumnale tempus cum hiemali communicet.
Atqui primas partes hiemis rationabile est, atque
ita experientia comprobatur, cum autumno
in morbis communicare. Ipse enim inquit:

Hiems cũ autũno ne cõmunicat.

Aestiuæ quartanæ magna ex parte fiunt breues: autumnales uero longæ, & magis quæ ad hiemẽ coniunguntur, nisi quis dixerit ipsum de illis, quæ in extrema autumni parte generantur facere mentionem. Verum morbos hiemis proprios hosce uult esse, laterum & pulmonis passiones, quoniam instrumenta respirationi seruientia ex frigiditate læduntur: cum alia ita bene possimus obtegere, ut nihil, aut minimum sentiant ambientem frigiditatem. Anhelitum uero nemo potest cohibere, neq; aliter datur respirandi facultas. Ob hanc igitur ipsam frigiditatem, tusses hieme maxime fiunt, & laterum dolores, & ob eandẽ etiam caput oblęsum grauedines, tusses, atque raucedines operatur. Fiunt autem, sicuti dolores laterum ob frigiditatem, sic & capitis, atque lumborum, & omnium partiũ neruosarum, uertigines quoque cerebri læsiones consequuntur, sicuti & apoplexiæ. Nam & hæc passio fit quum caput repletur pituita.

XXIIII.

IN ÆTATIBVS autem talia contingunt: paruis, & nup̣ natis puerulis oris ulcera (q̃ aphthæ uocantur) uomitus, tusses, uigiliæ, pauores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

Quæ ad ætates attinent diligentius elaborauit, quàm quæ ad anni tempora, facta in minores partes diuisione. In puerulis igitur nouiter natis, ait fieri aphthas, sic autem græci uocant ulcera, quæ summam oris occupãt partem ob molliciem maxime facta instrumentorum: quæ neque tactum, neque lactis sustinent qualitatem, quòd non paruam in se serosam cõtinet partem. Hæc autẽ pars uim habet abstergendi. Quare non mirum si in corporibus mollibus quasdam per summa facit exulcerationes. Vomitus autem tunc his fieri par

est, propter lactis quod assumunt multitudinem. Vigiliæ uero haudquaquam ipsis sunt assuetæ, ut qui maiori parte temporis dormiant, nisi forte ob hãc ipsam passionem fieri infantibus uigilias opinetur, siquidem somni abundantia ipsis maxime secundum naturam inest. Et pauores etiam per somnũ infantibus ad sunt, his præsertim qui sunt natura edaciores, quando loca ad uentriculum pertinentia sensu quidem uigeant, sed imbecillia existant, cibus uero corrumpitur. Nos siquidem obseruauimus, non in tantillis solum, sed etiam in ætate perfectis, terribiles fieri per somnos imaginationes, quando multi & uitiosi humores grauãt & mordent uentriculum, præsertim ipsius os. Hęc enim ipsius particula præcipuum habet sensum. †Nuper. n. ex utero prodeuntes pueruli aeris exterioris eos ambientis transmutationem reformidant, unde illis timores excitantur. ⅃ Vmbilicorum autem inflammationes non multo antea præcisorum, non sine ratione nouiter natis puerulis accidunt, non secus ac siqua alia pars foret ulcerata. Verum & aurium humiditates morbis annumerat, non tamen, & palati, & narium in eodem numero ponens, quoniam naturæ conuenit per nares, atque palatum cerebri superfluitates expurgare: & fit hoc etiam his qui sunt ætate perfecta. A natura autem aliena est expurgatio per aures. Verum & infantibus etiam per aures cerebrum expurgatur: & recte Hippocrates inter proprias huius ætatis passiones, etiam aurium scripsit humiditates. Est siquidem & totum corpus nouiter natis puerulis maxime humidum, adeo quòd & ossium natura, in ipsis potius cerea, quàm lapidea uideatur. Præ cæteris uero partibus cerebrũ humidum existit, ut quod etiam in perfectis talem habeat intemperaturam. Quare non absque ra-

†Hæc addidimus ex ant. exẽplarĩ græ. quæ in aliis desiderãtur.

tione eis quum superfluitates abundent, per omnia foramina excernuntur.

XXV.

IN PROGRESSV uero cum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia, & maxime cum caninos edunt dentes, & iis præsertim pueris qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.

Prurigines quidem gingiuarum fieri cum dentes pullulare incipiunt puerulorum, nihil mirum. prurigo enim pruritus quidam est cum pauco dolore: febres uero, & conuulsiones atq; alui profluuia accidunt pueris qui iam dentire incipiunt, & non adhuc morantur, quemadmodum & ipse oste dit inquiens, Et maxime cum caninos edunt dentes. Liquet autem quod à perforatis gingiuis à dentibus prodeuntibus, hi casus eueniunt, quemadmodum ubi stimulus infigitur carni, & sanè plus dentes affligunt quàm stimuli. Hi siquidem semel firmati in membro quiescũt, cui ab initio infixi sunt: dentes uero semper procedunt & tantum, quantum augentur. Febricitant ergo hac ætate pueruli, & propter dolores, & uigilias, & inflammationes. Conuulsiones autem eis accidunt, tum propter hæc, tum propter crudum alimentum, & quia neruosæ partes nondum satis ualidæ sunt. Ad hæc omnia etiam ex necessitate uentris profluuia consequuntur, quoniam alimentum non bene coquitur, neque distribuitur. Quod autem dicitur pueris qui crassissimi sunt, & aluos duras habent, ad conuulsiones refertur: cum his maxime pueris dicat conuulsiones fieri, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent. Tales enim plenum corpus habent, & abundans superfluitatibus, & ideo conuulsionibus facile capiuntur, maxime uero naturas has

conuulsiones offendunt.

XXVI.

QVVM VERO iam magis adoleuerint, tonsillæ, & uertebræ, quæ in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quos Græci asthmata uocant, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, uerrucæ, quas Græci acrochordonas uocant, satyrię strumæ, & alia tubercula, sed præcipue antedicta.

Primum quidem scripsit de recens natis pueruli, deinde de illis qui dentes edunt: Nunc uero de his qui mediam habent ætatem, inter illos qui iam dentes ediderunt, & qui sunt pubertati proximi. Nam deinceps sequenti aphorismo illorum commeminit, qui quartum ordine obtinent locum. Verum tertiam ætatem quę nunc proponitur, quę usque ad duodecimum & tertiumdecimum annũ progreditur, multis capi ait passionibus, quarum primas tonsillas nominat, quæ sunt locorum ad isthmum attinentium inflammationes. Hic autem per isthmum oportet intelligere partem illam quę os, & gulam interiacet, quæ per metaphorã quãdã ita nominatur, ab his q proprie dicũtur isthmi. Sunt autem angusti quidã terræ trãsitus inter duo maria sitæ. Hæ autem tonsillæ sunt, nonnunquam solius tunicæ uentri, ac gulæ, & faucibus, totiq; ori communis inflammationes: nonnunquam uero, & subiectorum ipsi musculorum, quando & uertebræ, quæ est in occipite, fiunt ad interiora motiones, de quibus post tonsillas inquit, Et uertebræ, quæ in occipitio, ad interiora luxationes. nam à musculis inflammationem patientibus uertebra tracta, ad partem inclinat ceruicis anteriorem. Nominauit autem hanc partem Hippocrates, non anteriorem, sed interiorem, ut ad uertebram retro locatam suum sermonẽ referens. Corporis siqdẽ ad

profunda traductio, siue ex anterioribus, siue ex posterioribus fiat partibus, per unum uerbum scilicet intra, monstratur. Quid igitur Hippocrates in nouiter natis puerulis neque de tonsillis, neque de uertebræ quæ est in occipitio luxatione aliquid dixit, cum tamen & isti nihilominus cerebrum humidum, & plenum habeant superfluitatibus, adeo quòd subiectis partibus possint demittere fluctiones? An quia hac ætate prius moriuntur, quàm subiecti faucibus musculi unà cum neruis fortem subeant inflammationem? adde quod hi partes habent mollissimas, atque ideo non possunt uehementius intendi, ita ut uertebra intus ad ipsas attrahatur. iam uero & asthma (sic autē Græci uocant crebrum anhelitum, qualis currentibus accidit, aut quouis alio modo ad uehemētem ductis motionem) Sed in his quidem fit ob exercitium quod multa indiget animalis respiratione: ubi autem non adest exercitium, ob angustiam eorum quæ sunt in pulmone uentriculoꝝ. hæc uero angustia fit repleto uiscere ab his quæ desuper ueniunt fluctionibus. hæ autem fluctiones plures quidem in recens natis puerulis sunt. Cito autem ipsos interficiunt, quoniam & aliter male se habent. Nam ex utero ad aerem ambientem transitus, & alimenti mutatio; & si aliqua adsit inflammatio, ab initio quidem locorum ad umbilicum attinentium, postea uero ob dentium generationem, ex his omnibus fiunt imbecillitates, & uix ea quæ dixi tolerant mala, nedum si ad hæc etiam fluctiones accesserint possint sustinere, ubi ad pulmonem decubuerint. Lapis uero propria est passio talium maxime puerorum, qui ob edacitatem non paucos crudos humores coacernuant, ex quibus pars crassior unà cum urinis ad uesicā perueniens fit lapidū generationis materia.

Accedit altera causa, uehementia caliditatis. Acernuant enim & senes humorem crudum non paucum, non propter edacitatem, ut pueri, sed propter potentiæ concoquentis imbecillitatem: non tamen calorem fortem habent qui ex materia crassa uaporem resoluens lapidem generet. Lumbrici uero, atque ascarides uidentur aliis animalibus proportionaliter gigni, quę non ex seminibus, sed ex putredine habent generationem. Sola enim putredo hæc non est ad generandum sufficiens, sed & calore plurimo indiget. Cibus autem plerunq; corrumpitur in uentre, & præcipue inferiore puerulis. uerum caliditas in ualde tenellis nondum materiam obtinet, in adultioribus autem & materia idonea est ad animalium talium generationem, & præterea caliditas adest. Ascarides igitur sunt tenues quidam lumbrici qui in parte maxime inferiore crassi intestini gignuntur, & plurimi apparent in iumentis male cibum coquentibus: quorū malam coctionem fœtor indicat excremētorum. Aliud uero genus lumbricorum est rotundorum, qui in superioribus magis intestinis generantur, adeo quòd ad ipsum quandoque uentriculum ascendunt. Multo uero plures hi, quàm ascarides gignuntur in pueris. Rarior autem est lumbrici lati generatio, qui & longissimus est, & sępe per tota extenditur intestina. Verum de hoc nullam fecit Hippocrates mentionem, quoniam neque eius erat propositum de omnibus agere passionibus quæ mortalibus accidunt, sed de illis tantum quæ plurima singulis ætatibus accidunt. Ob hanc igitur causam ipse enumeratis iam dictis, deinceps uerrucarum genus, quod Græci acrochordonas uocant, & strumas adiecit, quæ sunt uitiatæ multitudinis ad exteriora, & cutem repentis germina passiones. Omne autem ipsorum genus tubercula

nominat,ita deinceps ſcribens: Acrochordones, ſtrumæ,& alia tubercula. Quædam autem ex his præcipuo uocabulo tubercula nominantur,quædam ſponte naſcentes,& ſubito factæ inflammationes,quæ celerrime in altum attolluntur acumen, & celerrime etiam ſuppurantur.& plurima eſt horum in inguinibus & alis generatio: quoniam & in his partibus plures ſunt adenes, q apti natura ſunt ad has ſuperfluitates prõpte excipiendas: horum adenum paſſio ſtruma quoque eſt, non ex calida materia,neque ad ſuppurationem properante,ſed pituitoſiore & frigidiore conſiſtens.

XXVII.

GRANDIORIBVS autem & iam accedentibus ad pubertatem,plurima ex his &febres diuturnæ magis,& ex naribus profluuia ſanguinis.

Incipiunt quidem pueri pubeſcere,poſt annum quartumdecimum. Qui autem prope ad hanc ætatem accedunt,illi eſſent qui aut duodecimum,aut tertiumdecimum,aut quartũ decimum etiã agunt annum. Neq enim eſt unus omnium certiſſimus terminus pubertatis,propter caliditatem & frigiditatem temperaturæ. Calidi enim citius, frigidi uero tardius pubeſcunt. Laborant autem pueri hi plurimis quidem ex morbis antea dictis propter ſimilitudinem temperaturæ, & præterea febribus diuturnioribus quam priores,non tamen aliquid dixit de his quæ illa ætate febribus ſuperabundant. Verum ex eo quod nunc dicitur, clarum eſt,quòd oſtendit ipſas acutas eſſe. Alteratur enim puerorum diſpoſitiones citiſſime propter corporis humiditatem,& naturalis potentiæ imbecillitatem. Sanguinis uero profluuia ex naribus fiunt in tali ætate cõſtitutis,quoniã hic humor in ea incipit ſuperabundare,non qa nũc plus de eo

generetur quàm prius:ſed quia nunc minus abſumitur ex ipſo,propterea quòd & augmẽtum minus eſt hac ætate, quàm priore, ut ad corporis proportionem.

XXVIII.

PLVRIMÆ AVTEM paſſiones puerulis iudicantur,nonnullæ quidem in quadraginta diebus,nonnullæ in ſeptem menſibus,nonnullæ uero in annis ſeptem,quædam uero iam ad pubẽ accedentibus. Quæ uero permanſerint, nec in pubertate finierint puerulis,aut fœminis cũ menſtrua erumpunt,conſeneſcere conſueuerunt.

Si uerbũ, diutinæ,ſermoni adiectũ eſſet melius foret:unde &nõnulli nomẽ paſſionis,de,diutinis tantũ ipſum arbitrãtur intelligere. Verũ cõtra hoc ſunt ſermões tales, qbus ipſe utitur in aphoriſmis: In acutis paſſionibus raro,& in principiis uti medicatiõibus. Et, Tenues uictus,& in lõgis ſemp paſſionibus,& in acutis. Manifeſtũ itaq ex his eſt, q nõ in diutinis tãtũ,ſed ét in acutis dicere cõſueuit Hippocrates nomẽ paſſionis. Videtur aũt hoc in loco,aut de diutinis paſſionibus intelligere, aut defectũ ſermonẽ,p'uliſſe. Nos uero ipſum ſupplẽtes,dicemus ita: Plurimę aũt puerulis diutinę paſſiones iudicãtur,nõnullę qdẽ in quadraginta diebus,nõnullæ uero in ſeptẽ mẽſibus, qdã in ſeptẽ annis. Ex diebus aũt quadrageſimus,primus eorũ eſt ex qbus morbi diutini iudicantur,ultimus aũt inter illos,q acutos ex intercidẽtibus iudicãt,ſicuti ét ſupra notauimus. qcũq uero hũc trãſcendũt numerũ,ſecundũ ſeptimanæ rationẽ habent iudiciũ,nõ à ſeptẽ iã diebus cõnumeratis, ſed primũ quidem menſibus,deinde annis. Et quidem quòd qui hoc tempus tranſcendunt, ad quartumdecimum annum perueniunt,manifeſtum. Nã ſecũda

septimana in hoc completur tempore, & aliàs in pubertate magnæ fiunt corporis commutationes, in fœminis maxime propter menstruorum eruptionem. Quare, siqui morbi, neque hac ætate finiuntur, usque ad longum tempus perdurare consueuerunt.

XXIX.

†Alii interpretantur iuuenibus.

†ADOLESCENTIBVS autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alii, sed præcipue antedicti.

Quum primas ætates ad pubertatem usque minutissime diuiserit, nescio quo modo adolescentum ætatem prætermiserit, quæ medium obtinet locum inter puberes & illos qui consistentis ætatis uigorem habent. Verum ex aliis quas tetigit, licet & de ista coniicere, quæ in multis quidem communicat illis, quæ ex utraque parte ipsam circunstant, sed hoc habet peculiare in maribus, sanguinis ex naribus profusionem, de qua commemi nit in illis qui sunt prope pubertatem. Nam hic casus incipit illa ætate apparere, sed maxime uiget in adolescentibus, deinde subsistit in uiris. Verum hanc ætatem transgressus Hippocrates, ad illam quæ est adolescentum peruenit, & primum sanguinis sputum scripsit, ac tabem: deinde febres acutas, & post has morbum comitialem: deinde post hæc ait, Et alii morbi, sed præcipue antedicti, recte quidem hoc adiiciens. Nam rem ita se habere indicat usus. Nō autem sat plene de morbis acutis dixit, neque enim dicere simpliciter oportet acutos, qui & in pueris nihilominus fieri uidentur: sed ex acutis tertianas maxime, & febres ardentes. Hæ enim præ cæteris febribus sunt biliosissimæ & multis iuuenibus accidunt, quoniam & flaua bilis hac ipsa superabundat ætate, in qua morbi tales in summo uigore

consistentibus accidunt. Tabem autem & sanguinis sputum, non secundum ætatis naturam patiuntur, sed secundum aliquid, quod ei accidit magis: quare & antea dicebat, quòd senes plurimum minus ægrotant iuuenibus: ubi & nos diximus quòd ob incōtinentiā iuuenibus, nō ob ętatis imbecillitatem ęgritudines plurimæ accidunt. Secundum hoc igitur & iuuenibus profluuia sanguinis accidunt, aut quia uulnerantur, aut ga frangūtur, aut saliunt, aut clamant uehementius, uel quia refrigerantur, aut humi cubant, aut replētur, aut propter aliquā huiusce modi causam. Ad sputū uerò sanguinis tabes consequitur. Quare & propter hæc talia adolescentes ex accidenti ægrotabūt, non primum, neque ætatis ratione. Morbi autem comitiales, quanuis malo uictu utantur, tamen ipsis non accidunt multi, ut mihi mirari subeat, quo modo & hos Hippocrates scripserit, quum in aliis non modo quòd abundant in pueris dixerit, sed quòd etiā ex hac causa morbus puerilis nominatur, & quòd ætatis mutatione sanantur. Fiunt igitur & in quibusdam adolescentibus morbi comitiales, qui prius non erāt, propter uictus errorem, quem in his quæ assumuntur admittunt, & in aliis quæ ab ipsis aguntur operibus, & quia humi cubant, & soli se exponunt & imbribus atque aliis similibus. Verum hi morbi non multi sunt. Et sunt quidam alii morbi eadem ratione. Quare melius fuerat ita scribere aphorismum: Iuuenibus autem & omnes alii morbi quos diximus aliis accidere ætatibus, sed præcipue ardores & tertianæ febres.

XXX.

VLTRA HANC ætatem asthma, id est creber anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenetides, †ardores, diuturna profluuia, choleræ, difficultates intestinorum, lęuita-

†Causi.

tes inteſtinorum, hæmorrhoides.

Iuuenum ætas quinta ſeptimana terminatur. Iuxta hoc igitur, & ipſe in prognoſticis dicebat: Magis autem expectare oportet ſanguinis quidē profluuium in his qui nondum trigintaquinque annos attigere. Nam quæ iuuenibus ætas continuatur, ad duas ſequentes ſeptimanas extenditur, in qua ætate omnia uitæ munia æque atque illi, qui in uigenti ætate conſiſtunt, conātur peragere, non tamen eodem modo ad labores ſufficiunt. Nam ex aduſtione, & algoribus, & humi cubatu, uigiliis, atque repletione, pluſquàm illi offenduntur. Et ſanè horum temperatura plus atrę bilis habet, atque ideo in ea multi inſaniunt, ueluti ex anni temporibus in autumno. Sicuti enim hoc tempus frigidū exiſtens, ruffam excipit bilē tēpore æſtiuo exaſſatā: ſic declinātiū ætas iuuenilē, quæ maxime ætati ſimilatur, ſubſequitur. Et mirandū eſt cur in ea non ſcripſerit melancholiam. Ego tamen in quibuſdā exēplaribus hanc quoque ſcriptam inueni, ſiue aliquis ſit auſus apponere id quod defecerat, tanquā ab Hippocrate prætermiſſum, ſiue ab aliis qui exēplaria eſſe mendoſa credidere. Moriuntur autem & ex tabe hac ætate multi, & ex iuuenibus quīq; ex ſanguinis ſputo in tabē incidunt, ex ea moriūtur, nō tamē hac ætate multi ſanguinē ſpuunt, quoniā neq; in talibus ſanguinis eſt multitudo. Aſthmaſi uero, id eſt crebris anhelitibus, & pulmonis inflāmationibus, ac laterū doloribus magis capiūtur q̄ iuuenes, ut q & uictu ſimili, & laboribus ēt utantur, ſed multo imbecillius, q̄ illi corpus habent. & omnino eos quos prætermiſit in ætatibus uigore cōſiſtētiū morbos nominare, eos nunc omnes enumerat. Nā & phrenitides, & ardores, & choleræ, & difficultates inteſtinorum nihilominus

3 progn. 12.

Melancholiā nō addit Hippocrates

iuuenibus quā declinātibus accidunt, occaſionem ſui ortus ex flaua bile capientes. Diuturniora aūt in declinantibus uentris profluuia cōtingunt, ꝓpter alimenti diſtributionis defectum. Nam omnium ferè ætatum, ea quæ declinat paucisſimis indiget ad corporis reſumptionem: ſiquidem & id quod ex ipſis reſoluitur paucisſimum eſt. Neque enim corpus ſimiliter calidum, ſicuti prius, neque amplius in augmentum quicquam abſumitur, ſed neque q uirtus cōtētiua multū imbecillis fit, ſicuti in ſenibus, plus aliquid ex corpore defluit. Quia igitur uentris profluuia, uel coctione uel alimenti diſtributione fruſtratis accidunt, fiunt autem, & ꝓpter bilis acritudinem abradentis inteſtinum: hæc autem omnia in declinantibus ſunt, non ſine ratione in eis alui profluia diutina ſunt. febres quidem lethargicæ fiunt ex humore pituitoſo in cerebro aceruato. Prioribus autem ætatibus humor hic deficit magis q̄ ſuperabundet. In ſenili autem ætate plurimus quidem eſt, uerum propter ætatis frigiditatem febres non accendit. In his autem qui ab ætatis uigore declinant, & hic ſuperabundat, & nondum corpus frigidum eſt. Lęuitates uero inteſtinorum oſtēſæ ſunt, hę quidem à frigida fieri pituita, hæ uero à ſola intemperatura quæ uim alui contentiuā reddit imbecillem, hę autem ab ulcere ſa fiunt diſpoſitione: hæ omnes in declinantibus ſuperabūdāt. Sanguinis uero per ora uenarum (qđ græci hæmorrhoidas uocant) profluuiū, uere huius ætatis eſt paſſio, ſicuti ſunt atræ biles. Fit enim ex atra bile quādo ad uenas q̄ in ſede ſunt repēte decūbit. A me qđē omniū enumeratā paſſionū cauſa fuit explicata. Sciētia aūt, cū horū ꝓbatione illis aduenier q legerint demōſtrationes, quas ſup his in noſtris ſcripſimus tractationibus, quæ quot ſint, ac quales, & quā ſingula doceāt cōtēplationē,

Febres lethargicæ

Hæmorrhoides.

legenti librum de ordine noſtrarum commentationem, licebit diſcere. Ex his enim promotus, quo modo earũ ſingulę ſint plegędę, cognoſcet.

XXXI.

SENIBVS SPIRANDI difficultates, deſtillationes cum tuſi, urinæ ſtillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum paſſiones, uertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, uigiliæ, alui, oculorũ & nariũ humiditates, uiſus obtuſus, glaucedines, auditus graues.

Senes à ſenioribus nonnulli Hippocratis ſectatores diſtinguunt, nomen ſeniorum ultimæ ætati tribuentes, & hoc perpetuum eſſe exiſtimantes. Senes autem in priori ætate ſtatuentes quæ media eſt inter iuuenes, ac ſeniores. Sed nunc manifeſte monſtrauit ſe ſenes eos qui extremam agunt ætatem nominare, quare ad ipſos ſermonem terminauit, ut qui iam omnes ætates percurriſſet. Hi uero ſæpiſſime à deſtillationibus, quæ ſunt cum tuſi, capiuntur, quoniam partes ad caput attinentes in ipſis facillime refrigerantur, & quia multæ in ipſis fiunt pituitoſæ ſuperfluitates, quum iam ſatis frigidam cerebri habeant temperaturam. Aſthmata uero, hoc eſt crebri anhelitus, ex his deſtillationibus ortũ habent, cũ alioqn & ipſa ſpirandi inſtrumẽta nõ raro habeant proprium ſui algoris principiũ, quãdo & in ipſis multę ac craſſę ſupfluitates generantur, & præterea uiriũ imbecillitate præſente, renes ſæpius obſtruũtur, & lapides generãt, quando tenax, uel craſſa ſupfluitas ibi firmata in ſimilẽ calo ſubſtantiã trãſierit. Articulorũ aũt dolores fiunt fluẽtibus aliquãdo ad hęc loca ſupfluitatibus, aliquãdo uero propter inſtrumẽtorũ, quę natura ad eorũ motionẽ fabricauit, frigiditatem. Vertigines aũt ipſis accidũt propter ſpiritũ uaporoſum, q̃ in

partibus cerebri inordinato cietur motu: ſæpius uero & in uentriculo uitioſis ſuperfluitatibus aceruatis ad cerebrum fertur exhalatio uaporoſa. De apoplexia autẽ quid oportet dicere? Nullus enim morbus adeo eſt ſenili ætati familiaris, quoniam in ea cerebrũ pituitoſis repletur ſuperfluitatibus. Siquod uero ulcus aduenerit ſenibus, difficulter ſanatur propter defectum ſanguinis, & frequenter ſe ſcalpunt, quod prurigines appellant: quoniam illæ quæ pruritum operantur ſuperfluitates, difficilem habent per cutem euacuationem. rationabile ſiquidem exiſtit, & cutem in ipſis ex frigiditate dẽſari, & ſupfluitates plures ſimul, ac craſſiores exiſtere: pluresq; ipſorum, neque enim omnes, continuo uigilãt. quod eius accidit, quia ſenectus plena curarum eſt, & præterea corpus habet exiccatum: unde & tunc magis uigilare contingit, quando integra ſanitate fruuntur. Dictum autem à nobis eſt, & in commentariis de temperaturis, ipſas quidem corporis partes in ſenectute fieri ſicciores, ſed multitudinem ſuperfluitatum pituitoſarum aceruari, ob quam cauſam à multis putatur ſenectus frigida, & humida. In quo autem tempore hæ in cerebro plures aggregantur, fiunt ſenes magis ſomnolenti. In quo uero bene excernuntur, peruigilant. Contingit autem & pauciores ſuperfluitates generari, & citius excerni, magis eo tempore, quo ſalubriter degunt, unde & maxime propria paſſio ſenilis ætatis uidetur eſſe uigilia. Humiditates autem in ipſis & oculorum & narium liquet fieri propter cerebri ſuperfluitates: quibus eis ad aluũ defluentibus, & ipſa ſæpius humectatur. Hebetes autẽ uiſus, & graues auditus, propter potentiæ ſenſibilis accidunt imbecillitatem. Glaucedines uero propter immodicam inſtrumentorum ſiccitatem, & quia ſpeciem habent ſuffuſionis.

GALENI IN APHORISMOS Hippocratis Commentarius Quartus, Nicolao Leoniceno interprete.

APHORISMVS I.



VTERO gerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, & usq; ad septimũ, sed has minus. Iuniora autem, & seniora uereri oportet.

Ad uteros fœtuum connexus eandẽ habent proportionem, quã fructus ad plantas. Hi siquidem in prima generatione debilioribus capulis continentur, & ideo facile decidunt quando uehementior uentus ipsos cõcusserit. Posthac aucti, difficilem habent à plantis dissolutionem, sicuti rursus quũ perfecti sunt sponte sua sine ui extrinseca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidem tempore seminis injection's, si aliquando saltare contigerit mulierẽ, aut in lubrico cadere, siue quouis alio modo, uel secundum animam, uel secundum corpus moueri uehementius, facillime disrumpuntur. Sic etiam quando iam perfecti sunt. Tẽpore uero intermedio firmiorem habent coalitũ: quare mulier utero gerens potest fortiores motus sustinere, sine fœtus offensione. quæ omnia Hippocrates nouscens, recte inquit: Vtero gerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, usque ad septimum. quod est in medio tempore fœtationis, cũ fœtus utero firmiter alligatur. Non tamen omnes quæ hoc tempore indigent purgatione, permittit

purgari. Sed si materia turget, inquit, hoc est cogat accelerare. Tractum enim uocabulum est ab animalibus ad coitum concitatis. Quũ superabũdantes humores mouentur, & per totum corpus deferuntur, nondum in aliqua parte firmati, tunc ad eos expellendos natura incitatur, & aliquo indiget manum porrigente, & hunc humorum motum ad aluum deducente. Eos uero qui aliqua in parte sunt firmati humores, non oportet mouere. Sic igitur & illud dictum est. Quicunq; inflammationes in morborum principio medicamento conantur soluere, nihil de eo auferunt, quod intentũ est, atque inflammatum. Neq; enim passio, ut quę cruda sit, cedit: quæ uero sana sunt, & morbo resistunt, simul eliquant. Quod aũt Hippocrates uerbo medicari, pro purgare medicamẽto, cõsueuerit uti: omnes cõfitentur, qcunq; paruã habent de eius dictione notitiã. Nã ut qspiã alia omittat ipsius uolumina, & de solis posthac scriptis aphorismis meminerit, nihil aliud per uocẽ, Medicari, in eis posse significari, ut paulopost fiet manifestũ.

II.

IN MEDICATIONIBVS talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia, utilia: quæ uero cõtrario modo ꝓdeunt, cohibere oportet.

Sponte euacuari è corpore dicimus, quæcunque sine aliqua medicatione excernuntur, nonnũquam ea quæ nostrũ regit corpus potentia ipsum expurgante, nonnunquam ex irritamento aliquo, aut qa à uasis nõ contineantur. Quum itaq; natura superfluum euacuat, iuuatur animal: quũ uero alioquin excernitur, casus ratione: neque inde utilitas ulla ꝓuenit, & talis euacuatio prauæ dispositionis est signũ. Recte igitur Hippocrates cõsulit imitari naturam. Est autem imitatio in unoquoq;

morbo tales humores euacuare tentãdo, quales nouimus in ſpontinis prodeſſe euacuationibus. Prius itaque dictum eſt ab ipſo de omni euacuatione generaliùs, hoc modo: Sic & uaſorum inanitio, ſiquidem talis fiat qualem fieri oportet, confert, & leuiter ferunt. Nunc uero de ſola purgatione eundem fecit ſermonem, quoniam de hac docere proposuerat in præſentis libri loco. Melius igitur fortaſſe fuerit de omnibus euacuationibus, quas medici moliuntur circa ægrotantium corpora nos quoque ſermonem repetere. Fiunt igitur hæ aliquando per medicamenta totum corpus expurgantia, per uomitus, & deiectiones. Nonnunquam uero medicina partis alicuius eſt euacuatiua, uelut quæcunque per palatum, & nares à capite abducunt ſuperfluitates. E genere autem ſuperfluitates expurgantium ſunt & quæ per tuſſim expurgant quæcunque in pectore ſunt atque pulmone, & quæ per urinas abducunt totius ſanguinis ſeroſam ſuperfluitatem. Clyſterem quoque ex hoc genere feceris, & quodcunque aliud totum corpus nõ æqualiter euacuans, quémadmodum uenæ ſectio creditur euacuare, & omnino ſanguinis miſſio quæcunque, & quouis modo facta. Ex talibus autem eſt euacuationibus, & quæ per uterum fit, & per ora uenarum ſedis, ſiue per exercitia, & frictiones, & omnem motum atq; calorem, & balneas calidas, præſertim nitroſas, ſulfureas & bituminoſas, & ex accidenti inedia. Hæc ſiquidem omnia uidentur totum æqualiter corpus euacuare. Siquis tamen exactius perquirat, non æqualiter inuenietur euacuari. Verum in his quum ſit paruus exceſſus alterius ad alterum, ſecundum eorum quæ euacuantur qualitatem, & quãtitatem, ideo æqualis euacuatio uidetur. Attamen quæ pharmaca purgatoria nominãtur,

ſpeciem faciunt euacuationis manifeſte differentem, de quibus (ut dixi) nunc ipſi docere propoſitum: non tamẽ quiſquam plus docet, quàm quod de omnibus euacuationibus ipſe iam dixit. Vna etenim eſt omnium intentio humor ſuperabundãs cuius notitia eſt perquirenda ex eo qui in toto corpore præter naturam color repræſentatur: & præterea ex caſibus, & morbis, & tempore, & regione, & ætate, & cõſtitutione, & natura ægrotantis, & induſtria, & uictu. Veluti (ſi ita cõtigerit) colore ruffo in toto corpore apparente, quemadmodum in illis qui regio morbo laborant, non euacuata per ſedem bile, aut puſtulis aliquibus biliõſis per totum corpus diſperſis: particulatim autẽ ſi morſus in uentriculo aliquis, atq; faſtidium ſentiatur, & adſit cibi appetitus defectus, ac ſitis, ore ad amaritudinem alterato, aut quia in aliqua parte corporis ſit eryſipelas, aut quia tertiana febris hominem habeat, aut ex ardentibus illa quæ ex amara fit bile. Nam in his omnibus flaua bilis abũdat, atq; idcirco conabimur ipſam educere illis medicamentis quæ cholagoga, id eſt bilis eductiua, ab effectu nominantur. Et hoc eſt quod ab Hippocrate dicitur: Si qualia oportet purgari, purgẽtur, confert, & leuiter ferũt. Quod enim dicitur, Qualia oportet, ſuperabundantiam ſignificat ſuperfluitatum ſua qualitate infeſtantium ægrotantem. Ob hanc igitur cauſam ait, tales conferre euacuationes. Sed quoniam omnes artificioſæ in actionibus coniecturæ aliquando aberrant (ſimilitudines enim, ut ipſe inquit, non ſolum uulgares, ſed etiã medicos eruditos aliquando decipiunt) alterum nobis dedit indicium bonarum euacuationum, tolerantiæ facilitatem, ut & in hoc fiduciam habeamus, quum rectè fecerimus euacuationẽ. Quod igitur in flaua bile dixi, ueluti in exemplo, hoc

idem mihi & in atra intellige: nam & in hac, color totius corporis ad nigritiem tendit, & puſtulæ nigræ fiunt ex atræ bilis colore: & qui cunq; morbi ex eius fiunt exuperantia, multitudinem humoris indicant manifeſte: quemadmodum elephas, cancer, & quartanus circuitus ex melãcholico humore generantur, & lien magnus, & uarices denigratæ, ſunt eiuſdẽ humoris germina paſſiones, quẽadmodum & quæ melancholia nominatur, & omne mentis delirium, cui ira, temeritas atq; immanitas iungitur. Hippocrates uero, etiam ex mẽſtruis, ſuperabundantem in fœminis humorẽ cõiecturabatur, & ſcripta ſunt ab eo indicia in primo libro de muliebribus. Ex his igitur q atra bilis abundet, dignoſcere oportet, & has habentem intentiones ad eius accedere euacuationem. Secũda autem, in ipſa euacuatione intentio habenda, eſt tolerantiæ facilitas. Quæcunque uero in atra bile & flaua ſunt dicta, hæc mihi & in pituita intelige, tumores ueluti inflatos, puſtulas, & totius corporis colorem ſecundum humoris ſpeciem, & febres quotidianas, & mentis pigritiem atque torporem, & ſomnos profundos, & capitis grauitates, & quoſdam acidos ructus, quando in uẽtre ſuperfluitas aderit. Hæc enim omnia ſuadent medicamentum dare pituitam purgans. Facta uero iam purgatione, tolerantiæ facilitas atteſtabitur & dignotioni, & ei quam auſus es facere propter ipſam, euacuationi. Ad dignotionem uero, & ſpem euacuationis, habes etiam conferentem aliquid, non ſolum ætatem, uel naturam ægrotantis, ſed etiam anni tempus, & præſentem conſtitutionem, præterea & regionem, & uictum antecedentem, unà cum aliis uitæ inſtitutis. Etenim didiciſti, q hæc omnia, nonnulla pituitam, nonnulla flauã bilem, nonnulla atram exaugent. Hæc quidem

omnia, ut dictum eſt, ſunt intentiones exhibendi medicamentum, uim habens humorem infeſtantem expurgandi. In ipſa uero euacuatione altera erit intentio, uel nobis ferens recti iudicii teſtimonium, uel erroris: recti quidem iudicii, tolerantiæ facilitas: erroris autem, difficultas. nam infeſtantibus ſuperfluitatibus euacuatis, facile tolerabunt ægrotantes: ſiquid uero aliud, & non quod infeſtat euacuatur, neceſſarium omnino male tolerare. Quod igitur, ut dixi, in principio libri per unũ oſtendit aphoriſmum, ita ſcribens: Sic & uaſorum exinanitio, ſiquidem talis fiat, qualem fieri oportet, confert, & leuiter ferunt. Id in hoc loco nunc in duas ſecans partes, in medicationibus: p priorem quidem ſermonem, quæ ſint conferentes purgationes: per alterum autem q ſequitur, q tales euacuationes firmũ indiciũ ſubſequatur facilitas tolerãtiæ, docet. Exẽplũ uero ipſe appoſuit earũ, q ſpõte fiunt euacuationũ ad bonũ. multa q dẽ in libris Epidemiarum: pauca uero in hoc ipſo libro Aphoriſmorũ, qualia huiuſcemodi ſunt: Quem aqua inter cutẽ habet p uenas in uẽtrẽ aqua fluẽte, ſolutio. Si lippitudo adfit, ab alui pfluuio capi bonũ. Quibus bilioſæ deiectiones, ſurditate ſupueniente ceſſant: & q bus ſurditas, bilioſis factis, ceſſant.

III.

SI QVALIA oportet purgari, purgentur, cõfert, & leuiter ferunt: contraria uero grauiter.

Prius hic aphoriſmus à nobis expoſitus eſt in præcedentis aphoriſmi expoſitione, ſcriptus etiã in ſuperiori libri parte iiſdẽ uerbis. Quare & nõnulli eum de hoc loco ſubſtulerunt.

IIII.

MEDICARI æſtate ſuperiores magis, hieme uero inferiores.

Lib. gs prꝛga oportat be gb ℞

Subaudire oportet, uidelicet uentres. Recte autem æstate quidem purgat superius: quoniam & qui tunc humor superabundat flaua bilis est, & omnino tota natura animalis propter ambientem caliditatem magis ad superiora mouetur. Quæ libet autem superfluitas eò quò uergit ducenda per loca conuenientia, quemadmodum ipse in libro de humoribus scripsit. Addidit huic aphorismi sermoni uerbum, magis, neque simpliciter dixit: Medicari æstate superiora, hieme uero inferiora. Nam etsi non sæpius, raro tamē tempore æstatis humor melancholicus uisus est superabundare, sicuti hieme aliquando flaua bilis.

V

SVB CANE, & ante canem difficiles sunt medicationes.

Exusta enim tunc natura eam quæ à medicamentis purgantibus non fert acritudinem. Quare & plures purgati hoc tempore incidunt in febres: & natura ex æstu imbecillis magis ex purgatione dissoluetur. & quidem purgatio hæc praua fiet, quum calor aeris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei ad quam medicina ducit humores. Sicuti enim balneæ calidæ natura aptæ sunt obsistere purgationibus, sic & calor æstatis, & tunc præcipue, quum seipso uehementior extiterit.

VI

GRACILES, ET facile uomentes, purgare superius, cauentes hiemem.

Hic addere oportet, quod paulo antea dictum est, uerbum, Magis. Magna enim ex parte, graciles sunt biliosi. Si igitur hoc accesserit, ut sint ad uomendum faciles, sunt per superiora purgandi, nisi

obsistat hiems. Nam supra dictum est, Æstate magis superiores, hieme autem inferiores purgare oportet.

VII

VOMENTES uero difficulter, & mediocriter bene carnosos, per inferiora, cauentes æstatem.

Si quidem facilis ad uomendum, & gracilis sit, per superiora purgandus est, nisi sit hiems, hoc est æstate, autumno, & uere. Si uero difficulter uomat, & mediocriter bene carnosus sit, per inferiora, si res urgeat, solum cauendo æstatem: aliud autem anni tempus non oportet cauere.

VIII

TABIDOS uero, cauentes ad superiores purgationes.

Ad superiores, inqt, purgationes tabidos nunq̄ duxeris, ueritus scilicet instrumentorū quæ respirationi obseruiunt, imbecillitatem. Per tabidos autē intelligere oportet eos, qui morbum à Græcis phthisin nominatum patiuntur, uel qui ad eū sunt natura proni: de quibus ipse in primo libro Epidemiarum scribit, Et maxime moriebantur, quibus natura ad tabem prona erat. Est autem his pectus angustum, & qui in eo continetur pulmo.

IX

MELANCHOLICOS plenius inferiores, eadē ratione contraria apponentes.

Ventres aūt, uidelicet inferiores melancholicorū oportet eadem ratione plenius medicari. Plenius aūt dixit pro fortius. Quia autē ad inferiora declinat hic humor propter grauitatē, nō sine ratione ipsum iubet p uentrem inferiorē euacuari, sicuti flauā bilem per superiorem, quum sit leuis

humor,& ſponte continue fluitet. Commune q̃ dem in ambobus, ut ducantur quò uergunt per loca conuenientia. Proprium autem alteri quidē horum humorum per ſuperiora loca euacuari, quoniam ad hæc uergit: Alteri uero per inferiora, quoniam & ipſe ad iſta declinat. Contraria itaque eſt per ſuperiora euacuatio illi quæ fit per inferiora. Quorum utrunq; fit ſecundum unam cõmunem rationem. Quare & recte dixit Hippocrates: Eadem ratione contraria apponentes.

X.

MEDICARI in ualde acutis, ſi materia turget, eadem die. Tardare enim in talibus malũ eſt.

Ἦν ὀρθῶς 3. nog. aph. 1. Taph. 22 lib. 3. prorrh. apho.

Dictum eſt & à me prius, quod uerbũ, turget, Hippocrates tranſtulit ab animalibus quę ad coitum properant, cũ naturali cõcupiſcentia moueãtur ad ſeminis excretionẽ. Oſtenſum eſt.n. in libris de ſemine, quòd fœmina ẽt in coitu ſemen excernit. Quando igitur in toto corpore ſimilis huiuſmodi fuerit naturæ impetus ad excretionẽ ſuperfluitatũ, uel ſi nõ in toto corpore, ſaltẽ in partibus principalioribus, tale quid conſueuit Hippocrates per uerbum, turgere, ſignificare, & ſtatim p medicamẽtum euacuationem faciẽdam iudicat: prius uidelicet quã robur corporis diſſoluatur, uel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant hi qui per corpus uagantur humores. Quòd autem ualde acutos morbos nominauerit, quos prius peracutos dixit, unicuique liquet. Et quidẽ quòd iudicationis horũ terminus eſt prima ſeptimana, dictũ & à me prius hoc eſt.

Fœmina in coitu ſemen excernit.

ἐν τοῖσι πάνυ ὀξέσι. 3. aph. 7.

XI.

QVIBVS tormina, & circa umbilicũ labores, & lumborũ dolor, qui neq; à medicamẽto, neq; aliter ſoluitur, in aquã intercutem ſiccã firmatur.

τῶν προφῶν causæ.

Tormina fiũt & propter morſum uehementẽ, & ſpiritum flatuoſum, qui non habet exitum, ſed inteſtinorum inuolucris eſt interceptus. Quòd uero dolores ad tales diſpoſitiones conſequãtur, nemini dubium. At cum circa umbilicum, aclumbos ſe firmauerint, neq; à medicamẽtis, neq; aliis ſoluuntur auxiliis: quædam eſt earum partium habitualis intemperatura, quæ magna ex parte perſeuerans, eam aquam inter cutem efficit, quæ ab Hippocrate ſicca nominatur. Vocatur autem hic morbus à poſterioribus medicis tympanias, quoniam † ſummus uenter percuſſus talẽ ſonum edit qualem tympana. Nam & in illis per cutem extenſam aer percutitur, quemadmodum & ille qui *in profundo locatur, in tali morbi genere. Quòd uero & hoc morbi genus ex tumoris ſimilitudine hydropem, id eſt aquam inter cutem, Hippocrates nominet, eſt manifeſtum. Non tamen humidum eſt, ſicuti qui aſcites ab utris ſimilitudine dicitur: in quo materia collecta non eſt flatuoſus aer, ſed humor aquoſus. Videtur autem à maiori frigiditate generari aquoſus hydrops, quẽ aſcitẽ uocãt, quoniã ueluti in utre quodã in membrana abdominis interiore humor cõtinetur: à minore aũt tympanias. Neq; n. humida ſubſtãtia in flatuoſum aerem ſine calore aliquo poteſt tranſmutari.

ὁ ὑδρωψ ὑγρός.

Tympanias.

† Epigaſtrium. alibi tamen hypogaſtrium legitur.

*Alibi legitur ἐν τῷ πάσθει. i. in paſſione.

Aſcites.

Cauſa hydropis.

XII.

QVORVM alui inteſtinorũ læuitate laborant, hyberno tempore ſupra purgari malum.

Quãdo celeriter ea q̃ comedũtur talia deiiciũtur qualia deuorata fuerint. hãc paſſionẽ lęuitatẽ inteſtinorũ nominãt. Fit igitur ex potẽtię cõtẽtitię debilitate. Cõſequitur aũt ad omniũ q̃ ad aluũ ptinent inſtrumentorũ intemperaturas, hoc eſt ipſius uẽtriculi, in quẽ cibos deuoramus, & eorũ q̃ ex hoc

ſuſcipiunt,atq; tranſmittunt inteſtinorum. Fit autẽ quandoq; & læuitas inteſtinorum ex aliqua ſummas partes occupante exulceratione,ſimili illis q̃ in ore fiunt,quas græci aphthas nominant. Intemperantiæ igitur nonnunquam fiunt habituales (ſic uero nominant illas quæ ipſo corporum habitu læſo fiunt) & quandoq; propter frigidam pituitã, qualis eſt acida maxime. Earũ autem quæ in ſumma parte hærent exulcerationũ, cauſa eſt humor acris,& tenuis. Hic igitur & ſi per ſuperiora purgari debet,quoniam huiuſcemodi humores magis fluitare ſoleant,quã ad inferiora ſecedere,non tamen hoc hieme faciendum eſt,ſicuti etiam ſuperius eſt dictũ. Alter uero pituitoſus,quando adhæſerit inteſtinis,nunquam eſt per ſuperiora purgandus,hoc eſt per uomitoriam medicinam. Sola.n. euomi natura apta ſunt quæ in uentriculo continẽtur. Eorum uero quæ continentur in inteſtinis,nihil poteſt per uomitus euacuari.

XIII

AD ELLEBOROS qui non facile ſupra purgantur,eorum corpora ante potionem pluri cibo,atque quiete humectanda ſunt.

Prius oportet tentare eum qui elleborũ ſumpturus ſit,quo modo ſe habeat ad ſuperiores purgationes,hoc eſt ad eas quæ fiũt per uomitiones. Fiat autem periculum per medicamenta uomitoria, quæcunque ſunt mediocria. Si igitur non facile purgari uideatur, non oportet huiuſcemodi hominem ad elleborum ducere, antequam præparetur. Hoc autem fiet ſi per continuos uomitus aſſueſcat is qui eſt ſumpturus elleborum ad prompte uomendum. uerum hoc, ut paruum aliquod, atque omnibus notum, Hippocrates prætermiſit. Melius autem fieret prius humectando

humectando corpora. Præhumectantur autẽ pluribus alimento atque quiete. Et de quiete quidem clarum eſt. Sicuti enim exercitia ſunt apta naturaliter exiccare,ſic & quies (quod ocium eſt,& ab exercitatione uacatio) ſeruat humiditatem. Cibus uero non ſimpliciter plenior eſt aptus natura humectare,ſed quicunq; nullam habet fortem qualitatẽ, hoc eſt neq; acerbam,neq; acrem,neq; ſalſam,neque amaram. Forte autem neq; ſimpliciter cibus hic qui talis eſt appellandus,ſed hoc totum, cibus medicinalis,ſicuti illi qui eſt cibus ſimpliciter, ſoli hoc ineſt ex omnibus,ut ex ſua natura,non autem ex accidenti ſolidas partes animalis humectet,hoc ipſum non per ſe,ſed ex accidenti faciente quiete. Quia enim eam quæ prouenit ex cibo humiditatem non exiccat,idcirco dicitur humectare. A qua uero neque pota,neq; extrinſecus occurſans,natura apta eſt ſolidas animalis partes humectare. De talibus autem perfectiorem poſſit quiſpiam habere doctrinam legendo librum noſtrum de potentiis naturalibus,& librum de tabe.

Humectantur corpora.

Cibo.

Cibus medicinalis.

Aqua nõ humectat solidas partes.

XIIII.

CVM biberit quis elleborũ, ad motiones quidem corporum ducere magis, ad ſomnos uero atque quietem minus. Indicat autem nauigatio, turbari motione corpus.

Ipſe attulit cauſam ob quam eorũ corpora moueri præcipiat,qui aſſumpſerunt elleborum. quies quidem in eodẽ ſtatu cõſeruat,motus uero trãſmutat, atq; alterat corpus: ut indicat nauigatio, quæ motus quidem eſt,turbat autẽ corpora adeo, ut excitet uomitum. Cum igitur talis motus fuerit ſufficiens,& ſolus ad uomitum corpus præparare, fit ſanè rationabile,ut ſi uomitorio alicui uel paruo medicamento coniungatur longe maiorẽ ha-

beat efficaciam. Quidam pro nauigatione nauſeam ſcribunt, ut ſit ſermo talis. Oſtendit autem & nauſea quæ uehementioribus corporis aduenit motionibus, ex motione corpus perturbari. Liquet autem quòd & hic ſermo eandem uim habet cum priore.

XV.

QVVM uolueris magis ducere elleborũ, moue corpus: quum uero ſiſtere, ſomnum facito, & non moueto.

Prior quidẽ aphoriſmus quo modo oporteat hominem qui elleborũ ſumpſit ad purgationem pręparare, nos docuit, pręſens uero quo modo ſiſtere purgationem. Non eſt autem abſq; ratione, quod ea quæ ſiſtunt purgationẽ, ſint contraria his quæ uomitum cient. Si igitur motiones ciebant, ſiſtent quietes, & multo magis ſomnus, in quo motus animales ociantur, qui & per ſenſum fiunt, & præterea per muſculos in motibus qui fiunt ex appetitu.

XVI.

CARNES ſanas habentibus elleborus periculoſus, facit enim conuulſionem.

Quod in præcedentibus dixerat in omnibus purgationibus, hoc nunc in ea ſola dicit quæ fit per elleborũ, ita quòd duo aphoriſmi poſſunt inuicem iungi, tali modo: Qui corpore bene ſe habent, difficile eſt medicari. Sic ergo & elleborus carnes ſanas habentibus periculoſus. Conuulſiones enim facit. Habet nanque elleborus iſtud præcipuum, facere conuulſionem propter operationis uehementiam.

XVII.

SI QVIS febrem non habens, abſtineat à cibo, & cordis morſum, ſeu uertiginem patitur, & oris amaritudinem ſentit, purgatione indigere per ſuperiora ſignificat.

Abſtinentia à cibo idem ſignificat, quod inappetentia. Cordis autem morſus, eſt cordis, hoc eſt oris uentriculi, paſſio. Priſci ſiquidem & hoc cor nominabant. Vertigo autem eſt quando ſimul uidentur circumuolui, quæcunque conſpicimus, & ſenſus uiſus repẽte deſtruitur, quum uideantur tenebræ circunfuſæ. Fit autem hoc ore uentriculi à malis humoribus morſo. Nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipſum à cerebro ueniunt, hac parte patiente, animæ opera detrimentum patiuntur. Hi itaq; caſus ſunt communes humorum omnium mordacem habẽtium naturam. Os autem ſentire amaritudinem, ſolius bilis, quæ ruffa, & flaua nominatur, eſt opus: quare recte in huiuſcemodi caſibus inquit Hippocrates ſignificari, quòd oporteat purgari per ſuperiora: quod exoplanatum talem habebit interpretationem. Huiuſmodi autem caſus ſignificant medico indigere homine purgatione per ſuperiora, hoc eſt per uomitiones.

XVIII.

SVPRA præcordia dolores, purgatione indigere per ſuperiora, ſignificant: Quicunque uero inferiora moleſtant, per inferiora.

Hic aphoriſmus quod antea in uno dolore docuit oris uentriculi, hoc ad omnes extendit dolores, quicunque ſupra præcordia conſiſtunt, purgatione uidelicet indigentes conſulens per ſuperiora purgari: quicunque uero infra præcordia, clarum eſt, quòd hi per inferiora purgationem requirunt. Addidit autem ſermoni, Purgatione indi-

gentes:ne quis forte arbitretur Hippocratem curare omnes dolores simpliciter per euacuationē. Neque enim nunc dixit hoc, sed quòd secundum humorum infestantium motiones, oportet etiā facere euacuationes:& neque supra præcordia dolores per subducentia medicamenta euacuare, neque infra consistentes per uomitiones.

XIX.

QVI in medicamentis purgati, non sitiunt: non quiescunt prius quàm sitiant.

Qui purgantur, nonnulli statim sitiunt, nonnulli postea. Et fit hoc propter ipsius uentriculi dispositionem, & propter datum medicamentū, & propter humoris euacuati naturam. Ventriculi quidē ratione, q ex caliditate, uel siccitate, uel ambabus qualitatibus prōpte ad sitiendum perducatur, siue hoc natura insit ei qui biberit medicamentū, siue illo solum tempore. Ratione autem medicāmēti, quum acutum fuerit & calidum ac mordax: propter humorem uero euacuatū, quando bilis amara fuerit. hisce quidem de causis fiunt sitibundi. Ex contrariis uero longo tēpore sine siti perseuerant, quando uidelicet uel frigidiorem, uel humidiorē uentriculum habuerit homo qui purgatur, uel abinitio, uel in tempore purgationis, uel quādo medicamentū omni uacat mordacitate, & tertio quādo humor pituitosus, aut aquosus extiterit. Verū & in his, quando abunde fuerint euacuati, consequitur sitis. Sufficiens etenim est & ea quæ ex euacuatione prouenit siccitas, hanc efficere, ac præterea ea quæ est medicamenti purgantis uis, habentis aliquam, & si neq; manifestam, neq; sensibilem, attamen latentem acritudinem, ac caliditatem.

XX.

NON febricitantibus si tormina acciderint, &

genuum grauitas, & lumborum dolor, purgare inferius oportere significatur.

Sicuti paulo antea docuit signa eorū quos oporteat purgare superius: ita nunc docet, ea per quæ cognosceret aliquis, quādo oporteat inferius purgare. Est autem communis utriusq; ratio in differentibus casibus. Nam pro motione noxiorum humorum, facere oportet euacuationes.

XXI.

DEIECTIONES nigræ, qualis est sanguis niger, sponte uenientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores magis praui fuerint plures, peius: cum medicāmēto uero melius, & quanto colores plures non praui.

De deiectionibus nūc ipsi est sermo, quæ à prioribus quidem medicis nigræ uocantur, bilis uero nigra exquisite non sunt. Nam acre, & corrodens, & acidum non habent. Multo uero magis, neque in terram effusæ buliunt: uerū est, sicuti quis eius describens imaginem, diceret manifeste, ueluti sanguinis limus, qualis uinis crassioribus iam consistentibus solet subsidere, quem fecem nominant: quæ si diutius moretur in corpore, & neq; per aliquem sensibilem effluxum, neq; occultum excernatur, uerum transmutetur, atq; putrescat, fit bilis nigra exquisite. Antequam uero hæc generetur, splen trahit eam quæ est ueluti sanguinis fex, hepar expurgans, quemadmodum in commentariis de potentiis naturalibus est demonstratum. Et quidem utitur hoc melācholico humore ad sui nutritionem splen: & quantam rursus ipse fecerit superfluitatē, hanc rursus totam expellit ad uentrem unà cum aliis superfluitatibus excernendam. Si quando igi-

tur neq; ſplen bene expurgauerit, & ille qui in he-
pate continetur ſanguis, multum huius limoſæ ſu-
perfluitatis habuerit, accreſcet debilitas uiſceri, ita
quòd non continebit in ſeipſo ſuperfluitates: &
tunc illæ, quæ nigræ uocantur, fiẽt deiectiones, de
quibus nũc ſermo habetur ab ipſo. Adiecit autem
ſuo ſermoni, Veluti ſanguis: tale quoddam oſten-
dens: qualis ſit ſanguis denigratus, dum per inteſti-
na defertur, tales ſunt nigræ deiectiones. Nam ex-
tremæ dementiæ fuerit exiſtimare ſanguini ſecun-
dum naturam ſe habenti, tales deiectiones aſsimi-
lari. Fient etenim hæ & rubræ & nigræ. At qui im-
poſsibile eſt ſanguinem eundem & rubrum & ni-
grum eſſe. Plurimas uero huiuſcemodi deiectio-
nes, in peſtilenti hoc morbo longo conſpeximus:
quæ non magis in his qui exitio proximi erant, q̃
in aliis ſaluandis apparebant: nõ tamen uel in prin-
cipio, uel in cremento morborum conſpiciebã-
tur. Tunc enim quæ euacuabãtur, erant & flaua &
ruffa colore colliquamenta: quæ uero mox appa-
rebant, nigra erant, ueluti ſanguinis fex, ſiue ipſo ſu-
peraſſato habuiſſent generationem, ſiue quum ali-
quam extraneam putredinem aſſumpſiſſent, illis
quæ in uentriculo fiũt cruditatibus proportiona-
liter, quando ad uitioſos humores corruptio ter-
minauerit. Quare ab initio quidem nunquam ad
bonum fiunt huiuſcemodi deiectiones, magnam
uiſceris læſionem oſtẽdentes: ad morbos uero cõ
ſiſtentes ſequuntur ſæpius, natura ſuperfluitates
expurgante. Non tamen hoc in aphoriſmo adie-
cit Hippocrates, quanuis alibi dixerit in uniuer-
ſum, Signa iudicatoria non ſtatim appareant: In
ſequenti autem aphoriſmo particulatim, dum in-
quit, Morbis quibuslibet incipientibus, ſi atra bi-
lis uel ſupra uel infra exierit, letale eſt. Nunquid
igitur ſatis uiſus eſt ſui animi manifeſtare ſenten-

tiam, utens hoc uerbo, Venientes, quod tempo-
ris ſpatium oſtendit, tanquam uidelicet per mor-
bum totum, uel per longum ipſius tempus tales
ueniant deiectiones? Si enim aliquod unum tem-
pus oſtendere uoluiſſet omnino, uel quæ poſt
apparuiſſent, uel quæ ueniſſent, protuliſſet, Non
ſponte uenientes. Hoc enim uerbum, Venientes,
non adueniſſe, ſed aduenire ſignificat. Aſſumpto
tamen medicamento quod uim habet purgandi
nigra, talia deiici, nihil mirum. Sic quidem mul-
ti deiectionum colores præter naturam, ſponte
quidem euacuati, multarum atq; malarum in cor-
pore diſpoſitionum ſunt ſigna. à medicamento au-
tem ducti uim habente plures humorum ſpecies
euacuare, nihil abſurdum ſignificant.

XXII.

MORBIS quibuslibet incipientibus, ſi atra bi-
lis uel ſupra uel infra exierit, letale.

Facta eſt à nobis & in antecedente aphoriſmo
diſtinctio inter humorem melancholicum, & ni-
gram bilem, de qua nunc ſermo habetur ab ipſo,
& cauſam ob quam ab initio letales ſint huiuſce-
modi humores, poſtea uero iudicatorii appa-
reant, in illo aphoriſmo ſufficienter percurrimus,
ſed & nunc repetemus, quoniam ea quæ ſunt
ad artem maxime neceſſaria, ſæpè tractare ſit me-
lius. Quando aliquis incipit morbus, ſiquid ex-
cernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, ſed
ſunt omnia hæc caſus præter naturam carum quæ
ſunt in corpore diſpoſitionum. Quo enim in tem-
pore à cauſis quidẽ morbũ facientibus natura gra-
uatur, adeſt aũt cruditas humorũ, tũc aliquid bene
euacuari eſt impoſsibile. Siqdẽ oportet coctionẽ
præire, ſubſeq uero diſcretionẽ, & poſtea euacuatio
nẽ, ut bona ſit criſis, ſiue iudiciũ. Hæc aũt nos ipſe

docuit in primo libro Epidemiarum, ita inquiens: Coctiones iudicii securitatem salubrem significāt: Cruda autem & incocta ad malos abscessus conuersa, iudicationis carentiam, uel labores, uel tempora, uel mortes, uel eorūdem malorum reditus. Quando igitur post morbi coctionem aliquis humor uitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur. Et propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuscemodi humor, ubi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem: si uero aliter excernantur sine signis coctionis, exitialis est casus. Quare cum in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala erit humorū talium euacuatio.

XXIII.

QVIBVSCVNQVE ex morbis acutis, aut diuturnis, uel ex uulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue uti sanguis niger desubter exierit, postridie moriuntur.

Sermo in hoc aphorismo est potentia talis: Siue atra bilis, de qua antecedens docuit Aphorismus, siue nigra, quæ sanguini nigro assimilatur, de quibus prior aphorismus, his qui ad extremam extenuationē uenerint, apparuerint, postridie moriuntur. Est enim in talibus natura imbecillis adeo, ut non possint concoquere, neque discernere, neque excernere quæ ita praua existunt. Propter morbi igitur magnitudinem, cum contineri nequeant, effundūtur, & idcirco sunt difficilia. Mortem autem †non in postremis afferūt, ut in aliis cōtingit morbis propter uirium imbecillitatem. Ostēdit tamen in hoc aphorismo manifeste, quod & in priore, cū dicebat, Deiectiones nigræ qualis sanguis, subaudire oporteat niger: ut tale sit plenū, Deiectiones nigræ, uel qualis sanguis niger. Ostendit autem &

† Vide ne οὖν sit legendū ꝓ ȣ̓κ ī græ. ut dicamus mortē igit̄ in postremis, uel ἐν ὑστέρῳ ī. postero die.

quòd nos bene à nigris bilem nigrā separauimus. Hæc enim sanguini denigrato similia uidentur, differentia in eo quòd fusa sunt, & non concreta, ut ille. Nigra autem bilis & in eo quòd fusa est absq; concretione, & quia fulgētem habet nigredinem, & pręterea mordax est, sicuti acetum, & terrā abradit, atq; fermentat, quorum nihil nigris adest.

XXIIII.

DIFFICVLTAS intestinorum, si ab atra bile inceperit, letalis est.

Ab illa quæ à quibusdam ruffa, ab aliis bilis flaua nominatur, magna ex parte incipit intestinorū difficultas, abrasis prius in summa parte ꝓpter humorum acritudinem intestinis: postea uero exesis, adeo quòd exulcerentur, & fiat dysenteria. Hanc igitur intestinorum difficultatem sæpe sanauimus. Quæ uero ab atra bile fit, insanabilis est, cum nihil differat à cancro ulcerato. Vbi igitur hic cācer in summa parte cōsistens, sit cum difficultate sanabilis, aut omnino insanabilis, quum tamen possit continuo medicinam habere insidentem, rationabile est illum qui occupat intestina, non solum qa nihil illi continuo adhærere potest, uerum etiam quia semper ab alimenti superfluitatibus tangitur, esse penitus insanabilem.

XXV.

SANGVIS quidem supra, qualiscunque fuerit, malus, infra autē bonus est, nigra subfluentia.

De nigris deiectionibus sermo habitus ab ipso est in præcedentibus Aphorismis, nunc uero de his quæ uel per os, uel sedem excernuntur uerba facit. Quare in proposito aphorismo audiemus ipsum dicentem, supra, eam quæ fit per os solā excretionem, illa quæ fit per nares omissa. Hāc itaq;

ait omnino esse malam, qualiscunque fuerit is qui excernitur sanguis, hoc est siue spumosus, siue rubeus, siue flauus, siue niger, siue aquosus, siue crassus: Melius enim esse, inquit, ut infra exeat, & neque huc per modum disrupti sanguinis, sed paulatim fluentis, ita quòd sui exitus tarditate denigretur. Ipsum itaque sanguinem cõfluere omnino ad aliquod intestinum, malum oportet existimare. Melius autem quando paucus, quàm quãdo multus, ueluti disruptus, effluxerit. Quare qđ dicitur bonum, non tanquam proprie dictum, sed tanquam melius diceret, est audiendum: quasi ita diceret, Infra autem melius nigra deiici. Vere enim hoc eligibilius, quàm per os modo quocunque sanguinem ferri. Hoc quidem dixerit quispiam, eam quæ uidetur in uerbis antiqui pugnam dissoluens, quum aliquando dicat bonũ esse, ut nigra deiician tur, quod paulo antea malum dixerat. Contingit autem & ita audire nigra, quemadmodum ipse in Epidemiis dixit de sanguine ex uenis (quas hæmorrhoidas uocant) profluente, tanquam sanante melancholicas passiones. Vere enim iam factæ melancholiæ maximum est remedium sanguinis ex his uenis profluuium, quam etiam si futura sit, prohibet. Sic itaque nobis audientibus sermo talis erit: Sanguis supra, qualiscunque fuerit, malum: infra uero per hæmorrhoidas, bonum, quando nigra euacuantur, hoc est quando hominis natura multum talem accumulauerit sanguinem. Aliter autem non est assuefaciendum ei quæ fit per hæmorrhoidas euacuationi, quæ periculosam habet utranque immoderantiam, siue supra modum sanguis excernatur, siue ex toto supprimatur.

XXVI.

A DIFFICVLTATE intestinorum habito, si ueluti caruncułæ exeant, letale est.

In difficultatibus intestinorum, quum nuper cõstituuntur, quædam corpora pinguia excernuntur: post hæc autem, nisi finiri anticipauerint, quædam ramenta ipsorum intestinorum, abiecta horum superficie interiore, quæ membranosa existit & densa, illi quæ cutem exterius contegit membranulæ proportionalis. Posthac autem & aliquid ex ipsa abraditur substantia intestinorum, in quo tempore nõ adhuc fieri difficultatem intestinorum, sed iam factam atq; cõstructam dicimus esse. Quando igitur partes adeo magnæ intestinorũ excernuntur in difficultate ĩtestinorũ, ut posimus eas carnes nominare, letalẽ ait esse morbũ, quũ neq; caro cõcrescere, neq; cicatrix obduci in tali posit exulceratiõe.

XXVII.

QVIBVS in febribus sanguinis fluxerit multitudo quacunque ex parte, cum reficiuntur, alui his humectantur.

Calore natiuo debilitato ex profluuio sanguinis, neq; cibi bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, multo autẽ magis, neq; distribui possunt per corpus: & propter hæc omnia, aluos fieri humidiores par est, donec processu temporis uires suas natura recuperauerit.

XXVIII.

QVIBVS bilioſę deiectiones, superueniẽte surditate cessant: & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus, cessat.

Nõ de ea surditate, q̃ ex habitu difficulter soluitur, nunc illi sermo, sed de ea quæ repẽte in febribus, uel aliter fit, incurrente ad cerebrũ bile, sermo ipsi est. Ipsa siquidẽ cũ meatus auditorios occupauerit efficit surditatẽ: quũ uero hinc ipsam natura expellẽte, ad excretionẽ puenerit, soluit surditatẽ.

XXIX.

QVIBVS in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

Quicunque ad febres, & præcipue ardentes, rigores superueniunt, iudicium habere solent bonum, atque perfectum, ubi in die iudicatoria fiunt, & cum signis coctionis: non bonum autem, neque perfectum, quãdo uel diei, uel coctionis signa fuerint imperfecta. Quòd igitur concoqui oporteat quæ bene iudicari debeant, in primo libro docuit Epidemiarum per ea uerba quæ paulo antea diximus, quorum initium, Coctiones celeritatẽ iudicii salutisq; securitatem. Quòd autem neque in omnibus diebus, & in prognostico scripsit, & in hoc ipso aphorismorũ libro, & præterea in primo Epidemiarum. Collecta aũt à nobis sunt hæc omnia cum opportuna expositione: quæcũque quidẽ de diebus iudicatoriis ab eo scripta sunt, in tractatu de diebus iudicatoriis inscripto: quæcunque uero de signis coctionis in altero de iudiciis. Dictum autem & in ipsis est de eo quod fit in die sexta iudicio, de quo nunc etiam faciens mẽtionem ait, eos qui in hoc die fiunt rigores difficile habere iudicium, hoc est malum afferre iudicium, ac si male iudicantes dixisset, uel non firmiter, immo in quibus facile foret fieri recidiuam, uel in longum tempus extensum, ac si dixisset difficulter solubiles: cum ea sibus uero quandoque difficilibus sextæ diei iudicium fit, de quibus omnibus integre scripsimus in his, quas nuper nominauimus tractationibus. Hęc igitur in hunc modum fieri etiam ipsa experientia testatur. Ipsorum autem causas longũ esset in præsentiarum exponere. De diebus enim iudicantibus tertio diximus libro de iudicatoriis diebus, de rigore autem in opere ad id dedicato seorsum.

XXX.

QVIBVSCVNQVE accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.

Supponatur quispiam prima die cœpisse febricitare hora tertia, & quieuisse quauis alia hora: deinde die secundo eadem hora tertia cœpisse, mox cessasse febrem quacunq; hora, & tertio rursus die hora tertia cœpisse, mox rursus quouis tempore finita febre, cœpisse iterum quarto die eadem hora tertia, & ita deinceps, seruari quidem semper horam tertiam in qua accessio suum facit initium, nõ seruari autem alias in quibus finitur: hunc qui tali laboret morbo necesse est tẽporibus longioribus ægrotare, quã qui horam non habent initii accessionis ordinatam. Hoc quidem nos ab experientia comprobatum, dictum fuisse arbitramur. Sunt uero quidam qui tale aiunt esse quod dicitur. Si primo die accessionem ægrotus habuerit, exẽpli gratia, hora tertia, & (si ita cõtigerit) hora duodecima febris desierit, rursus die secũdo hora duodecima cœperit febricitare: morbum aiunt difficile iudiciũ habiturum, nullam apponentes rationem, sed neque id ab experientia comprobari potentes ostendere. Non tamen difficile habens iudicium, aliter possumus interpretari quàm difficulter solubile: adeo quòd tale sit, quod ab Hippocrate dicitur, Siue quouis die, siue per tertiam, siue per quartam ægrotus habeat accessionem eadem hora, difficulter solubilis est morbus huiusmodi, siue multas, siue paucas accessio occupet horas. Hoc igitur (ut dixi) experientia comprobatur, eius uero causam talem esse opinãdum est. Quando causa accessionum non fuerit fixa, ac stabilita, non seruare eundẽ terminum, aut circuitum. Vbi uero firmata fuerit

ſeruare: atq; ideo difficulter ſolubile quod fixum, ac ſtabilitum: facile uero ſolubile quicquid non tale. Firmata enim magnam uim demolienté expoſcunt: longo tempore, & per fortiora ac plura factа auxilia.

XXXI.

LASSITVDINEM habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potiſſimũ abſceſſus fiunt.

Dictum prius eſt quòd laſſitudinum nonnullæ quidem in multis accidunt motibus, quæ ſimpliciter & proprie laſſitudines nominantur: quidam uero neque multis, neque uehementibus acti motibus laſſitudines pati conſueuerunt. Tales itaque laſſitudines, non laſſitudines ſimpliciter, ſed ſponta neas laſſitudines nominare cõſueuerunt. Ambo rum autem ipſorum cõmunis eſt locus perpeſſus, hic uero eſt totum genus in corporibus muſculoſum. Quæ uero ex motibus laſſitudines accidunt, ipſis adeſt proprium peculiare caliditas articulorum: quare in his nihil mirum ad articulos abſceſſus decumbere, ut qui unà cum muſculis laborauerint, atque ultra modum concaluerint. Spontaneis autem laboribus, una ſola ratione, fluctiones, ut decumbant ad articulos, euenit (ſicuti & omnibus aliis ferè morbis qui per abſceſſus iudicantur) cum latiora ipſorum ſpatia prompte ſe habeãt ad ſuperfluitates ſuſcipiendas. Rariores igitur in illis abſceſſus ſunt, in laborioſis plures, & præcipue cum labor ſpõtaneus fuerit, & ex his maxime quibus ex multitudine labor ineſt. Erit igitur in aphoriſmo ſermonis hæc ſumma. His qui quomodocunque in febribus laſſitudinem habent, ad articulos, & circa maxillas præcipue abſceſſus fiũt. Hoc uero contingit propter eam quæ eſt in febribus ca-

liditatẽ, relata multitudine ad caput, mox inde ſuſcipientibus illis qui circa maxillas adenes exiſtũt, ſicuti qui circa inguina & alas ſunt, quãdo ad illas partes multitudo peruenerit.

XXXII.

QVIBVSCVNQVE reſurgentibus ex morbis, ſi quid laborauerint, hic fiunt abſceſſus.

Si quidem labor, & uehementem ſignificat motum, & dolorem, & læſionem, ſicuti prius dictum: liquet quòd & laborare, & pluri uti motu ſignificabit & aliquem habere uel dolorem, uel læſionẽ: uerum & in nonnullis qui ex morbo conualeſcunt apparet, quando humores morbum facientes non ſatis fuerint expurgati, ſed quaſdam reliquerint ſuperfluitates, cum laborantem, ſiue dolentẽ partem quampiam habuerint, illuc abſceſſus decumbere: quum labor quidem habeat cauſæ rationem, dolor uero ſigni. Nam in uehemẽtioribus motibus, & uires fiunt imbecilliores, & caliditas maior accenditur, dolor autem iam fluctione decumbente perficitur. Hoc igitur, ut diximus, eſt ſignũ abſceſſus qui fit. Caliditas autem, atque imbecillitas ad locum affectum prouehit ſuperfluitates. Vtroque igitur, ut diximus, modo audire poſſumus uerbũ laborare: toti tamen ſermoni qui nunc ab Hippocrate fertur, alterum magis conuenit ſignificatum. ſiquidem antea de laborioſis febribus locutus, deinceps autem rurſus inquit: Sed & ſi quid antea laborauerit. Videtur enim prior aphoriſmus, cuius initiũ, Laſſitudiné habentibus in febribus: de laſſitudinibus morborum habuiſſe ſermonem. In eo autem qui nunc proponitur, de his qui fiunt in cõualeſcentibus, in ſequente uero de illis qui morbũ antecedunt.

XXXIII.

SED & si ante morbum aliqua parte doluerit, hic morbus firmatur.

Siue quis uelit cõnectere duobus prioribus ser monibus illum qui nunc dicitur ad unius aphoris mi integritatem, siue seorsum unumquęq; scribe re, nihil differt: nam & communitas eorum osten sa est, & singulorũ proprietas in sermone præposi to. Dicetur autẽ & à nobis adhuc breuibus. Quan do in morbo sensus aliquis lassitudinis fuerit, expe ctare oportet abscessum aliquem ad articulos fo re, præsertim iuxta maxillas. Simili modo si quis ex morbo relatus parte aliqua corporis laboraue rit, uel ante quàm ægrotaret: nam plurimum solet ad talia decũbere, in illis uidelicet morbis, in qui bus speratur abscessus futurus, neq; morbus per excretionem antea iudicãdus. Dictum est igitur & in prędcedentibus de talium morborum dignotio ne, sermo uero uniuersus in commentariis de cri sibus, siue iudiciis est explanatus.

XXXIIII.

SI à febre habito, tumore non existente in fauci bus, strangulatio repente superuenerit, letale est.

Licet quidem & simpliciter audire initiũ apho risimi in quo ait, Si à febre habito, tanquam ita di xisset, si homini febricitanti, tumore non existente. Licet autem & cum maiori aliqua significatione, quemadmodum solet in Epidemiis scribere, non simpliciter quouis modo febricitantem ostendẽs, cum dicit, Febris ipsum habebat, sed de eo cui ma gna insit febris, ita loquens. Contingit autẽ & sine magna febre, strangulatione repente superuenien te, hominem interire. Ineuitabilior autem, & citior mors adeo quòd neque ex inopinato unquam homo

homo saluatur, cum uehemẽs febris detinet ægro tantem. Indiget enim huiusce modi febris (ut in sermonibus de difficili anhelitu fuit à nobis osten sum) inspiratione abundanti. Fit uero nedum abũ dans, uerum omnino pauca strangulatis. Neque enim aliud est strangulatio, nisi interitus subitus propter defectum inspirationis, qui fit ex angustia alicuius instrumenti, ex his qui obseruiunt respira tioni. Nam talis angustia ipsorum seorsum in eo genere est, quod anhelitus carentia nominatur, q̃ & ipsa fit, uel propter imbecillitatem potentiæ il lius, quæ mouet thoracem, uel propter frigiditatẽ uitalis principii. Strangulatio uero omnino fit ex angustia. angustia autem uel repleta intermedia re gione quæ inter thoracem est atque pulmonẽ, aut pulmonis cauernis, uel aliqua inflammatione to tum occupante uiscus, uel asperam arteriam, uel eam partem quæ est ueluti caput eius, quam no minant guttur. quæ etiam inflammatio fieri ali quando solet in præiacente spatio, quod fauces appellant. Nam & Homerus ita nominauit inqui ens, Per fauces autem uinum impellebatur, & cibi percurrebant: spatium illud laxius quod inter gu lam & guttur præiacet nominãs fauces. Videtur autem & nunc Hippocrates hanc eandem partem eodem modo quo etiã Homerus nominasse. Di cit igitur, Tumore non existente in faucibus: tãquã posśibile sit ore multum adaperto partem ipsam diligentius inspicere, quod in gutture fieri nequit. Fiet igitur sermo uniuersus huiusmodi, Si à febre habito strangulatio repente superuenerit citra tu morem fauces occupantem, letale est. Prisci et enim per tumorẽ, & inflationem idem intellige bant. Neque nos latet triplicem esse tumorum dif ferentiam. Vel enim sunt cum dolore quos iunio res inflammationes nominant, uel absque dolore

& duri,quos græci ſcirrhos uocant,uel ſine dolore,& molles,quos iidem græci proprie œdemata,id eſt inflationes appellant,& propterea ab antiquo uſu receſſerunt,ut qui non omnia præter naturam incrementa ſub uocabulo inflationis complectantur.Cum igitur fauces ſine tumore apparuerint,ſtrangulatio autem repente ſuperuenerit, ſolius gutturis eſt huiuſcemodi paſſio.Strangulatur enim(ut dixi)& propter morbos alios, quos paulo ante dixi. Repente autem ſtrangulari ſoli gutturi ineſt.Morbus enim,quē græci peripneumoniam uocant,non repente ſtrangulat ægrotantes,uerum paulatim ab initio incrementum ſuſcipiens,uſque ad propriam conſiſtentiam in qua talem caſum affert. Et ſiquod tuberculum,&abſceſſus in pulmone fit,hæc quoq; paſſio diuturna eſt. Sicuti & ſpatium inter pulmonem, atque thoracempure repletum,ſæpius hominem ſtrangulat, abſceſſu ſcilicet in ipſum diruptо, qui ſcilicet & ipſe in longo tempore fuit conſtitutus. Aſperæ quidem arteriæ inflammatio difficultatem ſpirandi aliquam efficere poteſt, ſtrangulationem uero non poteſt propter magnitudinem meatus in ipſa latioris,& tunicæ tenuitatem. Impoſsibile ſiquidem eſt corporis adeo tenuis inflammationem ſpatium effatu dignum replere. Reliquum igitur eſt guttur, quod ſubitam poteſt facere ſtrangulationem, quoniam in ipſo anguſtatur pulmonis meatus.Et muſculi anteriores unà cum ambiente tunica inflammationem patientes, uiam ſpiritus ualent intercludere.Nominat autem medici quidem talem diſpoſitionem, non per,ſ,ſynanchen, ſed per,c,cynanchen,quibus placet faucium inflammationem per,ſ,ſynanchen nominare. Nonnulli uero & iuxta ſynanchen, & iuxtacynanchen nominant.Iuxtaſynanchen, quando adiacētium fau-

cibus partium inflammatio fuerit, iuxtacynanchē autē quando extra guttur.Ex his igitur quæ dicta ſunt,rationabile eſt talem diſpoſitionem gutturi aliquem inferre dolorem,& uidetur Hippocrates eius manifeſte meminiſſe in libro †prænunciatiuo, †Prorrhe-
» hiſce uerbis.Fauces dolentes tenues cum quadā tico.
» difficultate ſtrangulantes uelociter exitium afferē
» tes.Nunc uero dolentes non dixit,ſiue quia in his quæ dixerat ante poterat ſubintelligi, uel quia ēt iam abſq; dolore aliquando dictā putauit in præcedente ſermone fieri poſſe ſtrangulationem,&ſi omnino poteſt eſſe ſine dolore ſtrangulatio,& talibus cauſis poteſt hoc fieri,poſsibile eſt multitudine humiditatis,& pituitoſæ præcipue, madefaciente tunicam gutturis interiorem, aliquem fieri abſque dolore tumorē.Poſsibile etiā eſt aperientibus ipſum muſculis craſſioribus factis, meatum reddi anguſtiorē.Contingit autē & utrunq; cōiungi.Sed neq; impoſsibile eſt qn propter ſuperfluā ſiccitatem muſculorum gutturis intrinſecorum ſupra modum extentorū meatum reddi anguſtiorē. Qui uero ſint hi,muſculi, & quo modo claudant guttur,oſtenſum eſt in tractatu, qui de uoce inſcribitur.

XXXV.

SI A FEBRE habito collū peruertitur,& uix poteſt deuorare,ſine ullo tumore,letale eſt.

Nō amplius adiecit hic locū,in quo ingt,Tumore non exiſtēte,ſicuti in præcedēti aphoriſmo fauciū meminit,ingens,Tumore nō exiſtēte in faucibus.Nos uero dicemus alterū duorū,uel ex cōmuni audiēdū eſſe in faucibus,uel in omnibus colli locis.Cū.n.in nullo horū apparuerit,neq; ore apto in faucibus,neq; extrinſecus tumor,hominē uero cōtigerit nō poſſe deuorare,caſus eſt exitialis:

qui fit ex inflãmatione aliquãdo musculoꝝ, q gulæ præiacent, aliquãdo gulæ ipsius. Est enim quędam societas partibus his per neruos, ac ligamenta, & ad spinalem medullam, & ipsam ambientes membranas, ac præterea ossa uertebrarum, quæ his extrinsecus adiacẽt. Extentis itaque ad partes inflammatas & ligamentis & neruis, trahi uertebras uel intra, uel ad latus est necessarium: si quidẽ in altera nerui propagine fieri tentionem contigerit ad latus: si uero in ambabus, ad † extra. Plenius autem de istis dicemus, librum de articulis exponentes, in quo ait fieri spinæ euersiones tuberculis crudis intra ipsam constitutis. Igitur in libro illo & gibbos fieri dixit tẽtis intra uertebrarum partibus, non solum recuruationes, & obliquationes. Et in secundo quidem libro Epidemiarum, de proposita nunc in aphorismo angina uerba faciens, inquit, Erant autem anginam patientium tales affectus, colli uertebræ intro uergebant, & extra apparebat collum habere cauitatem, & hoc tactum dolebat. In hoc itaque sermone unam ostendit uertebræ euersionem ad intra factam: in præsenti uero aphorismo, generaliori utens sermone, inquit, Si collum euertatur. Verbum enim, euerti, eam omnem quæ est ad id quod preter naturam euersionẽ ostendit rectitudinis uertebrarum. In secundo autem libro Epidemiarum sermoni adiecit, Et hoc tactum dolebat. Hic uero nihil de dolore dixit: atqui necessarium adesse dolorem unà cum ea quæ collum obtinet inflammatione, nisi & hic eam quæ fit propter siccitatem excedentem, tẽtionem, tractum, & euersionẽ partiũ tantũmodo ostendit, & propter hoc ipsum casum inqt esse exitialẽ: quum alter qui prouenit ex inflammatione non sit omnino exitialis, qualis erat prior, cui coniuncta erat strangulatio. Neque enim est æquale peri-

† Alicubi legitur ἐν τῇ ἔξω. intra

culum, si homo stranguletur, & uix possit deuorare. Verum si propter excedentem siccitatem id accidat, & collum euerti, & uix posse deuorare, letalis est casus, & præcipue quum uehemens est febris, ut uerba illa, Si à febre habito, etiam in hũc sensum audiantur. Ob hanc autem febrem ipsam, & iam immodicam fieri par est in membris siccitatem, & duplicem habebit febris uehemens ad mortem rationem: & quia signum erit quòd fiat euersio propter siccitatem, & deuorandi difficultatẽ, & quoniam & ipsa aliquid afferet, ut una ex causis perducentibus ad mortem.

XXXVI.

SVDORES FEBRICITANTI si inceperint, boni, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & uigesimo, & uigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores indicant morbos. Qui uero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

Non sudores tantum, sed alui excrementa effatu digna, & urinę multę, & iuxta aurem abscessus, uel aliquem alium articulum, in dictis diebus optime apparent. Sermo enim in uniuersum est talis, Iudicatoria signa, ac casus, in diebus iudicatoriis incipiant. Et sermo iste dictus sufficiebat: uerum Hippocrates non de omnibus ipsum fecit iudicatoriis, sed de sudoribus tantum: & nobis memoriæ subiecit iudicatorios dies, qui sunt intra quadragesimum. Morbi enim istis diuturniores, non admodum solent per sudores iudicari, sicuti neq; omnino per excretiones, sed uel per concoctionem, uel per abscessus. Quòd uero non omnis numerus dierum sit ad iudicandum idoneus, experientia manifeste demonstrat, & quispiam ad-

miraretur illos qui aiunt, nullam in illis esse differentiam: melius enim est ex his quæ apparent manifeste, discere differẽtiam: causam uero eius quod fit, per multum ocium considerare, quod nos in tractatu de diebus iudicatoriis, egimus, id quod ad artis refert utilitatem in primis commentariis transigentes, causas autem ipsorum tentantes in tertio perquirere. Non parua autem est de diebus scriptis in aphorismo discordia, quum alii alios pro arbitrio scribant. Nos uero illa secuti quæ ab ipso Hippocrate scripta sunt, & in Prognostico, & Epidemiis, & ipso libro Aphorismorum, ipsorum fecimus connumerationem. Verba autem quibus de hisce diebus Hippocrates scripsit, habes omnia in tractatu de iudicatoriis diebus, & de iudiciis collecta. Nunc uero à tertio incepit, qui anticipat quartum in breuioris temporis morbis, & post hunc quintum scripsit uno die quarto tardiorem. Sic enim ferè in omnibus exemplaribus inuenies, quum quartus dies in aphorismo non sit scriptus, quanuis hic dies sit primus iudicatorius. Verumtamen ipsum nunc prætermisit, uel ipse Hippocrates, uel qui primus librũ de scripsit. Si uero omnino Hippocrates illum præteriit, hanc ob causam existimo illud feciſſe, quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum sudore iudicantur, tertio, & quinto die, magis quàm quarto iudicium suscipiunt. Rariores enim sunt, qui die quarto iudicãtur: & hoc à me fuit inuentum per experientiam, ob hoc ipsum ualde admodum quærente, quoniam dies quartus fuerat ab Hippocrate in aphorismo prætermissus. Sic autem uidetur accidere, quoniã morbi peracuti primam statim accessionem uehementissimam habent, & reliquas illis proportionales per diem tertium. Didicimus autem quòd in uehementioribus accessionibus iudicia fiunt, &

quòd morbi qui in diebus imparibus accessionem habent, citius iudicantur: qui uero paribus tardant. Atque ideo si etiam in principio aliquis morbus incitatur, hoc magis accidit in diebus imparibus: si tardare debeat, ad dies pares uehementiores accessiones transferuntur. Hæc itaque habeo dicere de die quarto. In fine autem aphorismi, nonnulli trigesimum primum diem, nonnulli trigesimum quartum scribunt. Scimus autem hos in dierum iudicantium numero contineri, & fortasse trigesimus quartus maiorem uim habet, non tamen quadragesimi meminit: quoniam hunc principium morborum longorum existimauit, qui non admodum per sudores iudicantur. Nam & trigesimum primum & trigesimum quartum, & ante ipsos uigesimum septimum raro inueniemus per sudores iudicare.

XXXVII.

FRIGIDI SVDORES, cum acuta quidem febre mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi significant.

Quòd quidẽ ita fiat, sæpius experientia docet. Causa uero huius explorãda. Nã plurimã mihi uidetur habere dubitationẽ, quomodo febre calidissima hominẽ detinẽte, sudor fiat frigidus. Q ãigitur in aliis partibus corporis sit necessariũ esse uehemẽtẽ caliditatẽ: ex aliis uero sudores frigidos euacuari, erit manifestũ. Essent .n. calefacti, si ex partibus calidissimis efferrẽtur. Euacuãtur aũt ex cute sudores, quã frigidã esse contingit: quũ tamẽ ea quæ sunt sub ipsa, cõburũtur. Nam quibusdã humoribus putrescentibus, ostensum est febres acutas fieri: hi uero putrescunt sæpius quidem in toto corpore, sæpius uero in uasis solis. Quum uero hæc aliquando duo contigerint, & humores qui

Sudoris frigidi in calidiss. febre cõ.

Natura, calor est naturalis.

sunt in uasis putrescere: eam uero quæ solida corpora regit naturam (quæ secundum Hippocratem est calor naturalis) uel extingui omnino, uel proximam esse extinctioni, quæ quidem ex his euacuantur, frigida sentiuntur: eam uero quæ fit ex putredine caliditatem, nihil prohibet uehementissimam esse: atque ideo signum est exitiale, ostendens in animalis corpore humorum multitudinem superabundare tantam habentium frigiditatem, ut neque à calore natiuo, neque à febrili calefiant. Tepidis quidem existentibus febribus contingit saluari hominem, concocta in tempore multitudine humorum, atque euicta à natura.

Febris acuta.

Acuta enim febris causa est & signum perniciosissimum. Causa quidem, quia prompta est dissoluere corpora: Signum autem, quoniam humorum multitudinem esse frigidissimam ostendit, ut quæ neque à calore febrili transmutetur. Febris uero quæ non est acuta, sed mitior, permittit tempore longiori à natura multitudinem concoqui, quum non anticipet dissoluere hominem: non est autem signum adeo perniciosum, sicuti uehemens febris. Contingit enim in tepida febre, & si modice frigida multitudo fuerit, incalefactam permanere.

XXXVIII.

QVA PARTE corporis sudor est, ibi significat morbum.

Si per totum animalis corpus morbus extenderetur, ex toto etiam æqualis fieret euacuatio. Fiunt enim sudores uel natura humiditatem superfluã euacuante, quando & optime iudiciũ fit, uel quãdo non continetur in corpore, morbi ratione. sed siue hoc, siue illo modo fiant, membrorum patientium humiditatem euacuant.

Sudores dupl. de causis fiunt.

XXXIX.

ET QVA PARTE corporis calor aut frigus, ibi morbus.

Quacunque parte corporis insignis caliditas, aut frigiditas fuerit, hic morbum necessarium est esse: hoc siquidem exiit à temperie naturali, quæ sanitas est.

Temperies naturalis.

XL.

ET VBI IN toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, uel rursus calefiat, uel color alter ex altero fiat, longitudinem morbi significat.

Dispõnes varię

Variæ dispositiones semper diuturniores sunt, quàm quæ sunt uniusmodi, quum nõ possit natura in paruo tempore multas conficere dispositiones.

XLI.

SVDOR MVLTVS ex somno factus absque causa manifesta, corpus uti pluri cibo significat. Si uero cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet quòd euacuatione corpus indiget.

Sudor nothiranus.

Nonnulli ita scribunt aphorismum, Sudor multus ex somno factus sine causa manifesta. Alii uero, sine aliqua alia causa. Verũ hæc etsi non adiiciantur, milies in mille sermonibus ab ipso prætermissa intelliguntur, quia hæc etsi non dicantur, tamẽ subaudiuntur à nobis, ut q̃ semel ab ipso dicerimus, q̃ qui à causa extrinseca nõ ex dispositione corporis casus proueniunt, nullam faciunt certã præcognitionem. hoc itaq̃ semper oportet meminisse. Quod uero in præsenti aphorismo dicetur, in uerbo, multus, adiecto maxime existit. Si enim sudor multus non esset, posset & propter

Canon obseruãdus

uirium imbecillitatem,& corporis raritatem accidere. Ipsius uero multitudo,altera duarum causarum fit,uel propter ciborum qui sunt recenter assumpti immoderantiam,uel illorum qui antea. Quòd si propter recenter assumptos, prohibere oportet ne plures assumant: quòd si propter prius assumptos,euacuare.

XLII.

SVDOR MVLTVS, calidus, uel frigidus suffluens,frigidus magis,calidus minus significat morbum.

De sudoribus quidem qui in diebus iudicatoriis fiunt dictum est prius: De his uero qui in toto morbi tempore apparent sine iudicatione, in hoc ostendit aphorismo. Difficiliores quidem inquiens esse frigidos sudores,minus uero his malos, calidos esse. Indicant quidem utrique multitudinem adesse,sed alteri frigidam,qui & peiores sunt: Alteri uero calidã,qui & minus illis sunt exitiales.

XLIII.

FEBRES QVÆCVNQVE nõ intermittẽtes tertia die fortiores fiunt,magis periculosę. Quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.

Quòd Hippocrates p uerbũ,Intermittere,accessiones intelligat quæ in quietem febre uacantẽ desinunt, manifestũ fecit in hoc aphorismo,febres illas quæ per tertiam accenduntur,si quouis modo quieuerint,inquiens esse absque periculo. Solæ enim illæ quæ in quietem febre uacantem desinunt,periculo carent,etiam si uehementissimam, & satis lõgam habuerint accessionẽ. Si enim adeo breuis fuerit,ut in tertianis exquisitis,minori duodenis horis tempore circũscripta,non modo sine

periculo talis est febris,sed etiam cito iudicatur. Si uero longius quàm duodecim horarum occupet tempus,adeo ut ad decẽ & octo peruenerit horas,est quidem & hæc citra periculum : tanto autem longior,quanto & eius accessio maior extiterit,quàm tertianæ exquisitæ. Non absque ratione autem eas quæ in quietem febre uacantem definunt,esse absque periculo inquit, ut quæ non ex inflãmatione aliqua,neque ex maligna humorũ putredine occasionem habeant. Neutra.n.harũ ad qetẽ puenit febre uacãtẽ. Quocũq; autẽ modo intermiserint,periculum abesse significatur,hoc est siue uehemens,siue longa fuerit accessio.

XLIIII.

QVIBVS FEBRES longæ,his tubercula,uel labores in articulis fiunt.

Non semper hoc fit,sicuti neque quicquã aliud huiuscemodi, sed magna ex parte uidelicet contingere uidetur. Causa autem est manifesta. Nam propter multitudinem,uel crassitudinem, uel frigiditatem †humorum efficientium febres,in longum tempus morbi extenduntur,cum longũ exigant tempus ad coctionem. Par igitur est & tubercula fieri,& ad articulos superfluitatẽ decumbere. Siue autẽ per labores, dolores intellexerimus,siue læsionem, uterque intellectus aliquam habet rationem. Vtrunque enim horum ad absces̃us sequitur.

XLV.

QVIBVS tubercula,uel in articulis labores fiunt,hi pluribus utuntur cibis.

De conualescentibus docet. His enim repletis rationabile est casus plethoricos aduenire,& maxime ob uirium imbecillitatem.

† In ant. exempl. addit uel lẽtorem.

XLVI.

SI RIGOR incidat febre non deficiente,ægro iam debili,letale est.

Nō idem est si quis dixerit,Si inciderit,& si incidat. Verbum enim,Inciderit,unum significat rigoris insultum,incidat uero plures. Semel igitur rigore incidente,nondum liquet an mors,an iudicatio optima sit secutura. Potest enim & propter uirium imbecillitatem casus esse letalis: potest autem & iudicatio periculosa,bonum tamen habere finem. Sæpius uero fieri rigorem febre non deficiente,& alioqui bonum non est: in uirium autem factus imbecillitate,pernicios⁹. Nam si aliqua euacuatio rigorem subsequatur,quæ nullam faciat intermissionem,propter utrunq; dissolui hominem uerisimile est,& quia uis imbecillis ferre nō potest rigoris agitationem,& quia ab euacuatione dissoluitur. Si uero solus accidat rigor,nulla euacuatione subsequēte,utroq;: modo casus caret bonitate. Nam & sicuti mala causa uim corporis tanget,& malum signum erit illius ultimam indicans imbecillitatem,quæ solita erat noxios humores in rigoribus euacuare,nunc uero hoc non potest efficere.

XLVII.

EXCREATIONES in febribus non intermittentibus,liuidæ,cruentæ,fœtidæ, & biliosæ,omnes malæ. Et si bene exeunt,siue per alui excretionem,siue per urinas,bonæ. Si uero nō aliquid eorum quæ iuuant, per hæc loca excernitur,malum.

Forte conueniens fuerat doctrinæ aphoristicæ dici compendiosius,omnes prauas excretiones, quum bene exeunt ad bonum terminari. Hippocrates uero non ita locutus est,sed primum quidē trium generum,excretionum meminit,& eius quę fit per os, & eius quæ fit per aluum inferiorem,& tertiæ quæ fit per urinas: deinde & eius quæ fit p os magis particulatim. Non enim simpliciter dixit prauas excretiones bene exeuntes bonas esse,sed speciatim ipsarum meminit,inquiens: Liuidæ,cruentæ,fœtidę,& biliosæ. Vna autem communis est in hisce omnibus ratio. Malæ excretiones sunt prauarum signa dispositionum, & fiunt sæpius eodē modo,quo in ulceribus putridis,quibus liquores sanios⁹ defluunt,nihil dispositioni cōferētes: nonnunquā uero ita ficuti pus, ex absces⁹u disrupto bene expurgans partem patientem. Indicia uero quòd bene excernatur,maxima sunt & coctio, & bona tolerantia,cum ipsis uero & morbi species, & cum his tempus anni,& regio,& ætas, & natura ægrotantis. Quod uero est in fine aphorismi, duobus modis scriptum inuenitur. In quibusdam quidem,ut antea scriptum est,Si uero non aliquid eorum quæ iuuant,excernatur. Et erit secundum primam scripturā sermo talis: Si aliqd eor⁊ q̄ non iuuant excreta,uidetur euacuatū,non est bonū. Secundum uero secundā scripturā,Si aliquid eorum quæ iuuant,& sunt animali conuenientia,excernatur, non est bonum. Melior autem est scriptura prior.

XLVIII.

IN FEBRIBVS nō intermittentibus,si partes exteriores frigidæ,interiores uruntur,& sitim habeat,letale est.

Dignum animaduersione est nunquid huiusce modi casus possint in febre fieri intermittente. Ego enim neque uidi, neque animo capio. Videntur siquidem solis accidere in febribus, quæ

cauſones ab incendio nominãtur, perniciosis, uel ſi aliter libeat appellare, ualde malignis, ueluti lipyriis. Nulla uero febris alia profundiora perurit, cute refrigerata: neque enim mitior cauſon, neq; tertiana, quæ duæ febres præ cæteris ſunt calidisſimæ. Videtur itaq; non diſtinctionis gratia in aphoriſmo adieciſſe, In febribus non intermittentibus, ſed ſimilem protuliſſe ſermonem illi quo dicitur, Vertebræ autem quæ in ſpina ſunt: non quaſi aliqua alia corporis parte ſint uertebræ, ſed ueluti ſi ita diceretur, Vertebræ quibus hoc ineſt, ut in ſpina ſint. & nunc ita ſermonem Hippocratis audiemus: Si profundæ partes urantur, cute refrigerata, letale eſt. fit autem hoc in nonnullis febribus non intermittentibus. Cauſa uero huius talis exiſtit, quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, uel eryſipelas euenerint, totus ex toto corpore ſanguis ad locum trahitur patientẽ, atque ideo uruntur profunda, ſed cutis refrigeratur, ut fit in principiis acceſſionum.

XLIX.

IN FEBRE non intermittente, ſi labrum, uel oculus, uel naſus, uel ſupercilium peruertatur, uel non uideat, uel non audiat, iam debili exiſtẽte corpore: quicquid horũ euenerit, mors proxima eſt.

Partium fiunt peruerſiones, extentis, atque cõtractis his qui ad eas nerui pertingunt, ad propria principia. Quòd autem extendantur, hoc ipſis accidit uel propter inflãmationes, uel duros tumores, aut ſiccitates, aut immodicas frigiditates. Hæc autem grauia ſunt, quando prope neruorum originem fuerint conſtituta. Quare cum febris continua fuerit, & æger debilis, nõ abſque ratione mortem eſſe uicinam eſt exiſtimandum: multo autem

magis, quando non audiat aliquis, uel non uideat propter uirtutis ſenſibilis debilitatem.

L.

VBI IN FEBRE nõ intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, letale.

Fit quidem nonnunquam ex eadem cauſa horum utrunq;, & difficultas ſpirandi, & delirium, patiente cerebro, & tunc apparet ſpiritus (ut ipſe in prognoſtico inquit) magnus, & ex multo interuallo, hoc eſt magnus & rarus. Contingit autem & propter aliquam earum partium quæ reſpirationi obſeruiunt, paſſionem, ſpirandi difficultas. Nam & morbus lateralis, & pulmonis inflammationes, & reliquæ thoracis, atque pulmonis paſſiones, ſpirandi faciunt difficultatem. Hæc uero omnia periculoſa ſunt, febre præſertim continua adiuncta. Nam ſemper cum tali fieri conſueuerunt, quare & hic uerba illa, Cum febre non intermittente, eadem uidentur ratione eſſe dicta, qua ẽt in aphoriſmo antecedente.

LI.

IN FEBRIBVS abſceſſus, qui ad primas iudicationes nõ ſoluunt, lõgitudinẽ morbi ſignificãt.

Sermo ita clarus eſt, ut forte Hippocrate non indiguerit. Liquet enim quòd eo ipſo, quod ad primas iudicationes non ſoluuntur, huiuſcemodi paſſiones ſint diu duraturæ.

LII.

QVICVNQVE in febribus, uel in aliis morbis ſponte illachrymant, nihil abſurdum: qui uero non ſponte, abſurdius.

Dictum quidem & in prognoſtico, lachrymari non eſſe bonum ſignum, quando uidelicet

oculus ipse nullum affectum habet proprium, atq; præcipuum, ueluti lippitudinem, uel in palpebris asperitatem, uel tale aliquid. Nam debilitas quædam ostenditur potentiæ contentiuæ, quãdo & si talia non adsunt, illachrymant. Non recte autem scriptum fuit, absurdius, comparatiue, melius enim fuerat absolute absurdum dicere. & mihi uidetur hic error, culpa magis primi librarii, quàm ipsius Hippocratis contigisse.

LIII.

QVIBVS CIRCA dentes in febribus quidã lentores nascuntur, his fortes fiunt febres.

Neque enim nasci possunt huiuscemodi lentores sine caloris multitudine pituitosiorem humiditatem exiccante.

LIIII.

QVIBVS plurimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.

Siccas tusses illas nominant in quibus nihil exputitur. Fiunt autem aliquando ob intẽperiem instrumentorũ quæ obseruiunt respirationi, aliquando uero in faucium asperitate, uel aliquo tenui, & pauco humore destillante. Quicquid horum acciderit, aliquo modo madescunt loca quæ ad asperam pertinent arteriam, & ideo minus sticuloſi fiunt. Nam si asperitas sola fuerit propter motum in tussi factum, ex locis uicinis humor aliquis trahitur, sic autem & si sola fuerit intemperatura.

LV.

EX INGVINVM tumoribus, febres omnes malæ, præter diarias.

Febres diariæ omnes ab ipso uocãtur, quęcũq; sui

Febres Diariæ

Gal. 1 de feb. cap. 5. Auic. 3. can. 6.

sui ratione una die durant. Tales autem sunt ex tumoribus inguinũ, quando ex causis manifestis cõsistunt. Alios uero tumores inguinum qui sine causa manifesta fiunt, fit uerisimile ex uiscerum inflammationibus fieri, atque ideo febres quæ unà cum ipsis eueniunt malas esse.

Ex tumorib. inguinũ fe. bres malæ

LVI.

FEBRICITANTI sudor superueniẽs febre nõ deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem.

Oportuit hunc aphorismum cum altero paulo antea dicto coniungi: in quo dicit, Sudor multus, frigidus, uel calidus semper fluens. Ipse uero ostẽdit quo pacto tecto talem sudorẽ dixerit esse malum, & propter quam causam. Malus itaq; existit quia præter id quod morbum non soluit, ipsum etiam prorogari significat. Causam uero secũdum tempus prorogationis, multam ait esse humiditatem: quam in tempore longiori, dissoluente ac cõcoquente natura, necessariũ est morbũ esse longũ.

LVII.

QVI à conuulsione, aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur.

Est quidem & distentio neruorũ conuulsio, sed non uidentur in ipsa partes conuulsæ: quoniam æqualiter ante, & retro tenduntur: atq; adeo præcipuum illi nomen est datum distentio, ita q; omnes conuulsiones sunt numero tres græcis uocabulis, Opisthotonos, id est tentio ad posteriora, Emprosthotonos, id est tẽtio ad anteriora, & Tetanos, id est æqualis tentio nominatæ. Omnes uero secundum ipsum fiunt conuulsiones, uel ex repletione, uel ex euacuatione, partiũ uidelicet neruosarum. Quæcunque igitur conuulsiones ad fe-

bres ardentes sequuntur, has par est fieri ex siccitate. Quæcunque uero ab initio inuadunt, ex repletione habẽt generationem. His conuulsionibus febres aduenientes, partim quidem superfluam dissoluunt humiditatem, partim uero † concoquunt frigiditatem, quæ duæ sunt medicis remediorum intentiones. Non absque ratione igitur in febribus ardentibus letales sunt conuulsiones, non letales uero quæ febres antecedunt.

† Alibi legitur θερμαίνωσιν. i. calfaciũt.

LVIII.

A FEBRE ardente habito, rigore superueniẽte, solutio.

Ostensum enim est in sermone de rigore, ob flauam etiam bilem, quę per membra sentientia uelocí motu defertur, fieri rigorem, post quẽ uidelicet & alui soluuntur, & sudores, & uomitus biliosi supueniunt. Bile igitur ex qua febris ardens habuit ortum expurgata, soluitur febris. Nam febrem ardentem fieri nouimus æstiuo tempore, quando uenæ exiccatæ acutos ac biliosos ad se liquores attraxerint.

LIX.

TERTIANA exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est, iudicatur.

Tertiana febris, ab ea quæ ardens nominatur, humore faciente nõ differt. Vtraq; enim à flaua bile fit. Differunt autem, quoniam febris ardens habet in uenis unà cũ sanguine bilem plurimã ebullientem. Tertiana uero eandem bilem habet in toto corpore latam, ac motam. Exquisita igitur tertiana erit sui ipsius naturam puram seruans, atque sinceram. Seruat autem, ubi flauã bilem habet, ut dixi * superabundantem, & motã, & prẽterea tempus æstiuum, & locum tempori similem, calidum

φερομένην alibi legitur. i. delatam.

scilicet ac siccum, & hominis ætatem, & temperaturam similem. Statim uero & in tali tertiana accessio fieret unà cum rigore, & solutio eius per sudores, uel per uomitum, aut per aluum inferiorem flaua bile euacuata, uel omnibus istis pariter factis. Erit & huic tertianæ tẽpus accessionis minus multo, q̃ quietis. Duobus siquidem diebus, & totidem noctibus toto eius perfecto circuitu, exquisitã tertianam nunq̃ inuenies extra duodecim horas suã accessionem protendere. Talem itaq; ait Hippocrates in septẽ circuitibus, quod sit longissimũ, iudicari. Quod.n. in continuis una dies põt, hoc in intermittentibus accessio. Secundũ igitur istarum connumerationem, earum fiunt iudicationes. Hoc autem innuit & ipse in Prognostico, ubi de quartana loquitur, ita inquiens: Fit aũt & quartanarum consistentia ex ordine tali. Est aũt & à nobis obseruatum tum in quartanis, tum etiam in tertianis fieri iudicationem secundũ numerum circuituũ, non dierum. Statim itaq; in tertiana febre ab initio septima accessio in tertium & decimũ incidit diem, & sæpius in ipso morbus iudicatur non expectato quartodecimo. Sicuti igitur in morbis continuis, acutorum quidem morborum terminus est quartusdecimus, peracutorũ uero septimus: sic in intermittẽtibus breuissimi temporis tertiana febris terminum habet circuitum septimum. Rursus autem sicuti in peracutis morbus poterat iudicari & in quinto, & in quarto, & in tertio die: sic & in tertiana in eisdem circuitibus fieri solutionem cõtinget, non expectante natura septimum. Hippocrates igitur tertianam aliquando cum adiectione exquisitam nominat: aliquando uero simplici appellatione cõtentus, tertianam tantummodo, sicuti & nunc quoque consuetudo Græcorum est huiusce modi res omnes dupliciter nominare.

LX.

QVIBVS in febribus aures obſurduerunt: ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata ſoluit morbum.

Dictum quidem & ab ipſo antea ſurditatem fieri, ſi bilioſa excrementa retineantur, & ad caput recurrant, & talem ſolui ſurditatē, ſi aluus turbetur. Dictum autem & nunc ab ipſo hoc idem, & præterea de profluuio ſanguinis è naribus. etenim & hoc ſoluit ſurditatem, eam ſcilicet quæ in febribus fit abſque ulla propria atque præcipua inſtrumenti auditus paſſione, & nihil mirum ſi euacuatis aut tranſmutatis noxiis humoribus ceſſant morbi.

LXI.

FEBRICITANTEM niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet recidiuare.

Neſcio ſi hunc aphoriſmum Hippocrates ſcripſerit, an fuerit à quopiam adſcriptus. ſiquidem in Prognoſtico dierum iudicantium incrementa, ac compoſitiones fieri in quaternis edocuit, & in hoc ipſo Aphoriſmorum libro, atque etiam in Epidemiis, non modo die quartodecimo multos uidit iudicatos, ſed etiā in uigeſimo, & quadrageſimo, & ſexageſimo, & octuageſimo. Ipſi uero iudicant & uigeſima quarta, & trigeſima quarta, & ab initio protinus quarta. Quo modo igitur ait nunc, quòd niſi in die impari febris ceſſauerit, non ſit fida iudicatio? Melius itaque pro impari ſcribere iudicatoria, ut quibuſdam uiſum eſt. Multa tamen exēplaria in numero plurali, & imparibus, & diebus ſcriptum habent.

LXII.

QVIBVS in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum.

Morbus regius fit aliquando & iudicatorie reponente natura ad totum corpus, & præcipue ad cutem, flauam bilem. Fit autem & huiuſcemodi caſus hepate male ſe habente. Ipſius uero affectus, ex quibus morbus regius ſolet aduenire, tres ſunt, tumor durus, inflammatio, & obſtructio. Verum tumor prædurus, diutinus morbus exiſtit. Inflammatio uero, & obſtructio repente fieri poſſunt: & qui regii morbi ante ſeptimum accidunt diem, ex aliquo iſtorum ortum habent. nam citius non poteſt iudicatorie bilis perduci ad corpus. Ante ſeptimū quidem diem, morbum regium eſſe malū, uerum exiſtit: non tamen poſt ſeptimum uacare periculo eſt pariter uerum, neque hoc nunc dictum eſt. Poteſt enim & inflāmatio, & obſtructio longiori tempore permanere, ante ſeptimum tamen bilem iudicatorie efferri eſt impoſsibile. In quibuſdam uero exemplaribus adiectum eſt aphoriſmo, circa finē, Niſi humores ex aluo prodeant. uolentibus his qui hæc adiiciunt, per aluum bilem expurgari.

LXIII.

QVIBVS in febribus quotidie rigores fiūt, quotidie febres ſoluuntur.

Cum bile per omnem corporis habitum mota rigores accidant, atq; ideo ſingulis acceſsionibus expurgetur, atq; euacuetur: non abſque ratione ad infebricitationem peruenit talium febrium intermiſsio. Hoc igitur eſt quod nūc dictum eſt ab eo, Quotidie febres ſoluuntur: ac ſi dixiſſet, ægrotos quotidie rigores fiunt, quotidie etiam febres ceſſant: ſic uidelicet ſi & per tertium diem, uel etiam per quartū. quod ſcilicet fieri uidetur, & in tertianis & in quartanis circuitibus, in quibus febres ſoluuntur, & rurſus redeunt: remanet tamen quędam diſpoſitio præter naturā in corpore, à qua ſecun-

† In impressis tamen νοσήματα. i. morbi. legitur.

dum circuitum febres,& alii † casus generantur.

LXIIII.

QVIBVS in febribus morbus regius septimo,uel nono,uel undecimo,uel quartodecimo superuenerit,bonum,nisi dextrum ilium obduruerit:si uero non,non bonum.

Qui ante hunc scribitur aphorismus absq; ordine mihi uidetur fuisse interiectus. Melius enim fuisset,hunc qui nunc scribitur aphorismum illi fuisse coniunctum,in quo ait,Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit,malum:ut totus sermo talis procedat,Ante septimum quidē diem morbum accidere regium,malum omnino: post septimum uero,optimum,nisi dextrum ilium obduruerit,id est nisi aliquis malus affectus ex his quos antea diximus,uisceri seu hepati acciderit. Expurgatio enim in ipso sanguine,& bile translata ex uenis ad meatus bilē recipiētes,siue obstructio fuerit in locis ad quæ transfertur,siue inflāmatio aliqua,uel durus tumor:necessariū omnino nō expurgari sanguinē,& unà cum ipso bilē per totum corpus deferri,& hinc morbum regiū generari.

LXV.

IN FEBRIBVS circa uentriculum,& fortis æstus,& cordis morsus,uel dolor,malum.

Quod nō solum ei uisceri,quod sua natura palpitat,cor nomen fuit apud antiquos,sed etiam oris uentriculi,pro cōfesso habetur apud omnes,sicuti etiam quòd cordialgian,id est cordis dolorē,huius partis dolores appellant.& uerbum cardiosin apud Græcos,plurimi exponentium aphorismos pro cardialgin,id est cordolere acceperunt:nōnulli ipsius cordis,dico autem uisceris motū quendam palpitationi similem,per cardiogmon uerbū intellexerunt. Fortis itaque uentriculi æstus à flaua

bile in ipsius tunicis ebullientis generatur. Ratiōnabiliter autem his qui ita affecti sunt,& uentriculi mordetur os,atq; ob id malus est casus. Si quis uero per cardiogmon uerbū, quo Hippocrates utitur in aphorismo,crebrum,& uelocem cordis motum,& præcipue etiam similem palpitationi intellexerit:extremū ex eo malum significatur,uim scilicet uitalem maximo incendio laborare.

LXVI.

IN ACVTIS febribus conuulsiones,& circa uiscera dolores fortes,malum.

Febres uehemētes, ueluti ignis neruos exiccātes,eos extēdunt atq; conuellunt,atq; hoc modo malas afferunt conuulsiones. Nonnunquam uero & uiscera ipsa in tali affectu dolorem sentiunt propter incendii uehementiam,ac siccitatem,atq; idcirco malum esse inquiunt. Peior autem fuerit, si fortes dolores acciderint. Scimus autem quòd propter inflammationem,uel erysipelas,uel fortē obstructionem,uel abscessum aliquem, in uisceribus dolores fiunt,sed non est uerisimile,ut de his nunc sermo habeatur ab ipso. Nam & manifestū in ipsis periculum est,& quod neque necessario adiungitur cōuulsioni. Et cum Hippocrates in febribus dicit,morbos febriles intelligit:quādo febres ipsę sunt passio,& nō casus partis alicuius,quæ aliquo dictorum affectuum laboret.

LXVII.

IN febrib. ex sōnis timores uel cōuulsiōes,malū.

Dictū ab ipso & antea fuit,q; somnus lædēs ægrotātē mortalis est,q; ātnō lędit,nō est mortalis. ubi & exēplū sermonis adiiciēs,ingt Vbi deliriū somnus sedat,bonū,uti somno existēte aliquo ex quo delirium nō sedatur,sed excitatur aliquando, ac generatur. Vex & hic alia dixit exēpla noxę ex

somno aduenientis, timores, ac cõuulsiones. Quidam uero non timores scribunt, sed labores. & quidem nos sæpe uidimus in morbis exitialibus, & timores, & labores, & conuulsiones factas ex somnis. Hoc autem uidetur contingere, quando in somnis ad cerebrũ humor infestus peruenerit, tũc magis intra, quàm extra natura mota. Et quidẽ sicuti à cibo ad somnum conuersi implent caput: sic in plethoricis dispositionibus, somni ipsum replẽtes aggrauant cerebrum. Si igitur ea multitudo magis ad atræ bilis naturam uergit, timores fiunt: sed si talis non fuerit, labores ac cõuulsiones. Et somni proculdubio semper nocerent, quatenus ad profundum, & uiscera materia fluit, nisi coctionis ratione plus afferrent utilitatis, quàm sit damnum, quod ex motu ad interiora consequitur. Non solũ autem in cerebro ipso mali humores aceruati tales afferunt casus, sed & ex ipso ore uẽtriculi: quare & in somnis magis euaporant, cum incocti permaneant, sicuti coctiones utiles somnos inducunt.

LXVIII.

IN FEBRIBVS spiritus offendens, malum. Conuulsionem enim significat.

Spiritum nunc audiendum est ipsum dicere, sicuti in Prognostico respirationem, qui ubi offendit, hoc est medio sui interruptus substiterit, conuulsionem significat. Etenim fit mouentibus thoracem musculis, ac neruis iam cõuulsioni paratis: qua dispositione insuper aucta, & plures occupante partes, manifesta conuulsio hominem apprehendet. Quum uero duplex sit in respiratione motus, alter quo spiritus fertur ad interiora, qui inspiratio dicitur: alter quo ad exteriora, & contrariam accepit appellationem, expiratio nominatus. Offendit autem spiritus aliquando quidem inspirantibus, sicuti cum ipse dicit, Duplex intra reuocatio, ueluti adspiratio: Aliquando expirantibus, sicuti cum dicit, Et spiritus offendit extra delatus. In his igitur utriusque partis respirationis seorsum meminit: in proposito uero aphorismo de tota ipsa pronuncians, inquit: Spiritus offendẽs, siue in motu ad intra, siue ad extra, siue ad utraq; tale quid patiatur.

LXIX.

QVIBVS urinæ crassæ, grumosæ, paucæ, nõ sine febre, multitudo ueniens, ex his tenuis iuuat: præcipue uero tales ueniunt quibus ab initio, uel breui sedimen inest.

Non simpliciter urinas crassas dixit, sed & grumosas adiecit, duorum alterum ostẽdens, uel crassitudinis quantitatem, uel consistentiæ inæqualitatem, ac diuulsionem, ita quòd plures ueluti grumi ipsarum consistentiæ circũscriptæ appareant. Nõnulli uero non grumosas scribunt, sed cœnosas, sicuti Numisianus & Dionysius: hi quidẽ per hoc uerbum fœtorem quendã simul ostendentes, plus aliquid, quàm alii demonstrantes. alii uero quasi crassitudinis quantitatem, nihilo plus hoc ipso docentes. Sermo uero Hippocratis totus nõ uidetur de urinis esse fœtorem habentibus, sed de paucis tantũ ac crassis, ut ex oppositio manifestat, ingens, Multitudo ueniens, ex his tenuis iuuat. Quare si hoc solũ scriberetur, Quibus urinę crassæ, paucæ: nihil sermoni deficeret. Fiunt aũt aliquibus & sine febribus urinæ tales, natura expurgante per renes totius corporis superfluitates. Fiunt autem & cum febre, in quibus quispiam forte existimaret ad contraria transmutationem non esse bonam. quoniam magna ex parte in febribus, ex urinis ab initio tenuibus fit ad crassiores conuersio, tendente iam morbo ad solutionem. atq; ideo mihi uidetur ita

potisſimum ſcriptus ab ipſo fuiſſe aphoriſmus, id quod raro accidit, edocente. Contingit. n. aliquando uel per initia morbi, uel non multo poſt, urinas factas craſſas propter grauitatem habere ſedimẽ. His igitur urinis ſedimen, bonum ſignum non eſt, ſicuti aliis, quæ ab initio tenues exiſtentes, ratione coctionis totius morbi ſedimẽ capiunt. Nõ abſq; ratione autem craſſæ urinæ ſunt multitudine paucæ, ut quæ uix renes pertranſeant. Cum itaq; & ſimul maior pars talium humorum malorum fuerit euacuata, ſimul aũt & reſiduum concoquitur, tunc excernuntur multo prioribus tenuiores. Melius. n. ſi ita dicatur, & non tenues abſolute, quemadmodum dixit Hippocrates. Quæ enim ſecundum naturam ſunt, non ſimpliciter tenues exiſtũt, ſicuti neque craſſæ, ſed medium tenent inter utrũq; exceſſum: & cum mediocritatẽ habeant, crasſiores quidem ſunt atq; dicũtur aquoſis, tenuiores uero grumoſis: multæ uero cum ratione excernuntur, quia prius fuere retentæ, quo tempore craſſæ exiſtẽtes difficulter exibant.

LXX.

QVIBVS urinæ perturbatę, quales ſunt iumentorum, his dolor capitis uel adeſt, uel aderit.

Hunc nonnulli aphoriſmum cum ſuperiori cõiungunt, tanquam eius partem, ita ſcribentes. Quibus urinæ obuerſæ, hiſce dolores capitis. Et uolũt quidam uerbum, obuerſæ, contrarias oſtẽdere his, quas antea grumoſas & craſſas nominauit, id eſt tenues: nonnulli uero ipſas urinas perturbatas. Falſum autem eſt quòd urinæ tenues ſint cum dolore capitis. Videntur enim dolores capitis aliquando antecedere, aliquando ſimul eſſe cum perturbatis urinis. & qualesnam hæ ſint manifeſte monſtrauit, inquiens, Quales ſunt iumentorũ. & tales fiũt ma-

teria craſſa ac denſa à calore agitata. Hæ enim uidentur maxime & ab extrinſeca caliditate in ſpirítum ſolui, ſicuti bitumen, pix, atque reſina. Nonnullæ igitur urinæ longo tempore manent perturbatæ: nonnullę uero cito ſedimen craſſum habent, & cito morbum ſolutũ iri ſignificant. Quæ uero nõ reſident, ſi uires adfuerint, longum fore morbum oſtendunt, ſi imbecillitas adſit, ægri mortem præ-
nuntiant. Hæc quidem ex ſuperabundanti à nobis ſunt dicta, quoniam non carent utilitate: quæ uero ad ipſum attinẽtia aphoriſmũ adhuc dicere oportet, ſunt iſta. Vrinis perturbatis capitis dolores neceſſario aut adſunt, aut aderunt, ut inquit Hippocrates: quoniam ſpiritus flatuoſus unà cum calore prompte fertur ad caput. Non tamen ſiquis dolet caput, aut doliturus eſt, huic omnino tales ſunt urinæ futuræ. Fiunt enim dolores capitis etiam ex calore ſolo, nonnunquã uero ex flaua bile, quæ uel in capite, uel in uentriculo cõtinetur, & ex humorum abundantia caput opprimẽte, uel propter aliquam loci obſtructionem, uel ſpiritu flatuoſo habente in parte ipſa generationem, quorum nihil talem facit urinam ex neceſsitate.

LXXI.

QVIBVS ſeptima iudicatur, his nubeculam habet quarta die urina rubeam, & alia, ex ratione.

Sicuti in pluribus aliis ſeipſos imperitos artis Hippocratis oſtenderunt plurimi eorum qui eius librum expoſuerunt, ſic & in iſto. Putant enim adiecta fuiſſe aphoriſmo. Et alia, ex ratione, quæcunque circa ſomnos, uel uigilias, uel reſpirationem, uel accubitum, uel ſurrectionẽ, uel tale aliquid ex his quæ in ꝓgnoſtico ſcripſit: ut ſi hęc omnia bene facta uideãtur, poſt ſeptimũ futurã ſperemus iudicationẽ. Videtur aũt ignorare capita maxima ad

præcognitionem facientia. Vigilant enim magna ex parte, & grauiter se habẽt, ac febriunt uehementius ægri quanto iudicatio magis appropinquat. Plures uero eorum prope iudicationem spirant etiam difficulter. Non igitur signum quod exuriuis apparet, talibus indiget casibus ad firmiorẽ futuræ iudicationis spẽ, sed multis aliis quæ frequentius, quàm istud apparent: de quibus nihil uidẽtur cognoscere, qui audent Hippocratis cõmentarios exponere prius quàm totam ipsius artem perdiscant. Nam cum quarta dies sit index, quemadmodum ipse edocuit, & qualis sit futura septima nunciet: omne quod in ipsa dignum effatu signum coctionis apparuerit, futuram septima die iudicationem ostendit, adeo quòd non solum rubra aliqua nubes apparens, antea non uisa, iudicationẽ significat, sed & alba multo plus ipsa: adhuc autem magis & sublimamentum album, æquale, atque consistens. Si uero uelociter admodũ morbus mouetur: & mutatio coloris, & cõsistentiæ, sunt sufficientia signa futuræ iudicationis. Tenuis itaque urina si mediocriter crassa efficiatur, & si alba ruffa fiat, in tali morbo iudicationem significat. Vnius itaque signi nominatim Hippocrates meminit, urinæ scilicet rubræ. Dignum autẽ existimat, ut sicuti hoc, ita & alia ex ratione intelligamus, quæcunque futuras iudicationes ostẽdunt. Sunt autem hæc quæ in diebus ab ipso uocatis indicibus, & contemplabilibus fieri consueuere, uel in urinis, uel in excrementis alui inferioris, uel sputis: semper enim hæc talia omnia iudicationes significant, non tamen bonas semper. Solis enim coctionis signis in diebus contemplabilibus apparentibus, bonæ futuræ iudicationes indicantur. Sensus ergo uerborũ aphorismi talis est. Meminit autem nubis rubeæ tanquã signi perrari. Albæ enim frequentissime apparent,

aph. 24

& sunt signum coctionis manifestum. Rubeę uero raro fiunt: & nisi hoc in loco de ipsis dixisset Hippocrates quòd in diebus indicantibus apparentes futuram nunciant iudicationem, forte nemo talem ipsis adesse uim expectaret: siquidem Hippocrates colorem rubeum quidem salutarem, diutinum tamen esse uult. Nam in Prognostico ita ad uerbum scribit, Si uero urina fuerit subrubea, & sedimẽ sub rubeum & lęue, magis quidem hęc diutina, quàm illa, sed admodum salubris. Nunquid igitur quarta die talis nubes apparens futuram in septima iudicationem significabit, in alia autem aliqua indice non significabit, diligentius est inquirẽdum, quod in ipsis operibus est obseruandum. Nam quantum ad rationes attinet, sunt ad utranque partem argumenta, & magis ad alteram, quod non significabit nisi morbus ualde uehementer moueatur. Nam si quarto die fiat, æquale tempus priori, id quod sequetur assumens, non est impossibile quòd iudicationem ostendat. In undecimo autẽ apparens, non mihi uidetur ad morbum tribus solis diebus egere, sed etiam pluribus. uerisimum siquidem est colorem talem aliquid suffragari solutionibus. Ego quidem raro signum tale in aliis diebus uidi præter quartũ. Cui uero in septimo apparuit, hic quartodecimo fuit iudicatus: cui uero quartodecimo, hic in uigesimo. Apparuit autem cuidam alteri in undecimo, q decimoseptimo iudicatus est: & cuidam alii in eodem undecimo rursus, qui uigesimo die fuit iudicatus.

LXXII.

QVIBVS urinæ albæ, & perspicuæ, malæ. præsertim si in delirantibus appareant.

Vrinæ tales extremam cruditatem significant, quare & morbos longos faciunt: quędam uero ex

ipſis, cum anticipauerint uires diſſoluere, ſunt pernicioſæ, ueluti in deliriis: nullum & enim uidi delirantem, in quo talis urina apparuiſſet, ſaluatū. Melius ſiquidem eſt, ut ſicuti totus morbus eſt biliosus, ſic & urinæ appareant bilioſæ. A quoſæ autem urinæ (tales enim ſunt albæ, atque perſpicuæ) magnam cruditatem oſtendunt, & præterea flauā bilem uniuerſam ad caput ſolūmodo rapi. Quibuſdam enim urinæ perſpicuæ non tamen albæ, quæ ſcilicet tenuem habent ſubſtantiam, colorem uero biliosum. Quæ uero ꝑſpicuæ ſunt & albæ ſimul, ſunt penitus aquoſæ. Si igitur ſimpliciter ſcriptum ſit, Maxime uero in delirātibus, horum uerborum intellectus eſt manifeſtus. Si uero fini ſermonis adiiciatur, ſicuti in aliis exemplaribus uidetur adiectum uerbum, appareāt, ſenſus erit talis: A quoſæ urinæ malæ ſunt, præcipue uero tales apparent in delirantibus qui exitio proximi ſunt. Neq; enim in omnibus, quemadmodum nonnulli libri expoſitores audierunt, nihil ſcientes ex his quæ in ęgrotis apparent. In quibuſdam autē exemplaribus ita ſcriptus eſt finis aphoriſmi, Præcipue uero in delirantibus tales apparent, & eſt idem intellectus qui ſecundæ ſcripturæ antea à nobis dictæ.

LXXIII.

QVIBVS ilia ſuſpenſa murmurātia, lumborum dolore ſuperueniente, his alui humectantur, niſi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proueniat, hæc uero in febribus.

† Hypochōdria. Quum † pręcordia ſuſpenſa, hoc eſt ad maiorē tumorem deducta ſint multis de cauſis: earū una eſt ſpiritus flatuoſus, de qua nunc diſſerit, quæ dupliciter fit, nonnunquam ex aliquo affectu difficilē habente ſolutionem partium ad aluum attinentiū, nonnunquam uero ex aliqua recenti occaſione. Diſtinguit autem Hippocrates iſta. Nam prior diſpoſitio neque cum murmure fit. extenta enim atque inflata inſtar utris ilia in ea repræſentantur: Altera uero cum murmure. Sic autem nominatur ſpiritus ſonus, cum neque magnus, neque multus extiterit, cum quadam autem modica humiditate ad inferiora mouetur. Et accidit quidē tali murmuri deſcendenti ad lumborum loca, unà cum ipſo præcordiorum tumorē deportare, unde partibus quę hic ſunt ex ipſo diſtentis, prouenit dolor: deinde hoc pacto humore aliquando ad corpus diſtributo, ſolus ſpiritus flatuoſus emittitur, nonnunquam uero unà cum humore. At uero & humor diſtributus magna ex parte ꝑ urinas excernitur. Recte ergo inquit in dictis ſignis aluum diſrumpi, niſi anticipet, ſeorſum quidē humor diſtribui, ſeorſum uero ſpiritus in inteſtinis retentus per ſedem excerni. Contingit uero quandoque utrunq; adcorpus diſtributum, uidelicet & ſpiritum & humorem, facile ad ueſicā permeare. Quod uero in fine aphoriſmi ſcribitur, In febribus uero hæc, tale aliquid mihi uidetur oſtendere: à febribus moleſtari dicebant antiqui illos, qui abſque inflāmatione, uel abſceſſu, uel dolore, uel eryſipelate, uel (ut ſimpliciter dixerim) abſq; aliquo mēbro pręcipue affecto ægrotabāt. Quòd ſi propter lateris inflammationem, uel pulmonis, uel talis partis alterius febricitarent, non febricitantes ipſos nominabant, neque à febribus moleſtari dicebant, ſed pleuriticos, aut peripneumonicos, & aliis ſimilibus nominibus, ueluti hepaticos, & lienoſos, appellabant. Nunc itaque mihi uidetur Hippocrates duorum alterum uelle inſinuare, uel quòd hæc quæ dixit, febribus accidunt, in quibus nullum membrum affectū eſt, uel quòd & in illis accidunt morbis, non tamē ipſis aluus diſrupta ſit, uel flatus, aut urinæ prodie-

rint. Neque enim aliquo naturæ motu membris ſpiritum flatuoſum expellentibus murmur in iliis contingit fieri. Sed ueluti caſum tantummodo.

LXXIIII.

QVIBVS ſperatur abſceſſum futurũ ad articulos, liberat ab abſceſſu urina multa, craſſa, & alba facta, qualis in laborioſis febribus quarto die quibuſdam incipit fieri. Si uero etiam ex naribus fluxerit ſanguis, breui admodum ſolutio fit.

Dictum eſt à me etiam prius ꝙ abſceſſus fiunt ad articulos his qui in eis laborem paſſi ſunt, & ꝙbus quouis modo in morbo articuli laſſati ſunt, & præterea in quibuſcũque craſſorum humorum multitudo longo tempore perduraſſet. Si itaque natura ualuerit per urinã expurgare corpus, æger ab abſceſſu liberatur, humorem ad articulos decubiturum per ueſicam euacuans. Satis autem habuit laborioſarum febrium ueluti in quodam exẽplo meminiſſe, quæ initium ad urinam motionis in die indice accipiunt. His enim laborioſis hoc ineſt, ꝙ cito abſceſſus faciunt, non expectantibus, ut aliæ, tempus prolixius. His uero ipſis & iuxta auré fieri abſceſſus conſueuere, ſicuti aliis prolixioribus multitudo plus ad inferiora decumbit. Quibus igitur caliditas maior magis materiã ſubleuauit, uel ſanguinis profluuium patiuntur, aut parotidas, id eſt iuxta aures abſceſſus, habent. Quòd autem ſolutio hæc ocior ſit altera per urinas, non oportet dicere: quare & in ipſa adiecit Hippocrates, Et breui admodum ſolutio fit, altera quæ fit per urinas euacuatione plures exigente dies. Quod aũt quarto die dicitur, pro exemplo poſitum eſt. Te uero oportet transferre ad omnes dies alios quicũque ſunt contemplabiles, & iudicatorii.

LXXV.

LXXV.

SI SANGVINEM, aut pus mingat: aut renum aut ueſicæ exulcerationem ſignificat.

Siue in renibus, ſiue in ueſica ulcus factũ fuerit, ſi quidem in uaſe aliquo effatu digno conſtiterit, & præcipue cum aliqua exeſione, ſanguinis excretio conſequitur, ſine hoc autem puris tantummodo. Contingit autem ut facto ulcere in aliquo urinæ meatuum, & pus, & ſanguis per urinam exeat. Hi uero renes ac ueſicam interiacent, & oportet, hos illis ſubaudire. Exulcerantur autem magna ex parte his qui in renibus lapidem habent, meatus urinarii, quando à lapide aliquo acuto, aut admodum aſpero in ipſis interſepto excoriantur. Vlcera autem ſi in pene fiant, etiam ſine urinis & pus exit & ſanguis. Exit autem & ſimul cum urinis aliquãdo pus diſrupto abſceſſu in aliquo ſuperiorũ locorum. Quare (ut arbritror) & plures expoſito res alteram ſcripturam magis probarunt, in qua coniunctio, &, ſcribitur, in hunc modum, Si ſanguinem & pus minxerit, renum, aut ueſicæ ulcerationem ſignificat. quaſi altero ſolo, ſcilicet pure, per loca urinæ exeunte, fieri poſſit, ut ſit ſignum non modo renum, uel ueſicę exulceratæ, ſed etiam alicuius partium ſuperiorum. Forte igitur & hi aliquid dicunt. Forte aũté & uerbum, mingat, quod aliud oſtendit, quàm minxerit, in ſeipſo continet diſtinctionem. Neque enim idem eſt, uel ita dicere ſi ſanguinem & pus mingat: uel illo modo, Si ſanguinem & pus minxerit. In uno enim, uel duobus uel tribus diebus potuit minxiſſe pus diſrupto abſceſſu ad urinæ inſtrumenta. Multis autem diebus ac menſibus, ubi hoc factum fuerit, renum aut ueſicæ exulceratio ſignificatur. Quod autem ipſorum magis, & dolor diſtinguit qui in differentibus

accidit locis,& ea quæ cum urinis excernuntur,de quibus deinceps loquetur, de urinariis quidem meatibus eadem est ratio.

LXXVI.

QVIBVS IN urina crassa existente,carunculæ paruę,aut ueluti capilli unà exeunt,his à renibus excernitur.

Paruæ quidem carunculę renum substantiæ indicia sunt,qui uero uti capilli,nullo modo renum. Neque enim fieri potest,ut ad talem substātiæ formam ren dissoluatur. Qui enim hoc aiunt renum ignorant naturam, sed neque uesica resoluta aut exesa,ut quibusdam uisum est,tales urinæ exeunt. Sunt enim huius particulæ foliorum similes magis,sicuti & Hippocrates paulo post,eas squamas appellat. Sed ueritas ita se habet,quod nobis sorte quadam sæpius uidere contigit: sed alii quidam medici,quātumuis in operibus artis multum exercitati,raro se aiunt uidisse urinas tales. Vocant autem recētiores hanc passionem capillitium,quoniam capillis similia sunt,& albis magis similia apparent,quæ in urina feruntur. Nuper autem quidam talia corpora tam longa mingebat,ut incredibilis longitudo uideretur. nam quidam ex ipsis ad dimidium cubitum extendebantur. Hic uero toto ferè anno qui antecesserat, in usu cibario habuerat orobum,& fabam,& sæpissime caseum terenerum, ac siccum: & pluribus aliis talia mingere contigit, qui cibis crassioribus uescebantur. Tali igitur humore in renibus usto, capillis similes substantiæ generantur. & quidem modus ipse curandi rationi, quæ de causa habetur, attestatur. Nam ab extenuantibus, atque incidentibus medicinis,adhibito etiam alio uictu humectante ægri curantur. Si uero tanta esset exulceratio renum aut uesicæ,quòd eorum substantia dissolueretur,non modo nihil ex talibus medicinis iuuarentur,sed supramodum irritarētur. In his itaque,sicuti & in aliis, Hippocrates dignus est admiratione,eorum inuentor quæ à pluribus mediocris ad hunc usque diem fuere ignota. Ipsa quoq; sermonis diligentia magnam habet admirationē, cum dicat talia ex renibus excerni. Neque enim sicuti in priore aphorismo renum causatur exulcerationem,ita & nunc dixit: uerum simpliciter ex renibus inquit excerni: quēadmodum si aliquo mingēte lapidem,ex renibus ipsum excerni dicamus, non quòd sit pars substantiæ eorum,sed quoniā in ipsis suā habuit cōsistentiā. Paruæ igitur carūculæ substantiæ renum ulceratarum partes existunt: qui uero ueluti capilli,in renibus quidem consistentiā accipiunt,ueluti alii lapides: non sunt autem partes eorum substantiæ. Male ergo in omnibus exēplaribus hic aphorismus sine particula,aut,legitur Carunculæ paruæ,ueluti capilli. Nullo enim modo carūculę paruę assimilātur capillis. Verū oportet inter uerbū, Paruæ,& alterū ueluti,mediā ponere dictionē, Aut: tanq̄ Hippocrates non de una re,sed de duabus faciat suo sermone mētionē,quarū una est Carnes paruæ: altera uero, Veluti capilli. In his igitur q̄ sunt ueluti capilli,semper urina est crassa: quū pituitosa substātia q̄ uenæ aggregatur,p̄ renes expurgetur. In carunculis autem non est necessarium,immo nunquā talē uidi renū dispositionem, sed quæ sunt ueluti carunculæ,sæpius à me uisæ sunt in illis febribus,in quibus & quę sunt similia orobis sedimina conspiciuntur, sanguine crasso in renibus, aut in hepate exusto. Non tamen ueras caruncu las unquam uidi cum urina exeūtes. Puto igitur posse cōtingere,q̄ crassa urina ab ipso dicatur,q̄ secūdū naturā est mediocris

Hæc enim tenui quodammodo oponitur. Neque nos latet quòd propriæ quidem secundum excessus oppositiones ita nominātur: per abusionē autem, & medio, & mediocri, extremorum nomina tribuuntur: cum & ad maxime crassum, tenue, & ad maxime tenue, crassum nominetur. Quod si ita audiuerimus, sermo talis erit: Quibus in urina quę tenuis non est, ea quæ diximus exeunt, renum est passio: si uero urina sit tenuis, totum uenosum patitur genus. eundem intellectum mihi uidetur etiā in sequenti ostendere aphorismo.

LXXVII.

QVIBVS IN urina crassa, furfurea quædam simul exeunt, his uesica scabie laborat.

Quando urina tenuis fuerit: haud secundum naturam uenæ se habent. Quū uero non tenuem, sed mediocrem habuerit substātiam (in quo significato crassa accipere oportet hoc loco) ea quę simul cum tali urina excernuntur, circa renes aut uesicam passionem ostendunt. Quum enim ex uenis urina ueniat, in renibus autem percoletur, in uesica uero aggregetur: quicquid in ea præter naturam apparuerit, aut uenas, aut renes, aut uesicam male se habere indicabit, sicuti & nunc furfurea, uesicam scabie laborare, quando uenæ nullum affectum habent. Feruntur enim & ex ipsis aliquādo furfurea, quū earum tunica patitur, quemadmodum & uesicæ, uel quū sanguis qui in ipsis cōtinetur à febre ardēte peruritur. Aptior autem ad hoc est quicunque humor in eis crassior existit, & magis qui ueluti fex sanguinis est, quem solemus humorem melancholicum nominare. Sicuti enim cutis superficies (quā † cutem superiorem nominant) in scabie, lepra, atque lichenibus tenue quid abiicit, quale quod serpētum senectus nominatur:

† ἐπιδέρμιδα.

sic ubi in partibus interioribus ea quæ est ueluti cutis, tale aliquid patitur, & casus erit passioni similis. hac ratione igitur, & uenæ ipsæ, atque uesica scabie laborantes furfureos cortices unà cum urinis emittent. Distinctio autem fiet ex tenuitate, ac crassitudine urinæ, ut antea diximus. Tenuis enim urina uenas, non tenuis autem uesicam pati indicabit.

LXXVIII.

QVICVNQVE sponte sanguinem mingunt, his à renibus uenulam ruptam significatur.

Quod dicitur, sponte, potest idem quod sine causa exteriori ostendere: potest & quod ueluti repente, nullo casu præcedente, quales apparent uesica ulcerata. In ipsa enim uenam rumpi ex influentis sanguinis abundantia, quemadmodum euenire solet in renibus, est imposibile. Neque enim per eius uenas sanguis percolatur, sed solum tantum quantum ipsi sufficiens contribuitur. Præterea neque uenæ quæ in uesica, nudæ aut instabiles natura sunt, sicuti quæ renum uentres subintrant, quarum ora aperiuntur, & quæ aliquando disrumpuntur propter humorum multitudinem ac crassitudinem, qui in ipsis cōtinentur. Disruptio itaque puri sanguinis facit euacuationem. Ora autem aperta non subito plurimum sanguinem effundunt, præsertim cum parua est apertio, sed paulatim, atque tenuius percolant, unde totam urinam subsanguineam efficiunt. Fit autem, ut dixi, & uenis uesicæ exesione laborantibus, sanguinis euacuatio, quam antecedunt ulceris signa in uesica existentis, hoc est & loci dolor, & pus, & sæpe ipsius corporis uesicæ quædam ueluti frustula. Hac ratione igitur melius uerbum Sponte, pro Repente, accipere: & non pro Sine causa manifesta: siquidem sanguis ex

renibus sæpius,& sine causa excernitur manifesta, uase ex multitudine rupto: sed aliquando ob salsum uehementiorem, uel ex alto casum, uel ictum.

LXXIX.

QVIBVS IN urinis harenosa subsistunt, his uesica laborat calculo.

Non omnino uesica laborat, sed contingit & renes: quare manifeste errat aphorismus, siue quia Hippocrates ipse dimidiam partem sermonis neglexerit, siue quia primus librarius omiserit. Siue enim in renibus, siue in uesica calculi generentur, unà cum urinis exeunt arenosa.

LXXX.

SI SANGVINEM mingant, aut grumos, uel stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat uentrem, & pectinem, & femen, circa uesicam labor est.

Duobus modis finis scribitur aphorismi, in quibusdam exemplaribus Labor est: in quibusdam Morbus est: & ferè in hoc nihil inuicem scripturæ differunt. Communiter autem ambæ errant, si quis intelligat circa uesicam ab Hippocrate dici, quasi ipsam uesicam laborare dixisset. Nam hi quos memorat casus, communes sunt omnibus quæ urinæ seruiunt instrumentis, uesicæ, renibus, urinariis meatibus. Melius itaque hoc modo, quæ circa uesicam, accipere, non tanquam sola uesica significetur, sed & partes quæ illi annectuntur. Adhuc autem magis, ut ita accipiamus, hortabitur sequens aphorismus, in quo non quæ circa uesicam ægrotare dicit, sed ipsius uesicæ esse exulcerationem: quum non idem sit pati aliquid solam ipsam uesicam

simpliciter enunciare, uel quæ circa uesicam.

LXXXI.

SI SANGVINEM aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, uesicæ exulcerationem significat.

Sanguinem quidem & pus ubi quis minxerit, omnium instrumentorum quæ urinæ obseruiunt sunt signa communia. Odor autem grauis hoc est molestus, adhuc autem magis & squamulæ sunt propria uesicæ. In pluribus igitur exemplaribus, Si sanguinem & pus minxerit, scriptum inuenitur. In quibusdam uero, Si sanguinem uel pus minxerit. Ostendet autem hæc scriptura secunda coniunctionem, Aut, esse disiunctiuam, quasi utrumlibet horum quæ dicta sunt, significet ulcerationem: altera uero uult ambo asidere, uel simul inuicem, uel alternatim.

LXXXII.

QVIBVS IN urinaria fistula tubercula nascuntur, his suppuratione facta & eruptione, solutio.

Ob sermonis breuitatem nihil effatu dignum hoc haberi aphorismo suspicabitur quispiam. Promptum enim est unicuique intelligere, quòd in meatu urinario, qui in pene est (hunc enim meatum fistulam urinariam nominant) si consistant tubercula, & mox rumpantur, fieri solutionem. Verum si diligentius animaduertimus, maius aliquid ex eo ostenditur. Contingit enim urinam aliquando retineri ob tale tuberculum, ex cuius disruptione sanitas proculdubio sequetur: Verum ex dictis quædam dubitatio suboritur. Vtrum solum uelit hæc quæ in hoc loco sunt nata tubercula rumpi: uel sæpius

quidem hoc accidere, fieri tamen posse, ut etiam dissoluantur: uel exemplum solutionum unum hoc aliquod scripsit, disruptionem: quod & uerius existit.

LXXXIII.

MICTIO NOCTV plurima facta, paruam significat deiectionem.

Quod quidem necessarium sit uentris humore distributo, minorem fieri alui deiectionem, unicuique manifestum. sed cum hoc & unà illud apparet, quòd eo unà cum cibis exeunte, aluus quidem humidior fit, atque ideo plura deiiciet, urina uero paucior excernetur. Docebit autem nos hæc ipsa ratio, & alui fluentis, & siccæ remedia. Inquibus enim supra modum humida aluus deprehenditur, his potum minorem exhibebimus, ac præterea illi uiam ad ueficam parabimus: in quibus uero siccior, & plus dabimus potus, & distributionem quantum fieri poterit prohibebimus.

GALENI IN APHORISMOS Hippocratis Commentarius Quintus, Nicolao Leoniceno interprete.

APHORISMVS I.



ONVVLSIO ex elleboro letalis est.

His qui elleborum acceperunt, album scilicet: hunc enim simpliciter elleborum nominare consueuerunt, non sicuti nigrum, cum adiectione: his inquam, si ex purgatione conuulsio aduenerit, casum esse ait letalem. Fit enim non ab iniitio purgationis, quando periculum est ne homo stranguletur, sed quando uomentes uehementius lacerantur, propter ipsam quidem maxime quæ fit in motibus distentionem laborantibus neruis, ob illam quam habent cum ore uentriculi in patiendo societatem. In quo & aliàs uidimus, ubi fortius mordetur, fieri conuulsiones, sicuti adolescenti qui æruginẽ euomuerat. Præstat enim æruginem, non ęruginosum uomitum illum nominare: Erat enim talis, qualis quæ uera ærugo nominatur florentissimus: uerum inter uomendum totum corpus conuulsum est, & ęrugine euacuata, febris statim & conuulsio cessauit. Tale autem erat quod euomuerat, sicuti si quis optimam æruginem aqua perfunderet, adeo ut ex eorum unione talis substantia exultaret, quæ defruti crassitudinem repræsentaret. Non impossibile est igitur, ut dixi, & per compatiendi ad os uentriculi societatem, fieri cõuulsionem ex elleboro albo, & hæc foret conuul-

sio minus periculosa. Contingit autem & propter ipsam euacuationem supra modum ipsis purgatis conuulsionem aduenire: sicuti & choleram patientibus contractiones frequenter adueniunt, & sæpius, ac maxime eorum qui sunt in furis musculorum. Sed neque & illud est impossibile propter pharmaci efficaciam ex neruis humiditates ad se ui attrahentis, ex hac mala affectione fieri conuulsionem. Sed & ellebori aliquando ui ad sui distributionem impulsa uehementius, contingit neruorum substantiam uiolentius exiccari. Ipse enim nos docuit Hippocrates, quòd fit conuulsio ex repletione & inanitione corporum uidelicet neruosorum, à quibus secundum electionem motus perficiuntur. Sunt autem hæc, nerui, ligamenta, musculi, & tendones: sicuti enim in exterioribus uidemus lora & cordas extentas, ubi uehementius exiccentur, aut multa madeant humiditate, sic & in corporibus animalium par est fieri non raro conuulsionem. Liquet igitur quòd ex repletione conuulsio sanabilis est per euacuationem. Ea uero quę fit ex inanitione, & neruorum siccitate, non facile admittit curationem. Fit autem, ut dixi, & propter compatiendi societatem conuulsio, quam non debemus, existimare fuisse ab Hippocrate prætermissam. Eam enim quæ primum fit, conuulsionem ostendit, quum ait. conuulsionem ex repletione, atque inanitione generari. Et quidé nouimus etiã morsus ratione fieri in ore uentriculi singultum, adeo ut quispiam & neruos itidem pati existimauerit. Et uidebitur ista conuulsio his qui ab elleboro purgati sunt, non dicta ab Hippocrate, aliquando fieri: nisi per Iouem illam dixerit quispiam fieri ex inanitione, quum humores mordaces uim habeant exiccandi. Hi itaque modi sunt eorum, qui ex elleboro conuelluntur. Sanatur

autẽ ex ipsis, & quę propter morsum, & quę propter distentionem ex uomitibus fit: quæ autem ex siccitate accidit, insanabilis est. Non absque ratione igitur totum hoc genus Hippocrates ait esse letale, quoniam nonnullæ eius species cum difficultate sanantur. Vna autem insanabilis est.

II.

CONVVLSIO ex uulnere, letalis est.

Sicuti in eo qui hũc antecedit aphorismo, mortalem dixit esse conuulsionem, quod idem est, ac si diceret periculosam, atque ad mortem sæpius terminantem: sic & nunc eam quæ fit ex uulnere, conuulsionem letalem dixit esse, non tanquam ex necessitate ac semper mortem afferentem, sed tanquam admodum crebro: sic & in multis ex prioribus aphorismis, letalis nomine uisus est uti. Ex uulneribus igitur fiunt conuulsiones, ratione sequẽtis ipsa inflammationis, ubi partes neruosas attigerit. Et primum quidem uidentur conuelli, quæ è directo sunt partium inflammatione laborantium, deinde sic postquã & principium ipsum attigerit, passio ad totum extenditur corpus.

III.

VBI SANGVIS plurimus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniens, malum.

Non aliud qdẽ ostẽdi est existimãdũ ex priori nomine, letale: aliud aũt nũc, cũ malũ dicit. Cõsueuit siqdẽ Hippocrates casus illos ita nominare, quos letũ sæpe subsequtur. Si cui uero per magis, & minus differre hæc nomina uideantur, maius periculum per uocem, letale, quàm per, malum, ostendetur. Quæ igitur fit ex plurima sanguinis profusione conuulsio, est ex altero genere causarũ ipsam efficientium, ut antea dictum est.

IIII.

EX SVPERFLVA purgatione conuulsio, aut singultus superueniens, malum.

Quod aliquando his qui elleborum sumpserunt, diximus fieri, hoc nunc ostendit in omnibus qui quouis modo purgantur. Conuelluntur enim qui ultra modum purgantur eadem ob causas, quas diximus in his qui elleborum assumpserũt, & his qui hac ratione laborant, non paruum periculum imminet. siquidem peior multo est ea quæ fit ex inanitione conuulsio, altera quæ fit ex repletione. Quòd autem & singultus conuulsio sit stomachi secundum Hippocratem, nos utique nouimus.

V.

SI EBRIVS quispiam repente obmutuerit: conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ubi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, uocẽ recuperet.

Repletis neruis talis conuulsio fit. Solet autem facillime eos replere uinum, ut quòd calidam habeat tẽperaturam, talis siquidem natura prompte omnia subintrat, præsertim quũ non admodum crassam substantiam habuerit. Substantiæ igitur copia neruis affert conuulsionem. Rursus autem qualitate sanat eam quam fecit dispositionem, neruos calefaciendo atque exiccando. & si hoc aliquando facere nequeat, mortem subsequi est necesse. Qua autem ui diximus uinum sanare conuulsiones, eadem uidelicet & febris sanat. Hic uero maxime obseruanda est Hippocratis consuetudo, qui mutos nominat illos qui quouis modo obstupuerunt. Verum proprie stupor nominatur totius corporis insensibilitas, atque immobilitas

repentina. Hanc itaque dispositionem consueuit Hippocrates ex uno casuum nominare, & fit proculdubio neruorum principio patiente. Neq; n. aliter potest omnino cõuelli corpus, anteq̃ id principium patiatur, uel principaliter, uel p cõpassionem, altero prius patiente membro. Liquet autem noxam ex uino factam à græcis omnibus κραιπάλην nominari. sic quidem igitur & nonnulli uocabuli fecere etymologiam, à κάρηνον, quod significat caput, & πάλλεσθαι, concuti. Horam autem qua crapulæ soluuntur, tempus nominauit. Est autem hoc tempus non præcisum, neque circumscriptum omnibus una mensura. Quidam enim postridie à crapula sunt liberati, quidam uero sequenti nocte, quidam uero tertio die, & fit hoc pro multitudine ac ui epoti uini, & eius qui potauit natura. Sicuti igitur neque cibus unum habet in omnibus tempus coctionis præfinitum, sic neque uinum. Aut igitur oportet nos ægri naturam habere experientia compertam, aut postremum terminum obseruare: in quo si neque febricitare, neque loqui anticipauerit, conuulsus omnino morietur.

VI.

QVICVNQVE à distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si uero has effugerint, sani fiunt.

Distentio morbus peracutus est, ut quæ composita sit ex illa, quam emprosthotonon, id est ad anteriora distentionem, & opisthotonon, id est ad posteriora distentionem, Græci nominant: quare merito in ipsa citius fit iudicatio, non tolerante natura longiori tempore quem fert distentia laborem. In primo igitur circuitu dierum iudicatoriorum passio iudicatur.

VII.

QVIBVSCVNQVE morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: Quibuscunque autem uigesimoquinto, commoriuntur.

Passionis mutatio.

Proprie quidem passionis mutationes nominant, quando ex una parte transeunt ad aliam: per abusionem autem, & omnes solutiones ita nominantur. & mihi uidetur Hippocrates in secundo significato usus esse appellatione. Non modo enim ad alias partes translatis his qui morbum comitialem humoribus faciunt, soluitur passio, sed etiã omnino curatis. Sunt enim hi crassi, ac frigidi, & pituitosi. Cessant autem & ob ætatem ad siccioremnaturam transmutatam, & ob exercitationem & uictum exiccantem, adiunctis ad hæc idoneis medicinis. Verum Hippocrates nunc solum eius meminit mutationis, quæ ex ætate fit, à qua docti, & formam uictus unà cum medicinis inueniemus. Quod igitur in altera parte aphorismorum dicit:

v. aph. 27 & 7 aph. 29.

Qui morbo comitiali laborant, si iuuenes fuerint, magnis mutationibus, maxime ætatis & regionũ, & uictus, & locorum, liberantur: hoc nunc in ipsis passionibus declarauit, morbos comitiales qui ante pubertatem fiunt, cessare ex ętatis cõmutatione: qui uero ultra uigesimumquintum annum procedere, commori inquiens. Vnde liquet quòd

Pubertatis ipsi.

pubertatis tempus usque ad uigesimumquintum annum extendi arbitratur, sumens initium in secunda septimana. Liquet autem quòd neque omnibus sanabitur passio ex pubere ætate, nisi & alia recte gesserint: neque quibus in hac accidit, omnino permanet, si bonam uictus rationem adhibeant. Verũ quòd non habeant ex ætate sanationem, sed quantum ad eam, attinet, passio consenescat, liquido

ostendit. Non tamen adhuc manifeste dictum est, quanuis uideatur manifestum his qui negligentius accipiunt uerba illa, Quibus uero uigesimoquinto anno, commoriuntur. Neque enim his solis passio commoritur, quibus uigesimumquintum annum agentibus aduenit: sed multo magis etiam his qui ultra hanc ætatem progressi sunt. Addentes igitur sermoni Hippocratis illud quod deest, uerum ex omni parte ipsum faciemus, Morbi comitiales qui quidem ante pubertatem fiunt, in eius ætatis tempore finiunt: qui ultra pubertatem procedunt, commoriũtur. Tempus autem pubertatis est post quartumdecimum annum usque ad uigesimumquintum. Est autem & alia scriptura talis: Quibuscunque uigintiquinque annorum fiunt, multi commoriuntur. significante uerbo, multi, idé quod plurima ex parte.

ũ ßu.

VIII.

QVICVNQVE morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, hi ad suppurationem uertuntur.

Eam quę fit per sputa euacuationem humorum facientium morbum lateralem solet Hippocrates purgationem, ac repurgationem nominare: sicuti & istos expuere, purgari, tam in libro de uictu acutorum, quàm in prognostico nominauit. Verum nunc & tempus præfinit purgationis, in quo si nõ fiat, ad suppurationem ait morbum uerti lateralem: aut omnem quæ fit ad pus transmutationem ita nominãs (sicuti in prognostico sæpius) aut eam quæ fit inter thoracem & pulmonem puris effusionem: fit enim utrunque horum, quando morbo laterali laborantes non expurgantur per sputa. Verũ secundum quod diximus, ipse in sequentibus eruptionem suppurationis nominauit.

IX.

TABES FIVNT maxime ætatibus, à decimo octauo usque ad trigesimumquintum.

In superioribus aphorismis quando morbos secundum ætates enarrabat, Iuuenibus autem (inquit) sanguinis sputa, tabes. Nunc uero etiam numerum apposuit annorum, non propterea eadem rursus scribens quæ antea, sed propter passionum thoracis atque pulmonis communionem. Propter quid igitur iuuenes his morbis præcipue corripiantur, antea diximus: De annis autem ætatum nunc determinandum, quoniam & Hippocrates dixit tabem maxime fieri ætatibus à decimooctauo usque ad trigesimumquintum. Quod enim ætatibus numero plurali dicitur, quandam habet significationem, quòd non eandem Hippocrates ætatem existimat esse mediam inter annos enumeratos, neque sanè una est, si diligentius consideramus: uerum ea quæ est à decimooctauo usque ad trigesimumquintum annũ, adolescentium est, quæ autem ab hinc usq; ad trigesimũquintum, iuniorũ.

μεσαίαν ἡλικίαν.

X.

QVICVNQVE ab angina liberantur, his ad pulmonem uertitur, & in septem diebus pereunt: si uero has effugerint, suppurantur.

De transmutatione nunc ipsi est sermo, quæ fit ex angina ad pulmonem, quam ait plerunque ante septimum diem occidere, ægro uidelicet strangulato: si uero id tempus possint euadere fluctione in pus conuersa suppurari.

XI.

QVI tabe molestantur, si sputum, quod extussiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, letale.

Eas quæ sunt in pulmone ulcerosas dispositiones, nunc tabes nominat, in quibus iubet odorem diligentius perpendi, id quod expuitur carbonibus iniiciendo. Sicuti autem prius in ulceribus uesicæ, odorem dixit grauem sentiri, ita & nunc tabidorum sputum grauiter olere. Si uero & ex capite capilli defluant ita affectis, letalem esse notã: quoniam & † maximus alimenti defectus ostenditur, atque aliquando humorum corruptio.

† Si recte uerba græca obserues, sic uertendũ uidet: ultimi alimẽti defectus ostendi. ait enim οὐ δι' ἐπιτηδεύμ οὐδ' οὐ δι' ἐπιτηδεύμ πρόφασις δ' ἀλλ' ἄλλο.

XII.

QVIBVSCVNQVE tabe laborantibus capilli à capite defluũt, hi alui profluuio superuenientes moriuntur.

De his qui ex tabe iam morti uicini sunt, nunc sermo habetur, quos etiam male se habere ostenderat in defluuio capillorum. A lui autem profluuio superueniente, mortẽ appropinquare opinandum, cum hic casus, & mala causa, & malum signũ existat. Fit enim ex uirium imbecillitate, quæ præterea ex ipso casu fiunt imbecilliores.

XIII.

QVICVNQVE spumosum sanguinẽ expuũt, his è pulmone eductio fit.

Et pleraque exemplaria, & quamplurimi huius libri expositores norunt aphorismum in hæc uerba scriptum: Quicunq; sanguinem spumosum euomunt, his è pulmone eductio fit. Et quidam ipsum exponentes aiunt uerbum id multitudinem significare, ac propterea à proprio esse translatum, aperte mentientes contra id quod apparet. Sæpe enim uisus est sanguis spumosus absq; multitudine fieri. Si igitur ita Hippocrates scripserit, ipsum abusum fuisse uocabulo dicemus. Neq; enim sanguis mul-

tus ex pulmone eductionem significat, paucus uero ex alio loco. Si uero expuũt, aut extusſiunt ſcriptum ſit, tunc ꝓprio uſum fuiſſe uocabulo, & oſtendere ſanguinẽ talẽ carnoſam pulmonis ſubſtantiã quę eſt ipſius uera ſubſtantia, affectã ulceribus eſſe, adeo ꝙ uere dicatur ex ſpumoſo ſanguine ſolius pulmonis ulcera indicari: nõ aũt uere ulcerato pulmone ex neceſsitate ſpumoſum expui. Sæpius.n. uidimus quibuſdã ex alto cadentibus, & calcitratis, atque in paleſtra percuſſis, ab illa maxime ictus parte in qua cuipiam ad ſolum ruenti alter ſuper thoracem inciderit, ſanguinem plurimum bene coloratum cum tuſsi expui ſine ullo dolore, quod ratio dictat ex aliquo pulmonis uaſe prodire.

XIIII.

A TABE habito ꝓfluuiũ alui ſupueniẽs, letale.

Paulo antea dixerat, Tabidis quum pus graue olet, & capilli à capite defluunt, alui profluuio ſuperueniente mortem ſubſequuturã. Hic uero ſimpliciter dixit eſſe letale alui profluuiũ in tabe, nulla facta neq; de pure, neq; de capillis mentione, tanquam illud ſolum ſufficiat mortem ſignificare, nõ tamen ita è proximo, neq; tam cito ſequuturam, ſicuti quum defluuium capillorum adiungitur.

XV.

QVICVNQVE ex morbo laterali ſuppurãtur, ſi in quadraginta diebus purgantur, à die qua fit ruptio, liberantur: ſi uero non, ad tabẽ tranſeũt.

Addens ſuo ſermoni ruptionis uocabulum, manifeſtum ſe fecit de illis loqui in quibus lateris inflammatione in ſuppurationem conuerſa, deinde diſrupta, in ſpatio thoracis atq; pulmonis interme dio pus cõtinetur. His.n. omnibus, niſi utplurimũ in quadraginta diebus euacuatio fiat puris ꝙ ſpuitiones purgati: neceſſarium eſt pulmonem exedi, pure proceſſu temporis putreſcẽte. Morbo igitur laterali diem quartumdecimum terminum poſuit purgationis: Suppuratis autem quadrageſimum. Dictum autem eſt plenius de differentia, & aliorũ dierũ iudicatoriorũ, & horũ, in eo tractatu ꝙ inſcribitur de diebus iudicatoriis. Quare ſiqs uniuerſã illam legerit contẽplationẽ: ea quę ab Hippoc. de diebus iudicatoriis dicuntur, prõptius aſſequetur.

XVI.

CALIDVM, ubi quis ſępius eo utatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorũ incõtinentiam, mẽtis torporem, profluuia ſanguinis, animi defectionem, hæc ad quæ mors.

De calidi & frigidi uſu immodico & modico, dictum eſt ſæpius in libro de uſu humidorum. Dicta ſunt autẽ & hoc in loco Aphoriſmorum omnia ferè capita, & primum hoc ipſum, quòd calidũ ſiquis eo ultra modum utatur, has facit paſſiones, carnium effœminationem, hoc eſt debilitatem. dictum eſt enim nomen per trãslationem, quoniam fœmina debilior eſt maſculo, cui adſtipulatur hoc quod ſubiungitur, Neruorum incontinentiã. Hi.n. fiunt imbecilles, eorum ſubſtantia à calore diſſoluta: Et mentis torpor, mentis eſt imbecillitas, ita ſcilicet ſubſtantia cerebri, ſicuti etiam neruorum diſſoluta. Eodem modo & calidi uſus immodicus facit ſanguinis profuſiones in illis ſanè corporis diſpoſitionibus quæ ad ſanguinis profuſionem aptę ſunt. Sequuntur aũt ad ſanguinis profuſiones defectus animi, & ad hos mors, ſicuti & ad alia prius dicta: ſed ad illa quidẽ tempore pluri, ad hæc quidem magis, ad hæc uero minus: ad ſanguinis uero profuſiones, & mentis defectus, ſtatim. Scriptus eſt aũt finis aphoriſmi uario mõ in exemplaribus.

Scripturæ uero omnes dictam sententiam ostendunt. Est autē una hæc, His mors: altera uero hæc, In quibus mors: tertia hæc, Quibus mors: alia, Hæc ad mortem.

XVII.

FRIGIDVM autem conuulsiones, distentiones, liuores, rigores febriles.

Immodicum scilicet frigidum hæc facit, cōuulsiones, & distētiones, & neruorum refrigerationē. Sicuti enim non oportet ipsorum substantiam ab immodico calore dissolui: sic neque ultra modum conuenientem refrigerari, & in unum cogi, ac cohiberi. Ac liuores quidem ex refrigeratione fiunt, & rigores febres aduocātes. Melius autem fuisset ita dicere: Rigores facientes, & conuulsiones, & liuores, & febres. Plenius autem de his seorsum diximus in libro de casuum causis.

XVIII.

FRIGIDVM inimicū ossibus, dentibus neruis, cerebro, spinali medullæ. Calidū uero utile.

Quęcunque partes sunt natura frigidiores (sunt autem in animalibus tales, quæcunq; sunt penitus exāgues) citius ac magis ab immodico frigidi usu offenduntur: iisdem autem rationabiliter calidum conuenientius.

XIX.

QVÆCVNQVE refrigerata sunt, excalefacere oportet, exceptis his quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

Hoc quod nunc dictum est, haudquaquam euertit illud theorema, Contrariorum cōtraria esse remedia: de quo plenius diximus in eo tractatu qui de arte curatiua inscribitur: in quo ostendimus

Contrariorum contraria sunt remedia.

aliud esse theorema maxime necessariū, illa prius curari præcipiens quæ magis urgent, hoc est quæ maius periculū afferunt, sicuti & nunc profluuium sanguinis. Ad hoc igitur prius obsistendū est, deinde quod passum est ad bonam temperiem est reuocandum.

Cū periculosa in primis curanda.

XX.

VLCERIBVS frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulsiones, distentiones.

Si proprio utamur uocabulo, calidum mordax est: Sensus autem similitudine, & frigida aqua uocatur mordax, non cum in cutem simpliciter incidit, sed ulceratam. nam quod mordax futurum sit, eius quod morderi debeat substantiā oportet peruadere: quod in cute secundum naturam se habente frigida aqua non potest efficere, quoniā densior est quàm pro eius substantia cutis. In ulceratis autem, ut quæ rariora sunt peruadere potest per eorum substantiam in profunda subintrans. Dictum autem est plenius de natura mordaciū in libris de potentia simplicium medicinarū. Vlceratis igitur frigidum est mordax: integris autem neque mordax, & cutem facit duriorem eius densando substantiam. Et quidem dolorem efficit insuppurabilem, natiuum refrigerando calorem, qui ulcera ad suppurationē perducit, & ea difflari prohibet quæ dolorem efficiunt. Quæ autem sequuntur, & prius dicta sunt ab ipso, & liuores, & rigores febriles, & conuulsiones, & distentiones.

Calidum proprie mordax.

4 lib. cap. 2

XXI.

EST autem ubi in distētione sine ulceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa ꝑfusio calorē reuocat: calor aūt hęc soluit.

Quæ raro iuuent frigidum, ac calidum, post ea quæ ante dixit Hippocrates deinceps prosequitur: & primum quidem de frigido inquit, sicuti in distentione, liquet autem q & in omni alia conuulsione, in medio æstatis tempore cum bene carnosus fuerit æger ac iuuenis, frigidæ aquæ profusio calorem naturalem reuocans passionē sanet. Vnde & illud fit manifestum, q non sua ui frigida aqua morbum tunc sanat, sed ex accidenti, quoniam iuuenibus bene carnosis reuocationem caloris facit. In alia igitur ætate nil proderit, quoniam neq; reuocationem efficit, quando neq; in hac ullo anni tempore, præterquàm æstate media. Nã aquæ frigidę occursus, aut uincit natiuũ calorem, aut colligit. Vincit quidem cum debilis fuerit: Colligit aũt cum fortis, ipsum diffiari prohibens. Excipit autē eas quæ sunt cum ulcere cõuulsiones, ut quæ nunquam ab aqua frigida sanari queant, neque si æger iuuenis, & natura calidus fuerit, & æstiuo anni tempore, ac regione calida: quoniam (ut & ipse antea dixit) ulceribus frigidum mordax dolorem insuppurabilem facit. His igitur qui in ulceratione conuelluntur ob neruosorum corporum inflãmationem, contrarium uehementer est frigidũ, ut quod neque ulcus sedet, neque corporum neruosorum dissoluat inflammationem.

XXII.

CALIDVM suppuratorium non in omni ulcere magnum ad securitatem indicium, cutē mollit, extenuat, dolorem sedat: rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat: & ex his quæ ad caput attinēt, eius soluit grauitatem. Plurimum autem cõfert ossium fracturis, sed nudis præcipue, eorumq; maxime qui in capite ulcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, uel ulcerantur, & repentibus comesis, sedi, pudendis, utero, uesicæ: his calidum amicum & iudicans, frigidum inimicum & perimens.

Sicuti frigidum conuulsiones & distentiones facere natura aptum, tamē sanat aliquando quanquã raro distentionem: sic & calidum, quantũ ex sui natura ad suppurandum efficax, est aliquando prohibens suppurationem. siquidem ulcera putrida, & simpliciter omnia quæ fluctiones habent, adeo nõ suppurat calidum, quòd his etiam plurimum nocet: & hæc ambo in unum coniunguntur, & nocere ulceribus, & minime suppurare: sicuti contra, prodesse, ac suppurare. maximũ. n. est ulceri signum, ad securitatem, & pus, & medicamen quod habet id faciendi facultatem. Nihil enim male potest aduenire ulceri pus generanti. Quæ igitur conuulsionē afferunt, non suppurantur omnino. Similiter autem & quæcunq; ulcera sunt putredini obnoxia, & quę partes circunstantes exesas habent, & quæ difficulter ad cicatricē perducuntur, uniuersa minime suppurantur: & quæcunq; ex malis ulceribus propriis nominibus insigniuntur, ueluti quæ cancrosa, chironia, telephia, & phagedęnica, id est carnē comedentia nominantur, hæc omnia ulcera non suppurantur. Maximum igitur signum ulceri ad securitatem est pus, & hoc potes coniicere, ex calidi usu. In quibus enim non congruit, uidebis hæc à calido insuppurabilia perdurare. Deinceps autem calidi opera quæ frequenter apparent, enumerat. Etenim cutem induratam mollit, & crassam extenuat, & dolorem sedat, & conuulsiones ac distentiones mitigat: non sicuti frigidum dolorem insuppurabilem efficit, quoniam est à natura nostra alienum, quæ est calor natiuus, quem coauget, ubi mediocriter adhæresit. Calor uero extrinsecus facit hæc omnia quæ dicta sunt, non

nulla concoquendo,& ad melius alterando: quæ dam uero diſcutiendo atq; euacuãdo noxia,ad ſanitatem perducit.quòd ſi non ex toto ſanat,ſaltem dolores mitigat. In capitis uero diſpoſitionibus, & facit hæc eadem,& eas quæ κατὰ ῥιγεδόνα,id eſt capitis grauitates nominantur,ſanat,cõcoquens atq; diſſoluens quæcunque moleſtant. Et quidem fracturis oſſium utiliſſimum eſt,& magis nudis, hoc eſt carne exutis: adhuc autem magis his quę in capite fiunt.nam talia frigidum maxime offendit,ut quod nõ oſſibus tantum,ſed ipſi quoque cerebro ſit inimicum.Et quidem quæcunq; partes ex algore emortuæ ſunt,his calidum remedio eſt:ſic quęcunque frigidum exulcerat,ſicuti hiberno tempore calcanea,& digitos,& extrema omnia,& horũ remedium eſt calidum,& ſanat etiam ſerpẽtia comeſa, quanuis ab humore bilioſo calido fiãt:nam propter exulcerationem,frigidum eſt ipſis inimicum,ut quod eis mordax exiſtat. Sic & omnibus quæ ſunt in ſede diſpoſitionibus,amicum quidem eſt calidum,contrarium uero frigidum, quoniam neruoſa ſedes eſt.Frigidum uero eſt neruis inimicum,& quoniam per cõmunicationem frigiditas facile ex ſede ad uentriculum aſcẽdit,& eodẽ modo caliditas.Sic & utero,& ueſicæ,calidum quidẽ amicum,& iudicans:inimicum uero & occidens, frigidũ.nam & hę pariter neruoſę ſunt,& ſupraiacentibus partibus facile tradũt frigiditatẽ.Quòd autem in omnibus quæ in Aphoriſmo dicũtur,cõmuniter pronuntiauit,his calidum eſſe amicum,& iudicans:frigidum uero inimicum,& occidens,liquet,& ſi à me non dicatur.

XXIII.

IN HIS frigido utendũ unde fluit ſanguis aut fluxurus eſt,nõ ad ipſa,ſed circa ipſa unde influit, & quæcunque inflammationes uel inflãmina ad

rubrum & ſubcruentum ſanguine recenti tẽdunt, nam ueteribus nigredinẽ affert.Eryſipelas etiam non ulceratum iuuat,nam exulceratum lædit.

Eas quas facit frigidum utilitates,ac mala, hoc trãſigit aphoriſmo.Primũ in quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt,inquiens ipſum conferre,non ipſis partibus manantibus ſanguine admotũ (ulceribus enim frigidum mordax)ſed circũſtantibus, & illis præcipue unde aliqd ad ulcera ꝓfluit. Et quidem ait omnes iuuare inflammationes,& quæ ipſe inflãmina nominat, ueluti ab aliqua ſuccenſa flãma propter humorum à quibus fiunt,caliditatẽ.Nam & hæc frigido gaudent.Videntur autem hęc omnia intuenti colore rubra,& ſubcruenta,recenti ſcilicet,& nõ antiquo ſuffuſa ſanguine.Nam ſanguis antiquus floridum non habet colorem.Quare frigido admoto liuere,& nigras fieri cõtingit partes patientes.Eodem modo & eryſipelas non exulceratum iuuatur à frigido,ſicuti ulcerato mordax eſt frigidum,& dolorem affert,& hac ratione nocet, cum partes dolentes ſemper ad ſe ipſas moueant fluctiones.

XXIIII.

FRIGIDA qualis nix,& glacies,pectori inimica,tuſſes mouẽt,& ſanguinẽ,& deſtillationes.

Hactenus de aqua calida,& frigida ſermonẽ habuit,nunc aũt de niue,& glacie diſſerit,illud oſtendens,quod tanto magis hæ nocere poſſunt,quanto ſunt aqua frigida frigidiores,& quod thoracis partibus ſunt inimicisſimæ,cum & tuſſes moueãt, & uaſis diſruptis ſanguinẽ ſæpius manare faciant, & ex capite deſtillationibus thoracem offendant, atque pulmonem.Nam has quoque nix facit,& glacies cerebrum refrigerantes.

XXV.

TVMORES articulorum, atq; dolores absq; ulcere, & podagricos quoq;, atque conuulsa, horũ plurima frigida aqua large effusa leuat, & extenuat, soluitq; dolorem. nam modicus torpor dolorem soluit.

Quòd quidem aqua frigida, horũ plurima iuuet, ostendit. Sed quænam hæc sint, dicere prætermisit, tanquam ex illis quæ antea tetigit, non sit admodum difficile inuenire. Quæcunque enim inflammationes, uel inflammina ad rubrum, & subcruentum recenti sanguine tendunt, à frigida ait aqua sanari, quæ influxum scilicet cohibet, & hac ratione corpora euacuat: quapropter & dolorẽ in talibus soluit, quia & eius causam abscindit, & refrigeratio etiam partium largior affert torporem mediocrẽ, qui & ipse dolorem soluit sensum hebetando.

XXVI.

AQVA, quæ cito calet, & cito refrigeratur, leuissima est.

Non pondere talem esse leuissimam dicẽdum est. Sic enim nihil magnum edoceret, præter id q̃ per quendam circuitum illud inuenit quod facile erat statim inuenire. Nam si pondere leuiorẽ aquã dignoscere quærit, promptum erat ad proprium eorum quę ponderantur iudicium perducere, eius rei per lancem ac pondus facientes inquisitionem. Sed nunc leuiorem dixit aquam quæ uentrem nõ grauat, & quæ cito permeat: sicuti isti contrariam, grauem uocamus, quæ cito non permeat. Liquet autem quòd non solum hoc iudicium existit utilitatis aquæ, sed quòd cum alia in propatulo sint, & ab omnibus nota, hoc uero aliquid habeat artificiosum, sic ad id prodendum scripto Hippocrates uenerit. Sed quænam sunt alia? Primum quidem, si neque turbida, neque cœnosa: deinde si neq; in odoratu, neque in gustu aliquam absurdam qualitatem præsefert: deinde & illud quod nunc Hippocrates dixit, si cito refrigeratur, & calet: nã perspicuum existit talem esse bene alterabilem. Sicuti autem cibi uirtus est esse bene alterabilem, ita & aquæ: siquidẽ facile transmutari uolumus quicquid concoqui debeat ab instrumentis quibus est coctionis munus à natura demandatum. Quicunque uero sola potantiũ dispositione optimã aquã iudicant, certissimo quidem utũtur iudicio: uerum si hoc tantum assumpserint, nõ recte faciunt. Prius enim oportet de aqua ex dictis signis iudicare, antequam ad talem ueniant experientiam.

XXVII.

QVI noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus si superdormierint, bonum.

Neque si dandus, neque si minime dandus sit potus his qui noctu admodum sitiunt, quicquam ostendit, sed hoc tantum, quòd superdormire confert. Coquitur enim per somnum, ut liquet, & subdescendit id quod efficit sitim: non tamen illud est in obscuro, quòd ualde sitientibus potus est dandus, siue ex potatione uini meracioris, siue ex defectu potus sitis aduenerit: nam & defectui succurrere cõfert, & illam quæ facta est ex uino caliditatem aqua restinguere, theorema est medicinale. Si tamen modice sitierint, non omnino eis dandus est potus, sed considerandum nunquid ex defectu humidi tale quid patiantur, siue ex nimia uini potatione: contingit enim his ex somno iuuari.

XXVIII.

SVFFITVS aromatum muliebria ducit, læ pius uero & ad alia utilis esset, nisi capitis faceret grauitatem.

Muliebria dicit, ut liquet, ea quæ ex utero mu lieribus euacuantur in menstruis purgationibus, & à partu. Clarum etiam illud est, & hoc in loco, illas quæ uel propter uteri inflammationem, uel euersionem, aut talem aliam causam non purgan tur, non aliter recte curabimus, quàm eam curãtes pasionem, cuius est casus suppressio menstruor. Quæ uero sine hac pasione parcius purgãtur, his qui nunc ab ipso docentur suffitibus curantur. In his enim uel sanguinis crasitudo causa est reten tionis, uel obstructio uasorum quæ pertingunt ad uterum, uel eorũdem obseratio, uel totius ipsorũ substantiæ densatio. Quodcunque uero dictorum in causa fuerit, ex aromatibus suffitus sanat dispo sitionem, quia sua ui aperit quidem uasorum extre ma obserata, extenuat autem humorum crasitudi nem, obstructiones uero incidẽdo exobstruit. Mul toties uero & ad alia, inquit, utilis esset, nisi † capi tis faceret grauitatem: nam totum corpus poterat continuo suffiri per uterũ in omnibus frigidis, atq; humidis dispositionibus, nisi timeremus. illã quæ fit ex suffitu, capitis grauitatem, præsertim in febri bus. Quòd uero omnia aromata natura apta sunt facere capitis grauitatem, & experientia ostẽdit, & ratio docet. Quæcunq; enim satis calefaciũt, om nia ferè capitis grauitatis sunt causa, utpote sui na tura calido ad superiora petente. Calida autem est sufficiẽter omnium aromatum natura, & præcipue Casiæ, Costi, & Cinamomi, & Amomi.

XXIX.

GRAVIDAS purgare turgente materia à quar

to mense usque ad septimum, minus uero has. Recentiores autem, & seniores uereri oportet.

Hic aphorismus dictus est & antea, ubi de pur gatione sermo habebatur. Sed & hic ubi de mulie bribus agitur, in quamplurib⁹ exemplaribus inue nitur. Quidam uero eximũt ipsum, ne bis scriptus inueniatur. Noua autem expositione non indiget præter illam quam retro scripsimus.

XXX.

MVLIEREM utero gerentẽ capi ab aliquo morbo acuto, letale est.

Non absque ratione: si enim sit cum febre mor bus, necesse est ipsum febres habere continuas. Ta lis enim morbus acutus. & in hoc duplex pericu lum: Vnum quidem propter febrem ipsam fœtũ occidentem: alterum uero quòd ex longo inter uallo cibum dantes ex alimenti defectu fœtũ de struemus. Si uero ut seruemus hũc, nõ uerebimur crebro cibum exhibere, febres continuas uictu in tempestiuo augẽtes mulierem grauidam occide mus. Sic & si absq; febre aliquis alius morbus acu tus fiat, ueluti morbus comitialis, morbus attoni tus, quem Græci apoplexiã uocant, conuulsio, di stentio, propter magnitudinem morbi, & acutiem, impossibile est laborantem euadere.

XXXI.

MVLIER utero gerens, sanguine misso ex ue na, abortit, & magis si fœtus sit maior.

Ex defectu alimenti fœtus destruitur, nõ modo misso sanguine ex uena, sed etiam ex longiori ine dia. Ostendemus autem & hoc ipsum paulo post, & per alios aphorismos. Non absque ratione au tem & maior fœtus magis destruitur misso san

guine ex uena mulieris, quia plurimo indiget alimento.

XXXII.

MVLIERI sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus solutio.

Non absque ratione. Erit enim retractio simul, atque euacuatio sanguinis ad superiora tendentis. Hoc quidem igitur & experiẽtia comprobat utiliter fieri. Nos uero ex ipsa p̃moti naturæ opera, q̃ bene gerũtur, imitabimur: & mulieres hac passiõe laborantes, misso sanguine ex uena, uacuabimus.

XXXIII.

MENSTRVIS deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.

Quòd quidem sit necessarium eum qui singulis mensibus bene euacuatur sanguinẽ, quando ob aliquam dispositionem fuerit retentus, mulierem lædere, & quòd per aliam partem euacuatus omnem corporis tollet læsionem, unicuique est manifestum. Cum uero multa sint loca per quę potest euacuari, omnibus aliis aut maius, aut minus ineſt detrimentum, sola quæ fit per nares euacuatio innoxia est, quam nunc laudat Hippocrates: non tamen si aliqua etiã alia euacuatio sine noxa est, propterea aphorismus est falsus. Neq; enim quòd sola per nares euacuatio deficientibus menstruis bona sit, dixit, sed hanc simpliciter laudauit nõ adiuncto, quòd sola. Et si igitur alteram quæ fit per sedẽ quis dixerit ita affectis mulieribus utilem esse, hoc non aduersatur aphorismo. Videtur enim aliquãdo Hippocrates per unum exẽplum de omnibus aliis similibus pronuntiare.

ἀιμορραγία ναρικῶν bona.

XXXIIII.

MVLIERI in utero gerenti si aluus plurimũ

profluat, periculum est ne abortiat.

Ratione euacuationis & nunc Hippocrates inquit periculum abortus esse, quẽadmodum & antea in missione sanguinis ex uena ostendebamus.

XXXV.

MVLIERI, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum.

Vnum in aphorismo uerbum habet obscuritatem, uterinis scilicet. Nõnulli enim per id accipiũt omnes quæ utero adueniunt dispositiones: nõnulli uero illas tantũ in quibus passio contingit, quã uocant uterinam strangulationem, quæ tamẽ non est uere strãgulatio, sed defectus anhelitus. Alii locos, siue secundas intelligũt, nam & has uteros nominant. Verum hi aperte aberrãt, quãuis maxime uerum dicere uideantur, quoniam secundæ cõtentæ in utero ex sternutatione dissumpuntur. Alius enim de his aphorismus est ab ipso perscriptus, & plurimum refert, an uterum dixeris, an uterina. Fassum quidem est de omnibus uteri passionibus dictum esse ab ipso sermonem. Neq; enim exulcerationes, neq; inflammationes, neq; erysipelata, sicuti neq; abscessus sternutatio iuuat. Verum aũt quòd in uterinis strangulationibus superueniente sternutatione patiens aliquantulum leuatur: non solum quia bonum est signũ sternutatio sponte aduenies his quæ ita se habent mulieribus, sed quoniam & causa, ut quæ sit huius passionis remedium. Signũ itaq; bonum existit, quia naturã ostendit quę prius erat emortua excitari, ac reuiuiscere, & propriarũ meminisse motionum, quando aliquã eiicit superfluitatem. Ostẽsum est.n. in libro de causis accidentium, sternutationem fieri hoc modo. Causa autem ob quam iuuat, est, quia uehemẽtiore con-

Uterinæ.

Sternutatio in uterinis bona.

cussu atque feruore, partim quidem naturam excitat, partim uero excernit quę partibus corporis firmiter infixa adhærent. Sic enim & singultum solet sanare.

XXXVI.

MVLIERI menses decolores, nec per idem semper tempus uenientes, purgationem indicat esse necessariam.

In multis exemplaribus scripturam ita se habentem possumus inuenire, Mulieri menses tardi, nec per idem semper tempus uenientes. Possunt itaq; menses tardi, hoc est qui post consuetum ueniunt circuitum, purgatione indigere humoris pituitosi, ob quem & decolores fiunt: non tamen & hac sola necessario. nam & per extenuantē aliquando uictum tales dispositiones sanabimus. Scriptum autem à nobis est de hoc uictu, libro uno seorsum. Et suffitus aromatum, & qui eandem isti uim habent pessi adhibiti, & epotæ medicinæ quæ inciduunt, & humorum crasitudinem extenuant, quale est qđ ex Calamētho fit, quo nos assidue utimur, quod etiam sępius tardantes excitit mensium purgationes. Nam intentio sanationis in ipsis est, ora quidem adaperire uasorū quæ pertingunt ad uterum, sanguinem uero extenuare. Et quidē purgatio totius corporis, ut dixi, quando crasi euacuantur humores, tales sanat dispositiones. Si uero, decolores, scriptum sit, multo magis purgatio sanabit ita se habentes mulieres. Neque enim propter humorem pituitosum tantūmodo, sed & propter melancholicum, & biliosum, menses fiunt decolores. Quo modo igitur dignoscere oporteat humorem superabundantem, ipse in primo de mulieribus docuit. nūc autem quod per purgationem euacuandum sit, ipse mōstrauit. Verba autem illa,

Nec

Nec per idem semper tempus uenientes: huic scripturæ magis consonant, ut totus sermo sit talis, Si menses decolores fiant, & non p idem tempus ueniant, quo antea uenire consuerant, mulier purgatione indiget. Contingit enim in mulieribus quæ malos humores habent, non modo decolores apparere menstruas purgationes, sed etiam tempus periodi non seruari: si quidem crasiores fuerint humores, & difficilius fluentes his qui secundum naturam se habent, morando: & longius tempus expectando: Si uero contrarii, hoc est humidiores ac tenuiores, consuetum terminum anticipando.

XXXVII.

MVLIERI VTERO gerenti si mammæ graciles repente fiant, abortit.

Hic pariter aphorismus ex illorum numero est quos diximus defectum aliquem fœtui significare. Communes enim quædam uenæ sunt mammis ac uteris, quæ ubi parum habuerint sanguinis, graciles quidem mammas ostendunt, inedia uero nonnunquam fœtum perimunt, nonnunquam uero ad excretionem excitant illam ob causam quam ipse in libro de natura fœtus per hæc uerba explicat: „ Alimentum, atque auctio à matre ueniens, nō ad„ huc est infanti sufficiens, quando decem menses „ præterierint, & fœtus auctus fuerit. Trahit enim à „ sanguine ad se id quod dulcissimum: simul autem „ & lactis parte aliqua fruitur. Vbi uero hæc illi ratiora fuerint, & iam infans molem corporis habet, „ plus cibi requirens, quàm illud quod adest, calcitrat, & membranas disrumpit. Liquet igitur, quòd & ante decem menses fœtus indigens alimento, & calcitrans, & mēbranas disrumpens, initium partus matri affert.

XXXVIII.

MVLIERI VTERO gerenti si altera mamma gracilis fiat geminos habenti, alterum abortit: & si quidem mãma dextra gracilis fiat, marem: si uero sinistra, fœminam.

Quod suprascriptus aphorismus de ambabus mammis dicebat, hoc in altera iste dicit, propter illam quam diximus de uenis communibus causam, eo qui è directo est mammæ factæ gracilioris fœtu abortum patiente. Quòd autem existentibus geminis, altero mare, altero fœmina, si dextra quidem mamma gracilis fiat, solus mas, si uero sinistra, fœmina sola corrũpitur: ex illa ipsius pendet opinione, qua mares quidem in dextris, fœminas uero in sinistris magis concipi opinatur.

XXXIX.

SI MVLIER, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.

Ratio quidẽ lõgior existit, & oportet illum qui eam exquisite assequi debeat, exercitatum esse in libris de potentiis naturalibus. Tantum tamen de his nunc à nobis dicetur, quantum breuissime dictum possit ad præsentia conferre. Hoc quidem commune est omnibus animalis partibus quæ aptæ sunt humores aliquos utiles generare, aut partibus aliis, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illum quandam ueluti superfluitatem alimenti partis ipsum generantis. Non enim quia norit ad quid utilis erit humor animali, ipsius facit pars generationem, nisi debeat talem habere intellectum, qualem habere oportere arbitrantur ciuitatum gubernatores: sed animalis quidem opifex illum habet intellectum. ipsa autem pars ut ostensum est, po-

Non mollis geniis, sed potentijs nãlibus regitur corpus.

tentiis regitur naturalibus, tum aliis quibusdam, tum alteratiua, per quam assimilat alimentum sibi ipsi. Quantum igitur alimenti ab ipsa alterati fuerit nutrito corpori exquisite assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam. & hoc est quod ipse ait: Alimentum autem quod alit, alimentum etiam quod est ueluti alimentum, & quod debet alere, superfluum uero quod relinquitur. similis quidem naturæ partis humor existit. In ossibus quidem id quod in eius cauernis continetur, in hepate uero sanguis. ex hoc genere est & spumeus humor qui in carne pulmonis continetur, & qui in articulorum compagibus glutinosus humor, & id quod in testibus, & in uocatis† assidentibus semẽ, & q in lingua, cui nomen saliua. Sunt autem & quidam in mammis adenes uim habentes id quod ad eos influat alterandi. Quum ergo hi sint exangues & albi, proprium efficiunt humorem, talem qualis est lac, & abundantiorem illum efficiunt, quando plus alimenti defertur ad ipsos. Plus uero defertur octauo & nono mense conceptionis, quãdo abundanter oppletæ sunt cõmunes uenæ mãmarum & uteri, sicuti in animalium prægnantium resectionibus manifeste conspicitur. Fit autem & tale quãdoq; quãuis raro, cũ mulier grauida non est, quando ad similem peruenerint uenæ repletionem, ex menstruorum retẽtione, cuius nunc dispositionis Hippocrates meminit.

Alimentũ triplicitor dicitur.

†Parastatis.

XL.

QVIBVSCVNQVE mulieribus ad mãmas sanguis colligitur, furorem significat.

Quòd quidem sanguis ad mammas feratur, deinde ab adenibus, qui inibi sunt, in lac transmutetur, in præcedenti dictum est aphorismo. Nunc autẽ quãdo intrãsmutabilis manserit, hic q ad eos

sanguis peruenerit,furorem ait Hippocrates signi
ficari.Ego quidem nunquam hoc accidisse uidi,&
siquando eueniat,ex his est quæ raro eueniunt.
Hippocrates uero,ut qui uiderit,scribit,& si uerũ
sit,talem ipsius oportet causam existimare. Ade
num natura,& illorum præsertim qui in mammis
sunt,exanguis est,& liquet,quod frigida.(Omne
enim exangue frigidum)& eius quidem qui defer
tur ad ipsos,facit sanguinis alterationem ad frigi
dius declinantem.Quãto enim adenes hi sunt he
patis carne frigidiores, tanto lac sanguine.Quũ
igitur plurimus aliquando sanguis & feruens per
totum labitur corpus,& caput præcipue petit,in
furorem uertuntur,quoniam sanguis talis occupat
caput.Qui uero ad mammas defertur ad contra
riam naturam alterari non poterit ita, ut lac fiat,tũ
propter habitũ talem,tum ꝓpter exuperantiam.

XLI.

SI VELIS noscere an conceperit mulier: cum
dormitura est,ei aquam mulsam potandam da,
& si alui tormina patietur,concepit:si minus,non
concepit.

Tormina fiunt quidem,& propter mordacita
tem: fiunt autem & propter spiritum flatuosum,
qui facilem non habet exitum.quæ etiam tormina
fieri nunc est arbitrãdum in mulieribus quæ conce
perunt,propter eã quę fit ex utero angustationem.
Dat autem aquam mulsam mulieri dormiturę,cru
dam uidelicet,quoniam qualitas flatuosa,si noscę
re uolumus, est necessaria, uolens & quiescere si
mul,& plenam esse cibis mulierem.Hæc enim am
bo conferent ad torminum generationem.

XLII.

MVLIER SI marem concepit, bene colorata
est:si uero fœminam,male colorata.

Vt ad se ipsam muliere collata uidelicet,non au
tem ad alteram,dictum est ab Hippocrate indicio
um quod ex bono colore ac malo sumitur:nam
quæ fœminam concepit,minus se ipsa colorata
apparet,quoniam frigidior est fœmina mare:nun
quam uero talem concepisset,nisi uiri semen, &
uterus mulieris frigidior eo tẽpore fuisset in quo
concepit.Quare quod dicitur,ex eorum numero
est quæ sæpius eueniunt. Contingit enim ita om
nia recte agere mulierem post tempus conceptio
nis,quod bene colorata fiet.Liquet autem quòd
& alia signa sunt marem esse conceptum,sicuti ip
sius conceptus plurimæ ac ualidæ motiones,quæ
neque ipsæ signa perpetua sunt. Contingit enim
aliquando,licet sit rarum,quòd concepta fœmina
sit mare robustior, & multis ac ualidis motibus
moueatur,& aliquando mas sit debilior fœmina,
ac paucioribus debilioribusq; motibus cieatur.

XLIII.

SI MVLIERIS grauidæ in utero sit erysipelas,
letale.

An solum erysipelas in utero mulieris grauidæ
constitutum putat esse letale,uel illam etiam quę
proprio nomine dicitur inflammatio? Quòd enim
facto in utero erysipelate,fœtus morietur ex neces
sitate,manifestum.siquidem & febres acutę aliquã
do sine inflammatione ipsum interficiunt.Si uero
& utero inflammationem patiente,potest aliquan
do fœtus uiuere,dignum inquisitione.

XLIIII.

QVÆCVNQVE præter naturam tenues exi
stentes utero gerunt,abortiunt prius, quàm cras
sescant.

Secundum tres modos audierunt expositores

libri huius,præsentis aphorismi intellectũ. Quidã enim omnino arbitrantur ipsas abortire: quidam uero nisi crassescant & reficiantur, sed maneant absq; refectione ac tenues: quidã uero cum reficiuntur, tunc maxime eas existimant abortire, quod minus uidetur quàm prius dicta uerisimile. Verũ tamen ita exposuit Numesianus, dictum inquiens esse aphorismum in his quæ præter naturam sunt extenuatæ, & quas prius refici oporteat. Sed quũ cõcipere anticipent, nõ possunt (ut ait) refici absq; qđ sanguis ad conceptus alimentũ deputatus, ad eius quæ concepit nutritionem recipiatur: quare non absque ratione fœtus sufficienti indigens alimento, corrumpitur. Sed & uerba illa, Præter naturam tenues, quidam ita acceperũt, sicuti Numesianus, Vt præter sui ipsius naturam grauida mulier sit extenuata. Quidam uero magnum excessum aiunt significari, uolente Hippocrate nobis insinuare, non quòd mediocriter extenuatæ id ex necesitate patiantur, sed quæ ualde sunt extenuatæ. Vtraque autem expositio non caret ratione.

li. de uteri diff. cap 16.

XLV.

QVÆGVNQVE mediocriter corpora habẽtes abortiunt secundo aut tertio mense sine occasione manifesta: his acetabula uteri plena mucoris sunt, & nõ possunt ex pondere fœtum cõtinere, sed disrumpuntur.

Sine manifesta occasione ait, febre uehemente, uel alui fluxu, uel profluuio sanguinis, uel erysipelate in ipso utero constituto, uel saltu grauidæ mulieris uehementiore, uel clamore, uel ira, uel timore, uel uictu parciore, uel tali aliquo actu, seu passione. Est enim uerisimile in his esse plena mucore ora uasorum uenientium ad uterum, ex quibus

secundæ pendent: quæ ora acetabula nominauit, nõ (sicuti quidam arbitrantur) adnatas ipsis carnes adenosas. Nam uti ipse inquit in primo libro de passionibus muliebribus: Si acetabula plena fuerint pituita, menstrua fiunt pauciora. & Praxagoras in primo de naturalibus, Acetabula autem sunt ora uenarum & arteriarum, quæ ferunt ad uterum.

Cotyledones.

XLVI.

QVÆCVNQVE præter naturam crassæ non cõcipiunt utero: his omentum os uteri comprimit, & prius quàm extenuentur, non concipiunt.

Verba, Præter naturam, dupliciter etiam audiunt hoc loco, quidam excessum significari arbitrãtes, quidam præter ipsius mulieris grauidæ naturam. Verior autem prior acceptio. Nam ab omẽti pinguedine comprimitur, atque angustatur uteri os his quæ supra modum crassæ sunt. Dicit autem nunc os, illud scilicet quod intus est, ubi uterus desinit, collum uero incipit: quod magis proprie os uteri diceretur. Nam altera colli extremitas quæ mulieris pudendis coniungitur, non uteri, sed ipsius colli os haud sine ratione diceretur.

Præter naturã.

XLVII.

SI VTERVS in coxã uergens suppuratur, necesse est linamentum fieri.

Quam necessarium est fieri per linea fila curationem, linamentum nominauit. Quòd autem uterus suppuratus, & præsertim ad exteriora (nam hoc nunc uidetur dicere) curatione tali ex necessitate indigebit, non est obscurum.

XLVIII.

FOETVS, MARES quidem in dextris, fœminæ uero in sinistris magis.

In dextro latere, calidiore scilicet masculus. quod quidē certe duo fieri ob vasa spermatica dextra, quæ oriuntur ex stipitib. ipsis & arteriæ & cauat venæ.

Quòd propter temperaturam quæ statim ab initio calidior existit, fœtus masculus generatur, in commentariis de semine est demonstratum. Calidior uero temperatura fœtibus aduenit non minime ob locum qui est dextra uteri pars: hæc autē ipsa calidior existit propter hepatis uicinitatem. Conferet autem aliquid ad conceptus caliditatem & muliebre semen profusum quidem ex propriis testiculis per utrunq; corniculum, pars una in dexterum uteri sinum, pars altera in sinistrum, dissimiles ambæ, ut & hoc ipsum ostendimus. Siquidem serosior est, atque frigidior quæ in sinistro testiculo continetur genitura, & iuxta hoc conceptus in lęua parte uteri constitutus non absque ratione statim inter initia esset frigidior. Dictum autem est de omnibus talibus sufficienter in quinto libro sectionis Hippocratis.

XLIX.

VT SECVNDA procidat, sternutatorio apposito, & nares apprehendito, & os.

Non cum accentu circunflexo ultimam syllabā uerbi Gręci, ὑστερῶν, legere oportet, ut significet uteꝝ, sed cum graui, ὑστέρων ut secūda intelligatur. Neque enim uult uteros ipsos excidere, tentione facta cum medicinis sternutare facientibus, sed ea quæ loci uocantur, atque secundæ.

L.

MVLIERI SI uelis mēstrua cohibere, cucurbitulam quammaximam ad mammas appone.

Sicuti menstruorum quæ aut nullo modo, aut parce fluunt, docuit Hippocrates curationem: ita & nunc illorum quæ ultra modum euacuantur, iubens nos cucurbitulam quammaximam ad māmas apponere. Melius autem non in ipsis mammis, sed sub ipsis partibus inferioribus firmare cucurbitulam, ubi maxime sunt hæ quæ ad ipsas uenæ desubter ueniunt. Et sanè nonnulli scribūt: Cucurbitulam quammaximam sub māmis appone. Vult autem maximā esse cucurbitulā, ut fortiorē faciat ex utero ad superiora attractionem per communes id uenas artificiose molitus.

LI.

QVÆ VTERO gerunt, his uteri os comprimitur.

Maximum hoc est mulieris quæ concepit indicium, si obstetrix potuerit immisso digito os uteri tangere. Statim enim cum semen intra seipsas acceperint, totum sui interius contrahunt spatium, & claudunt os. Videtur autem & propter durum tumorem, & inflammationem os uteri cōprimi. Distinguitur aūt ab eo q'in grauidis, ex duritie uteri.

LII.

MVLIERI VTERO gerenti, si lac multum ē mammis effluat, fœtum imbecillem significat: si uero mammæ solidæ fuerint, fœtum significant saniorem.

Illo uidelicet tempore fluit lac quibus uisum fuerit fluere, quando natura fert, ut in grauidis generetur. Neque enim in primis generatur mensibus. Quòd autem omnino fluat, & non maneat intus, hoc ideo fit, quia plurimum ex eo colligitur. Plurimum uero colligitur oppletis uenis communibus, quæ à mammis pertingunt ad uteros. Sed adhuc magis implentur quando minimum conceptus absumit. Hoc uero ipsum fit ob eiusdem conceptus imbecillitatem. Liquet igitur quòd neque mammas tenues oportet apparere, sicuti in muliere nō grauida. (Hoc enim signū defectū sanguinis

oſtendit,& hac ratione fœtus in ipſis corrumpi
tur.)neque adeo plenas,ut lac effluat, ſed tantum
ſubleuari,ut ſolidæ tangentibus uideantur. Media
enim hæc conſiſtentia inter renitentes propter ni
miam impletionem,& molles ac laxas propter
defectum ſanguinis. Quare merito laudat hoc ſi
gnum Hippocrates,ut quod indicio ſit,neque fœ
tum eſſe imbecillem,neque deficere ipſi alimẽtũ.

LIII.

QVÆ CORRVPTVRÆ ſunt fœtus,his mã 10
mæ extenuantur: ſi uero rurſus duræ fiant, dolor
aut mammas,aut coxas, aut oculos,aut genua
infeſtabit,& non corrumpent.

Prius dixerat: Mulieri utero gerenti ſi mammæ
repente extenuentur, abortit. Dixerat etiam: Et ſi
altera mamma extenuetur geminos habenti, alte
rius fœtus abortum ſecuturum. Nunc uero ordi
nem conſecutionis commutauit,& non à ſignis
ipſis,ſed à mulieribus fœtum corrumpentibus fe 20
cit initium,ipſis præcedere inquiens mammas te
nues. Non eſt autem omnino idem,ſi dicatur ad
mammas tenues ſequi corruptionem,uel debente
fieri corruptione mammas tenues præcedere.
Qui enim ait ad mammarum extenuationem ſe
qui corruptionem: hic iſtud ſolum oſtendit eſſe
ſignum futuræ corruptionis. Qui uero dicit,his
quæ debent corrumpere fœtus mammas exte
nuari: ſolum hoc uidetur oſtẽdere ſignum præce
dere fœtus corruptionem. Quare diligentius in 30
quirendum,& diligentius obſeruandum in mulie
ribus grauidis,ſi unq̃ aliter fœtũ corrũpũt,ſed ſem
p̃ præcedit mãmarum extenuatio. Vel ſaltãtibus,
aut ualde uociferãtibus,aut ira excãdeſcentibus,
& nimio repẽte pauore correptis,cõtingit q̃dem
mãmarũ non præcedere extenuationẽ. Contingit

aũt & q̃buſdã ꝓpter magnitudinẽ febris,aut factũ
in utero eryſipelas, uel ꝓpter mucorẽ acetabu
loꝝ,ſeu tale aliq̃d,ut fœtus corrũpatur abſq̃ mã
marum extenuatione. Sed uidetur Hippocrates,
hãc ſemper præcedere exiſtimare,& mihi ſæpius
obſeruanti uiſæ ſunt in ſupradictis occaſionibus
ante corruptionẽ mãmæ fuiſſe extenuatæ. An ne
igitur forte quãdo citra aliq̃ huiuſcemodi cauſam
mãmę extenuãtur,defectũ ſanguinis eſſe in cauſa
debemus exiſtimare,q̃ in uenis eſt utero mãmiſq̃ 10
cõmunibus: unde ꝓpter inediã fœtus corrũpitur.
In aliis uero cauſis in q̃bus aut interit propter paſ
ſionẽ,aut diſrũpitur fœtus,cũ ipſum mẽbranæ cõ
tinentes diuelluntur,natura os uteri adaperiẽte,&
dolores excitante, ob has ipſas cauſas ſanguinẽ
ad genitales deferri partes. Hæc enim eſt quædã
ratio communis,in quibus natura aliquid uiolen
ter excernit,eò ſanguinem ac ſpiritum tendere: q̃
bus duobus,ueluti inſtrumẽtis natura utens, ea q̃ 20
infeſtant per uim expellit. Hac ratione igitur,&do
lentibus partibus inflãmationes adueniũt,natura
excernere atq̃ expellere cauſam doloris prope
rante: ut uero hoc faciat,ſanguine ac ſpiritu locũ
implẽte. Hæc itaq̃ à me dicta ſint in primã partẽ
aphoriſmi. Secũda uero q̃ ſequitur,in qua cõtrariæ
mãmaꝝ meminit diſpoſitiõis,talis eſt. Si uero rur
ſus mãmæ duræ fiant. Quũ uero hæc dictio,rur
ſus,duo ſignificet,in huiuſcemodi locutiõibus,alte
rũ q̃dẽ q̃ antedictę cõiũgitur diſpoſitiõi,alteꝝ ue 30
ro q̃ ꝓ alia uerba dici conſueuit uice uerſa: mihi
uerius & magis Hippocratis ſnię cohęrere uide
tur ſecũdũ ſignificatũ,ut q̃ in toto dicitur apho
riſmo,ſit tale: Mãmę q̃dẽ tenues omnino præce
dũt fœtuũ corruptionẽ,& nõ poſſunt iſti corrũpi
ſine eaꝝ extenuatione præcedẽte. Durę uero cor
ruptionẽ q̃dẽ nõ ſignificãt,ſed dolor q̃dã dictaꝝ

partium ad ipsas consequitur.ut sicuti mammę te-
nues defectus sanguinis significationē habent: sic
duræ mulitudinis,differentes ab illis quas prius
dixerat solidas,in quibus rursus reponente natura
ad quasdam partes materiam inutilem,illę dolent,
sed fœtus nullam habet offensionem. Quæstio au
tem occurrit hoc loco,ob quam causam ad cor-
pus uteri natura nunquam materiam reponit inu-
tilem,& non facit inflammationem,uel cur inflam
mato utero,fœtus non corrumpitur? An quod ab
Hippocrate dicitur aliud est: neque enim quòd
nunquam ad mammas duras corruptio fœtuum
sequatur,putādum est fuisse ab Hippocrate dictū.
sed quòd non semper, quemadmodum in tenui-
bus:uerum si ad alterum locum natura reponat su
pfluitates,quod ex dolore cognoscimus, corrup-
tio non sequitur.Et fiet rursus,si ita audierimus,ser
mo talis,Mulieribus quæ corrupturæ sunt,semper
mammæ extenuatę præcedunt:duræ autem ac ple
næ non semper.Omnino enim in his ad alteram
partem materiam inutilem natura reponit.Si uero
ad uteros ipsam expellat,fient & tunc omnino te-
nues.Nam secūdum Hippocratis(ut apparet) sen
tentiam,si propter aliud quicquam,& non defectū
alimenti abortus fiat,omnino præcedet mamma-
rum gracilitas,ob causam antedictam,ita quòd si
etiam ob acetabulorum humiditatem conceptus
effluet,tunc etiam ipsum natura expellente ad ex-
cretionem motio sanguinis erit ad uteros,& hac
ratione mammæ fient graciles, magis quàm pri-
us erant.

LIIII.

QVIEVS OS uteri durum est,his uteri os com
primi est necessarium.

Dictum est & antea quòd os uteri comprimi

commune est signum & tumoris alicuius in eo
præter naturam existentis,& cōceptionis in mulie
re,& quod oportet id ex duritie distinguere . Gra
uidis enim molle est,& secundum naturam: In qui
bus autem est tumor præter naturam,siue inflāma
tioni similis siue duricici,durū.Melius itaq; fuerat
hunc aphorismum post illum scribere in quo dice
batur,Quæcunque utero gerunt his os uteri com
pressum est.

LV.

QVÆCVNQVE utero gerentes à febribus
corripiuntur,& fortiter calefiunt sine occasione
manifesta,difficulter pariunt,& cum periculo,aut
abortum facientes periclitantur.

Accidit quibusdam grauidis in quibus uitiosi
humores prius quàm conceperint sunt aceruati,
nonnunquam à febribus uehementibus corripi,ita
quòd ex necessitate abortiunt:nonnunquam uero
à mediocribus quidem,sed cum nō purgentur suf
ficienter,aliquid supereſt reliquiarum humorum
in corpore uitiosorum,ex quibus febres erant in-
stitutæ, utpote non potentibus medicis mulieri
grauidæ aliquod forte auxilium adhibere,neque
exquisita uictus ratione in ipsis uti.Ob hanc igitur
causam febris in ipsis frequenter reuertitur,& ma-
gna temporis parte grauiter se habent. Non sine
ratione igitur fœtus aliquando nequit obsistere,
sed ex febre, & uitio humorum corrumpitur:nō-
nunquam uero perdurat quidem usque ad tēpus
partus, sed cum & ipse ualitudinarius sit,ut qui
longo tempore laborauerit,& cum matrem habe-
at imbecillem,non sine periculo paritur.Nam ad
bonum partum, duorum corporum uigore est
opus,& grauidæ mulieris,& infantis.

LVI.

IN FLVXV muliebri si cõuulsio & animi defectus aduenerit, malum.

Non statim fluxu constituto hæc fiunt, sicuti & aliorum nihil, quęcunque in sequenti sermone quibusdam aliis ait aduenire, sed cum uel ualidiora fuerint, uel diu perduraverint. Defectus quidem animi communis omnis immodicę euacuationis est casus: Conuulsio uero, & si nõ communis existat, ad plures tamen ex ipsis consequitur, & magis, si pars quæ patitur neruosa, fuerit.

LVII.

SI MENSTRVA plura fiant, accidunt morbi: & si non fiant, ex utero morbi contingunt.

Quibusdam medicis uisum est ex multitudine quidem plurimos fieri morbos, ex defectu autem nullum. Verum Hippocrates arbitratur etiam ob defectum fieri aliquando morbos, non solum in mulieribus, sed etiam in uiris. Siquidem ad defectus consequitur aliquando siccitas, aliquando frigiditas, aliquando utrunq;. Ostensum autem est quòd intemperaturæ, quæcunque tantam habent magnitudinem, ut possint iam lædere operationem, sunt ex morborum genere. Verum quantũ ad hoc, neque falsum quicq; neq; obscurum est ab Hippocrate dictum. Quatenus autem in pluribus quidem menstruis, simpliciter dixit fieri morbos, neq; ex utero adiecit, in defectu autem eorum istud adiunxit: dignum est inquisitione, nunquid in utrisque affectibus dictis cõmuniter, ex utero, subintulerit, uel hoc tãtum proprium est defectus menstruorum. Hoc autem scire exquisite, est impossibile, nisi omnes nouerimus causas, ob quas uel plura, quá opus sit, uel pauciora ueniant menstrua. Possibile est igitur immodicas fieri mẽstruorum uacuationes, si ora uasorum quæ pertingunt ad uterum, ultra modum aperiantur, & si sanguis uel calidior, uel tenuior fiat, & si totum corpus propter malum habitum aliquẽ aggrauetur sanguine, quem etsi modum naturæ conuenientem sua multitudine non excesserit, ipsum expellit ad uenas quæ in utero sunt, ut in fluctionibus ex una ad aliam partem. Eadem uero menstrua possunt fieri pauciora, uel quia uenæ ferentes ad uterum menstruam purgationem, comprimuntur, uel obstruuntur propter sanguinis crasitiem, uel ob frigus & robur uasorum qui in utero sunt, adeo ut quod influit non admittant. Quodcunq; autem horum fuerit, necesse est processu tẽporis & ipsum uterum pati, aut similem inflãmationi dispositionẽ, aut erysipelati, aut duro tumori, aut cancro, quibus denuo totum compatitur corpus. In immodicis uero euacuationibus nulla talis accidit uteris passio, ut per compatiendi rationem totum corpus unà laboret, quare fit uerisimilius in sola retentione menstruorum dixisse Hippocratẽ morbos contingere ex utero.

intemperaturæ morbi 61.

LVIII.

RECTO INTESTINO aut utero inflammationem patiente, urinæ stillicidium accidit, & renibus purulentis urinæ aduenit stillicidium: hepati aũt inflãmationẽ patienti singultus aduenit.

Quando aliquis parum & frequenter mingit, hæc passio urinæ stillicidium nominatur, & fit aliquando ex imbecillitate potentiæ retẽtiuæ in uesica, nonnunquam uero ex acritudine urinæ. imbecillitas ergo fit propter intemperaturam, & aliquem tumorem præter naturam. Acritudo aũt, uel propter renũ passionem, uel quia talis ad

ipsos uenit ex uenis superfluitas serosa percolata. Recte itaque Hippocrates inquit, urinæ stillicidium, recto intestino & utero inflammationem patiente, & renibus suppuratis, aduenire. In recto quidem intestino & utero, per compatiendi rationem uesica patiente: In renibus autem purulentis, pure per uesicam euacuato. Hoc igitur sui acritudine mordens, uesicam excitat ad excretionem. In uteri autem, uel recti intestini inflammatione, uicinitatis ratione pati uesicam est necessarium, ut quæ & intemperaturam participet & inflammationem, & præterea prematur, atque angustetur à tumoribus præter naturam qui in illis existunt. Dictum autem est à me prius quòd nō simpliciter alterius passio alteri aduenire apta est, sed his quæ magnitudinē habent effatu dignam. Sic igitur & hepate inflammationem patiente singultus accidit propter neruorum communicationem, non quidem semper, sed quando ad maximam attollitur inflammationem.

LIX.

SI MVLIER non concipit, scire autem uelis si conceptura sit, pannis circum tectam desubter suffias, & si odor uideatur per corpus ire ad nares & os, scito quòd ipsa non ex seipsa sterilis est.

Verbum Suffias, materiam indicat quæ naturam habet ut suffiri possit, thus uidelicet & myrrham, & styracem, & quęcunque alia talia quæ calidam habent temperaturam, & sunt satis odorata. Vult enim ad totum deferri corpus eam quæ ab ipsis fit uim, ut cum & os nares attigerit, à muliere manifeste sentiatur. In his igitur solis totum non peruadet corpus qualitas suffitorum, quibus durū est ac dēsum uteri corpus: cū uero tale fuerit non est aptū ad conceptionē, sicuti & paulopost ipse

ipse inquiet, Quæcunque frigidos habent uteros & densos, non concipiunt. Quod aūt in fine aphorismi scribitur, Scito ꝙ ipsa nō ex seipsa sterilis est, indicat eius rei necessitatem. Sæpius enim ut permaneat genus sacerdotis alicuius uel regis, student ciuitates ut prolem habeant uirorū, seu mulierum ad quos solos genus attinet: deinde ubi mulieres non concipiunt, quęritur utrius causa hoc accidat, ut facto diuortio mulieres concipiant. & hanc Plato in Theæteto innuit esse bonarum pronubarum artem. Totus autē sermo dicetur paulopost, quando omnes exposuerimus qui ad ipsum pertinent aphorismos.

LX.

SI MVLIERI utero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum.

Et uerbum, purgationes, numero plurali dictū, & alterum, eant, illi adiunctum, ostendunt non esse paucum illum qui excernitur sanguis, neque semel sed sæpius, & multū. Qui enim semel, aut bis paucus excernitur, in multis apparet absque hoc ꝙ fœtus quid patiatur. Cum uero nihil deficit multitudini purgationis menstruorum, & seruat deinceps terminum circuituum per menses, impossibile est fœtum esse sanum. siquidē ille qui fortis est, ad sui alimentum utitur illo qui ex toto corpore ad uteros fertur. Verum excretio quæ grauidis fit, uidetur ex uenis quæ in collo sunt, apparere. Nam ab interioribus quæ in cauitate uteri sunt, loci pendent, quare nihil per illas potest in muliebrem situm excerni.

LXI.

SI MVLIERI cessent purgationes, neq; febris, neque rigor superueniat, & fastidia incidant: iudica ipsam in utero habere.

In his quæ recte purgantur mulieribus,& qbus repente ſine cauſa manifeſta ſupprimuntur purgationes,ſermonem fecit,docens nos ea quæ plurimæ mulieres ipſa experientia didicerunt. Cum.n. faſtidium patiũtur menſtruis ſuppreſſis,tunc ſe cõcepiſſe coniiciunt. Fit autem faſtidium eadem qua pica ratione,læſo ore uentriculi in mulieribus grauidis. Cõtingit autem interdum & propter uitioſos humores totum corpus occupantes tale aliqd accidere uerum hoc cum horrore:& febre patiuntur,& his diſtinguuntur à grauidis.

LXII.

QVÆCVNQVE frigidos,& ſpiſſos uteros habent,non concipiunt.& quæcũque præhumidos uteros habẽt,non cõcipiunt. extinguitur enim in eis genitura. Et quæcunque ſiccos,magis & aduerentes. nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. Quæcunque uero ex utriſque mediocrem habent temperaturam,hæ fœcundæ ſunt.

Si mihi liceret omnibus Aphoriſmis ordinem congruentem apponere,non eſſem ueritus paulo antea dictum Aphoriſmum in huius locum tranſferre:ut finito ſermone de purgationibus, ille qui de ipſis eſſet uteris deinceps ſcriberetur, docente ipſo quot modis mulieres ſteriles fiãt. Primus igitur in ipſis erit Aphoriſmus in quo dixit,Si mulier non concipit,ſcire autẽ uelis ſi conceptura ſit, pannis circũtectam deſubter ſuffias. Secundus autẽ iſte qui nũc nobis eſt propoſitus,cuius ſumma eſt,qd bene temperati uteri ad cõceptionem ſunt idonei: male autem temperati,ſi parũ à bonitate recedũt, difficulter concipiunt:ſi uero nimium,mulieres ſteriles fiũt:ita quòd ſimul etiam datur intelligi,unde uiri ſint ſteriles,ſed hæc multos latẽt. Qui uero ea quæ dicta ſunt,diligẽtius cõſiderat:primũ quidem

ſciẽt quam ob cauſam & quidam uiri omnino ſteriles ſunt. Secundo loco poſt hoc de uiris quidem ac mulieribus bonam habentibus temperaturam, quòd ſemper generabunt,etiam ſi cum malam habentibus coeant. De habentibus aũt malam tẽperaturam,quòd cum ſolis his qui contrariã habent coeũtes,gignent. Prius aũt dicetur de mulieribus ſterilibus,quarũ uterus ſtatim ab initio eſt male tẽperatus,exuperante.ſ.uel una duarũ qualitatũ,uel duabus,quẽadmodum in cõmentariis de temperaturis determinauimus,oſtendentes octo eſſe numero omnes intẽperaturas: ſimplices quidẽ quatuor,quarum nunc Hippocrates meminit:compoſitas autem alias quatuor his ſimplicibus inuicem complicatas. Vbi igitur frigiditas immodica adeo exuperat, ut uterus ſpiſſior efficiatur,anguſta quidem ſunt ſupra modum ora uaſorum quæ ad ipſum pertingunt,mulieres uero ſteriles redduntur, quum ſecundę non poſſint adnaſci ad ora uaſoꝝ, neque ſi hoc fiat aliquando,poſſit bene nutriri cõceptus.uel enim nullo modo fiunt in hiſce mulieribus purgationes,uel omnino paucæ,& hæ ipſæ uitioſę,ſolo tenuiore atq; aquoſiore ſanguine perlabente. Sed & hæc quoq; ora facile obſtruũtur,& propter natiuã anguſtiã,& quoniã magna ex parte hæ mulieres humorem aggregant pituitoſum: ſiquidem & corpus totum omnino eſt uteris ſimile. Contingit autem & maris ſemen in talibus uteris refrigerari,niſi ſit natura calidius. De prima itaque frigida tẽperatura Hippocrates fecit mentionem inquiens: Quæcunque frigidos & ſpiſſos uteros habent. Non(per Iouem)uolens ſimul coniungere in ipſis cum frigiditate denſitatem, uelut ſi ſiccitatem aut humiditatem addidiſſet. Harum enim neutra ſemper conſequitur frigiditatem: & propterea ipſi, modo una, modo alte-

ra adiungitur. Denſitas uero ex neceſsitate ualde frigidos uteros comitatur, ob quam non poſſunt cõcipere,ut diximus. Quare ita ſermonem totum huius Aphoriſmi audiemus: Quæcũque frigidos uteros habent,non concipient propter ſubſtantiæ ipſorum ſpiſsitudinem. Cur uero ſpiſsitudo aduerſetur conceptioni,dicere prætermiſit,ut nobis potentibus intelligere. Et quæcunq; uteros nimis humidos habent non cõcipient. Extinguitur enim genitura,quẽadmodum in terra paluſtri cerealia ſemina. Et quæcunque ſiccos,ſiue adurentes habent uteros propter defectum alimenti non concipiẽt: nam in ſiccis uteris tale quid accidit,quale ubi aut arenæ,aut argilloſæ terræ aut petroſæ mandantur ſemina. In habentibus autem immodicam caliditatem,quale ubi ualde calidæ terræ ſemina cõmittuntur,quemadmodum in æſtibus ſub Cane contingit. Sic itaque quatuor qualitatum Hippocrates meminit,ſingularum ſeorſum facultatẽ exponens, ut ſiquando inuicem miſceantur,manifeſta ſit earum cõmixtio. Poſt hæc autem inquit: Quæcũq; uero ex utriſque modice temperatæ ſunt, fœcunditatem habent. Ex quibus autẽ utriſque:non qualitatibus ſcilicet(ſunt enim quatuor) ſed quæ ſunt ſecundum ipſas oppoſitionibus. Sicuti enim dictũ eſt in libro de temperaturis, una quidem eſt bona temperatura mixtis modice inuicem calido ac frigido,altera uero humido ac ſicco: & fieri poteſt, ut ſit aliquis uterus ſecũdum unam quidem oppoſitionem bene temperatus,ſecũdum alteram uero male. Sed ne mulier concipiat,poteſt uel altera eſſi cere intemperatura. Mulierem uero eſſe fœcundam,ſine ambabus bonis temperaturis eſt impoſsibile. Hippocrates itaque,ſicuti totum ſermonem anteriorem de muliebribus ſcripſit,ſic & nuper dictum de his quas habent uteri temperaturis, non

tamen etiam addidit de uiris ſermonem,uel quia promptum nobis ſit ex his quæ dicta ſunt,eaſdem intemperaturas ad ſemen transferre,uel quia diſtulit ad ſequentia,ſed poſtea oblitus eſt. Quidam tamen alterum deinceps aphoriſmũ de maribus adſcripſere, cuius initiũ, Similiter & in maribus. Sed probatiſſimi Aphoriſmorum expoſitores aiunt ipſum & ab Hippocratis mente,& modo eloquutionis manifeſte deficere. Atqui ſecundum apporationem illorum quæ de mulieribus ſcripſit, licet nobis ad uiros tranſcendentibus dicere,q; propter temperaturæ frigiditatem non bene ſemen concoquitur: atq; ideo ſi mediocris quidem ſit intemperatura in ipſo, indiget utero calido ſufficienter: ſi uero immodica ſit,eſt omnino ſterilis,uel propter humiditatem rurſus neq; concoquitur,& hoc etiã indiget ſi modica ſit intemperatura,utero calidiori,ac ſicciori: ſi uero immodica,ſterilis eſt. Eodem modo & propter excedentem calorem ſemen ſit toſto ſimile. Ob ſiccitatem uero,ubi primum excidit,neque extendi poteſt,quod maxime ſit neceſsarium,ſi mulier debeat concipere. Oſtenſum eſt enim in ſermone de ſemine,niſi per uteri cauitatẽ parte plurima ſemen extendatur,mulierẽ non concipere. His igitur ueluti quibuſdam elemẽtis à nobis adſtructis,deinceps dicamus id quod ab initio diſtulimus dicere,quod etiam à Platone in Theæteto proponitur. Inquit enim & hoc eſſe maximũ opus obſtetricum,ſcire coniungere inuicem corpora apta ad conceptionẽ(quod nũc in ſermone dictũ eſt)& ſimul poſſe diſcernere qui uiri ſint infœcundi,& quæ mulieres ſteriles. Nam immodicæ intemperaturę horum ſunt cauſæ,modicæ uero ſi ſint,& contrariis coniungantur, tunc cõcipiẽt mulieres,ſi uero ſimilibus non concipient. Neque enim fieri poteſt ut frigidum ſemen in utero frigi-

diore sit fertile, quemadmodum neque siccum in
sicciore, & in aliis utrisque eodem modo: sed indi
get semen quidem frigidius, utero tãto calidiore,
quanto deficit ab optima tẽperatura, & humidius
siccíore, & in aliis eodem modo. Cognitio autem
omnium immodicarum uteri intemperaturarum,
est quam paulo ante dixit Hippocrates in suffitu,
qui per aromata fit. Frigiditas enim spissitudinis
ratione, non permittit usq; ad os & nares ferri aro
matum exhalationem: eodẽ modo & siccitas. Hu
miditas uero, sicuti ab ipso dicta est extinguere ge
nituram: sic & aromatum qualitatẽ. Reliqua est ue
hemens caliditas, quæ ea ratione qua uincit aro
matum facultatem, alterat atque corrũpit: ac pro
pterea non permittit ipsam seruantem sui naturam
sincerã ad os & nares deferri. De hisce naturis ex
suffitu aromatum sufficiens cognitio præstabitur:
si uero non potest hæc sufficienter haberi, ex aliis
indiciis nobis erit talis natura inuestiganda, hoc
ipsum cognoscentibus quòd rara admodũ est hu
iuscemodi temperatura in mulieribus. siquidem
fœmina est mare frigidior. Vnde ob hoc ea quam
facit Hippocrates ex aromatum suffitu dignotio,
in sterilibus mulieribus utilissima est, uel quia om
nis immodica intemperatura isti subiicitur, uel qa
rarissime unam ipsam subterfugit in mulieribus il
lis quæ tenues apparent & nigræ & hirtæ: ita ut
ex his signis percipiatur earum immodica intem
peratura sine suffitu aromatum.

LXIII.

SIMILITER autem & in maribus: aut enim
propter corporis raritatem spiritus extra fertur,
ut semen nõ transmittatur ad os, uel propter spis
situdinem humor non exit foras, uel propter fri
ditatem non concalescit, ita ut ad hũc colligatur
locum: uel propter caliditatẽ hoc idem accidit.

Qui hunc interposuit aphorismum neque pro
prias uoces intellexit. nam quum profiteretur eun
dem in uiris sermonem se facturũ sicut Hippocra
tes in mulieribus scripserat, non adimpleuit hoc.
Quum enim ille de quatuor intemperaturis feciss
set mentionem, oportuit hũc etiam quatuor in ma
ribus, ut nos fecimus, in medium adducere: uerum
non sic iste, sed primum quidẽ statim damnat cor
poris raritatem, quæ in mulieribus fuit prætermiss
sa: deinde neq; eius sermo, si ipse seorsum diligen
tius examinetur, uerus deprehendetur. Videntur si
quidem uiri multi habentes rarum corpus, semen
tamen habere fœcundissimum. neque id mirum.
Raritas siquidem corporis in calidioribus, atque
humidioribus prouenit temperaturis, quæ potiss
simum plurimo semine, & fœcũdissimo abũdant.
nam & materiam habent ex qua semen generatur
copiosum, & uim à qua concoquitur. Eiaculatur
autem intentione uasorum seminalium expressum
semen, non à spiritu propulsum. substantia siqui
dem spiritualis cũ humore seminis miscetur, quæ
& ipsa indiget exprimentibus, sicuti & humor: &
quę tantũ siccũ superexcedit, quãto & celerius ex
tra eiicitur, & ad longius spatium defertur. Hæc
igitur sunt ab eo ignorata qui aphorismum adie
cit, & præterea cum ait humorem propter spisситu
dinem non exire foras. Si enim alium humo
rem à semine dicit, sermo delirus est. Si uero
ait semen propter corporis totius spisситudinem
non exire foras, ignorat omnino quæ sit structu
ra instrumentorum, quæ seminaria uocantur: me
melius enim fuerat ipsorum causari angustiam.
Sed & quod deinceps est dictum, usque ad ali
quid uerum, non habet id quod sequitur intel
ligibile. Nam quòd propter temperaturæ frigi
ditatem semen non concalescat, ac propterea sit

infœcundum,uerum existit: quòd autem colligi nequeat ad locum hunc,superfluo adiectũ est,præter id quod neque locus ab ipso explicatur,sed à nobis intelligẽdus relinquitur, & tamen id uerbũ, Hunc,ad ea quæ prius dicta sunt,habet relationẽ. Sed hæc quidem parua sunt. Qui uero circa finem error,est magnus,quum dicat propter ipsius caliditatem hoc idem euenire:nam manifeste ad illud quod antea dictum est sermo iste refertur. Dictum autem antea fuit quòd propter frigiditatem non adeo concalescat, ut ad hunc locum colligatur. Quare propter calorem oportet intelligere non concalescere,neque colligi in uasis seminariis semen. Hoc autem est aperte absurdum:nam torreri,aut assari,aut tale aliquid semen pati propter calorem,rationem habet:non concalescere autem, est omnino perabsurdum.

LXIIII.

LAC dare caput dolentibus,malum:malum uero & febricitantibus,& quibus ilia suspensa murmurant,& sticulosis:malum autem & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & qbus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autẽ & tabidis dare,qui non ualde multum febricitãt, & in febribus longis,& paruis si nullũ ex supradictis signis affuerit,& prẽter rationẽ cõsumptis.

Quòd lac facile alteretur,& quòd duplicẽ habeat alterationem,quando pluri quidem adhæret calori,statim euaporans,quando autem pauco,cito acescens: tibi licet perdiscere,partim statim cũ ex mammis excidit,ad ignem elixanti, partim ipsum iacere per seipsum permittẽti. Nam elixatum in uaporem uertitur,dimissum autem omnino citius uel tardius acescit. Sic autem & in sanis, si non bene cõcoquatur,in quibusdam acescit,in quibus

dam autem euaporat.in uentriculo quidem frigidiore acescit.in calidiore uero euaporat. Lac uero quod bene concoquitur nutrit,& bonos facit humores,& dum cõcoquitur his pariter attollit præcordia,& tangit caput. Hos effectus,& passiones in sanis etiam uidebis. Verum quæ ægrotis accidunt,percurrit Hippocrates,quæ semper quidem experiri uolentibus manifestãtur,& possunt etiam ante experientiam cognosci. Vbi enim in his qui integra sanitate fruuntur uidemus lac capiti dolorem afferre,& præcordia inflare,nihil mirũ est excogitare,quòd his qui iam caput dolẽt,uel suspensa habent præcordia,sit inimicissimum. Recte autem dixit præcordia suspensa,licet dicere potuerit inflata & flatuosa. Neque enim hæc sola lac potest offendere,sed & alia omnia quæ sunt quouis modo suspensa,propter aliquam talem, qualis est inflammatio,uel erysipelas,uel tumor præ durus,uel laxus,passionem. Adhuc autem magis si absessus nondũ sit in præcordiis disruptus,non est his utile lac. Hæc itaque omnia per unum uerbum ostendit Hippocrates,inquiẽs: Præcordia suspensa. Nocere autem ait & murmurãtibus lac, quæ alia sunt ab inflatis,& distentis:flatuosa quidem, ac uentosa & hæc sunt. Maior itaque offensio præcordiis distentis,minor uero murmurãtibus, sed tamẽ neque his est utile lac. Acescit enim in ipsis. Serũ tamen lactis sale & melle cõdientes plurimis talibus exhibuimus,& iuuantur citata ipsis aluo. Et sitientibus malũ inquit lac esse. euaporat enim in ipsis, siue natura sitierint,siue ex aliquo tẽpore sitis aduenerit.& his quidem quibus biliosa deiiciuntur, in quibus equidem dicerẽ lac euaporare. Non minus autem,& his qui talia euomunt. Nam in uniuersum didicimus q̃ celerrime ab omnibus causis calidis lac ad fumosum alteratur. Rationabiliter

itaque his qui acute febricitant nocet. & mihi uidetur sermo melius in hũc modum se habere: Malum autem & quibus biliosæ deiectiones, & acutis febribus. Neque enim utrisq; simul iunctis tantummodo noxiũ est lac, sed seorsum in alterutro. His igitur passionibus lac plurimum aduersatur. Vtile autem est his quæ sequuntur, de q̃bus est ab Hippocrate scriptum, in hunc modum: Conuenit autem tabidis non ualde febricitãtibus dare. Nam primum de tabidis facit mentionem. Intelligendũ autem est ipsum ita nominare illos qui tabem ex ulcere pulmonis patiuntur. Nam alios qui alia ex causa sunt extenuati, ipse deinceps nominat in uerbis illis, quorum initium est, Et in febribus paruis. Commune autem in omnibus qui lacte indigent, quòd cibus bonum generans succum, & qui cito per uenas distribuatur, illis est necessarius. Neque mirandum est si lac dicimus bonum succum generare, ét si quid habeat flatuosum. Nã in uniuersum bonum succũ generare dicimus quæcunque post coctionem ad bonũ humorem transmutantur, hoc est ad sanguineũ. hic enim humor est nobis amicus. Cur autem quum dixisset: Cõuenit autem tabidis: adiecit, Non ualde multum febricitantibus, mihi uidetur dignum inuestigatione non parua, nam sufficiebat etiã sine, ualde, dicere. Nunquid igitur & multum febricitantibus lac exhibet, solis his qui ualde multum febricitant, haudquaquam exhibens? an ab aliquo adiectum fuit uerbũ, ualde, sicuti & pleraque alia? Hæc itaque quispiam per ocium inquirat. Sciat autem iam à nobis addiscens lac multum febricitantibus dandum nõ esse. Miror autem quo modo, in quibus lac dari iubet adscripsit, Si nullum ex supradictis signis affuerit. quod fuit à breuitate aphoristica alienum. id enim erat ex his quæ prius dixerat cognitum,

etiam hoc non adiecto, quòd dandum est tabidis, & præter rationẽ extenuatis lac, nisi caput doleat, aut præcordia intumuerint, aut biliosæ sint deiectiones, aut tale aliq̃d aliud ipsis adsit. Vel nõ simpliciter, neq; semper seruare breuitatẽ uidetur Hippocrates, sed in quibus magnum aliquod periculum imminet si negligentius q̃d ab ipso docetur, audiatur, in his bis, terve repetere eadẽ nõ ueretur.

LXV.

QVIBVS tumores in ulceribus apparẽt, non conuelluntur maxime, neque insaniunt. Verũ his euanescentibus derepente, quibusdã à tergo conuulsiones & distentiones fiunt: quibusdam ante insania, uel dolor lateris acutus, uel suppuratio, uel difficultas ĩtestinoꝝ, si tumores sunt rubicũdi.

Omnes præter naturam tumores Hippocrates οἰδήματα, id est inflationes nominat, sub quibus uidelicet etiam tumentes inflãmationes continentur. & hoc ipsum nomen inflammationis antiqui omnes magis inflãmationibus quæ sine ullo sunt tumore, adaptabant. Quod igitur dicitur, tale est, Quibus tumores ulceribus adueniũt, nõ admodũ conuelluntur, neq; insaniunt. Hoc aũt indicio est, q̃ nonnulli quidem in ipsis conuelluntur, & insaniũt, sed raro hoc patiuntur, quando uidelicet magnitudinem effatu dignam, uel malignitatem assumpserint. Si uero tumores derepente euanescant, cõuulsiones, ac distentiones, quando in partibus retro, hoc est in dorso ulcera fuerint. Quæ uero deinceps dicũtur, si in partibus anterioribus fuerint, cõsequi dicit. Posteriora siquidem neruosa sunt, anteriora uenosa, atq; arteriosa. Quando igitur ab ulceratis partibus humor, qui fecit tumorẽ, ad aliquã partem principalem se cõtulit: in partibus quidem retro neruosis conuulsiones fient ac distentiones.

(nam hæ ſunt neruorũ paſsiones) in anterioribus uero inſania, ſi feratur ad caput: Lateris autem dolor, ſi ad thoracem humor conuertatur. Sæpius uero & hi ſuppurantur, ſi humor nõ diſſoluatur. Difficultatem uero inteſtinorum fore inquit, ſi tumoribus rubentibus conuerſio repente fiat, illam quidẽ inteſtinorum difficultatem, quã ſanguineam nominant, quæ eſt ſanguinis euacuatio per inteſtinum abſque exulceratione. Quòd igitur ſi uel in dorſo, uel in partibus anterioribus illi oppoſitis contigerit aliquando tumores de repente euaneſcere, in tales ægri incidunt paſsiones, nos uidimus. Non tamen ipſe nobis Hippocrates manifeſtauit, ſi de his partibus ſolis loquatur, an ſimpliciter de omnibus, ita quòd etiam †mẽbra extrema hoc ſermone comprehendantur. In tibiis itaque non ſunt in partibus anterioribus muſculi in chordas ualidas deſinentes. In coxa uero in partibus genu anterioribus magnam uidemus chordam, in qua per compatiendi rationem, rationabile magis fieri conuulſionem, quàm in aliquo muſculorum, qui ſunt in partibus coxæ poſterioribus. Sũt enim omnes carnoſæ. Quare nõ uerum uideretur id quod uniuerſaliter dicitur, quòd ex partibus tantum poſterioribus accidunt conuulſiones. Videtur quidem magna ex parte id fieri, nõ in cruribus ſolis, ſed etiam in manibus, forte quoniam hæ partes omnes è directo ſunt dorſalis medullæ. Naſcuntur autem ab hac, & membrorum extremorum nerui, & dorſalium muſculorum.

† κῶλα.

LXVI.

SI IN uulneribus fortibus, & prauis tumor nõ appareat, ingens malum,

Poteſt quidem & ultimo uerbo aphoriſmi, malum adiungi ingens: poteſt autem, & priori parti

aphoriſmi. Fiet enim ſermo talis: Vulneribus prauis exiſtentibus, ſi tumor non appareat, ingens eſt malum. uel talis: Vulneribus prauis exiſtentibus, ſi tumor ingens nõ appareat, malum. Contingit autem, & uerbum ingẽs communiter dici, ac ſi ita dixiſſet: Si uulneribus prauis exiſtentibus tumor ingens non appareat, ingens eſt malum. Melior uero ex tribus ſermonibus meo iudicio eſt talis. Si uulneribus prauis exiſtentibus tumor non appareat, malum eſt ingens. Dictum autẽ & antea eſt, quòd tumor generaliter dicitur de omnibus tumoribus præter naturam. Vulnera autem praua dici exiſtimandum eſt quæ ſunt in capitibus aut finibus muſculorum, & maxime neruoſorum. Nam in capitibus muſculorum, muſculis nerui adnaſcũtur, ex finibus autem chordæ oriuntur. Sicuti igitur paulo prius damnabat omnes tumores derepente detumeſcentes: ita nunc illos qui neque omnino aduenirunt uulneribus prauis. Nam & in his ſuſpicandũ ne humores ad uulnera defluentes, ad partes principaliores tranſmutentur. Et hoc in illis præſertim fieri uulneribus eſt exiſtimandum, in quibus adeſt quidem dolor, & propter ipſum omnino aliquid influit, à medicis autem reprimitur cum ualde infrigidantibus, aut adſtringentibus medicamentis, ſicuti ſi dolor abſit, neq; fluctio mouetur. Maxime autem dolores patiuntur partes neruoſæ, quæ medicinas calefacientes, atque exiccantes deſiderant.

LXVII.

MOLLES boni, crudi uero mali.

Hic ſermo pars eſt antecedentis, docente Hippocrate omnes tumores quicunque molles ſunt optimos eſſe, cõtrarios uero prauos. Proprie igitur molli opponitur durum, atque renitens, Hippocrates uero crudum ipſum nominauit. Neque

enim fieri potest, ut sit tumor renitens bene concoquente membri natura humores ad ipsum confluentes.

LXVIII.

DOLENTI partem capitis posteriorem, in fronte recta uena incisa prodest.

Non solũ studet Hippocrates ubi sit opus euacuare, sed cum auersione. Auersio autem ad contraria fit: secundum longitudinem quidem supra, infraq; : secundum latitudinem uero hinc, & inde, hoc est à dextris, & à sinistris : secundum profundum uero, ante, & retro. In doloribus itaq; partis capitis posterioris, cũ auersione euacuatio ex fronte fiet: sicuti & in anterioribus ea quæ secundum occiput. Sic itaque diuturnæ oculorum fluctiones sæpius sanatæ sunt, ex partibus secundum occiput sanguine misso, unà cum cucurbitulæ usu.

LXIX.

RIGORES incipiunt, mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput, sed & uiris parte corporis posteriore magis, quàm anteriore, ueluti femorum, cubiti, sed & cutis rara: indicio autem est pilus.

Rigores omnes incipiunt quidem cum sensibili frigore. Paratiores autem non solum ad susciptẽdam, sed etiam sentiendam frigiditatem sunt dorsi partes: quare non absq; ratione, hinc rigores inchoant, & hi citius fiunt mulieribus, quoniam fœmina est natura frigidior, atque imbecillior. Recurrit autem hinc rigor incipiens, ad principium neruorum, scilicet caput, celerrime facta per spinalem medullam compassione, quoniam & ipsa, natura frigida est, sicuti & cerebrum, & propter substantiæ mollitiem similiter facile alterationem susci-

piens. Ex partibus autem anterioribus rigores nõ incohant, quoniam calidiorem habent quàm partes posteriores temperaturam: & huius argumentum sumit ex cutis raritate, huius uero ipsius rursus ex pilorum multitudine. Dictum autem à me est de generatione pilorum sufficienter in commẽtariis de temperaturis.

LXX.

A QVARTANIS capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur. Si uero prius capiãtur, & quartana superuenerit, liberantur.

Quæ quidem fit ex euacuatione conuulsio, acutissima est, & pernicioſissima : quæ uero ex repletione partium neruosarum, qualis in morbo comitiali, neque acutissima, neque similiter periculosa. Meminit autem Hippocrates nunc de tali cõuulsione: nam uerba, capti, & capiũtur, longitudinem temporis ostendunt. Hanc itaque conuulsionem quartana non solum prohibet fieri, uerum si fieri anticipauerit, soluit. Fit autem ab humoribus lentis ac pituitosis, qui partibus neruosis inserti sunt. Quum uero horum humorũ duplex sanatio sit, excretio scilicet, & coctio, ambas habet quartana, excretionem quidẽ ex rigore (hæc enim sola agitatio sufficiens est crassum excernere humorem,) coctionem uero, caloris febrilis ratione qui rigorem consequitur.

LXXI.

QVIBVS cutes circũtenduntur aridæ, & siccæ, sine sudore moriuntur. Quibus uero laxæ, & raræ, cum sudore moriuntur.

Morituri, qui quidem squalidas, duras, & siccas habent cutes & extentas, sine sudore moriuntur, qbus uero contrario mõ, laxa uidelicet, & molles,

& raras, cum ſudore moriuntur. prioribus ſiquidem uel humiditas omnino deeſt, uel cuti: aliis uero ineſt & cuti.

LXXII.

QVI REGIO morbo laborant, non multum uentoſi ſunt.

Ventoſos ab ipſo nunc dici eſt exiſtimandum illos, qui in uentre colligunt multitudinem uenti flatuoſi, qui uel per ructus, uel p flatus excernitur, uel remanet, & extendit quæ inibi ſunt. ſit aũt hoc nonnunquam quidem ob debilitatem, & partium ad uentrem attinentium imbecillitatem: nonnunquã uero ex pituitoſo, & frigido humore. Hi itaq; qui propter pituitoſum humorẽ uentoſi ſunt, contrarii ſunt laborantibus regio morbo, qui ex bile accidit. Quare hi nunquam ob humoris exuperantis naturam uentoſi fierẽt. Contingit autem ipſos, ob partium imbecillitatem fieri aliquando uentoſos. Quare ſermoni adiecit, non admodum, continuum quidem negationi adimens. Oſtendens autem maiori ex parte quod prius dixerat, fieri. Neque enim admodũ inuenire contingit regio morbo laborantes habere partium ad uentrem attinẽtium imbecillitatem.

GALENI

GALENI IN APHORISMOS Hippocratis Commentarius Sextus, Nicolao Leoniceno interprete.

APHORISMVS I.



IN LONGIS lęuitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus fiat, qui prius non erat, ſignum bonum.

Lęuitas inteſtinorum eſt uelox exitus eorum quæ comeduntur, atque bibuntur, quæ talia deiiciũtur, qualia fuere deuorata. Si quis uero uellet breuiorem afferre definitionem, diceret eſſe carentiam coctionis, cum neque ſecundum conſiſtentiam, neque ſecundum colorem, uel odorem, uel ullam omnino qualitatem, in uentriculo facta fuerit mutatio ciborum. Tale autem nomen hæc paſſio ſortita eſt, exiſtimantibus illis, qui prius talem ei indiderunt appellationem, fieri ipſam propter intrinſecæ ſuperficiei inteſtinorum lęuitatem, ob quam cibos qui continentur in eis, non ampliꝰ us apprehendunt, ut cum ſuam ſeruarent ſibi à natura inditam aſperitatem, retinebant. In pluribus itaque aliis qui primi nomina rebus impoſuere, ſunt collaudãdi: nõ tamẽ in læuitate inteſtinorũ uiros accepto, qui ignorauerint quòd ipſius uentriculi proprium eſt cibos amplecti, ac ſe circumſtringendo, certo tempore retinere, & rurſus ad inferiora demittere. Et ſicuti in ueſica fit urinæ ſtillicidium, non expectante ut illa colligatur, ſed ſtatim tanquam mordentem, aut aggrauantem expellente: ſic & in uentriculo uelocęs exitus, hæ

enim ſunt omnium excretionum cauſæ: quas ſi illi ſciuiſſent, qui primi hanc paſſionem lęuitatem inteſtinorum nominarunt, talem de ea opinionẽ abiecíſſent, & uice eius, totius uentriculi atque inteſtinorum imbecillitatem in cauſa poſuiſſent: ob quam hæ partes corporis grauatæ à cibis aſſumptis, ipſos cõfeſtim excernunt. Fieri autem poteſt aliquando ut & à quorundam humorum mordacitate illis in ſuperficie exulceratis, fiat hæc paſſio, etſi uiſ' ipſa non multum patiatur: nam & tunc eſt neceſſarium, ut permeantibus cibis, partes exulceratæ dolorem ſentiant, atq; ideo illos propellant, atque à ſeipſis citiſſime emittant: quo in omnibus partibus facto uelocitas exitus ſubſequetur, & nullum fiet initium coctionis. Verum tali inteſtinorũ lęuitati cuiuſdam morſus inerit ſenſus. In illa uero quæ accidit propter uentriculi atque inteſtinorum imbecillitatem, abſque ullo doloris ſenſu fiunt deiectiones. Adeſt autem & hæc haud parua utrique differentia. Quæ enim abraſa ſit ex humorum acritudine uentriculi atque inteſtinorum ſuperficie, ceſſante humorum malignitate, ſtatim ſanatur, cibis ac potibus quæ uim denſandi habent. Quòd ſi longiori tempore perſeueret: in alteram paſſionem quæ dyſenteria, id eſt difficultas inteſtinorum nominatur, tranſmutatur. Quæ autem potentiæ retentiuæ ſequitur imbecillitatem, omnino quidem ſit ex intemperatura, ſed uel ipſorũ corporum quæ iam habitum quendam non facilem ſolutu cõtraxerunt, eſt diſpoſitio, uel propter humorem aliquem, qui in uentriculo atque inteſtinis continetur, euenit: ex quibus humoribus unus eſt pituita. Vnde & acidos ructus qui tali paſſione laborant, habent, quos græci ὀξυρυτίας nominant: qui ſine aliqua pituita quandoq; in uentriculo frigidiore fiunt, & in quibuſdam læuitatibus

inteſtinorum, quæ ex frigiditate ortum habent, unà fiunt, ſed progreſſu temporis ceſſant. Nam ab initio paruo quodam tempore cibi in uentriculo retinentur: procedente autem atq; aucta paſſione, neque hoc tempore retinentur. In quibus igitur paruo remanent tempore, fit quoddam ueluti initium concoctionis, & propter hoc non ſortitur effectum. Nos uero didicimus imperfectas coctiones ex frigiditate prouenientes ructus acidos facere. In quibus autem cibi nullum habent coctionis initium: neque ulla ab initio fit ſecundũ qualitatem mutatio, adeo quòd neque ructus acidi, niſi pituita, præſertim acida, in uentriculo abundet. propterea Hippocrates non ſimpliciter dixit bonum eſſe ſignum acidos ructus in læuitatibus inteſtinorum, ſed primum quidem in longis adiecit, quaſi cum incipientibus, ut dictum eſt, ſæpius unà eueniant: deinde ubi prius nõ fuerint, inquit: Quæcunq; n. à pituita uentriculũ refrigerante fiunt lęuitates inteſtinorũ, ſemp cum ipſis ſunt acidi ructus, ut caſus qdã. Illis igitur quæ neq; incipiunt, neq; ex pituita fiunt, nõ inſunt acidi ructus. qđ ſi aliquãdo fiant, ſignificant tantũ aliquãdo tẽpus cibum in uẽtriculo retineri, & principiũ mutationis accipiunt, & naturam ſuorum operum reminiſci. Et iam, ut arbitror, ſatis impleſſe uideor expoſitoris officium. Siquis uero eorũ quæ dicta ſunt, uult capita omnia ſcientia comprehendere, in tractatu qui de potentiis naturalibus inſcriptus eſt, non paucas habet de uentriculi uiribus demonſtrationes, in cauſis autem accidentium, de omnibus q̃ uelociter excernuntur. Quoniã uero Eraſiſtratus in ſecundo de uentriculo mentitus eſt de medicis ſe ætate ſuperioribus, & turbauit atque confudit inteſtinorum læuitatis notionem, melius mihi uiſum eſt hæc ſuperaddere, et

primũ ipsius Erasistrati uerba subscribere, quæ ita se habẽt: De ea quæ lęuitas intestinorũ nominatur dicendum, quam priores medici in tres partes diuiserunt, in difficultatẽ intestinorũ, in lęuitatẽ intestinorum, & tentionem. & quidam in his, quæ excernuntur differentias considerantes passionis atque dicentes: Quando enim sanguinolenta, atq; muccosa exeunt, quæ à uentriculo fuere concocta, tunc difficultatem intestinorum nominabant. Si uero exeuntia cruda, mixta autem sanguinolentis atque muccosis, lęuitatem intestinorum uocabant. cum uero biliosa mixta cum sanguinolentis, atque muccosis excernuntur, tentionem passionem appellabant. Hæc igitur Erasistratus inquit, nescio qua ductus opinione, adiiciens crudis excrementis muccosa, ac sanguinolenta. Hoc enim, neque eorum qui eius ætate claruerunt, medicorum, ueluti Philotimus, Herophilus, & Eudemus, ullus apposuit: neq; eorum qui posteriores fuerunt aliquis ad hos usque iuniores Archigenis sectatores: neq; quos ipse citat, medici superiores, hoc est ipso Erasistrato seniores. Diocles siquidem in libro de curatione causæ passionis, scribit in hunc modum.

Tertia autẽ magna ex parte fit ex difficultate intestinorum. Vocatur autem lęuitas intestinorum, ad quam sequtur deiectio humida, ac spumosa, & cruda, & multa, & cita post cibum assumptum, ac potum. Praxagoras autem in secundo de assidentibus, inquit. Intestinorum lævitate laborantibus, quoniam lubricum est intestinum, ieiunum præsertim, necesse est cito ciborum fieri deiectiones. Post hæc deinceps, quòd necessarium sit cito exeuntia esse omnino cruda, Praxagoras scribit, maximam quidem passionis proprietatem in cita ponens deiectione: quòd uero cibi omnino incocti permaneant, hoc unum faciens ex his quæ necessario

consequuntur. Neque enim quia omnino incocti permaneant cibi, ideo cito deiiciuntur: sed quia cito deiiciuntur, idcirco nullam habent coctionẽ. atque ideo nos, & alii medici plurimi citam ciborum nullam habentium coctionem deiectionem, dicimus esse lævitatem intestinorum. Sic de ipsa uidentur sentire & alii medici antiqui. Nam & in libro de passionibus Hippocratis (siue eius sit liber, siue Polybi eius discipuli) hæc de lęuitate intestinorum scripta inueniuntur. Cibi deiiciuntur imputridi, humidi, absque dolore, corpus autem extenuatur. Liquet uero fuisse morem antiquum istorum uirorum uocare imputrida quæ nos incocta nominamus. In libro autem de uictu salubri, qui etiam & ipse Hippocrati adscribitur (licet q adulterinum censent, nonnulli ad Aristonem, nonnulli ad Philistionem, quidam ad Pherecydem referant) scribuntur hæc uerba: Patiuntur nonnulli talia, cibus eis deiicitur humidus, incoctus, non propter morbum, ueluti lęuitatem intestinorum, neq; aliquem ipsis affert dolorem. Hi quidem uiri omnes Erasistrato seniores. Mille autem alii, ut dixi, qui omnes tum Erasistrati ætate, tum eo posterius uiguerunt, in eandem sententiam de intestinorum lævitate scripserunt. Quare nescio qua causa ductus de priscis hominibus mentiatur, illos inquiens arbitrari in lęuitatibus intestinorum sanguinolenta, atque muccosa cibis incoctis commisceri.

II.

QVIBVS NARES natura humidiores, & genitura, humidior, minus integra sanitate fruuntur. Quibus uero contraria, salubrius degunt.

In ficcioribus secundum naturam temperaturis, nulla omnino superfluitas manifesta, neque sensibilis per nares effluit ex cerebro, sicuti neque

per cutem ſudor. Sed illa quæ à medicis diffl atio occulta nominatur, ſuperflua extenuata per modũ uaporis euacuat: humidioribus uero naturis ſenſibiles fiunt ſuperfluitates, præſertim cerebri, quoniam eſt natura frigidius. His uero & eiſdem genituram, hoc eſt ſemen ipſum, ait eſſe humidiorem, ſicuti in ſiccioribus aquoſa humiditate conſumpta craſſius ac ſiccius eſt ſemen. Eos igitur qui ſunt humidiores, ſiue cerebro tantum, ſiue corpore uniuerſo, non contingit ſalubrem uitam omnis exper tem noxæ traducere, uerum continuo deſtillationibus ex parua occaſione capiũtur: & ſi ſuperfluitas eis ad inferiora per palatum deſcendat, partes ſubiectæ offenduntur, fauces, guttur, aſpera arteria pulmo, gula, uentriculus. Tuſſes itaque in ipſis fieri, & difficiles anhelitus, & anginas, cruditatesq́; & uentris profluuia eſt neceſſarium, nonnunquam uero, & difficultates inteſtinorum, quando quod deſtillat, ſalſum quodã modo fuerit. Dixit autem & ipſe de his in libro de aquis, aere, & locis, ſicuti in libris, & de morbis, ac paſſionibus.

III.

IN LONGIS difficultatibus inteſtinorũ, inediæ ex faſtidio, malum: & cum febre, peius.

Difficultates inteſtinorum fiunt quidem ex humoribus acribus. Sunt autem inteſtinorum exulcerationes primum quidem ſuperficietenus abraſorum, progreſſu autem temporis, & profundiora, habentium ulcera ut plurimum putrilagini obnoxia: quo maxime tempore & uẽtriculus ipſis cõpatiens in cõcoquẽdo offenditur: qua offenſione magis, ac magis ad ſuperiora peruenient, ubi & os uentriculi unà afficitur, cibum faſtidiunt, hoc eſt non appetunt. Nonnunquam tamen etiam ab initio cibum faſtidiunt propter malos humores

fluentes ab hepate: à quibus diximus abradi inteſtina, præſertim cum hi amaræ bilis naturam habuerint. Nam pars eorum ſuperfluitans ad os uentriculi effertur. In longis uero difficultatibus inteſtinorum, cum hic caſus euenerit, iam mortem q̃dam ipſi aduenifſe uentriculo compatiendi ratione ſignificat, in qua omnino interiit appetentia, opus ad uitam neceſſarium. Si uero unà cũ inappetentia febris aduenial difficultati inteſtinorum, duorum alterum, uel putredo aliqua eſt circa ulcera, uel digna effatu inflammatio: atque ita, ut dictũ eſt, toto iam patiente uentriculo ægri ſe habent exitialiter.

IIII.

VVLNERA circunglabra, praua ſunt.

Quando uel pilos uideris defluentes à circũiacentibus ulceri locis, uel cutem ſquamulas è ſumma parte dimittere, ſcito his qui ita ſe habent prauos humores ad partem confluere, qui ulcus erodunt. Neque enim ſi radices quidem pilorum poſſunt corrumpere, loca ulcerata permittere ad cicatricem peruenire.

V.

DOLORES, QVI ſunt in lateralibus, & pectoribus, atque aliis partibus, ſi multum differant perdiſcendum.

Perdiſcere oportet non modo locum dolentem qualisnam ſit, ſed & magnitudinem doloris in eo quanta ſit. Hoc autem confert & ad loci patientis dignotionem, & ad præcognitionem eorũ quæ circa ægrum futura ſunt, & præterea ad curationis inuentionem. Si ergo in lateribus magnus fuerit dolor, primum hic eſſe non poteſt quin membrana, quæ ſubcingens nominatur, patiatur,

Pleuritis dolor.

Secundo autem neque absque periculo est, Deinde & maiore indiget curatione: Si quidem ad claviculam dolor pertingat, uenæ sectione: si uero ad præcordia, purgatione, quemadmodum ipse in libro de uictu acutorum edocuit: Si autem mediocris fuerit dolor, & præterea non pungat, ut qui in membrana subcingente est, neque ad clauiculã ptingat aut præcordia, contingit ipsum carnosis costarum partibus patientibus fieri, atque ideo neque esse periculosum, neque magno auxilio indigere. Sic & in singulis aliis partibus doloris magnitudo est consideranda: ueluti si renum pars carnosa patiatur inflammationem, dolor est grauis, quemadmodum ipse inquit in Epidemiis, ita illum nominans, qui ueluti cuiusdam ponderis loco incumbentis inuehit sensum. Aliis uero partibus, quæ sunt in rene, patientibus, dolor sentitur acutus. Dico autem alias partes tunicam hunc obtegentẽ, & uentrem eius interiorẽ, & eas q̃ ad hunc terminãtur arterias, ac uenas, ac præterea ortus uasorum urinariorum. Sic præterea se habet res etiam in hepate. Nam eius parte carnosa inflammationem patiente, grauis fit dolor. Tunica uero circunducta, uel uasis, acutus: & ipsius doloris acuti quantitas maior, aut minor causæ facientis affert indicium. humor siquidem bilioſus, & acutus dolorem auget, sic & spiritus flatuosus nõ habens exitum: exoluit autem pituitosus. Non solum autem magnitudo qualitatis aliquod nobis dat doloris indicium, sed etiam quantitatis. Augetur enim cuiuslibet causæ efficientis opus, eius autẽ talsubstantia. Si itaque uniuscuiusque doloris uolens à nobis magnitudinem considerari, hũc aphorismũ scripsit Hippocrates: sufficienter ipsius usum exposuimus. Si uero nõ solum secundum magnitudinem dolorum differentiam dicit fore consi-

derãdam, sed generalius quoddam, ac ueluti uniuersalius ostendit, consulens nobis omnes effatu dignas dolorum differentias inspicere: maiorem adhuc ex eo fructum utilitatis percipiemus. Fiet enim huiuscemodi sermo: Non simpliciter partium dolorem considerare oportet: neque arbitrãdum eandem esse in omnibus dispositionem. ueluti si prius quidem Dion, postea uero Theon costam doluerit, non eodem modo utrunque se habere existimandum, sed discere oportet, nunquid maxime inuicem in dolore differant, an quodam modo similes existant. Fit autem id ex duobus perspicuum, & ex doloris specie, & ex uehementia. Ex specie quidem, si pungenti similis uel exedenti, uel tendenti, uel torporem inducẽti, uel grauanti, uel stimulanti, uel ferienti, uel continuus, uel cum intermissione, uel æqualis, uel inæqualis. Secundum autem uehementiam, quis sit maior aut minor aduertendum, quæ paulo antea secundum magnitudinem differentia in doloribus dicebatur. Consueuere siquidem medici uerbo abutentes, omne uehementius maius nominare, quanuis ad qualitatem, non ad quantitatẽ id attineat. Omnes etenim febrem magnam uel paruam, uel mediocrem, quæ suam habet in caliditate substantiam, nominare non desistunt. Quare nihil mirandum si & dolorem uehementiorem, maiorem appellant. Adhuc autem & minus dignum admiratione, si quæcunque inuicem distant specie, aiunt magnum habere discrimen, ueluti dolorem qui ponderis cuiusdam similitudinem gerit, ab eo qui uidetur ferire, uel aliquod aliud pati ex his quæ antea diximus.

VI.

RENVM ET ueficæ uitia in senioribus difficulter sanantur.

In ſenibus uix inquit ſanantur, hoc eſt multo negocio, ac tempore longo quæ in renibus, ac uesica ſunt uitia, quoniam earũ opus indeſinens eſt. quiete autem opus eſt ſi quid ſanari debeat: & quia per ipſam euacuatur ſupfluitas acris apta irritare, ſiue ulcus, ſiue inflammatio, ſiue aliqua alia paſſio in ipſis conſtiterit. Multo autem difficilius ſanantur in ſenibus ueſicæ paſſiones, quoniam & omnes alii morbi præcipue longi. Tales autem & ipſe ſuperius dixit commori omnes.

VII.

DOLORES VENTRIS ſublimes, leuiores: cui uero non ſublimes, fortiores.

Sublimes nunc audiendi ſunt, non ſecundum longitudinem corporis, ſed profunditatem. Interſtinguuntur autem hi in locis ad uentrem attinentibus †membrana interiore abdominis, adeo quòd quicunque ſupra hoc fiunt, ſublimes uocantur, qui uero infra, hoc eſt in ipſis inteſtinis, atque uentriculo, & in profundo, non ſublimes dicuntur. Liquet autem quòd tales recte dixit eſſe fortiores.

†Peritonæo.

VIII.

AQVA INTER CVTEM laborantibus ulcera in corpore facta difficulter ſanantur.

Docuit ipſe in libro de ulceribus, non prius ad cicatricem perduci ulcera, quàm ſufficienter exiccentur: hoc autem non facile fieri in his quos aqua inter cutem male habet, ob humiditatis immoderantiam.

IX.

LATÆ PVSTVLÆ non admodum pruriunt.

Sicuti tubercula omnia duplicem habent differentiam: quoniam quædam tendunt in acumen, &

altum petunt: quædam ad maiorem extenduntur locum, non tamen in altum attolluntur: Sic & puſtulæ, nonnullæ ſublimes, nonnullæ latæ fiunt. Sublimiores autem puſtulæ atq; tubercula à calidiore humore generantur, humidiores autem à frigidiore. Quare ob duplicem cauſam latæ puſtulæ non admodum pruriunt. Diffluntur enim in latitudinem extenta, & facientem ipſas humorem minus acrem habent.

X.

CAPVT DOLENTI, & circum dolenti, pus, uel aqua, uel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſoluit.

Plura & alia ſic oſtenſus eſt Hippocrates dicere: in quibus niſi quis animum aduerterit uidebitur quod ab ipſo dicitur, ſolum ad curationem paſſionis proficere, aliud uero nihil. Verum ipſe non hoc tantum dicit, ſed ſimpliciter quòd pus uel aqua effluens per nares uel aures morbum ſoluit. Et ſi utiq; conuertens ſic dixiſſet, quemadmodũ ego nunc, ſermo foret irreprehenſibilis. Quãdo enim uel propter inflammationem, uel humorum crudorum multitudinem in capite aceruatorum fieri dolorem contigerit: tunc inflammatione ſuppurata, aut humore excreto, ſolutio fit morbi. Si uero propter ſpiritum flatuoſum, aut ſanguinis multitudinem, aut bilem mordacem, aut omnino ex intemperatura dolor acciderit, per alia ſanabitur.

XI.

ATRA BILE uexatis & renum paſſionibus, hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum.

Non ſolũ ratione euacuationis hęmorrhoides ſanãt huiuſcemodi paſſiones, ſed & ipſa qualitate

humoris euacuati. Hæ etenim sanguinem crassum consueuerunt euacuare, humore plenum melãcholico, talem habente in sanguine consistẽtiam, qualis est in uinis fex. Quare nihil mirum si atram bilem, & renũ pasiones per hæmorrhoidas sanari: quę natura aptę sunt quod est ueluti fex sanguinis uacuare.

XII.

A DIVTVRNIS sanato hæmorrhoidibus, si una non seruatur, periculum est aquam inter cutem, uel tabem aduenire.

Hæmorrhoidas fieri imposſibile absque hoc, quòd propter multitudinem, & crasitudinem sanguinis ora quarundam uenarum aperiantur, hepate ad ipsas reponẽte feculentum & melancholicũ sanguinem. Siquis igitur ei hoc intercludat iter, unà & duritiem in hepate facit, & simul multitudine grauans ac crasitudine calorem in ipso natiuum extinguit: quum tale quid accidat, quale in flammis exterioribus, in qbus multa ligna superingesta strangulant ignem, atque extingunt. Si igitur à natiuo calore generatur sanguis, clarum qđ ipso extincto non generabitur amplius. A qua uero inter cutem fit, cum sanguinis generatio frustratur. Si uero aliquãdo possit hepar propellere multitudinem ad uenas pulmonis, tũc uase aliquo rupto tabidi fiunt. Non frustra igitur consulit unam saltem seruare hæmorrhoidem, ut per hanc euacuetur feculenta ac uitiosa materia hepatis, præsertim in quibus solita est tempore lõgo peritales uenas excerni.

XIII.

A SINGVLTV habitum sternutatio superueniens liberat.

Author est ipse, sicuti conuulsionem, ita & singultum, uel ex inanitione uel plenitudine fieri. Quando igitur à plenitudine fit, magna autem ex parte ita fit, uiolento opus est motu, ut ueluti concussæ ipsum efficientes humiditates diffientur atq; euacuentur: hoc autem facit sternutatio. Eos uero qui ex inanitione fiunt, qui sunt rariores, non sanat sternutatio. Quòd uero ex plenitudine singultus iugiter fiat, indicant pueri crebro singultiẽtes, quũ sunt repleti. Rigor autẽ & frigiditas omnis quòd omnia neruosa corpora efficiunt ad difficilia, sunt causa ut hæc repleantur, atque ideo in ipsis singultiunt.

XIIII.

AB AQVA inter cutem habito, si aqua à uenis in uentrem defluxerit, soluitur morbus.

Et hoc exemplum est earum quæ sponte fiunt & utiliter euacuationum. Spontaneam autem dicimus, non quòd sine causa fit, sed sine causa ex nobis fit. Quando enim data à nobis medicina aquã trahente talis fiat euacuatio, non etiam & hanc spontaneam nominamus.

XV.

A LONGO ALVI profluuio habito, spontaneus uomitus superueniens morbum soluit.

Et hoc pariter exemplum est eorum quæ recte fiunt à natura, quæ medicum imitari oportet: utilitas uero ratione retractionis.

XVI.

A MOBBO LATERALI uel pulmonia habito, alui profluuium aduenies, malum.

Cum partes aliquæ patiuntur, non simpliciter aliæ cõpati sunt natura aptæ, sed cũ forti pasione

detinentur. Secundum hoc igitur, & hepate fortiter patiente, singultus superuenit compatiente stomacho: Tussis autem & difficilis anhelitus, compatientibus his quæ respirationi obseruiunt instrumentis. Sic & his ipsis pessime affectis hepar compatitur: & hoc ipsum manifeste ostendit Hippocrates, cum non simpliciter dixerit, In morbo laterali uel pulmonia aluum turbatam esse, malum signũ, sed adiecerit, Habito, ac si dixisset detento atque uexato homini à talibus passionibus profluuium alui superueniens malum esse signũ: quoniam ita se habentibus id solet aduenire non potente hepate ad se trahere alimentum, neque conuertere in sanguinem, & quandoq; uentriculo idem alimentum corrumpente. In mediocri autẽ morbo laterali atq; pulmonia, profluuium alui superueniens potest prodesse ratione euacuationis, & magis quũ signa coctionis apparuerint inesse passionibus, neque adest timor, sed morbus est citra periculum. Communiter autem & in his & in omnibus aliis quæcunque eodem modo dicuntur, illud meminisse oportet, quòd nullus alius extemporaneus, & manifestus casus superuenerit, ueluti & nunc alui profluuium, non ex cibo, aut potu aliquo, sed morbi ratione contingat. Nam si alia ex causa, & non ui morbi fiat, non potest eius morem significare, si quidem oportet secundum aliquid signo, quod ab ipso ostenditur, connecti.

Singultus ob epar affectũ.

Profluuiũ aliij in pleuritide. & pulmonia.

XVII.

LIPPIENTEM ALVI profluuio corripi, bonum.

Non ueluti signum hoc lippientium bonum dictum ab eo est, sed tanquam causa, quia humorum abundantia simul euacuatur, atque ad infe-

riora retrahitur. Est autem & hoc apud ipsum exẽplum unum eorum quæ sponte, & utiliter euacuãtur, quæ medicum imitari oportet: & profectò ita omnes faciunt in lippitudinibus, aluum & clysteribus, & purgationibus subducentes.

XVIII.

VESICA DISCISSA, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut uentriculo, aut iecore, letale est.

Hoc uerbum, Letale, sæpius dixit in aliis, & in hoc ipso libro de his qui ex necessitate sunt morituri: sæpius autem & in his qui magna ex parte. Quare & nunc nondum est manifestum, si omnino secuturam mortem discissis his partibus uelit ostendere, uel in quibusdam raro hominem seruari contingat. Quòd quidem igitur cor uulneratum mortem afferat necessario, unum ex his est quæ in confesso habentur: non tamen in aliis æque recipitur, uulnus quodcunque mortem afferre ineuitabilem, sed illud quod magnum est atque profundum: quod rationabile est à uerbo discissa, significari, ut tota uesicæ tunica diuisa usque ad spatium interius intelligatur, atque in singulis aliis eodem modo. In uesica quidem, confessum est tale uulnus non coalescere, sicuti & in parte septi neruosa, & in tenuibus intestinis: in uentriculo autem dubitatur. nam quosdam in eo uulneratos dicunt aliquando, sed raro, fuisse sanatos. Hepatis autem non solum profundum uulnus in fibris eius factum, sed ẽt fibrã abscissam aiunt fuisse sanatã: neq; nos latet quod in libro de uulneribus exitialibus, quædam ex his eius libri author conatur sanare. Quòd uero partes ipsę diuisæ agglutinari nõ possint, in corde q̃dẽ, ac septo transuerso ex iugi eorũ

motu contingit. In uesica autem quia neruosa est ac tenuis & exanguis: eius profecto collum uidemus quotidie sanari quum lapis extrahitur, quoniam carnosum est. Hepar uero uulnera habet plurimo manantia sanguine, atque idcirco moriuntur prius, qui ita sunt uulnerati, quàm uulnera agglutinentur: dixi autem ita, uolens intelligi etiam uenã esse dissectam. Ob hoc ipsum igitur qui uulnera in summa eius parte consistentia aiunt sanari, & fibras hepatis abstulisse, uerum uidentur dicere. Cerebrum autem uulneratum sæpius sanatum uidimus, & semel is in Smyrne Ioniæ, uiuente adhuc præceptore Pelope, & erat uulnus satis effatu dignum. Hoc igitur rarissimum est. Verum autem est, magna uulnera, quæ consueuit Hippocrates nominare discisiones, afferre mortem: & fatentur omnes quòd uulnera cerebri quæ usque ad aliquid in uentriculos penetrãt, etiam afferunt mortem. Tenuium autem intestinorum natura, & uentriculi magis, non parum participant carnosæ substantiæ & ideo in summa parte uulnerata sæpius agglutinantur: tota autem discissa usque ad eorum cauitatem, rarissime. Hoc autem non, ut mihi uidetur, propter eorum substantiam accidit, sed quoniã nõ possumus æque intrinsecis, sicuti extrinsecis imponere uulneribus medicamentum. Quapropter per potiones conatur author libri de uulneribus perniciosis inscripti, siue Hippocrates fuerit, siue quis alius, sanare uentriculum.

XIX.

QVVM DISCISSVM fuerit os, aut chartilago, uel neruus, aut genæ particula tenuis, uel præputium: neque augetur, neque coalescit.

Augeri uocat talem aliquam generari substantiam, qualis est abscissa, sicuti in cauis hulceribus uidetur

uidetur caro germinare: Coalescere autem quãdo discisi corporis labra agglutinantur. Quòd quidem neque cartilago, neque os generentur, est in confesso. An uero agglutinẽtur, nonnulli dubitãt. Inquiunt enim perspicuo uideri ossa perfracta agglutinari. Hi uero aberrãt, & doceri possunt in brutis, quorum pars aliqua fracta contraxit callum. Hæc enim seu uiua, seu mortua, siquis uelit inspicere dissecando, uidebit manifeste à callo quodam, ueluti uinculo circũscripto partes ossium discissas esse constrictas, quas si abraserint, fracturæ profundum uidebunt non glutinatum. Sic igitur de his quæ diximus ambigunt, nonnulli augeri dicentes, non tamen coalescere: quidam uero etiam coalescere, sed raro. Augeri igitur illa desiderãt, quę per exesum sunt ulcerata, & nullum uidi taliter affectũ cui nõ increuerit caro: Agglutinari autem illa, quæ diuisa sunt, & non discissa. Hæc enim inuicem differunt, quum discissa diuisionem habeant usque ad finem peruenientem, quæ nunc Hippocrates ingt non coalescere, non ob id tantum quòd neruosa sunt, atque tenuia: sed quoniam etiam ex eo quòd talem habent naturam, labra uulneris non sunt parum distantia inuicem.

XX.

SI IN uentrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

Quidam sine articulo apud Græcos uentrẽ scribunt, uolentes omnem significari cauitatem, quibus adstipulatur, quod præter naturam adiicitur, per quam adiectionem tale quid ostendit Hippocrates: si unquam sanguis à propria cauitate in aliã quamcunque peruenerit, ut sanguis permaneat est omnino impossibile. Sic igitur & in inflammationibus, & illis, quas Græci ἐκχυμώσεις nominant,

fieri uidetur. In inflammationibus quidem per minimas partes dispersо sanguine ad eas quæ sunt in musculis cauitates, quas sola ratione contemplamur: in ecchymosibus autem, in spacia effusо quæ uasis circuniacent. Suppurari autem non est recte dictum, cum nomen sit unius mutationis in sanguine factæ, quare nonnulli ipsum ad generalius transferunt, ad corrumpi uidelicet, hoc ab ipso dicentes significari. Sic enim uidetur fieri nō permanere sanguinem, cum à suo loco exciderit naturali: sed aliquando quidem suppurari, aliquando uero liuescere, aliquando in grumos uerti, præsertim quando in magnam cauitatem exciderit præter naturā.

Sippū rarj.

XXI.

IN insanientibus si uarices, uel hęmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.

Insania melancho.ª

Varix

Hic insaniam illā quæ proprie melancholia dicitur uocat, non illum qui fit ex bile furorem. Est autem uarix quum uenæ latiores fiunt in coxis, & cruribus. quod ex crasso, & melancholico sanguine contingit, adeo quòd pellente natura ad partes ignobiliores eos qui insaniam efficiunt humores, & præsertim cū melancholici fuerint, ac crassi: dictarū sęqtur passionū generatio, & insanię solutio.

XXII.

QVÆCVNQVE rupta ex dorso ad cubitum descendunt, uenæ sectio soluit.

Cūgio

Melius quidam scribunt, Quicunque dolores. nam ruptum ipsum descendere, unum est impossibilium: siquidem diuulsa, ac rupta musculi parte carnosa, fit ruptum. Videtur quidem nōnunquam manifeste admodū collectus in loco ruptionis sanguis, & discussione sanatur. Reliqui uero qui sunt in dorso dolores, ex defluente humore generātur

solo aliquando, sed magna ex parte crasso, ac flatuoso spiritui associato, quę excipere oportet atq; euacuare per uenæ in cubito existentis sectionem, quando huc apparet fluens. Est.n. eius præceptū, secundū q̄ humores repunt facere euacuationes. Idem aūt significant & uerba hæc. Eò ducendū est quò repūt, p̄ loca opportuna. Si aūt de ruptis sermo est scriptus ab eo, eos qui faciūt cōpatiendi ratione dolores intelligendū est dici ab ipso descendere ad cubitos, non ipsam carnosę partis diuisionem. Et quidem fieri potest ut & talis uenæ sectio utilis sit communi euacuationis ratione.

Cū.

5. aph. 21.

XXIII. 3. de loc. aff. cap. 6.

SI TIMOR, atque mœstitia longo tēpore detinentes perseuerent, ex eo atra bilis significatur.

Si quis nō ex causa manifesta metuat, aut mœstus sit, sunt atræ bilis casus manifesti, & magis etiā si diuturna fieri contingat. Sed si propter cām manifestā incipientes, deinde inueterascāt, non tenteant insaniā significare. Nā & plures nisi uisi sunt furore correpti qui ab excandescentia, uel ira, uel mœstitia principiū habuere, ipso. s. corpore tpe illo prōpte se habēte ad incidēdū in tales passiōes.

XXIIII.

SI QVOD intestinorum gracilium discindatur, non coalescit.

Hoc & in aphorismo paulo antea dicto mōstrauit, cuius initiū, Vesica discissa, uel cerebro. Nescio igitur quo pacto nūc frustra fuerit adscriptus. Hoc autem ipsum profecto uidimus & in pluribus aliis aphorismis, quos melius fuerit eximere.

XXV. inf. sect. 37.

ERYSIPELAS ab exterioribus uerti ad interiora non est bonum, ab interioribus autem ad exteriora bonum.

Non ſolum eryſipelas,ſed aliud quodcunque, quod ex profundis, & principalioribus partibus transfertur ad cutem,bonum eſſe ſignum ac cãm debemus exiſtimare. Si uero cõtra ad interiora,& profunda trãſmutetur,malũ. Sed & alia multa uidetur in hoc libro dixiſſe Hippocrates ueluti q̃dã exempla ſermonum uniuerſalium, à quibus eius quod ſolet euenire,experiẽtiam poſſumus habere manifeſtiorem. Talia etenim exempla oportet eſſe.

XXVI.

QVI in febribus ardentibus tremores fiunt,delirio ſoluuntur.

Siue Hippocrates tales ſermones ſcripſerit, q̃dam ueluti exempla magis generalium, atq; uniuerſalium ſermonum,ſiue alii interpoſuerint,aliis perquirendum relinquentes, illud tantum in ipſis obſeruabimus,quod & antea dictum,& nũc in febre ardente docetur. Quæ enim hanc febrem efficiunt cauſæ in uenoſo genere exiſtentes,quãdo ad neruos trãsferuntur,primum tremores faciunt:cõpatiente uero principio,etiam deliria. Sicuti igitur in febre ardente translatio,ſic & in omni alia febre poteſt fieri,& omnino ex arteriis,& uenis ad neruos transfluxus humorum noxiorũ, ſicuti rurſus ex neruis ad has. Improprie igitur dictum eſt febrem ardentẽ à tremore ſolui. Hæc enim quibuſdam ſuperuenientia cõſueuit dicere eorum ſolutionem conſiſtentiam, quæcunque omnino hominem liberant,non quæ alteram generant paſſionẽ,quæ nihilo minus ſit quàm prima periculoſa.

XXVII.

QVICVNQVE ſuppurati,aut aquam inter cutem patientes urũtur aut ſecantur,ſi pus aut aqua uniuerſim effluxerit, omnes moriuntur.

Suppuratos præcipue conſueuit nominare qui pus habent in ſpatio inter thoracem, atq; pulmonem,quos quomodo urere oporteat dicit in libro de paſſionibus, cuius initium, Pulmonis arteria. Quidam uero hunc librum inſcribunt de ſuppuratis. Vſtione igitur indigent qui plurimum habẽt pus,adeo ut deſperent per ſpuitiones poſſe expurgari. Hos uero ipſos & difficultas anhelitus maxime infeſtat ex loci anguſtia, quæ etiam nos cogit ut eos uramus. In his autem qui aquam inter cutẽ patiuntur,illæ quæ à græcis παρακεντήσεις, ideſt, punctiones nominantur,ſunt magis in uſu medicorum. Verum quod commune eſt uſtioni,ac punctioni,nunc Hippocrates conſulit caueri, hoc eſt ſimul uniuerſam euacuationẽ,ſic enim uidetur contingere uti ait. Scriptum eſt etiã ab Eraſiſtrato exquiſitius,ac plenius de his qui aqua inter cutem laborant,qui dicat,ſe compertum habuiſſe experientia,uniuerſam ac ſubitam euacuationem febres ac mortem afferre. Videmus autem & in aliis partibus ęque atque in thorace,quãdo aliquis magnus tumor ſuppuratur,periculoſam eſſe uniuerſam ac ſubitam euacuationem: quũ è ueſtigio deficiat anima,& uires debilitentur,nec poſtea debilitas facile iſta remedium habeat. Videtur igitur in his propter magnam diſtantiam corporum,& puris acritudinem,ora quorundam uaſorum arterioſorum eſſe adaperta,quæ prius ueluti quoddam operculum pus habebant. quo uniuerſim euacuato, multi ſpiritus unà cum eo exeunt,atque excernuntur. unde lædunturægrotantes. In aqua uero inter cutem non modo ob hanc cauſam, ea laborantes offenduntur,ſed & duricies uiſceris, ut quod non ſubſtentatur ab aquoſa ſubſtantia,& ſeptum tranſuerſum deorſum trahit,& uiſcera quę ſunt in thorace.

XXVIII.

EVNVCHI neque podagra laborant, neque calui fiunt.

Eunuchos sectio testiculorum similes efficit fœminis. Sicuti ergo in eis caluities nõ accidit: sic neque in eunuchis propter temperaturę humiditatẽ. Eunuchos quidem Hippocratis tempore podagra non laborasse uerum existit: Nunc uero nõ ita, propter immodicum ocium, & uictũ intemperantem. Res autẽ tota ita se habet. Necesse est pedes natura esse imbecilliores, ſigs podagra corripi debeat: ſicuti & cerebrum, ſi morbum comitialẽ passurus sit: non tamen est omnino necessarium alterutrum pati, ſi nihil in uita deliquerit. Discès autem aperte quòd imbecillitas partis non sit sufficiẽs ad generandam passionẽ ex intermedio tempore accessionum, in quo nihil prorsus infestantur, quamuis natiua imbecillitas continua sit. Clarum autem est hoc, & in podagricis manifestissime apparens, quòd influente aliquo ad pedes humore ſupfluo, passio generatur. Si igitur neque hic humor influxerit, liquet quòd neque unquam accidet passio. Non influet autem ſi omnino uacans ſuperfluitatibus corpus extiterit. Erit autem uacans ſuperfluitatibus ſi mediocri utatur exercitio, & homo bene cibum concoxerit: unde & desidiæ & crapulæ eis nocent. Nocent autem & potus multorum & fortium uinorum, præcipue cũ aliquis ea ieiunus potauerit. Hæc enim neruoſam ſubſtantiã promptiſſime offendunt, ſicuti & coitus. Aetate quidẽ Hippocratis pauci podagra laborabãt, ꝓpter uitæ moderantiam: noſtris uero temporibus uſq; adeo auctis eduliis, ut nihil eis addi posse uideatur, infinita est podagrarum multitudo: quũ nonnulli sint qui ne exercitantur quidẽ, cruditatibus atq; ebrietatibus dediti, & ante cibum assumptum bibentes uina potentia, ac uenereis utentes immoderatis: nonnulli uero, & ſi non in his omnibus, in uno ſaltem, aut duobus ex his quæ sunt dicta delinquant. Sed cum peccatum fuerit magnum, sæpius in uno eorũ quæ diximus deliquisse ſat erit. Ob hanc igitur causam etiam eunuchi podagra corripiuntur, quãuis nullum habeant usum uenereorum. Talis enim est eorum desidia, insatiabilitas, ebrietasq;, ꝙ etiam sine uenereis podagra corripi possunt. Hæc eadem de articulari morbo existimes dicta: omnes ſiquidem qui eo laborãt magna ex parte prius podagrici fiũt. Accesit & ad has causas ob quas plerique incidunt in podagras, quòd multi, & patres, & auos habuere podagricos, in quibus ſemẽ erat uitiatum, atque ideo natis uehementiorem fecerũt partium imbecillitatem.

Eunuchi humidiores.

Potus vini noxius.

Tpẽ Hippocratis podagrici pauci.

Morbi hæreditarij.

XXIX.

MVLIER podagra non laborat, niſi mẽstrua defecerint.

Mulieres nõ fiunt podagricæ rõne euacuatiõis. Ostensum est.n. in præcedente sermone, ꝙ niſi humores ſupabundauerint, ex ſola partiũ imbecillitate non põt podagra fieri. Verũ rursus & hic prius quidẽ erat uerũ, ubi non omnino mẽstrua defeciſſent, qa parua erãt delicta q̃ ętate ſupiore mulieres admittebãt: nunc uero ob eor magnitudinẽ q̃dã podagra laborãt anteq̃ menſtrua deficiant, quũ nõ nullis pauca exeant, nonnullis aũt uel mediocria.

XXX.

PVER podagra nõ laborat, ante usũ uenereor.

Quod magnam uim habeat ad podagræ generationem usus uenereorum: liquet etiã in pueris, & ex his quæ paulo antea de eunuchis dicebat. Eunuchos itaq; uidimus quoſdã podagra laborãtes,

pueros autem non uidimus. Verum & siquis tali est passione correptus, unà & genuum articuli, & manuum intumuerunt, instar morbi articularis repente facti à plenitudine ex multis cruditatibus aceruata.

XXXI.

DOLORES oculorum meri potio, aut balneũ, aut fomentum, aut uenæ sectio, aut medicamentum epotum soluit.

Singula horum quæ dixit, magis experientia, & non ratione aliqua uidetur mihi Hippocrates cognouisse: nil enim mirũ si homo dolẽs quum isset ad balneum dolore fuit liberatus: uel si non ꝑmissus bibere uinũ, deinde nullã ex hoc sentiens utilitatem motus est ad bibendum, alioquin multũ appetens uini, & posthac melius se habuit. Sicuti igitur & plura alia quę medici hoc modo inspexere, sunt ab eis scripta absq; aliqua determinatione: ita & hęc mihi uidentur ab Hippocrate fuisse scripta, neque ut rationali dicente dispositiones, neque ut empirico, concursus. Vtilitas autẽ quæ nobis potest aduenire ex sermonibus hoc modo scriptis est, ut inquiramus dispositiones, in quibus meri potio, & balneum, & singulum eorum quæ seriatim dicta sunt, utile sit, quod & mihi contigit. Nam ꝙ omnino sint aliqui oculos dolentes, inter quos nõ nulli meri potionibus, nonnulli balneis iuuentur, fidem Hippocrati adhibens mihi persuaseram, neque enim illud scripsisset, si nõ uidisset. Non tamẽ ab aliquo præceptorum tale auxiliũ aliquod animaduerti fuisse adhibitum. Quum itaque omnes quęsissem dispositiones in quibus sit necessarium, non in oculo tantum, sed & in aliis partibus fieri dolores, deinde mihi ipsi adinuenisse ꝑsuasissem. subinde consideraui earum dispositionum indicia,

& postquam etiam his fidem adhibui, tunc ausus sum remedia afferre dolentibus: & primum quidẽ adolescentem balneaui, cui medicus non absq; ratione in die secundo ab initio uenam secuerat, & deinceps curauerat medicinis quas experientia cognouerat, quum inflammatio sola obsideret oculos. Dolebat autem uehemẽtissime in quibusdam insultibus, in q̃bus aiebat ipse sentire se acutos humores, qui uniuersim defluebant ad oculos: mox post eorum excretionem uehemẽtia doloris sedabatur, non tamen dolor omnino cessabat, & hoc illi per totam quintã accidit diem, maius semper habens incremẽtum. Quum igitur dolorem non posset tolerare, me, & quendam alterum ex ocularibus medicis aduocauit in urbe Romana probatissimum. Illi itaque uidebatur utendum esse collyrio quodam ex his quæ emplastica nominant & anodyna, id est dolorem sedantia, cuiusmodi sunt quæ ex Cerusa lota, Amylo, & Papauere componuntur. nam sic maxime posse reprimi per emplastica id quod influebat, & simul sensum torpescere per infrigidãtia sperabat. Ego uero ab initio suspecta habui talia medicamenta. neque enim uehemẽtes reprimũt fluctiones, sed excerni prohibent: atq; ideo si humores fluentes acres extiterint, corneam erodi cõtingit: si uero multi, magis irritari, ac uehementer extendi, ac si rũperetur: ex quibus, nisi medicamentum fuerit uehementer stupefaciens, dolores impatibiles excitãtur. Si uero fuerit adeo uehementer stupefaciens, ut ex eo oculi maximã inflammationem non sentiant: necessarium est simul quidem uim uisoriam offendi, adeo quòd cessante inflammatione, uel debiliter, uel nihil omnino uideant, simul autem & quandam præduram dispositionem, & quæ difficulter sanari possit, in oculorũ tunicis derelinqui. Quum igitur ista nouissem, atq;

animaduert crem humorem influentem non pau
cum,& fortiter acrem,ac calidum:primum fomẽ
to utendum cenſui,experientiæ gratia, tanq̃ ex ea
certius cogniturus qualisnam foret diſpoſitio.So
let enim in his fomẽtum uſq; ad aliquid dolorem
mollire,ſed alteram fluctionem aduocare. Qua.n.
ratione poteſt id quod in oculis continetur diſcu
tere,eadem etiam alteram ex uicinis attrahere.Ve
rum quãprimum,& aquam calidam, & ſpongiam
afferri iuſſi.Æger ipſe ſe dixit ſæpius expertũ eſſe
tota die id remedium:primũ quidem dolorẽ mi
nuere,ſed paulo poſt maiorem facere.quę ego cũ
audiſſem,medicũ ocularem dimiſi,pollicitus ipſe
expectare,& ægrum abſq; medicamẽto frigido à
dolore liberare. Cum autem ſolo balneo uſus eſ
ſem,ita dolorem ſedaui,quòd tota nocte dormi
uit æger,& neq; ſemel aliquem qui iuxta dormie
bant aduocauit.Ab hinc in reliquis in quibus p ſi
gna cognoui,influere quidem humores acres ad
oculos,non tamen corpus eſſe plenum:balnei uſu
dolorem ſanaui. Alium autem quendã adoleſcen
tem,qui iam pluribus diebus inflammationem pa
tiebatur in oculis,rura colentem, non prope ciui
tatem uidi:poſtmodum,quoniam paſſio perſeue
rebat,cum ad ciuitatem ueniſſet,ſqualidos haben
tem oculos,ſed ualde tumidas,ac plenas ſanguine
eas,quæ in ipſis uenas erant:cui iuſſi,ut ſe lauaret,
ac potu uteretur meraciore,& ita ſe ſopori trade
ret.Et quidem ſomnus ipſum profundus inuaſit,&
mane ſine dolore ſurrexit,mihiq; præbuit audaciã
in quibus ſanguinis copia craſſioris in oculorum
uenulis continetur ſine plethorica in toto corpore
diſpoſitione,uti uini potione diffundere ſanguinẽ
atque euacuare potente,& ſui motus uehementia
obſtructiones aperire. Hæc igitur ſunt fortia reme
dia doloris oculorum,Securiſſimum autẽ fomen

tum eſt & omnino aliquam afferens utilitatem,uel
tanquam ſignum ad dignotionem, uel tanquã cau
ſa ſanitatis oculorum.Quando enim nihil omni
no influit in oculos,fomentum diſſoluens eã quæ
in ipſis continetur ſuperfluitatem eis ſanitatem re
ſtituit. Cum uero adhuc influit,cum primum adhi
betur,ſuo calore aliquod affert mediocre leuamẽ,
ſed paulo poſt dolorem auget,& tunc fit ſignũ di
gnoſcitiuum,ex quo nos diſpoſitionem compre
hendentes,ad totius corporis euacuationem pe
uenimus,ipſo quidem ſanguine redundante,p ue
nę ſectionem,ſed malitia humorum infeſtante,per
purgationem:neque enim eſt difficile admodũ di
ſtinguere alteram ab altera.

XXXII.

BALBI ab alui profluuio maxime capiuntur
longo.

Sicuti pſelizeſthæ,id eſt balbutire † linguæ ui
tium eſt nõ uocis:ſic & traulizin,eiuſdem uerbum
ſignificationis,in ſermone Græcorum non poten
te lingua exquiſite eas dearticulare uoces quæ per
t,& r,proferuntur:qualis eſt hæc ipſa traulo ſis, &
hæ aliæ ſimiles,trechi,tribi,trachy,trocos, triphe
ros,& quæcunque aliæ tales.Hæ ſiquidem omnes
exigunt linguam ſe ampliantem,ac prioribus den
tibus innitentem. Quando igitur in quibuſdã fue
rit imbecillior,peius firmatur,& ſonum t,& r,ne
quit dearticulare, ſed ad t,& l,facile labitur. Hoc
autem ei poteſt accidere & quoniam ſit breuior,
quàm ipſi conueniat, quòd rariſſimum exiſtit: &
quia molliorem, atque humidiorem habet tem
peraturam.quam ob cauſam & pueri balbutiunt,
quum tale ipſis contingat,quale etiam in ambula
tione:nã & hanc nõnulli eorum neq; omnino ha

bent:nonnulli uero non ſufficienter, quũ crura neq; queant in eis propter mollitiem firmiter ſtabiliri. Quibuſdam uero etiam ætate integra, cum in loquendo laborauerint,balbutire contingit, ſicuti & illis qui plurimum tibia cecinerint,& quibus uires ex morbo ſunt debilitatæ,ſicuti & quibuſdã quibus lingua eſt uehementer exiccata. Verum ſiccitas tanta nulli ineſſe poteſt qui habitum ſeruet naturalem:atque ideo ſolius humiditatis immodicæ in his qui natura balbutiunt,caſus eſt id linguæ detrimentum,quum eius muſculi nequeant firmiter ſtabiliri.quod eis poteſt accidere, uel propter ſuã, uel propter neruorum imbecillitatem,quos uidelicet à cerebro ſuſcipit. Quare & ebrii aliquando balbutiũt,tum quia multa humiditate perfunditur cerebrũ,tum quia etiã ab ipſius multitudine pergrauatur.Continget igitur his qui ſunt balbi natura,aut cerebrum habere humidum,aut linguã, aut utrunque.Et à cerebro quidem talem ſortito temperaturam,defluere multas par eſt humidas ſuperfluitates,atque inde fluentes in uentrẽ ſuſcipi.unde & longis profluuiis homo capitur. Linguam uero admodum humida ex natura exiſtente, & uentriculum talem eſſe par eſt,ut qui alteram ſui tunicam communẽ habeat ad linguam, imbecillis autem ex humiditate uẽtriculi propria paſſio eſt diuturnum profluuium.

XXXIII.

QVI acidum eructant, non ualde morbo laterali corripiuntur.

Acidum eructantes, hoc eſt acidum ructum habentes,raro inquit capi à morbo laterali. Nam qã dicitur,non ualde,idem oſtendit quod raro, non nullo modo,ut quidam libri expoſitores ſcripſerunt. Dictum autẽ à nobis eſt ubi de morbo laterali ſermonem habuimus, quòd hic quidem unà cũ flauis,ac ruffis fit ſputis ex biliofis humoribus ortum habẽs:hic uero cum ſpumeis ex pituitoſis, ſicuti qui cum nigris fit ſputis,ex melãcholicis:qui uero cum rubeis ex ipſo ſanguine. Eſt enim lateralis affectus,inflammatio membranæ,quæ ſubcingens nominatur.Quum uero unaquæque inflammatio ex alicuius humoris fiat ſuperabũdantia, ſecundum eius naturam,& ſputi ſpecies morbo laterali laborantibus aduenit,& ſpes ſalutis,ac mortis habetur. Non æque autem membranæ, ac pulmo ſunt natura aptæ humores ſuſcipere:denſa ſiquidẽ eſt membranarum ſubſtãtia,pulmo uero omnino rarus ac laxus.Quare huic quidem promptum eſt omnes ſuſcipere †humores, membranæ autẽ ſubcingenti plus biliosos.Ob hanc igitur cauſam quibus pituita natura ſuperabundat,raro à morbo laterali corripiuntur,præſertim ſi ſalſedinem, atque acritudinem aliquã ſibi adiunxerit.Talis enim inteſtina mordẽs irritat ad deiectionem:in qua contingit non ſolam pituitam,ſed plures alias etiam ſuperfluitates excerni.Dicebat uero ipſe in libro de aere,& aqua,& locis,eos qui habent uentrem natura humidũ minime morbo laterali,atq; aliis morborum generibus corripi.

XXXIIII.

QVICVNQVE calui ſunt,his magnæ uarices non fiunt:quibus uero caluis uarices magnæ ſuperueniunt,hi rurſus capillati fiunt.

Quando in uiri ſapiẽtis libro ſermo inuenitur aliquis manifeſtum habens mendacium, non ſine ratione legentes contingit dubitare, & primũ quidem ſibi ipſis diffidere,quaſi neq; illa quæ ſint manifeſta noſcentibus,deinde ſuſpicari ne quod falſum fuerit interiectũ.Quis enim neſciat caluicium

Non valde.

†Pituitoſos humores habet antiquus codex.

esse pasionem insanabilem? Sed neque uerum ꝙ magnæ uarices caluis nunquã aduenian̄t, sicuti neque ꝙ uaricibus aduenientibus caluicies cesset: nisi forte, ut nonnulli inquiunt, uocatum à medicis capillorum defluuiũ caluicium nominet. Illud enim à uitiosis humoribus gignitur, sicuti quæ Ophiasis, & alopeciæ, pasiones capillorũ nominantur à græcis. qđ si humores ad crura decũbant, possunt uarices facere, & capillos restituere. Si.n. prius à uitiosis humoribus corruptis eoꝝ radicibus corrũpi contigerat: nunc fit uerisimile, ut eisdẽ humoribus aliò transpositis ad primã naturã capilli redeant.

XXXV.

AQVA inter cutem laborantibus, tusis superueniens malum.

Superuenire pasionibus alias pasiones, & causs, prisci medici dicere consueuerunt quæcunque ipsius pasionis adauctæ ratione contingere consueuerunt. Talis.n. est Praxagoræ liber de superuenientibus inscriptus. Sic autẽ & nunc de tusse dictũ est. Neqꝫ.n. cũ ex alia fit occasione in homine aquã inter cutẽ patiente tusis signũ est exitiale, sed quãdo ipsius morbi rõne. Cũ.n. in pasione tali aquosa humiditas tãtũ adaucta fuerit, ut iam asperas occupet arterias, deinde superuenit tusis: periculum imminet ne hõ haud ita multo post stranguletur.

XXXVI.

DIFFICVLTATEM urinæ uena secta iuuat, secare uero interiores.

Neque hic sermo uerus est: nisi, &, coniunctionem assumpserit, ita ut aphorismus talis fiat: Difficultatem uriną, & uenæ sectio soluit. Re uera enim & uenæ sectio soluit difficultatẽ urinæ, illam uidelicet, quæ ꝓpter inflammationem, & multitudinẽ fit. Quod aũt dicitur, Secare uero interiores: si de uenis manuũ dicitur, caret ueritate, neqꝫ consentaneum Hippocrati. Videtur siquidẽ in omnibus libris suis, in partibus quæ supra hepar sunt, ex manibus sanguinem mittere. In inferioribus uero eas quæ in genu, uel talo sunt, secari iubet. Si uero de his ipsis ipsum dixisse qs arbitretur, Secare aũt interiores, hoc dictũ paruam uim habet. Ab una.n. amba nascuntur, cum ea quæ in genu est trifariam diuidatur, quoniã & una uena ad hoc peruenit membrum, non sicuti ad manum duæ. Melius itaque sit & hunc aphorismum unum ex adiectis opinari.

XXXVII.

AB angina habito, si tumor fiat in collo, bonum.

Sermo uerus est, & causa in promptu: siquidem ex intimioribus, & principalioribus partibus, pasiones confert ad cutem transferri.

XXXVIII.

CANCROS occultos omnes melius est non curare. Curati enim cito pereunt: non curati uero longius tempus perdurant.

Occultos cãcros dixit, uel eos ꝙ sunt sine ulceratione, uel absecẽditos, hoc est nõ apparentes. qđ rursus idẽ significat, ac si diceretur, ꝙ in ꝓfũdo corporis sunt. Sed & curare duplex est, Vnũ qdẽ omnia agere, ut particula patiẽs ad sanitatẽ ꝓducatur: alteꝝ aũt eã adhibere ꝓuidentiã quæ pasioni cõgruat, hoc est ipsã mollire, ac mitiorẽ facere, & tũ præcipue, cũ adest exulceratio. Tũc.n. est necessariũ, ut si nõ aliud agamus, saltẽ saniẽ abluamus, humido aliquo utẽtes, non quocũ ꝙ, sed uel ꝓ experientiã, uel ꝓ indicationẽ inuẽto, qđ neqꝫ putrefacere, neqꝫ irritare partẽ patientem sit natura aptũ. Ab hac igitur curatiõe, neqꝫ absistere cõuenit, neqꝫ illi ꝙ sunt sine ulceratiõe Cancri indigẽt ea. Aliã uero, quæ fit ꝓ sectionẽ, uel ustionẽ, ꝙ sola sunt remedia Cancroꝝ, consulit ut in Cancris occultis nõ adhibeamus. ꝙ igitur illi qui sunt in partibus penitio-

ribus talia remedia non desiderant,etiam experien
tia docet.Equidē scio omnes qui huiusmodi Can
cros curare tentarunt,magis illos irritasse, & breui
homines interemisse. Nam & qui Cancrum in pa
lato constitutum,& in sede,& in sinu muliebri, uel
usserunt,uel secuerunt,non potuerunt ulcera ad ci
catricem perducere,& homines in cura afflictos,
ac maceratos, usq; ad mortem pertulerunt: quòd
si nullam curationem adhibuissent, longiori tem
pore uitam cum minori molestia transegissent. Ta
les igitur Cancros nullo modo curare tentemus.
Ex eis uero qui in summa parte corporis hærent,
illos tantummodo,quos possumus unà cum radi
cibus ipsis,ut quispiā dixerit,resecare. Neq; enim
malum est,ueluti radices quasdam Cancri, nomi
nare eas quæ plenæ sunt sanguine melancholico
uenas,& usque ad loca circunstantia distenduntur.
Multi enim magnæ authoritatis medici,neq; hos
manus opera curari permittunt: sed illos tantum
qui exulcerati,simulq; laborantes molestant:adeo
ut ipsi ultro manu curari desiderēt,& simul sunt in
talibus partibus siti,quas possumus unà cum radi
cibus resecare,& exurere. Quidam uero neq; hos
amoliri permittunt,sed omnino abstinendum con
sulunt à remediis potentibus in omni natura Can
cri. Quòd uero Hippocrates nunquam consuluis
set curare potenter Cancros in partibus corporis
penitioribus conditos,ex ipsa passionis natura li
cet coniectari: Si uero & eos qui in summa parte
corporis hærent absque ulcere,incertum est,quan
tum ex uerbis aphorismi coniici potest. Ipsum ue
ro scripserunt Artemidori,& Dioscoridis sectato
res,usq; ad ea uerba, Non curare melius est.

3 de locis aff. cap. 6.

XXXIX.

CONVVLSIO fit,uel ex repletione, uel inani
tione,ita uero & singultus.

Conuulsio,

Conuulsio,ut & ipsum indicat nomen,conuul
sis fit ad propria capita musculis,ut autem clarius
diceretur reuulsis,sicuti etiam est motus eorum se
cundum naturam,uerum hic haudquaquam fit si
ne animalis appetitu. Conuulsio autem passio est
inuoluntaria ad similem uenientibus neruosis par
tibus dispositionem,quam etiam in motibus factis
secundum appetitum assumebant. Nam ex reple
tione fit:sicuti etiam in excedentibus secūdum hu
miditatem aeris ambientis constitutionibus acci
dit chordis,unde & propter hanc causam sæpe rū
puntur. idipsum autem & in siccioribus constitu
tionibus accidit:nā in se ipsa colliguntur,ac cōuel
luntur omnia neruosa corpora uiolentius exicca
ta,sicuti quæ ad ignem longo tempore iora cale
fiunt.simile autē quid his patiuntur,& quę sol æsti
uus exiccauit. Conuulsio igitur non absque ratio
ne à contrariis fit causis: Singultus uero conceda
tur conuulsio stomachi nominari, quando aliud
fuerit sermonis propositum. Quando uero hoc so
lum studuerimus,ut passionis substantiam cogno
scamus:melius fortasis fuerit non conuulsionem
nominare,sed quendam motum eiusdem cum uo
mitibus generis,intentum autem & illo uehemen
tiorem. Nam stomachus appetens eorum aliquid
quæ in ipso continentur expellere,ad duos moue
tur casus:uehementiorem quidem in singultibus,
mediocriorem uero in uomitibus:siquidem in uo
mitibus appetit ea tantum,quæ in uentriculi spatio
latiori continentur,expellere:in singultibus autem
& ea quæ sunt in ipso uentriculi ore penitiora. Per
stomachum nunc à me intellexeris,non solum eū
qui ita proprie nominatur,sed & uentriculi os.
Quæ enim in hoc continentur ipso appetente
uentriculo expellere,singultus fit. Quod uero eo
rum quæ difficulter excernuntur,& quæ ueluti

absorpserit uentriculi os, fiat per singultus excretio, discere licet, ex his quæ quotidie eueniunt, omnibus ferè, uel magis, uel minus. Si qs enim acutũ aliquid, ueluti piper per se solũ deglutierit siue cũ melle, siue aliquo alio, postea uinum biberint aqua calida temperatum, statim singultiunt, calore quidem potus piper ad interiora deuehente, eius uero acutie uentriculum molestante. Vnde conatur motu uiolentiore rem infestantem expellere. Ostensum est autem in libro de causis casuum, qđ & tussis, & sternutatio, & rigor ex talibus motibus sint.

XL.

QVIBVS DOLOR circa præcordia fit absq; inflãmatione, his febris supueniẽs morbũ soluit.

Morsus. Sequitur quidem & ad morsus dolor: sed consueti sunt morsus nomine, non doloris, tales casus appellare. Fit autem dolor & propter quandam similem inflammationi dispositionem. Sic autem nominata est, quoniam & erysipelata dolor consequitur. Quãdo igitur non ob talem quampiam dispositionem dolor præcordia occupauerit, & morsus sensus abfuerit: relinquitur ut dolor fiat, uel propter obstructionem, uel propter spiritum flatuosum, uel aliquam intemperiem inæqualem: quæ febrilis calor aptus est natura sanare, hæc quidem incidens, extenuans, atque dissoluens, hæc uero ad temperaturæ æqualitatem perducens.

Præcordiorũ dolor absq; morsu.

XLI.

QVIBVSCVNQVE suppuratio in corpore existens non innotescit, his ob crasitudinem puris aut loci, non innotescit.

Duplex est huius loci scriptura, & duplex expositio, & utraq; nõ caret ratione. Nã & propter puris

crasitudinẽ, & pp loci, sæpius occultatur puris in aliquo loco cõprehẽsi notitia. Recte ergo nõnulli scripserunt: His pp loci crasitudinẽ. nonnulli uero: His propter puris crasitudinem nõ innotescit.

XLII.

MORBO REGIO laborantibus, si fiat hepar durum, malum.

Morbum regium hoc loco dicit, qui fit ex hepatis inflammatione: tunc enim durities ostendit σκίρρωσιν, id est tumorem prędurum, uel inflammationem in hepate existentem: quemadmodum & sine hac contingit quidem aliquãdo propter eius obstructionem morbum regium aduenire, contingit, & ipsa natura quandoque per modum criseos ipsum humorem exuperantem in uenis contentũ, ad cutem expellente.

XLIII.

QVICVNQVE lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his supereueniente longa difficultate intestinorum, aqua inter cutẽ, aut læuitas intestinorum aduenit, & moriuntur.

Oportuit hunc aphorismum illi præordinari in quo dicit: Lienosis difficultas intestinorum supereniens bonum. Sed hic quidem inter sequentes scribitur post quatuor alios intermedios. Nobis autem necessarium iam ipsius meminisse. Quicunque enim lienosi sunt, hoc est qui durum iandiu habent lienem, his supereueniens difficultas intestinorum soluit dispositionem, quando scilicet ratione transpositionis, atque euacuationis humorum crassorum, ac melancholicorum lieni inserto rum euenerit. Sed quoniam sæpius huiusmodi euacuationes ultra modum extenduntur, & noxię sunt laborãtibus: cõueniẽter Hippocrates, quẽ

finem habeat immoderata difficultas inteſtinorum oſtendit, quę talibus aduenit diſpoſitionibus. Lęſis ſiquidem inteſtinis à tranſitu uitioſorum humorũ, & uis eorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur. ob hãc igitur cauſam, & aqua inter cutẽ & lęuitas inteſtinorum, ſuperueniunt: Lęuitas quidem inteſtinorum, ex ſola inteſtinorum læſione: Aqua uero inter cutem, propter hepatis compaſſionem, atque lienis, & omnis uenoſi generis.

XLIIII.

QVIBVS EX ſtillicidio urinæ ileos ſuperuenerit, in ſeptem diebus pereunt: niſi febre ſuperueniente, ſatis urina fluxerit.

In ileo nihil exit inferius, neq; ſiquis acerrimo utatur clyſtere. Vomitus autem ſtercoris aduenit his qui exitialiter ſe habent. Quòd igitur interclu-ſa inferiori uia exitus hæc paſſio fiat, & quòd in tenuibus inteſtinis, non autem craſſis: omnes ferè fatẽtur. Cæterum quòd propter inflammationem & propter obſtructionem ſtercoris ſicci, uel humorum craſſorum atque tenacium, dictum eſt à pluribus. Mihi uero uidetur inflammationem, uel durum tumorem, uel abſceſſum, tantam facere poſſe loci anguſtationem, ut nihil poſſit ad inferiora tranſmitti. Quòd autem humores craſſi, atque tenaces in cauſa ſint: non admodum mihi uidetur probabile. Verũ & hoc (ſi libeat) ponito, & ſi quid aliud dicatur præter hoc. Verum quod uidetur omnibus qui aphoriſmos expoſuerunt, admodũ mihi uidetur difficile creditu. Aiunt enim quòd ueſica inflammata, anguſtia loci facta, ex compreſſione in quibuſdam inteſtinis paſſionem affert, quæ ileos nominatur. Ego uero multos me puto in tota uidiſſe uita, non potentes mingere: quorum nõ nulli in magno fuere periculo, non pauci etiam

mortui ſunt. quibus omnibus tunc manifeſte ſecundum propriam circunſcriptionem plena ueſica apparebat, adeo quòd ſupra modum erat extenta, & dolor, ut par eſt, inde accreſcebat: horum tamẽ nullus factus eſt ileoſus. Quo modo igitur quiſpiam unquam perſuaderetur, ob ueſicæ inflammationẽ anguſtiore facto inteſtino, ileon prouenire? Non magis ſanè quàm ex tumore uteri in muliere grauida. Atqui uſque ad præcordia eius tumor extẽditur, & magis premere poteſt, atque anguſtare inteſtina tenuia: ueſica uero ſi in tumorẽ attollatur, ſolum poteſt rectum premere inteſtinum. Quidã uero etiam dicunt abſurdius, quòd febris ſupueniens conferat ileo. Nã febris q̃dẽ in inflãmatione ueſicæ non abſque ratione fieret, quin quanto illa maior ac grauior, tantum augeri febrem contingeret, cum caſus ſit inflammationis. Ileos uero, ut ipſi aiunt, ex inflammatione ortum habuit, & unam tantum ſpem habet ſolutionis, inflammationis ceſſationem, cum qua etiam febrem ſedari eſt neceſſarium. Bonum igitur ſignum ſolutionis earum quę ſunt in ileo paſſionum, eſt febris uel remiſſa, uel ſoluta. neque uero ſignum, neque cauſa bona, ipſa uel ſuperuenies, uel aucta. Nouimus enim ſolum illis morbis conferre febrem, qui ex frigiditate fiunt, aliquando ſola, aliquando cum humoribus crudis, pituitoſis, & flatuoſis ſpiritibus. Melius itaque ſi fateamur nos ignorare quæ in hoc aphoriſmo Hippocrates dixerit. Neque enim ratio eorũ indicat ueritatem, neque experientia docet. Tertium autem nihil habemus ad fidem, ſi unquam talis ægrotus ſit uiſus, aut ab Hippocrate, aut ab aliquo alio: neque enim, neque ſi legitimus ſit hic aphoriſmus, habeo dicere. Multitudinem igitur humorum crudorum unà cum multa frigiditate, melius eſt taliũ in ileo caſuum, qui dicti ſunt, cau-

Febres curat morbos. inf. tod. 51.

ſam arbitrari. Sic enim tantummodo febris eſſet medicina diſpoſitionis, & retentarum urinarum euacuatio. Nam re uera conſueuere urinæ craſſæ & plurimæ, atque omnes ſimul ipſis concoctis euacuari.

XLV.

VLCERA QVÆCVNQVE annua ſunt, aut etiam diuturniora, os abſcedere eſt neceſſarium, & cicatrices cauas fieri.

Quæcunque ulcera longo tempore manent, uel cicatrice nullo modo adueniente, uel ſi facta ſit, rurſus reſoluta, nihil uidelicet medicis in curatione delinquentibus: neceſſe eſt uel propter influxum uitioſorum humorum, uel propter diſpoſitionem in membro longo contractã tempore ex humoribus influentibus, uel obaliquam paſſionẽ oſſis in eo loco corrupti, difficulter ſanari. Alia ita que ulcera ſemper maiora, & deteriora fiunt, atq; hæc omnia phagedęnas, id eſt exedẽtes, antiq; nominabant. Quidam uero poſteriores ea diſtingue re cogitarunt propriam ſingulis dantes appellationem, & quædam eorum chironia nominantes, quædam telephia, quædam phagedænas, & alias adhuc curioſas magis afferentes appellationes. Nobis uero ſufficiet ex his quæ aliquid loci occupant circunſtantis, nonnulla quidam herpetas, id eſt repentes, nominare, quando ſummas tantum partes cutis occupauerint: alia uero phagedænas, quæ carnem ſubiectam corrumpunt. Quod enim putridum, atque depaſcens à nonnullis ulcus uocatur, non eſt propria ulceris differentia, ſed paſſio implicita ex ulcere, atque putredine. Scimus autem, qđ & abſq; ulcere putredo ipſa p ſeipſam in multis corporis partibus conſtituitur. Vocatur aũt & anthrax, id eſt carbo, ulcus eſcharo

ſum, cui iungitur multus corporũ circũſtãtiũ feruor. Hæc igitur ꝓpriã habuere appellationẽ, anthrax, phagedæna, & herpes. Quæcunque uero ulcera fiunt ſine dictis caſibus, hæc ipſa per ſeipſa ſolebant antiqui ulcera tantum nominare: de quibus nunc Hippocrates loquitur, de his peculiariter edocens, quòd quæcunque talia ſunt ulcera, in longum incidunt tempus. Videtur autem experientia rationi adſtipulari, & multa ſæpius ex hoc genere ulcerũ, quũ poſt multum tempus fuerint ad cicatricem perducta, rurſus inflammãtur, ac diſrumpuntur, ipſorum cicatrice ſoluta. Fit autem hoc talem aliquam ob cauſam. Quando ex adhibitis medicamẽtis, caro quæ oſſi ſuperiacet patiẽti, exiccata cõtraxerit cicatricẽ, ſtatim qdẽ integra ſanitas reſtituta uidetur: Rurſus uero paulatim aliqua influẽte ſanie ex oſſe corrupto in parte penitiore iterꝫ aduenit inflãmatio, & puris generatio cõſequtur, à quo cicatrix eroditur, caro uero exulceratur. Quæ nã igitur eſt taliũ ſanatio ulcerũ? Nõ profecto alia, quam ab ipſo ſcripta in libro de ulceribus, & à nobis in tertio de arte curatiua fuit demonſtrata. Nam ulcera omnia exiccari oportet præcipue uero in quibus patitur os. Terminus aũt ſiccitatis eſt, ut abſcedat pars eius quæ eſt uitiata. Quare non abſq; ratione, tantũ fieri cauas cicatrices cõtingit, qtam habuerit abſceſſus craſitudinẽ.

XLVI.

QVI GIBBI ex aſthmate aut tuſſi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

Gibbos ſolet Hippocrates nominare, quos nũc omnes homines conuexos appellant. Nam & uere eis eſt ſpina in partẽ poſteriorẽ conuexa. Conuexo igitur oppoſite dicitur cauum, gibbo, regibbum. Sed hæc quidem de ſola ſpina Græci

dicunt: illa uero de omnibus. Quo modo uero gibbositas fiat, ipse narrauit in libro de articulis, sicuti & de regibbositate atque † cōcussu. Hę enim sunt propriæ atque præcipuæ spinæ passiones. atque oportet illum qui uult istarum passionum habere notitiam, his quæ in eo libro scribuntur plenius incumbere. Nunc uero à nobis dicentur ea quæ ad propositum aphorismum uidentur utilia. Gibba fit spina, aliquando propter ictum, aut casum: gibba etiam fit propter quædam tubercula dura, quæ in parte anteriore consistunt, à quibus si quando una uertebra trahitur ad anteriora, recurua fit eo loco spina: ita & si plures fuerint se ordine consequentes. quando uero non fuerint continuæ hæ quæ tenduntur uertebræ, gibbositas fit tantum partibus retro tendentibus, quantum uertebræ extentæ sunt ad interiora reflexę: nam hoc fieri uidetur in omnibus duris mediocriter tentis, ueluti camelis, uiminibus, uirgis, & omnibus aliis huiusce modi. & dictum est de his plenius in expositionibus libri de articulis: Nunc uero eos qui gibbi facti sunt ex asthmate & tussi ante pubertatem cito inquit interire. Neque enim uult in his, thorax (ut ipse dixit) unà cum aliis augeri: atque ideo magna angustia premuntur ea, quæ respirationi obseruiunt instrumenta. Omnibus quidem commune, qui sponte gibbi facti sunt, hoc est quibus sine ictu uel casu spina passa est, propter dura tubercula, & concoqui difficilia, tales fieri. Sed cum multa sit in tuberculis secundum tumorem atque duritiem & locum in quo consistunt differentia, quæ quidem simul dura ac magna sunt constituta, statim difficilē faciunt hominibus respirationem. Quæ uero ex suo humore aliquid ad asperam mittunt arteriam, reddunt tussiculosos. Ea quæ talia sunt, ut mittant ex suo humore aliquid, non sunt dura exqsite,

Alibi legitur σμο'σεως. i. cauitate.

atque ideo necessarium est eis suppurari, & aliquando hominem occidere. Quæ uero nihil mittunt, ex crasis humoribus ortum habent, atque ob id dura sunt & incocta, & lōgo permanent tempore antequam suppurentur, atque ideo non perimunt hominem. Quæ uero, ut dixi, unà cum tussi ortū habuere, properāt ad suppurationem, atque ideo sunt exitialia. Sic & quæcunque cum difficili anhelitu fiunt, sunt his qui adhuc augentur pernicioſa: uel enim hæc magna sunt, uel in loco thoracis ad uitā opportuno. Quando igitur pulmo, unà cum corde in talibus augeatur, locus autem continens minor efficiatur, neque costæ augeantur, & inter flectendum, propter gibbositatem thoracem faciant angustiorem: necessarium est tantam in breui tempore fieri anhelitus difficultatem, quòd homo corrumpitur. Nam si nondum gibbositate superueniente propter solos tumores extra naturam difficilem habebant anhelitum: quid debemus expectare, cum tubercula sint tempore adaucta, thorax autem sit factus angustior? Quòd igitur, quum multæ sint spirandi difficultates, solam illam Hippocrates asthma consueuerit nominare, in quo cōtingit satis crebrum anhelitum fieri, clarum admodum existit. Vocant autem & nunc homines πνεῖν, id est anhelare: id qđ fit in cursibus, & uehementioribus exercitiis. Hippocrate autē posteriores, & passionem aliquam diuturnam, nonnulli simpliciter asthma nominant, nonnulli orthopnœam, quando absq; febre ægroti iugiter anhelitum habent difficilem.

XLVII.

QVIBVSCVNQVE uenæ sectio, uel purgatio cum medicamento conuenit: hos uere purgare, uel uenam incidere oportet.

Liquet quòd de eis qui adhuc sani, sed ęgri futuri sunt, nisi euacuentur, nunc sermo habetur Hippocrati. Hos enim oportet ut anticipemus euacuare, uere aduenięte, uel per uenę sectionē, si plenitudinis passionibus subiiciuntur: uel per purgationē, si eis quæ ex corruptione proueniunt. Nos itaque plurimos ita seruauimus sanos, qui longo ante tempore singulis annis morbis capiebantur. Sed & podagram & morbum articularem adhuc incipientem, & nondum poros circa articulos facientem, ex tali euacuatione, multis iam annis fieri prohibuimus. Eodem modo & sanguinis spuitionem, morbum comitialem, apoplexiam, melancholiam, & alias huiuscemodi diuturnas passiones in multis hominibus per dictam euacuationē substulimus. Venæ itaque sectio commune auxilium est earum quæ ex plenitudine fiunt dispositionum: purgatio uero sic, si quidem secundum genus inaudias, unū quodam auxilium existit, nō tamen secundum speciem. Nonnullis siquidem confert humores pituitosos euacuare, nonnullis uero amaram bilem, nonnullis atram, nonnullis serosam superfluitatem, secundum naturam earum quæ consueuerunt superuenire passionū. Exempli gratia: aliquis singulis annis incidit in melancholiam, nisi purgetur: & res mira uisu, quo modo morbo iam incohante, statim homo persentit priorem eius generationem: & ego aduocatus purgo humores atros, & cessat protinus melancholia: & huic homini ex purgatione ambo hæc optima eueniunt, quòd scilicet & superfluitates expelluntur, & quòd ex acritudine eorum quæ excernuntur, paulatim aperitur os uenæ, quam uocant hæmorrhoida, & per eam etiam excernitur pars aliqua sanguinis uitiosi, consueti euacuari, quo retento superuenit melancholia. Purgo igitur ipsum,

Morbi quacunq; hominibus prohibiq.

Venæ sectio.

Purgatio.

Hæmorrhois aperitq; acritudine eorū, quæ excernunq.

non uere tantum, sed etiam autumno: & sicuti dixi, si ex contemptu aliquando purgationem omiserit, & morbum non anticipauerit, casus persentit passionis. Sic & mulierem quādam singulis annis, uere incohante, similiter euacuans, cum aliquando tumorem cancrosum in mammilla pateretur, forti, atque frequenti cum medicamento purgante atram bilem, adhibita euacuatione, ad sanitatem perduxi. Et siquando purgatio omitteretur, dolorem profundum sentiebat, & me aduocato, statim uolebat euacuari. In altero elephantem incohantem, primum per uenæ sectionem, & purgationē sanaui, & singulis annis rursus huic sufficit una purgatio, & ea omissa, statim passio innotescit. Morbi itaque huiuscemodi, atri humoris exigunt purgationem. Comitialis autem & apoplexia & anhelatio, pituitosi. Et articulares, si cum multa fuerint caliditate, amaram bilem uolunt euacuari: si uero cū frigidis tumoribus, pituitam. Quidam alius tempore æstiuo semper febribus tertianis corripiebatur: sed multis iam annis non febricitauit, quoniā à nobis purgari circa finē ueris anticipauit. Sic.n. melius est tales euacuare, sicuti illos q morbo comitiali, apoplexia, melācholia, & articulari, & aliis passiōibus, q ex crasis humoribus generātur, præstat circa ueris initia euacuare: de qbus omnibus seorsum à nobis scriptū est in illo tractatu, q inscribitur, de his q uerno tēpore egent euacuatione. est aūt iste tractatus pars totius salubris tractationis.

Cancer in mammilla.

Elephas.

Eadem re ponunt in lib. de his qui purgan. Pr. q. lib. 8. Epi.

XLVIII.

LIENOSIS difficultas intestinorum superueniens, bonum.

Paulo antea hunc aphorismum exposui, cum sermo habebatur de aphorismo in hunc modum scripto: Quicūq; lienosi à difficultate intestinorum

capiuntur, his longa facta intestinorum difficultate, aqua inter cutem superuenit, uel læuitas intestinorum & moriuntur. Quare isti impræsentiarum proposito nulla est alia expositio necessaria.

XLIX.

QVICVNQVE morbi podagrici fiunt, hi sedata in quadraginta diebus inflãmatione finiunt.

Podagricorum inflammatio fluctione fit ad pedum articulos decumbente: hãc autem fluctionẽ suscipiunt, primum quidem loca articulationum, deinceps circunstantia omnia, usque ad cutem. Quia uero impleri dicimus articulationes: liquet etiam ea quæ ipsis circuniacent ligamenta extendi esse necessarium. Neruos igitur, & chordas nõ est rationabile in ipsis inflammari: sed solum dolere, quia simul cum articulationibus extenduntur, argumento, quoniam uisus est nunquam podagricus pati conuulsionem, quæ frequenter solet in neruorum, ac chordarum inflammationibus aduenire. uerum intentio sanationis in eis communis est omnibus inflammatione laborantibus, quoniã discuti oportet id quod ad pedes defluxerit: si quidem tenuiorem habuerit substãtiam, tempore breuiore: si uero crassam, uel tenacem longiore: & lõgius adhuc tempus requiret si simul crassum, atq; etiam tenax illud quod defluxit existit: ultra tamẽ spatium dierum quadraginta non prorogabitur curatio inflammationis, si uidelicet & medicus in suo opere non aberrauerit, & æger illi in omnibus obedierit. Quæ uero carnosas partes occupat inflammatio, morborum acutorum subiicitur termino, diebus scilicet quatuordecim: quoniam carnis substantia mollior est, ac rarior natura ligamẽtorum, unde & tardius inflammari incipit natura ligamentorum, chordarum, atque neruorũ ex ictu,

Podagricorum inflãmationes.

Neruij et chordæ nõ inflãmantur.

Cũ Sanatio inflãmationũ.

NB

Inflãmatio carnosarũ partium.

& longiori tempore ad consistentiam inflammationis perueniunt, ac tardius sanantur. Qua enim ratione uix aliquid in se humoris externi suscipiunt, quum duræ sint ac densæ huiuscemodi partes: hac ipsa ratione cum difficultate dimittunt. Quapropter Hippocrates podagricis inflammationibus terminum integræ solutionis non diem quartumdecimum, sed quadragesimum posuit: qa qui in articulationibus humores insunt, per ligamenta ipsas amplexantia oportet per modum uaporis euacuari, & qui etiam in ipsa ligamenta inciderunt. Meminit autem & in Prognostico quadragesimi diei, ut in quo iudicantur quæcunque neque iam sunt diuturna exquisite, & acutorum terminum exciderũt. Dictum autem est plenius de talibus in tractatione dierum iudicatoriorum.

L.

QVIBVSCVNQVE præciditur cerebrum, his necesse febrem & bilis uomitum superuenire.

Præciso cerebro aduenit febris ea ratione communi, qua quolibet membro principali patiente inflammationem, subsequitur febris. Bilis uero uomitus fit compatiente uentriculo propter eius cum cerebro communicationem, ore præsertim ipsius ad quod terminatur ex cerebro effatu digna quædam neruorum coniungatio. Consueuit quidem & aliter in magnis doloribus, atque mœroribus fortibus ad uentriculum fluere biliosa superfluitas, & multo magis cum ipse male affectus fuerit. Ad ea enim quæ talia sunt, feruntur partium proximarũ superfluitates, quæ præsertim tenuem habent substantiã, qualis est ipse biliosus humor, atque unà cum eo quæcunque serosa superfluitas, quæ sępius in uomitibus bili commiscentur: & raro admodum accidit, ut bilis exquisita euomatur,

Quadragesimus [illegible].

Bilis in ventriculũ confluxus.

cui ſeroſam ſuperfluitatem non uideamus admix-
tam. Apparet autem & in ſanis, cum diu à cibo ab-
ſtinuerint, præſertim in illis qui natura ſunt bilio-
ſiores, tales in uẽtriculum humores admitti, quod
& ipſius morſus & uomitus manifeſtant. Non ſo-
lum autem cerebro uulnerato euomunt homines
bilem, ſed & dura membrana circunſtante: quæ cũ
in multis partibus ſit cerebro agnata, citiſſime ei
communicat proprias paſſiones. Eraſiſtrati autem
ſectatores cum ipſas membranas uelint eſſe prin-
cipia neruorum, membranam craſſiorem inquient
ſuæ naturæ ratione, ſi ſola ſit uulnerata, tales afferre
caſus. Si uero uſque ad cerebrum uulnus peruene-
rit, quoniam ambæ membranæ prius illud admi-
ſerint, ſic nuper dictarum ſequi paſſionum ortum
fatebuntur. Dixi autem Eraſiſtrati ſectatores, & nõ
ipſum Eraſiſtratum talia dicturos: quoniam cum
iam ſenex eſſet (ut illi inquunt) ſcripſit libros ſectio-
num, in quibus cerebrum eſſe neruorum princi-
pium demonſtrauit. Dictum autem eſt de his am-
plius in commentariis de Hippocratis ſectione.

LI.

QVICVNQVE ſani dolore capitis repente capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptẽ diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.

Mutos ſolet Hippocrates nominare, non eos tantum quibus læditur uox, uerum ſecũdum exu-
perantiam quandam, unà cum eius læſione dat nobis intelligendas omnes quæ ſunt ſecundum electionem operationes. Nonnunquam igitur illis oblæſis non interit ſenſus. Quos igitur ipſe mu-
tos appellat, contingit eſſe ſentientes: ſed ſæpius utraque patiuntur, & talem affectum uocant apo-
plexiam. Eſt autem & hæc alia quidem debilis alia uero fortis, atque ideo dixit: Soluere apople-

Apoplexia.

xiam fortem impoſsibile, debilem uero non faci-
le. Videtur autem nunc fortis apoplexiæ indiciũ
appoſuiſſe, quod ſtertere dixit: quod etiam pro-
funde dormientibus accidit ſecundum diſpoſitio-
nis ſimilitudinem, ſecundum diuerſum quidem
utriſque modum, nihilominus quatenus aliquid
habent commune, ut ſtertant conſequitur. Eſt
autem commune ambobus eius quæ ſit per ner-
uos operationis debilitas, & dictum eſt de his
amplius in ea quæ de locis affectis inſcribitur
tractatione. Nunc uero quantum ad expoſitionẽ
aphoriſmi ſufficiet, dicetur à nobis. Quibus ſanis
dolor in capite repente aduenerit, cauſam referre
oportet in primis ad ſpiritum flatuoſum: ſed in-
terdum & ad influentis uniuerſim materiæ multi-
tudinem, quam & nunc ad cerebrum fuiſſe delatã
indicant caſus qui poſt dolorem ſuperuenerunt, p
quos & quòd ſit quædam materia pituitoſa com-
monſtratur: atque idcirco febris ſuperueniens ſo-
luit diſpoſitionem, ut quæ calefacit, extenuat, atque
reſoluit ſpiritum flatuoſum, & pituitoſos humo-
res. Fit autem hoc nonnunquam tribus diebus,
aut quatuor, nonnunquam uero pluribus, non ta-
men ultra dies ſeptem, quia pars eſt principalis.
Tales uero partes non diu tolerant fortes ſimul
ac diuturnas paſſiones, ut ſæpius oſtendimus.

Febris ſ. Aph. circa. 49.

LII.

OPORTET VERO ET conſiderare o-
culorum in dormientibus ſuſpectiones. Nam
ſiquid album commiſsis palpebris ſubinſpi-
citur, neque ex alui profluuio, aut medicamen-
ti potione iſtud contingat, malum eſt ſignum &
letale ualde.

Aut ob palpebrarũ ſiccitatem, aut propter po-
tentiæ ipſas mouentis imbecillitatem, aliquid albi

5. Aph. 42.

ſubinſpicitur,cum oculi integre claudi non poſ
ſint. Ob hoc igitur ipſum in alui profluuiis,& me
dicamẽtorum purgantium potionibus,oculorum
albedinis aliqd ſubinſpicitur, quãdo dormierint:
nam totum corpus exiccatur,& uires fiunt imbe
cilles ex talibus euacuationibus. Plus autem ficci
tas in palpebris innoteſcit, quoniam ſunt natura
ſiccæ. Sicuti ergo coria exiccata difficulter exten
duntur: eodem modo & ſimiles corporis partes.
& quidem quòd potentia exiſtente imbecilli non
poſſint exquiſite oculos claudere,ſed neque os,
unde hiantes dormiunt: liquet unicuique rei natu
ram diligentius animaduertere uolenti.

LIII.

DESIPIENTIÆ QVÆ cum riſu fiunt,ſecurio
res: quæ uero cum ſtudio,periculoſiores.

Nulla quidem deſipientia ſecura eſt,minus ue
ro periculoſæ quæ cum riſu fiunt: ſicuti temerarię,
ut ipſe nominat,omnium periculoſiſſimæ: in me
dio autem ambarum ſunt,quæ cum ſtudio fiunt.
Fiunt autem omnes patiente cerebro, ſiue primo
& per ſeipſum,ſiue per compatiendi rationem.
Differunt autem inuicem per cauſas ipſas efficien
tes. Quæcunque enim ex ſola fiunt caliditate ſine
humore uitioſo, ſimiles quodam modo ſunt eis
quæ ex ebrietate contingunt. Quæcunque uero
ex flaua bile, cum ſtudio perficiuntur: ipſa uero
multum exuſta,ut iam magis ad atræ bilis naturã
accedat,ſunt inſaniæ ſatis furioſæ. Nam oportet
ad memoriam reuocare,ea quæ in aliis locis de
atra bile præfiniuimus,quòd quædam ex ea flaua
bile ſuperaſſata gignitur,quæ omnino moleſtiſſi
ma eſt. Quæ uero ex ſanguinis,ut quiſpiam dixe
rit,fece,craſſior quidem eſt illa ſecundum ſubſtan
tiam,ſed plurimum differens prauitate qualitatis.

Dictum

Dictum autem eſt quòd eam quæ eſt ueluti fex ſan
guinis,cum uolumus exquiſite loqui, nondũ atram
bilem nominamus,ſed humorem melãcholicum.
Nominibus uero abutentes,& atrã bilem aliquan
do uocamus: quoniam ſi non prius euacuetur pau
lo poſt atra futura eſt.

LIIII.

IN ACVTIS paſſionibus quæ cum febre
ſunt,luctuoſa ſuſpiria,malum.

Infantes ſæpe uidẽtur quo plorant tempore in
ſpirantes inſpiratione interrupta,ſtãte interim tho
race,deinde rurſus id quod deeſt adiiciẽte. Quod
ipſe in Epidemiis in hunc modũ dixit: Duplex in
tra reuocatio, ueluti ſuperinſpirantibus. & accidit
hoc nonnunquam potentia fatigata,nonnunquam
ex duritie inſtrumentorum,nonnunquam uero am
babus cauſis ſimul conuenientibus, ſed & aliquan
do propter aliquam muſculorũ pectoris ſimilem
conuulſioni diſpoſitionem. Nam & uis imbecillis
quando ſemel nequiuerit tantum thoracem attol
lere, quãtum animali eſt neceſſarium: in media ſtat
operatione,primum quieſcens, deinde ſic iterum
cum impetu ſe effert. & durum inſtrumẽtum,cum
non prompte ſequatur potentiam attollentem,ab
ipſa uibratum uiolenter attollitur. De diſpoſitione
autem ſimili conuulſioni, quid oportet dicere qd
talem faciat reſpirationem? Si igitur frigus muſcu
los thoracis apprehenderit,uel etiam neruos: du
ritiesquædam inſtrumentis adueniet,& motus cõ
uulſioni ſimilis,quam febris ſua eſt apta natura ſa
nare,& calida auxilia. Febre uero cum his exiſten
te,non poſſumus cauſare muſculorũ thoracis,ſiue
neruorum frigiditatem,ſed uel duritiem quæ facta
eſt,uel uirium imbecillitatem,uel conuulſioni ſimi
lem diſpoſitionem. Quicquid uero horum in cau

Cauſæ luctuoſæ ſuſpiriorũ

Diſpõ conuulſioni ſimilis.

sa sit,non est bonum ut in morbo acuto cõtingat. Si itaque de sola prædicta motione instrumentorũ respirationi obseruientium luctuosa respiratio ab ipso dicta fuit:iam ad finem expositio peruenit. Sin autem & cum tali aliquo sonitu uult dictam cõtingere respirationem, qualis flentibus accidit,ultra dictas causas quandam ostendet dolorosam dispositionem,ex qua ueluti flentes,uel gemẽtes,uel aliquem mixtum ex utrisque sonum edentes,in hunc modum respirant.

LV.

DOLORES podagrici,uere,& autumno magna ex parte mouentur.

Podagricæ passiones,sicuti & omnes aliæ articulares,uere augentur.atque ideo ipse superius in enumeratione morborum uernalium, etiam articularium commeminit,in quibus scilicet etiam podagrici continentur. Excitantur quidem aliquãdo & autumno his quibus per æstatẽ tempore quo fructus maturantur uitiosi aliqui humores fuerint coacerυati. Ostensum enim à nobis est in commentariis de potentiis naturalibus, quòd singulis partibus,sicuti aliæ potentiæ,ita & illa inest,quæ materias infestas excernit. Infestant autem aliquæ sua multitudine aggrauantes,aliæ uero extranea qualitate. Secundum utrunque igitur his qui hiberno tempore in uictu deliquerint, postmodum uerno diuturnæ passiones excitantur,fusis humoribus,ac mox à fortibus ad loca debilia detrusis: Secũdum alterum uero,tantummodo autumnali.

LVI.

IN MORBIS melancholicis ad hæc periculosi decubitus,stuporem corporis, uel cõuulsionem,uel furorem,uel cæcitatem significant.

Fiunt quidẽ & propter pituitosum humorem apoplexiæ,& conuulsiones,& cæcitates oculorũ: Fiunt autem & propter melãcholicum, quoniam cõmunis utriscp est quæuis harũ passio,non tamẽ furor est passio cõmunis. Nunquam.n.hæc ex pituitoso humore ortũ habet,cum ad eum humor irritans ac mordens exigatur. Tales autem sunt semper quidem flaua bilis , melancholicus autem humor non semper,sed cum supra modum exustus,aut putrefactus malignam induerit acritudinem.

LVII.

APOPLEXIÆ autem fiunt, maxime à quadragesimo anno usque ad sexagesimum.

Non omnem apoplexiam,sed nuper dictã tantummodo,quæ ex atra sola fit bile,contingit aduenire his qui dictam agunt ætatem, quoniam in his maxime abundat atrę bilis humor,quemadmodũ etiam in autumno. Quod si uolumus simpliciter pronunciare,plures senes laborant apoplexia . Si igitur sermo debeat esse uerus,iungendus est cum priore aphorismo,ac si ita diceretur: In morbis melãcholicis ad hęc periculosi decubitus,stuporẽ corporis qui homines occupat à quadragesimo anno usque ad sexagesimum.

LVII.

SI omentum excidat,necessario putrescit.

Propter sermonis breuitatem falsus esse usdebitur aphorismus his qui non recte ipsum inaudierint. Quod enim dicitur,huiusmodi est: Quando exciderit,hoc est quando nudatum fuerit,& extra peritonæum,id est membranam abdominis interiorem,omentum exierit, non contingit ipsum ad locum proprium restitutum sanum,& saluum fieri,

ſicuti ſi aliud aliquid extra promeretur,ueluti inteſtinũ,aut aliqua uiſceris fibra. Illa etenim, niſi longo tempore frigefiant, quãdo uulnus in parte uentris ſuperiore factum ad cicatricem perductum fuerit,priſtinam recipiunt temperaturam. Omentum uero etiam ſi minimo nudetur tempore,reductum putreſcit:quam ob cauſam medici partem illam quæ fuerit nudata,ſolent reſecare. Hanc igitur ſententiam habet aphoriſmus,licet cõfuſius in uerbis dictis proponatur. Siquis uero aliquando uidit omentum,quod paruo tempore extra prodierit,& deinde ad ſuum locum reductum, non putruerit: perpetuam quidem non eſſe probabit Hippocratis enunciationem. Illud tamen ſeruabit, quod magna ex parte ſolet accidere, & commune eſt huic aphoriſmo ad alios ab Hippocrate dictos ut perpetuum quoddam ex figura dictionis oſtendenti, quanuis res ipſæ non ſemper eodem modo eueniant,ſed raro aliquando aliter accidant.

LIX.

QVIBVSCVNQVE à coxendicum dolore moleſtatis excidit coxa,&rurſus incidit,his mucores ſuperueniunt.

Sæpe in articulis humor pituitoſus aceruatur, quem muccorem appellant,à quo madefacta articulationis ligamenta laxiora redduntur, atq; ideo facile à cauitate articulus excidit,& rurſus nõ cum difficultate incidit,quę nunc ait accidere his qui ita morbo laborant coxendicum. Quando autem coxam ait excidere,articulum coxæ debemus intelligere,quo modo etiã in libro de articulis dicebat: Humeri articulum uno modo noui lubricare.ac ſi dixiſſet articulum ſecundum humerum.

LX.

QVIBVSCVNQVE à coxendicum dolore

moleſtatis diuturno excidit coxa, his crus tabeſcit,& claudicant,ſi non urantur.

Hunc aphoriſmum non debemus à ſuperiore ſeiungere,ſed ipſum coniungentes,ita unum audire ſermonem. Vult enim dicere quòd à coxendicum morbo moleſtatis,quibus propter muccoris multitudinem articulus excidit & rurſum incidit, neceſſarium eſt proceſſu temporis crus contabeſcere,niſi prius urendo muccorẽ exiccemus,quod in libro de articulis conſulit fieri in brachio iugiter excidente. Nam & nũc eadẽ eſt ſermonis uis,cum ipſe ſuadeat aduri quod ſecundum coxam,ut in libro de articulis docebat,ut & id quod muccoſum abſumatur,& ut laxitas cutis ad quam articulus lubricabat,magis ex aduſtione contracta,arctet,& prohibeat tranſponi. Quòd ſi ob multitudinem muccoris extra ſuum locũ diu coxa ſteterit,eſt quidem iam hoc cruris claudicatio,neceſſario cõtabeſcet, ut etiam aliis omnibus ſolet accidere priuatis motibus,qui illis ſunt ſecundum naturam.

GALENI
IN APHORISMOS
Hippocratis Commentarius septimus, Nicolao Leoniceno interprete.

OMnes ferè qui antea scripserunt expositiones aphorismorum, circa initia quidem ultra id quod utile fuerit, sermonẽ extendũt, sed in processu remittunt ita, quòd primum quidem ad utile tantum progrediuntur, mox citra hoc, & tandem supra modum abbreuiant expositiones, adeo ut neque animaduertant non nullos aphorismos esse nothos, & in propatulo falsos. Verum ut qui sunt in disputationibus fatigati prompte ad omnia annuunt: ita & ipsi omnes admittunt quoscunque scriptos inuenerint aphorismos, & ad ultimam ueniunt in suis expositionibus breuitatem obliti prioris loquacitatis. Nos uero & alias ipsorum absurditates conati sumus euitare, & omnes ex æquo studuimus facere expositiones, quæ & ueritatem, & artis intenderent utilitatem, & interpretando neque ad extremam se breuitatem con-

traherent (Hoc enim libro conuenit non libri expositioni) neque ad tantam prolixitatem, quantam illi faciunt in principio expositionum, protraherentur. Quod autem optimum est in omnibus sermonibus, quodq; seruat mediocritatem in unaquaque tractatione, hoc à principio usque ad finem seruare studuimus.

APHORISMVS I.

IN MORBIS ACVtis frigus partium extremarum, malum.



In morbis diuturnis, qui præsertim sunt sine febre, & hieme, & ætate senili, partes extremas corporis, ueluti nares, aures, pedes, & extremas manus frigidas fieri nihil absurdum. Non tamen in acutis est mediocre malum, sed casus satis exitialis: quod magnis accidit uiscerum inflammationibus. Acutos autem ipse ait uocari morbos, quorum febres magna ex parte continuæ sunt: in quibus, cum fuerint sine magna inflammatione, nedum extrema frigescere, sed exuri contingit. Cum uero inflammationis calor adeo uehemens fuerit, ut ad se trahat per modum cucurbitulæ ex toto corpore sanguinem: his qui ita se habent, uiscera perurũtur, extremæ autem partes frigescunt propter defectum sanguinis ad uiscera se recipientis, & eorum plerique neque tegumenta tolerant propter incendium, quod in uiscere sentiunt.

II.

IN OSSE ÆGROTANTE caro liuida, malum est.

Non enim in mediocribus ossium la sionibus, sed fortibus putrilaginibus, talis species coloris circunstantibus aduenit carnibus, extincto in eis scilicet calore natiuo.

III.

A VOMITV singultus, & oculorum rubor, malum.

Qualis passio est conuulsio musculis, talis est singultus stomacho: qui aduenit humoribus infestãtibus, nonnunquam totum uentriculum, nõnunquam os eius, & gulã: quos per uomitiones abiiciens, statim à singultu liberatur: qui si neq; p ipsas cessauerit, duorum alterum ostendit, uel cerebrum neruorum scilicet principium, uel uentriculuu pati non mediocrem inflammationem. Rubor uero oculorum utranque sequitur dispositionem, sed præcipue illam, quæ in cerebro existit similis inflammationi.

IIII.

A SVDORE horror, non bonum.

Quòd iudicatoria quę nõ iudicant, partim mortalia, partim male iudicantia sint, ab ipso dictũ est: quoniam natura in huiuscemodi dispositionibus morbo succumbit.

V.

A FVRORE difficultas intestinorũ, uel aqua inter cutem, uel mentis alienatio, bonum.

Difficultatem quidem intestinorum, uel aquam inter cutem, transmutationis ratione, esse furoris sanationem: non est extra rationem, cum à capite, noxii humores transferantur ad inferiora. Mentis autem alienatio tantum abest, ut sit furoris solutio, quòd quispiam magis diceret esse incrementum,

ac quidem si uere Hippocrates continuum, atque uehementem furorem alienationem mentis nominauit. Quendam nouimus sic à furore mediocri, quo prius detinebatur, fuisse liberatũ: unde ratiocinando perpendimus ex uehementi motu causarũ efficientium furorem, solutionem fuisse subsecutã, quemadmodum in morbis acutis, uehemẽtissimi casus solent aliquando bonas crises operari.

VI.

IN MORBO diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ, malum.

Fastidium cibi ipsum per seipsum prauum est signum in morbis diuturnis. Nam in his qui à talibus morbis sunt euasuri, contrarius affectus solet accidere, uehemens scilicet ciborum appetentia. Quare cibi fastidium haudquaquam bonũ est signum: multo uero magis quando fuerint prauæ deiectiones. Sinceras uero deiectiones nominauit impermixtas aquosæ humiditati. quoniam solus humor euacuatus deiicitur, siue sit biliosus, siue melancholicus, siue porri colorẽ præseferens, siue bilis quæ erosinosa nominatur. Nam deiectiones huiuscemodi exustam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstrant.

VII.

EX multa potatione rigor, & desipientia malũ.

Quòd quidem multa potatio, nõ aquæ, sed uini potionem significat, unicuiq; manifestum. Desipiunt autẽ ex talibus potionibus aliqui capite opleto plurimo sanguine, ac spiritu calido. Ob hãc ipsam uero causam & calidiores redduntur, præcipue quidem caput, sed & corpus uniuersum. Pauci enim ex ipsis sunt, qui cum desipientia rigeãt, in quibus calor natiuus non accenditur, sed ob mul-

titudinem extinguitur, ſicuti ignis lignorum multitudine ſuperiecta, & lucernæ flamma oleo uniuerſim ſuperfuſo.

VIII.

A TVBERCVLI intus ruptione, exolutio, uomitio, aut animi defectio fit.

Tuberculum nominauit, quod in aliis ipſe ſolitus eſt uocare ſuppurationem. Intus uero ipſius ruptionem, ad uentriculum dicit. ad hanc enim conſequitur uomitus, ſicuti tuberculorum in thorace, atque pulmone ruptio, nõ uomitiones, ſed ex neceſſitate quidem tuſſim excitat, & ſæpius etiam ſtrangulat, quemadmodum ſuppurationum ad inteſtina ruptiones, puris faciunt deiectionem. Commune autem omnium ruptionum eſt exolutio, & animi defectus, propter uitalis ſpiritus excretionem, ut alibi à nobis eſt demonſtratum.

IX.

A PROFLVVIO ſanguinis, deſipientia, ac conuulſio malum.

Hic aphoriſmus magnã nobis affert utilitatem ad perſuadendũ, ꝙ aliquãdo fiat deſipiẽtia ex defectu, quo modo manuũ, ac pedũ tremores. Hæc ſiquidem membra propter potentiæ ipſa mouentis imbecillitatem infirmas habent motiones, & cerebrum uacillantes, propter quod neque uehemẽs eſt hoc deſipientiæ genus, ſed mediocris, atque (ut quiſpiam diceret) delirantis. Ipſe ſiquidẽ ſolet mediocrem inſaniam, deliriũ nominare. Si ergo conuulſio aliquando tali deſipientiæ coniungatur, omnino ſalus eſt deſperata. Quædam igitur exemplaria cum, Et, coniunctione ſcripta ſunt: quædam uero cum illa, quæ obdiſiunctiua nominatur, Vel: ſecundum quam, etiam deſipientia nõ bonus eſt cauſus poſt ſanguinis fluxum, etiam ſi ſola contigerit: multo autẽ magis conuulſio, uel ſi abſque deſipientia facta fuerit. Maximũ uero malum eſt ambarum conuentus, quando & ex immoderata euacuatione conuulſio caſus eſt admodũ exitialis, nam deſipientia minus mala eſt.

X.

AB ILEO uomitus, ſingultus, deſipientia, uel conuulſio, malum.

In ileis nihil deſcendit ad inferiora, & hoc eſt proprium inſeparabile paſſionis. Vomitus autem non ſemper adeſt, ſed quãdo exitiales ſunt: & ſi uehementius diſtorqueantur, ſtercus eis aſcendit, atque ſingultiunt. Quidam uero deſipiunt, & cõuelluntur compatiente neruorum principio ſtomachi paſſioni. Hęc uero mihi fieri uidentur inteſtinis, in quibus paſſio talis exiſtit, à ſe expellere ſtercus appetentibus, quando longitudine temporis cœpit moleſtare, & nõ potentibus ſe exonerare, propter eam quæ facta eſt in partibus inferioribus obſtructionem, ſed coactis contra naturam uiolenter moueri, & ad loca ſuperiora materiã noxiã extrudere.

XI.

A MORBO laterali inflãmatio pulmonis, malũ.

In pluribus quidem exemplaribus, in fine aphoriſmi adiectũ eſt, malum. In quibuſdã uero ita ſimpliciter ſcribitur, A morbo laterali inflãmatio pulmonis. uolentibus illis, qui in hunc modum ſcribunt, non quòd ſit bonum uel malũ, pulmonis inflãmatio morbo laterali ſuperueniens nunc ipſum docere: ſed ſimpliciter hoc unum tantummodo, quòd morbus lateralis ſoleat in pulmonis inflãmationem tranſmutari, uel morbo laterali pulmonis inflãmatio ſuperuenire, tranſmutatur igitur quan-

do priore ceſſante morbo, aduenit alter. Superuenit autẽ quando altero adhuc manente alter adiicitur. Verum hoc in loco uidetur Hippocrates de ſuperuenientibus agere, quibus ſtatim hoc ineſt, quòd mala ſint, adeo quòd ſi etiam hoc uerbũ, Malum, nõ adiiciatur, uel ſubaudiẽdum eſt, ſecundum modum à communi dictum, uel potentia oſtendi eſt exiſtimandũ. Omnis enim huiuſcemodi ſuperuenientium conſiſtentia, neque paruos, neque mites inſequitur morbos, ſed magnos atq; malignos. Exempli gratia, ſtatim in dictis in aphoriſmo paſſionibus, quando non poteſt is qui morbum facit lateralem in coſtis humor contineri, pars eius aliqua ad pulmonem fertur. Ad inflammationẽ quidem pulmonis morbus lateralis non admodum conſequi ſolet. quoniam ſi mitis fuerit inflãmatio, omnis humor noxius per ſputum expurgatur: in perniciosis uero, antequam coſtæ patiantur, ſtrangulat ægrum.

XII.

A PVLMONIS inflãmatione phrenitis, malũ.

Quando à calido humore fit inflammatio pulmonis, quæ multos uapores tranſmittit ad caput, cerebrum implet uaporibus, & facit phrenitidem: alia autem communia ſunt ad prius dictum aphoriſmum, non huic ſolum, ſed etiam ſequentibus.

XIII.

AB ÆSTIBVS fortibus conuulſio aut diſtentio, malum.

Multi expoſitores ita ſcribi hunc aphoriſmum cognouerunt. Marinus uero à uulneribus ſcribit. Etenim ſequentem aphoriſmum ait ſibi adſtipulari. Verum quidẽ & id eſt, quòd à uulneribus fortibus fiunt inflammationes, ac conuulſiones. Sed

quum omnes ferè expoſitores, præcipue uetuſtiſſimi, illam norint ſcripturam, quæ habet, Ab æſtibus fortibus: Melius eſt, ut nos etiam eandem exponamus. Quidam igitur pro æſtibus, febres intellexerunt: nonnulli uero ambientis feruorem ita nominari dixerũt: alii, pro cauteriis & eſcharis. & omnes uerum dicunt. Superueniunt enim his omnibus haudquaquam ad bonum diſtentiones ac conuulſiones propter neruorum ſiccitatem, quas diximus eſſe difficillimas.

XIIII.

IN capitis ictu obſtupeſcẽtia & deſipiẽtia, malũ.

Deſipientia quidẽ agnoſcitur loquentibus, agẽtibusve nihil conſentaneum rationi: Obſtupeſcẽtia uero, quando neque aliquid dicunt, neque agunt, ſed apertis oculis quieti manent, ſimiles his qui ex timore ſunt attoniti. Quòd uero hæc omnia huiuſcemodi fiant cerebro patiente, manifeſtũ. Oſtenſum enim eſt in eo eſſe animæ principatum. Si igitur in fine aphoriſmi ſcriptũ ſit, malum, liquet qd recte dictum fuit: indicio enim ſunt, quòd ictus intra ad cerebrum penetrauerit. Si uero nõ ſcribatur, nos nihilominus poſſumus ſubaudire, ſicuti iantea diximus à communi. Poſſumus autem & quia huiuſcemodi caſus unà indicant cerebri læſionẽ, magnitudinem pasſionis conſiderare.

XV.

A SANGVINIS ſputo, puris ſputum.

Quòd omnis hæc enumeratio ſit eorum quæ proprie ſuperuenientia uocantur, de quibus Praxagoras unum integrũ uolumen ſcripſit haud paruum: manifeſtum eſſe arbitror ex ipſo aphoriſmo. Neque enim omne ſputum ſanguinis ſequens habet ſputum purulentum, ſed ſolum quod mali-

gnum exiſtit: tale autem eſt omnino ex pulmone.

XVI.

A PVRIS SPVTO PHTHISIS, & fluxus: quum uero ſputum retinetur, moriuntur.

Quam proprie Græci, & præſertim Athenienſes nominant phthoen, hanc nunc Hippocrates phthiſin nominauit, quã pulmonis ulcera inſanabilia conſequitur, & totius corporis cũ febre parua extenuationem. Fluxum autem aut de capillorum defluuio, aut de humida dixit deiectione: ambæ. n. conſueuerunt euenire, cum tabidi ad extremũ mali perducuntur, alterum ex ſiccitate, altera ex potentiæ debilitate. Quod uero in fine ſcribitur, Si autẽ ſputum retineatur, moriuntur: modũ mortis oſtendit illorum qui ex phthoe moriũtur. Eo uſq; enim extenuati uiuunt, donec per ea quæ expuunt, poſſunt pulmonem expurgare. Cum uero intus manent, obſerantur quidem uiæ ſpiritus, patientes uero ſtrangulantur.

XVII.

IN HEPATIS inflammatione ſingultus, malum.

Dixi antea quòd & omnes hi ſeriatim ſcripti aphoriſmi de caſibus docent, qui paſſionibus auctis & iam deterioribus factis ſuperueniunt. Hoc igitur modo & nunc ſingultus hepati inflammationem patienti dicitur ſuperuenire, non ſemper, neque quomodolibet patiente, ſed quãdo ad magnitudinem attollitur, feruente inflammatione: in quo feruore ſtomachus ad compaſſionem trahitur, nonnunquam communium neruorum ratione, qui ſunt (ut ipſe docuit in ſecundo Epidemiarum) breuiſſimi. Quare tunc ſolum compaſſio fit ſtomacho ad hepar, quando inflammatio, & maxima, & peſſima fuerit, & quidem bile ſatis calida, & multa in huius uiſceris inflammationibus genita, ac confluente ad inteſtinorum principium, atque ita ſuperfluitante, atque ad uentriculum recurrente, contingit os eius morderi, atque ideo ſingultire. Nonnulli uero arbitrantur magnitudinem inflãmationis hepatis uentriculum premere, ac ſingultum facere, non habente exitum ſpiritu, quemadmodum inquiunt.

XVIII.

IN VIGILIA, CONVVLSIO, VEL deſipientia.

Quidam & hoc loco malum ſubiungunt. Nos uero prius diximus, quòd ſi etiam non ſubiungatur, potentia continetur. Cur uero immoderatis uigiliis conuulſio ſuccedat, aut deſipientia, manifeſtum eſt huic qui priora meminerit. nam & dictum eſt ab ipſo Hippocrate, conuulſionem ut à repletione fieri, ſic ab euacuatione. Ex his autem quæ maxime euacuant, & exiccant, uigiliæ ſunt. atque ideo conuulſionem ex ſiccitate faciunt, ac deſipientiam immodicæ ſiccitatis ratione, ac præterea quia in longis uigiliis biliоſior redditur ſanguis. In quibuſdam tamen exemplaribus, & quidem diligentiſime ſcriptis, hic aphoriſmus ſcriptus eſt ſine uerbo, deſipientia, hoc modo uidelicet: In uigilia conuulſio. quia, ut arbitror, peſſima quæ ſuperueniunt, ab Hippocrate ſcribuntur hoc loco.

XIX.

IN OSSIS exutione, erysipelas.

Hoc in loco maxime oportet subaudire malũ. neque enim hoc dicit, quòd semper, aut magna ex parte exutis ossibus erysipelas superueniat: nã potius contrarium uerũ est, quod ita patientibus ossibus raro supuenit erysipelas. Sed quòd casus pra uus est, osse nudato, carnem circũstantem uideri ab erysipelate apprehensam.

XX.

AB erysipelate, putredo, aut suppuratio.

Clarum est & in hoc sermone, quòd malignis erysipelatis hæc superueniunt.

XXI.

A FORTI in ulcerib. pulsu, pfluuiũ sanguinis.

In ulceribus inflammatis pulsus fit non ferente carne incumbente arteriis illarum motum, sed dolente quando se attollẽtes exciderint. Est enim huiusmodi pulsus sensus quidam cum dolore ex arteriarum motione factus, quas neque ab initio sentiebamus, quum membra se haberent secundũ naturam: tum quia eorum adhæsus nõ est molestus, tum quia in spatio laxiore mouentur. Membris uero inflammatis, & loci angustatio & dispositio dolorifica, tristem afferunt laborãtibus sensum ex motu arteriarum: quem non solum medici, sed omnes homines pulsum appellant. Videtur autem & hic arteriarũ motus augeri in talibus dispositionibus. Ostensum siquidem est in commẽtariis de potentiis naturalibus, quòd est quædam in ipsis uis alienа excernens, quæ & sudores criticos, id est iudicatorios facit, & profluuia sanguinis, & alui inferioris deiectiones, & quæcunque alia huiuscemodi.

Secundum

Secundum hanc igitur uim, nonnunquam uehementius natura operans, magnum & uiolentum arteriarum efficit motum, appetens illa quæ molestant expellere, atque ita profluuiũ sanguinis facit.

XXII.

A VENTRIS dolore diuturno suppuratio.

Siue frigus, siue omnino aliqua inæqualis intẽperatura circa uentrem fuerit, siue uẽtus flatuosus, siue acritudo mordax, fieri non potest ut in longum extendantur, si omnia circa ægrum opportune fiant: quia hoc in omnibus sermonibus talibus subaudire oportet. Relinquitur igitur quod ad huc dolor perdurat propter inflammationem, quæ temporis processu scilicet suppurabit, nisi hominem morte præripiat: nam & hoc subaudire oportet in omnibus sermonibus talibus.

XXIII.

A DEIECTIONE sincera, difficultas intestinorum.

Deiectiones sinceras solet (ut dixi) Hippocrates nominare impermixtas aquosæ humiditati: quæ solum habent sincerum illum, qui infra deiicitur humor, siue sit flaua bilis, siue atra. Nihil igitur mirum, si in talibus deiectionibus aliquod intestinum exedatur.

XXIIII.

IN OSSIS præcisione, desipientia, si in uacuum apprehenderit.

In osse quod in capite uidelicet est, præciso nõ simpliciter neque utcunque contigerit, sed usque ad interiorem superficiem, quam uacuus excipit locus qui cerebrum continet, desipiẽtia fit: nã iam passio proxima existit membranis, & cerebro.

Marinus autem neſcio quo modo legendum ſeor ſum exiſtimat, In oſſis præciſione deſipientia: & rurſus ſeorſum facit principium aphoriſmi ſecun di, Si uacuum apprehenderit: adiiciens ipſi, Ex po tu medicamenti conuulſio, mortale. ita quòd to tus aphoriſmus talis fiat, Si uacuum apprehende rit ex medicamenti potione conuulſio, mortale. Rationabiliter enim (inqt) hoc dici. ſemper enim factam ex euacuatione conuulſionem damnari ab Hippocrate. Sed hoc quidem recte Marinus inqt, quòd propter immodicam euacuationem facta conuulſio eſt exitialis. Sic igitur & facta ex potio ne medicamẽti, eſt exitialis. Verum non animad uertit, quòd ſermonem priorem falſum oſtendit: nam aperte falſum eſt, quòd in oſſis præciſione de ſipientia fiat. Neq; enim ex alicuius oſſis alterius, neq; eius quod cerebrum tegit, præciſione demẽ tia ſequitur, antequam ad membranas paſſio per tingat.

XXV.

EX MEDICAMENTI potione conuulſio, le talis eſt.

Medicamenti potiones, & medicationes, con ſueuit Hippocrates proprie nominare eas tantum quæ cum purgantibus fiunt medicamentis. Quòd uero conuulſio quæ fit iſtis ſupra modum euacu antibus, letalis exiſtat: ſi quis eorum meminit, quæ ſæpius à nobis ſunt dicta, non ignorat.

XXVI.

IN FORTI dolore uentris, partium extrema rum frigiditas, malum.

Fit quidem, ſicuti & ſupra dictum eſt, ob ma gnitudinem inflammationis in uiſceribus partium extremarum frigiditas. Fit autẽ & propter animæ

defectũ, uel quia calor natiuus extinguatur, uel qa propter multitudinem ſtranguletur, & tum præ cipue, quum frigida fuerit: fit autem & propter dolorem uehementem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in ſeipſam contrahi tur, & ad eam conſequitur ſanguis, non ſolum ex tremas corporis partes derelinquens, ueluti pe des, & manus, & caput, ſed & cutem uniuerſam. Cauſam igitur quandam particularem dixit Hip pocrates hoc in ſermone partium extremarum frigiditatis, ſicuti & in pluribus aliis ſermonibus hoc ipſum feciſſe oſtendimus: & nihil mirandum illum, qui primus multa adinuenit, non omnium ſimul, ſed ſingulorum particulatim feciſſe men tionem.

XXVII.

MVLIERI utero gerenti ſi tentio ſuperuenerit, facit abortum.

Circa inteſtinum quod rectum nominatur, ten tio fit, eandem habens cauſam ac diſpoſitionem, quam in difficultatibus inteſtinorum ſuſcipiunt il la quæ ſuperius iacent inteſtina. Hæc autem paſ ſio nomẽ accepit (ut inquiunt) ab illa quæ fit in ea tentione, ob quam cum cacare uehementer appe tant, continue exurgunt. Ob talem igitur tentionẽ, atq; moleſtiã, & totum aliud corpus laborat, ſed præ cæteris matrix, quæ cognata eſt recto inteſti no. Nihil autem mirum ſi propter uehemẽtes, at que frequentes exurrectiones, conceptus aborti tur, quando & ex aliis omnibus fortibus motibus atque doloribus mulieres grauidę ſolẽt abortire.

XXVIII.

QVANDO os, aut chartilago, aut neruus ab ſcinditur in corpore, non augetur.

Et hic aphoriſmus iam ſcriptus eſt antea his uerbis: Quando diſciſſum fuerit os, uel chartilago, uel neruus, uel maxilla tenuis, uel præputium, neque augetur, neque coaleſcit. & nos in ſexto commentario ipſum antea expoſuimus.

XXIX.

QVI ALBA pituita detinetur, ſi fortis uentris fluxus ſuperuenerit, à morbo liberatur.

Conſueuere & alii medici quandam aquæ inter cutẽ ſpeciẽ, albam pituitam nominare, uel qđ ſit etiam pituita liuida, uel tanquam ſui quidem ratione ſit ſemper alba, ſed propter mixtionẽ quorundam aliorum humorum uerum mutet colorẽ. Poteſt autem & ſicuti in libro de articulis ſcripſit, Vertebræ quæ in ſpina ſunt, nõ tanquam ſint alibi uertebræ, uolens diſtinguere, ſed ſimplici utẽs adiectione: ita & hoc in loco abſque diſtinctione, albi feciſſe adiectionem. Hoc autem ex forti alui profluuio, uel diuturno (utrunque enim ſcribitur) ſolui albæ pituitæ ſuperabundantiam commune eſt ad multa alia, quæ ita ab eo dicta ſunt.

XXX.

QVIBVS IN alui profluuiis excrementa ſpumoſa ſunt, his ex capite pituita defluit.

Hoc indiſtincte dictum eſt, fiunt enim aliquando excrementa ſpumoſa ſpirituoſo humore ex capite ad uentriculum defluente: fiunt autem & uaſis, qui ad ipſum perueniunt illum effundentibus. Fieret etiam quãdo in ipſo uentriculo unam habens, ut quiſpiam diceret, cauſam contentiuã, quomodocunque excernatur aut fiat, antecedentes uero plures. Eſt autem huius pituitæ cauſa contentiua flatuoſus ſpiritus, dum humori commiſcetur uehementem habens motum & inæqualem, ita quòd & ipſe diſrumpitur & pituitam frangit in multas partes & paruas. Talis uero motus ipſius eſt cauſa, & propria natura, & nonnunquam multitudo caloris. Sic & in his quæ elixantur, apparet ſpuma, & maxime quũ tenacem habuerint naturam: in mari etiam uiolentia uentis agitato. Qui uero arbitrantur à pulmone ad uentriculum peruenire, atque ideo ipſam uideri ſpumoſam, neſcio quid inquient de his, quibus fiunt à capite ad pulmonẽ fluctiones manifeſtæ. Oportebat enim & in his alui excrementa eſſe ſpumoſa: uerum hi neque ſpumoſa per ſedem excernũt, neque cum tuſſi expuunt, & tamen ſæpius manifeſte quæ ſunt in uiſcere aſperæ arteriæ ſunt eo oppletæ, quod defluxit à capite, quod iam concoctum eſt puri ſimile, ſed ſpumoſum minime. Sed neque ſemper ex pulmone ſpumoſum ſanguinem expuunt. Videtur itaque cum ex propria ſubſtantia uiſceris ſimul quicquam effertur, ſanguinẽ eſſe ſpumoſum. Sed & qui morbo laterali laborant aliquando ſpumoſum expuunt, ſed raro. His uero etiam rarius qui inflammationem pulmonis patiuntur, calore autem, ut mihi uidetur, intemperato, atque igneo in patientibus partibus aggregato. Si uero quod à capite defluit ad aſperas pulmonis arterias, ut nonnulli uolunt, permeat ad inferiora, primum ad uentriculos cordis ipſum peruenire oportebit, poſt hoc duorum alterum, primum per cauam uenam ad gibba hepatis, deinde illinc ad caua, & ita per portas ad inteſtinorum inuolucra: aut primum quidem ad magnam arteriã, deinde ſic ad illam quæ eſt in meſenterio. Et quomodo adhuc ſpumoſum remaneret ſanguini mixtum, & tot cum eo uenas pertranſiens?

XXXI.

QVIBVSCVNQVE febricitantibus, in urinis

fiunt ſedimina ueluti farina crasſior, longam ægritudinem fore ſignificat.

Et hic ſermo adhibita diſtinctione fit uerus, ab experientia comprobatus, quia tales urinæ exitiales ſunt, ſicuti etiam in prognoſtico dictum eſt: & plurimi morte præripiuntur. antequam ægritudo diutius protrahatur: & quicunque ex ipſis ſunt liberati, his omnibus in longum producta eſt ægritudo, cum diſpoſitio multam requireret coctionẽ, in qua talis urina mingitur. Dictum autem eſt, à nobis in libro de criſibus, ſiue iudiciis, plenius de urinis omnibus. In Epidemiis autem (ſufficit enim mihi de duobus ægris tantummodo feciſſe mentionem) in primo quidem libro de Sileno ſecũdo loco conſcripto poſt tres cõſtitutiones, de quo in ſua enarratione, ſic inquit. Minxit totum ſimul ſub craſſum euacuatum, ſedimen inſtar farinæ crasſioris album, extrema rurſus frigida, undecima mortuus eſt. In tertio autem de ægro qui ordine tertius eſt, de quo ipſe ita ſcripſit in ſuæ enarrationis initio. Qui iacebat in horto. Dealcis, deinde paulo infra. Vrinæ tenues uariæ habentes ſublimamenta parua, inſtar farinæ crasſioris. Hunc autẽ dicit quadrageſimo die fuiſſe iudicatum. Liquet igitur uel ex his exemplis, quòd quicunque mingentes urinam ſimilem farinæ crasſiori, ſi ſaluari debeant tardè liberantur. Quicũque uero extialiter ſe habẽt, contingit hos quamcito interire.

XXXII.

QVIBVS AVTEM bilioſa ſedimina ſupra tenuia, acutum morbum ſignificant.

Bilioſum quidem ſemper acutos morbos operatur. dictum enim à nobis eſt, quòd amaræ bilis humorem ita medici priſci conſueuere appellare,

ſicuti melancholicum ſemper cum adiectione dicunt, non ſimpliciter bilem proferentes, ſicuti flauam, ſed atram bilem nominantes. Quod autem dicitur, ſupra tenuia, hoc eſt aquoſa (ſic enim conſueuit uti tenuis appellatione Hippocrates) nõ bene utique dictum uideretur. Vrina ſiquidem aquoſa, cruda eſt & diuturna. Equidem nunquam uidi urinam, cui us ſedimẽ bilioſum eſſet, pars uero ſuperfluitans aquoſa. Non abſque ratione igitur nõnulli expoſitores dixere aduerbium, ſupra, non locum, ſed tempus hoc in loco ſignificare, ac ſi ita diceretur: Vrinarum ſedimina quando ab initio tenuia ſunt, poſtea uero bilioſa fiunt, acutum morbum ſignificant.

XXXIII.

QVIBVSCVNQVE urinæ diſtantes ſunt, his turbatio fortis in corpore fit.

Si uerbum, diſtantes, in propria ſignificatione accipiatur, rem impoſsibilem oſtendet: urina ſiquidem ſemper eſt ſibi continua, nullum ſpatium uacuum habens interiectum. Si uero per id ſubſtantiæ inæqualitatem dici intellexerimus, recte dixit fortem ſignificari perturbationem. nam ſuperante natura, omnia æqualiter unita ſunt: ægris uero cauſis tumultuantibus, ac renitentibus eĩ, illud quod obtinetur atque concoquitur, aliã habet formam: renitens uero atque tumultuans aliam: & quando plura huiuſcemodi fuerint, uariam magis oſtendunt urinarum inæqualitatem, & eius cauſam perturbationem.

XXXIIII.

QVIBVS IN urinis bullæ ſubſiſtunt, morbum renalem & longum ſignificant.

Bullæ fiunt circumextento humore ſpiritui

flatuoso. Solet autem hoc magis accidere, quando humor aliquid tenacitatis habet: tunc autem & bullæ ipsæ sunt stabiles, & difficulter solubiles. Cũ igitur spiritus flatuosus unà cũ urinis excernitur, signum est frigidæ ægritudinis renum. Hæc enim aggregat spiritũ flatuosum, atque ideo aiunt ęgritudinem fore longam. Frigidum enim omne est difficulter solubile, & uix coctionem admittit, atque ideo diu durat. Nonnulli autem ab acritudine urinarum aperiri ora arteriarum quæ sunt in renibus, atque ita excerni spiritum aliquem, qui cum urinis exit, & bullas facit.

XXXV.

QVIBVS insidens pingue, ac simul totum, his renum uitium acutum significatur.

Siue alui excrementum, siue urina pinguis fuerit, ex colliquatione adipis fit, non magis in renibus, quàm in toto corpore existentis: quare neque omnino morbi renalis est signum, sed commune omnis adipis ab igneo calore colliquati. Aut igitur ita audiendũ est, tanq̃ in his de quorum uitio renali non ambigitur, nõ passionis genus, sed acutiem dignoscat, ac prædicat in hoc aphorismo Hippocrates: Vel pro uerbo, nephritica, quod significat uitium renum, scribendum est phrenitica, sicuti quidam scripsere expositores. Atqui neque hoc solius phrenitidis signum existit, neque simplicis, neque incendentis, sed cuiuscunque febris colliquantis. Quod uero, totum simul, sermoni adiectum est, potest & breuitatem temporis significare, & nihilominus potest & loci. Quod enim adstrictum est, & in seipsum contractum, simul totum nominamus, contrarium existens distracto, atque dispersо. Hæc igitur à nostris etiam præceptoribus hucusq; fuere interpretata. Quod

uero mihi uidetur, iam dicam. Simul totum, sermoni adiectum mihi uidetur de tempore dictum, atq; ideo adipis renum ostendere colliquationem. In aliis enim partibus corporis adipes colliquati, paulatim, & non uniuersim cum urina exeunt, primum colliquatione participata à uenis illi uicinis, deinde ab his q̃ continuantur, & rursus ab aliis, & aliis, donec ad renes ꝓueniat. Adipis uero circa renes colliquati trãsumptio ad urinas celerrima est, & nõ paulatim, sed simul tota fit, atq; ideo in renibus ipsis dispositionem esse monstratur: cui rei & experientiam inuenies, si diligentius animaduerteris, consentientem. Quum uero duplex scriptura sit, in quibusdam quidem exemplaribus insidens, in quibusdam uero subsidens scribitur. Primam dicimus esse ueriorem. Insidet enim semper quod pingue est, & nõ subsidet: & quidem prioris aphorismi dictioni magis consonat ista scriptura. In illa enim Hippocrates dixit: Quibuscunque autem in urinis bullæ insident, morbum renalem, & longum significant. Consentaneum igitur ei quod dixit insident, quod deinceps dictum est, Quibus insidens pingue, & simul totum, his renum uitium & morbum esse acutum significatur.

XXXVI.

QVIBVS AVTEM morbo renali laborantibus prædicta accidunt signa, doloresq̃; circa spinæ musculos fiunt, si quidem circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exterius futuros expecta. Si uero dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abscessus expecta futuros interius.

In prioribus quidem aphorismis signa docuit per quæ renum uitia possemus dignoscere: in hoc uero de his docet quos longo tempore scitur morbo renali laborasse, inquiens in ipsis futurum

abſceſſum labore, hoc eſt dolore, cum ſignis præ-
dictis antea ueniente circa muſculos, quos & ſpi-
næ muſculos, & ſpinales medici nominant. Du-
plex autem eſt horum muſculorum genus, unum
quidem retro ſub cute, totam ſpinam utrinque
complectens: alterum uero in partibus anteriori-
bus, non per totam ſpinam extentum, ſed ſolum
per partes ad lumbos attinentes. In utris autem
horum ſe firmauerit dolor, illic quoq; abſceſſum
futurum expecta. Nunquid uero renibus ipſis ſup
puratis, aut ſolis muſculis, aut aliquando utriſque,
nondum præfiniuit. Experientia uero hæc omnia
fieri oſtendit. nam & muſculi ſoli nonnunq̃ hoc
patiuntur, interiores ſcilicet & anteriores, uel po-
ſteriores & exteriores, & ſine muſculis renes, non-
nunquam introrſum, nonnunquam extrorſum uer
gente in ipſis abſceſſu.

XXXVII.

QVICVNQVE euomunt ſanguinem, ſi ſine fe
bre quidem, ſalutare: ſi uero cum febre, malum.
Curare uero acerbis, & refrigerantibus.

Vomitus quidem fit è gula & uentriculo, cum
tusſi autem expuuntur quæ ex aſpera arteria atq;
pulmone feruntur. Quidam uero huius libri expo
ſitores aiunt ſub uerbo, euomunt, comprehenſos
eſſe, & illos qui ex aſpera arteria atque pulmone
ſanguinem educunt. Atqui ſalubrem eſſe hanc
pasſionem, hoc eſt curari poſſe, quando ægri non
febricitauerint, haudquaquã uerũ. Si qs enim uel
quammaxime abſque febre ex pulmone cum tuſ-
ſi ſanguinem emiſerit, periculũ imminet, ne cura-
tio fiat: & ſi perdurauerit caſus, omnino poſtea fe-
bres ſuccedent. Ob hoc igitur melius eſt, ut audia-
mus uerbum, euomunt, in proprio accipi ſignifica
to, & conſideremus, atque diſtinguamus quod

periculo uacat in ipſo, & quod eſt cum periculo
ex febris præſentia, uel abſentia: nam his qui febre
uacant, liquet nullã adeſſe inflammationem in lo
co unde emittitur ſanguis. Quare uel alicuius ua-
ſis ore adaperto fit ſanguinis uomitus, uel cum ul-
cere quidem, ſed ſine inflammatione. Curãtur au-
tem quæ ſunt abſque inflammatione ulcera facile
acerbis. Quæcunque uero cum inflammatione
ſunt ac febribus, nedum curari poſſint, neque in
eadem poſſunt magnitudine permanere. ſemper
enim maiora fiunt, ac maligniora.

XXXVIII.

DESTILLATIONES in uentrem ſuperiorem
ſuppurantur intra uiginti dies.

Ventrem ſuperiorem nunc nominat qui à tho-
race præfinitur, quem pulmo obtinet, atque ideo à
capite diſtillatio fertur per aſperam arteriam. Sup-
puratur autem magna ex parte in uiginti die-
bus, & non (ut multi ſcribunt) in uno ac uiginti.
Semper enim Hippocrates diem uigeſimum iu-
dicatorium facit, non uigeſimum primum,
quemadmodum in libris de diebus iudicatoriis
oſtendi.

XXXIX.

SI QVIS ſanguinem minxerit, & grumos, &
ſtillicidio urinæ laboret, & dolor inciderit in fe-
mur, & imum uentrem, pectinemq;: quæ circa ue
ſicam, male ſe habere ſignificatur.

In omnibus ferè exẽplaribus hic aphoriſmus
ſcriptus eſt. Eximere autẽ ipſum oportet propter
alterum qui prius eſt dictus, quem nos expoſui-
mus in quarto horum commentariorum per hæc
uerba ſcriptum: Si ſanguinem mingat, ac grumos,
& urinæ ſtillicidio laboret, & dolor inciderit in

imum uentrem, & pectinem: quæ sunt circa uesicam male se habent. In proposito autem aphorismo est ultima scriptura duplex, una quę antea scripta fuit, altera talis, Vesicam male se habere significatur.

XL.

SI LINGVA repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elanguit, tale est melancholicum.

Incõtinentem quidem nominat linguam, quæ infirma est ita, ut non possit integre dearticulare uocem, aut immobilis, & omnino resoluta: Stupore autem elanguens, aliquid corporis quod resolutum est. Cur uero hæc repente facta, dicat esse melancholica, ignoro. Melancholiæ enim, in cuius nomine omnes Græci consentiunt, recte ab ipso talia indicia sunt dicta. Si timor, atque mœstitia longo tempore hominem habentes perseuerauerint, tale est melancholicum. Aliter autem & melancholicas dicemus esse passiones, Cancros, Elephantes, adhuc autem Scabies, & Lepras, & Vitiligines nigras. Sed neque ullam aliquam talium passionum, neque illam quæ ab omnibus nominatur melancholia, linguæ incontinentia uidetur antecedere, sicuti neque alicuius partis stupor. Quare superest ut dicamus, quòd quemadmodũ quartani circuitus causa est humor melancholicus, sic & dictarum passionum, & linguæ intemperamẽti, & partis resolutionis. Et fieri potest quòd propter humoris crassitudinem tales passiones consequãtur, quales ex crassa, & lenta eueniunt pituita. Nõ igitur dicemus simpliciter utrunque dictorum esse melancholicum, sicuti neque pituitosum simpliciter, sed pituitosum simul, & melancholicum. Additum autem est sermoni aduerbium, repente,

propter mala quæ paulatim fiunt, sicuti ex inflammatione duritiem admittente, & intemperatura difficulter solubili.

XLI.

SI SENIORIBVS supra modum purgatis singultus superuenerit, non bonum.

Communis est hic sermo secũdum utrunq;: & quatenus omnibus supra modum purgatis non est bonus singultus: & quatenus senioribus omnia mala peiora fiunt propter ętatis imbecillitatem.

XLII.

SI FEBRIS non ex bile †habeat, multa aqua calida capiti superinfusa solutio fit febris.

†Antiquĩ cod. τὴν γένεσιν addunt, ut dicamus ortum habeat.

Ex hoc sermone manifeste declarat non omnes febres ex bile fieri. Ostendit autem & quod reliquæ omnes exceptis his quæ ex bile factæ sunt, aqua multa capiti superinfusa soluuntur. Secũdum hunc sermonem igitur in primo libro Epidemiarũ de Melitone scripsit, Balneis usus supra caput. febres siquidem quæ ab exustione, ac frigiditate factæ sunt, à talibus balneis utilitatem sentiunt, & nihilominus quæ ex lassitudinibus fiunt, & quæ propter foraminum angustationem, siue propter obstructionem, siue ob clausuram fuerint angustata. Respirare siquidem per ipsa oportet, & dissolui calorem febrilem. Non tamen ubi inflammatio aliqua, aut absque inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balneæ utiles sunt antequam noxii humores euacuentur, aut cõcoquantur. Verum tales morbos, aut laterum inflammationes, aut pulmonis, aut hepatis, aut lienis antiqui nominabant, uolentes febrem non esse morbum ipsum, sed casum morbi. In quibus autẽ sine partis inflammatione, qui in uenis putrent hu-

mores febrem accendunt: in illis ſolis dicebant hominem à febre moleſtari,& ipſum à febre haberi. In illis autem &febrium ſcripſere differentias hepialon,& lipyriam, eloden, & typhoden,peſtilentem,& ardorem nominantes. Hepaticam autẽ febrem,uel lienoſam,aut pulmoniam,aut lateralem nemo dixit,adeo quòd nunc ſermo ab Hippocrate habetur de febribus ipſis quæ ſunt abſq; partium inflammatione. In pluribus uero exemplaribus,non aqua,ſed ſudor ſcribitur,talẽ habẽte ſcriptura intellectũ: Si febris non ex bile ortũ habeat,multus ſudor à capite ,defluens febrem ſoluit, non ex ſolo capite ſudorem fundi dicente Hippocrate,ſed à prima parte quæ ſubiicitur oculis de toto monſtrante corpore. Quantum igitur ad hanc ſcripturam attinet,hi qui ex bile febricitant,à talibus ſudoribus nihil iuuabuntur. Atqui ſæpius manifeſte ſoluuntur,& aliæ plurimæ febres,& in quibus flaua bilis plurima eſt,tertianæ,& ardores. Verior igitur eſt prima ſcriptura,quæ ueram docet curationem earum febrium, quæ ex dicto genere ſunt,quæ uidelicet uel ob laſſitudines, uel exuſtiones,uel refrigerationes, uel omnino cutis fiunt anguſtationes. Quod aũt à bile dicitur,& de rufa,& de atra bile intelligi poteſt: non tamen in his ſolis oſtendebamus,ſed & ob pituitam putreſcentem fieri febrem:& in hac ſola uidebitur aphoriſmus non eſſe uerus,niſi quis exiſtimauerit pituitæ putrefactionem in humorẽ bilioſum cõuerti.

XLIII.

MVLIER ambidextra non fit.

Ambidexterum Euripides nominat ferrũ utrinque incidens: circumdextrum autem Homerus Aſteropæum ambabus manibus ſimiliter utentem,ac ſi utrinq; dextrũ dixiſſet. Eodẽ modo am-

bilæuum Ariſtophanes in Tagenitis, utrinq; ſiniſtrũ. Hipponax ambidextrum dixit in hoc uerſu,

» Ambidexter enim ſum,& non aberrans.

Viri itaque qui ambabus manibus pro dextris utuntur, ſæpius uiſi ſunt. Mulier uero nulla ad hunc uſque diem ob naturæ imbecillitatem. Si enim ambabus manibus,ob neruorum robur,ac muſculorum quidam uiri utuntur, rationabiliter nulla mulier utetur: quæ ſatis habeat,ſi ſola dextra modice utatur. Amazonidas quidem ipſe inquit mammam dextram exurere,ut plurimo alimento ad manum uicinam perueniente,ei maior adſit uigor,ut quæ & ipſa ſit natura debilis. Quidam tamen aiunt ambidextram dictam eſſe quæ parte uteri dextra genita ſit. Et his adhuc magis à ratione alienũ aiunt alii de his qui Hermaphroditi nominantur Hippocratem fuiſſe locutum,quòd mari quidem pudendum inſit muliebre,mulieri uero uirile minime.

XLIIII.

QVICVNQVE ſuppurati uruntur,uel ſecantur,ſi pus purũ fluxerit & albũ, euadunt: Si uero ſubcruentum, & feculentũ, ac fetidũ,pereunt.

Suppurationes cõſueuit nominare,nõ eas tãtũ q̃ ſunt in thorace,ſed in quauis alia parte ad pus alterata tubercula. præcipue uero ſuppuratos magna ex parte eos ſolos nominat,quibus inter thoracẽ atq; pulmonẽ aceruatũ eſt pus,quos urere cõſuetos eſſe ueteres,diſcere licet ex his quæ dixit Plato comicus de Cineſia,hiſce uerbis: Poſt hæc

» cõcionatus filius Euagoræ Cineſias ex morbo la-

» terali aridus,puris expers,calamacea gerés crura, tabis nuncius,plurimas inuſtus eſcharas ab Euriphonte in corpore. Quòd q̃dẽ pus albũ bonũ ſit, feculẽtũ uero & fetidum malum,nemo ignorat.

XLV.

QVORVM HEPAR ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit & album, euadunt: in tunica enim his pus continetur: ſi uero qualis amurca fluat, pereunt.

Ipſe cauſam dixit, ob quam nonnulli pereunt qui ita ſe habent, nonnulli uero euadunt. Quibus enim in tunica eſt pus, nihil patiente ſubſtantia hepatis, ſaluantur omnes. Quibus uero uſque ad carnem hepatis corruptio pertingit, non abſque ratione moriuntur. Quòd autem ἀμόργην, id eſt amurcam, Græci nominent fecem olei, & quod talem par eſt eſſe incoctam putredinem hepatis, liquet unicuique.

XLVI.

DOLORES OCVLORVM poſt meri potionem, & aquæ calidæ balneum, uenæ ſectione curato.

Hic aphoriſmus mihi uidetur ex his unus eſſe, qui fuere interiecti, non conſentiens uni ex illis qui antea ſcripti fuerũt, huic ſcilicet: Dolorem oculorum meri potio, balneum, uel fomẽtum, uel uenæ ſectio, aut medicamentum ſoluit. Hunc itaq; aphoriſmum in ſexto expoſui commentario, oſtenſis diſpoſitionibus in qbus oporteat ſingula ad uſum afferre remedia. Propoſitus uero aphoriſmus in una uult diſpoſitione tribus uti remediis. Siquis igitur nos ſciat docere diſpoſitionem, in qua tria hæc remedia conueniant, ei habebimus gratias. Quouſque uero expoſuerint aphoriſmum quaſi legitimum, nos uero non docuerint quænam ſit diſpoſitio, eorum expoſitionibus nullam præſtabimus fidem. Quæ igitur dicunt, qui omnino aliqd conantur dicere & ſi mediocrem habeãt ꝓbabilitatem

bilitatem, ſunt huiuſcemodi. In quibus craſſus ſanguis ſuperabũdat, atq; ideo euacuatione indiget, melius putant ipſum fundere prius, deinde ſecare uenam. Fuſile autem fiet ſi ægri uinum biberint, & ſe balneauerint. Sed ꝙ hi qui hæc aiunt, nunquam experientia nouerint illa quæ dicunt: ſciunt qui in artis operibus ſunt exercitati. Neque enim uinum neque balneum tolerat plethorica diſpoſitio abſq; maximo detrimento. Verum hæc auxilia ſunt ſanguinis craſſi in aliqua parte compacti ſine totius corporis repletione. Sic enim et Aſclepiades utitur uino poſt totius corporis euacuationem pro remedio extentionum. Si uero adſit in toto corpore plenitudo, prius diſrumpentur oculorum tunicæ inter bibendum atque lauandum. Quare ſi abſque multitudine dolor fiat, propter obſtructionem & compactionem craſſi ſanguinis, recte quidem lauabunt, & uinum dabunt, non recte autem ſecabũt uenam. Si uero multitudo fuerit, recte quidem uenæ utentur ſectione, non recte autem lauabunt, & uinum dabunt.

XLVII.

AQVA inter cutem laborẽs, ſi à tuſſi habeatur, deſperatus eſt.

Et hoc prius dictum eſt ab ipſo in hoc aphoriſmo, Aqua inter cutem laborẽtibus ſi tuſſis ſuperueniat, malum.

XLVIII.

VRINÆ STILLICIDIVM, & mingendi difficultatem, uini potio, & uenæ ſectio ſoluit: incidere autem interiores.

Quòd quidem urinæ ſtillicidium ſignificet urinæ ſtillatim expreſſionem, nomen ipſum oſtendit. Mingendi autem difficultas poteſt & quæ cum

dolore fit, mictio dici: potest autem & quæ cum difficultate aliqua, adeo quòd uix uesica operetur. Vrinæ autem stillicidium, ipsius urinæ acritudo facit, & potentiæ retētiuæ in uesica imbecillitas, quæ ob intemperaturam fit, præsertim frigidam: Vrinę uero difficultatem, si quidem cum dolore fuerit, inflammatio, & abscessus, & ulceratio, & inæqualis intemperatura, & spiritus flatuosus: si uero motus difficilis aliquis, uel potentiæ imbecillitas, uel tumor contra naturam. Ex omnibus hisce dispositionibus, frigiditatem quidem uini potio soluit: hoc est uel simpliciter uini potio, uel meracioris, atq; etiam talem inflāmationem quæ propter obstructionem sanguinis crassioris citra multitudinē facta fuit. Illam uero quæ cum multitudine fit inflammationem, adhuc autem & aliam quæ sine defectu est, & cum potentiæ robore, uenæ sectio sanat. De eo autem quod dicitur, Incidere uenas interiores: dictum est à me & in libro præcedente in quo hunc aphorismum exposui, Vrinæ stillicidium uenæ sectio soluit, incidere autem interiores.

XLIX.

AB ANGINA habito, tumor & rubor in pectore superueniens, bonum: extra enim uertitur morbus.

Et hic aphorismus antea dictus est per hæc uerba, Ab angina habito tumorem fieri in parte colli anteriore, bonum. Exposui uero in quarto horum Commentariorum. Hic igitur uidetur fuisse interiectus uolenre aliquo adiungere: extra enim conuertitur morbus.

L.

QVIBVS CEREBRVM sphacelatum, id est corruptum est, in tribus diebus pereunt:

De ὀφακελισμῷ Gal. 2 de locis aff. cap. 7. & de humorib. cap. 12.

Si uero hos euaserint, sani fiunt.

Sphacelare ossa sæpius dixit in libro de fracturis & articulis, pro corrumpere utens eo uerbo. Hic uero non contingit cerebri audire corruptionem, cum adiectum sit: Si uero has effugerint, sani fiunt. Si enim sphacelus est corruptio substantiæ uniuscuiusque partis quæ sphacelari dicitur, non contingit hunc qui ita ægrotet, persanari. An ne igitur aliquando abutuntur hoc uerbo ad significandum huius dispositionis inceptionem, cum nondum exquisite completa est? Talia enim quædam etiam carnosis partibus in gangrenis accidunt, cum passio ob magnitudinem inflammationis insensibilitatem quandam, atque nigritiem, aut omnino morticinum colorem affert parti patienti, nos uero dicimus particulas eas quæ in passionem incidunt, ad gangrenam ire. Sicuti igitur gangrenam ita iā completam, ut pars sit intermortua, sanare est impossibile, dū uero adhuc fit, possibile est: sic & sphacelū. Et sanè carnosę partis morticinum quod prouenit ex magnitudine inflammationis, quam proprie medici gangrenam nominant, hanc etiam Græci sphacelum appellabant. Sic igitur mihi uidetur & Herodotus dixisse, coxam Cambysis sphacelari. sed & cerebrum ita quispiam diceret sphacelari tantummodo. & quidem propter quid uelox sit in ipso mors, manifestum, quū & passio grauissima sit, & pars principalissima. Quòd si ægri mors in tribus primis diebus non anticipauerit, sed ad diem quartum peruenerit, sperandum est morbum declinare, & uires esse fortes, ita quòd ipsum omnino superent.

Cerebro sphacelo laborare non potest.

Gangræna ὀφάκελος.

Aët. 6 serm. 97

LII.

STERNVTAMENTVM fit ex capite, calefa-

cto cerebro, aut humectato eo quod in capite inani. Aer enim intus contentus extra erumpit. Sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

Tales sermones duo significant, unum quidem quod in omni re proposita uniuersaliter dicitur, ueluti hoc in loco de sternutamentis, alterum particulatim, ueluti hic de sternutamentis ex cerebro factis. Primus igitur sermo talis erit: Omne sternutamentum fit ex cerebro calefacto, uel humectato eo quod est in capite inani. Secundus uero: Sternutamentum ex capite eueniens, fit cerebro calefacto uel humectato capitis inani. quod uerius existit. Nō enim omnis sternutatio fit calefacto cerebro, uel humectato in capite inani. Pēnis enim quidam nares irritātes sternutant. Sed & cum tussi spiritus desubter ueniens ad naris meatus, causa fit sternutamenti. Præterea opinari solum aerem qui ex capite excernitur, esse quod sonat, est manifeste falsum. nam liquido apparet desubter ex pulmone elatus aer uniuersim se comprimente thorace. Sed & antecedente inspiratione fieri sternutamentum, natura aggregante aeris copiam ad sternutamenti generationem, his quæ dicta sunt adstipulatur. Solū itaque illud quod habet suæ generationis principium naturam appetentem flatuosum spiritum ex capite excernere, hoc modo fit, quem docere aggreditur aphorismus, neque forte hunc omnē: nam quod ait, humectato, supfluum est ad sternutamenti generationem. Nam & si aliquis humor in capite superabundat, non facit sternutamentum, nisi in uentum conuertatur: & hoc manifeste uidetur in multis, qui licet copiam humoris per nares excernant, tamen propterea non necessario sæpe sternutant. Soli enim illi ex his qui ita affecti

sunt, sternutant, quibus mordax est ea quæ à capite fluit humiditas, ceu si qd mordax naribus imponas. sicuti enim tussis casus quidam naturalis est ad expurgandas eas quæ sunt in pulmone asperas arterias: sic sternutamentum manifeste uidetur expurgare narium meatus. Duplici autem existente ipsa perforatione, lata quidem ad os, sed per meatus tenuiores ad cerebrum: quæ quidem est ad os perforatio, ab eo qui desubter spiritu effertur: qui uero ad cerebrum meatus pertingunt, ab illo qui ab ipso prodit, expurgantur. Et si diligenter aduerteris, uidebis sternutamenta, quæ ex capite motus habent initium, leuare grauitates capitis. Fiunt enim & rarefactis his qui sunt in capite humoribus, & naturæ impetu excretis. Rarefieri uero ipsis accidit cōcalefactis. Calefiunt autem natiuo calore excitato, ob cuius imbecillitatem prius erant superfluitates aggregatæ: Cum igitur ait: Calefacto eo quod est in capite inani: maxime audiendum est de eo quod est in uentriculis cerebri, adhuc autem & de illo quod ipsum ambit exterius. facile enim est & illi per cerebrum, primum quidem ipsos uentriculos, hinc uero nares subire. quia uero uniuersim excidit, sonitum edi, Hippocrates inquit. Est autem commune hoc, undecunque uenerit, siue ex pulmone elatus, siue ex capite deorsum actus.

LII.

QVICVNQVE hepar circundolent, his febris superueniens soluit dolorem.

Verbum, Superueniens, indicio est quòd prius cum circundolebant ipsi, non febricitabant. si igitur hepar uehementer dolebat, uel propter fortem inflammationem, uel propter spiritum fla-

ſum:non aderat autem ipſis inflammatio, alioquin omnino febricitaſſent.par igitur eſt quòd flatuoſus ſpiritus ſit cauſa doloris in ipſis. Dolet igitur hepar & propter obſtructionem, uerum mediocriter,& cum quodam ponderis ſenſu potius quàm uehementis doloris. Dolor autem uehemens propter flatuoſum ſpiritum,uel inflammationem, quæ ſcilicet maxima eſt aut ſuppurata, accidit.

LIII.

QVIBVS A uenis ſanguinem mittere confert, his uere uenam oportet ſecare.

Hic aphoriſmus pars eſt eius qui prius dictus fuit in hæc uerba, Quibus medicamentum epotum,uel uenæ ſectio confert, his uere ſecare uenam,uel purgare medicamento opus eſt. In qbuſdam uero exemplaribus non eſt ſcriptus omnino: & quidam libri expoſitiores ipſum ſciunt,bisq; ipſum ſcribunt:nonnulli uero neque omnino meminere. Mirari uero de illis oportet,qui non modo bis eundem ſcribunt aphoriſmum,uerum & in eiſdem Commentariis expoſitiones apponunt, nulla facta ſignificatione,quod his qui antea ſcripti fuerunt quidam ſunt ex toto iidem: quidam uero ex parte,cuiuſmodi hic eſt. Quidnam igitur uiſum fuerit uel his qui hos adiecere aphoriſmos circa finem libri:uel ipſi Hippocrati bis de eiſdem facere mentionem, & quibuſdam expoſitoribus geminam facere expoſitionem: deos teſtor me non poſſe coniectari. Neque enim ueriſimile eſt ipſum ſcriptorem Aphoriſmorum tãtarum rerum obliuione fuiſſe correptum, quando præſertim talis fuerit,qualem in omnibus fuiſſe Hippocratem nouimus:neque illorum qui appoſuerunt, uel tantam obliuionem,aut aliquam aliam mali-

gnitatem poſſumus excogitare,qua moti de eiſdem bis ſcribere non dubitauerint. Adhuc autem & magis de illis liceat mirari expoſitoribus, qui cum bis eoſdem expoſuerint Aphoriſmos,neq; hoc ipſum adiecerunt,quod ſecundam faciunt expoſitionem: & adhuc multo magis de illis qui differentes ſcripſere expoſitiones,& in his qui circa finem, & in illis qui per initia de eiſdem ſunt dicti.

LIIII.

QVIBVS INTER uentriculum & ſeptum pituita repoſita eſt,& dolorem affert,non habens exitum,neque ad alterum uentrem: his per uenas ad ueſicam pituita uerſa ſoluitur morbus.

Non abſque ratione mihi uidetur dubitare Marinus,impoſſibile exiſtimans inter ſeptum & uentrem pituitam conſtitui. Defluet enim deorſum, inquit,uſque ad oſſa pubis:neque etiam fieri poſſet ut traiiciatur ad uenas,ſicuti in aqua inter cutẽ, tenuis & aquoſus humor tranſſumptus excernitur per urinas. Quare audiẽdum eſſe inquit,quod dicitur inter ſeptum & uentrem,pro eo quod eſt inter ſepti corpus carnoſum, & interioris membranæ abdominis uerticem. Verum & ſi ita audierimus ò Marine,tranſſumptionem ad uenas, ſimiliter dubium eſt an ſit poſſibile. Nam hinc ad renes peruenire per uenas, ex ſpatio quod eſt ſub membrana abdominis interiore,eſt impoſſibile. Adde quod omnino impropria eſt eius,quæ eſt ſecundum uentrem appellationis abuſio. Nihil enim eſt ſimile uentri,& membranæ abdominis interiori,cuius gratia eandẽ participẽt appellationẽ. Melius igitur ita audire,ſicuti omnes audierũt, illud ſpatiũ laxius ab eo dici,qđ eſtqde infra ſeptũ ſed intra eam membranæ abdominis interioris

partem,quæ ad epigaſtrium attinet:& conſiderá
dum,ſi poſsibile eſt illud quod dicit: quũ ſciamus,
quòd uiam ſemper materiebus inuenire naturam
Hippocrates opinatur,quãdo ualida fuerit,ét ſi il
læ ſint craſsiores,& per anguſta foramina debeant
permeare,quando & per oſſa fieri inquit abſceſ
ſus. Videmus autem & humorem illum,qui eſt in
ter thoracem atque pulmonem in ſuppuratis ex
pui cum tuſsi:nonnunquam uero & per cutem ſa
nam exiſtentem excidere ſanguinem in oſsibus
quæ fracta occalluerunt. Non igitur neque in ea
de qua nunc Hippocrates dixit pituita,omnino
impoſsibile oportet arbitrari,fieri ad urinas tranſ
ſumptionem. Verum & hoc ipſum agi à natura
contingit paulatim pituitam extenuante, quem
admodum pus in ſuppuratis.

LV.

QVIBVS HEPAR aqua plenum in omen
tum eruperit, his uenter aqua repletur, & mo
riuntur.

Aptiſsimum hepar eſt hydatidas,id eſt ueſicas
aqua plenas in ea quæ ipſum ambit exterius mem
brana,generare. Videtur itaque & in iugulatis ani
malibus aliquando plenum. Si igitur aliquando
contingat ueſicas aquoſas rumpi,effunditur aqua
ad locum membranæ abdominis interioris,epi
gaſtrio,hoc eſt parti ſupra uentrem poſitæ,reſpõ
dentem,in quo etiam aqua hydropicorum con
gregatur. Ad omentum autem non poteſt aqua ef
fluere,niſi aliquo modo ipſum exedatur: eſt enim
ſolidum & firmum undequaque,ita quòd nihil in
ipſum ex aliqua parte poſsit incidere,niſi ex uen
triculo,colo inteſtino,ac liene,illisq; partibus un
de ipſum enaſcitur. Vel igitur uult omentũ exedi
in partibus,ſcilicet dextris ipſius,ſecundum quas

eſt hepati uicinum,uel ad omentum audire opor
tet,hoc eſt ad ipſius locum. Ventrem autem aqua
impleri,non de illo uentre dictum eſt,in quo cibi
recipiuntur,ſed de tota cauitate quæ eſt infra tho
racem:ſecundum quod ſignificatum uentroſi no
minantur,& mulieres dicuntur geſtare uentrem.
Mori autem eos quibus in hoc loco aqua colligi
tur,conſiderandum an perpetuo ſit uerum,an ma
gna ex parte. Seruantur enim & quidam aqua in
ter cutem laborantes, quanuis & hic locus ipſis
aqua repleatur. Sed neque impoſsibile eſt,ſicuti
in illis, & per medicamenta purgantia aquoſitá
tes, & præterea per epithemata,hoc eſt impoſitio
nes eorum quæ uim habent ciendi urinam,& in
uapores ſoluendi humorem talem,ita & in his fie
ri curationem.

LVI.

ALYCE, ID EST anxitudo,oſcitatio,horror,
uinũ æquale æquali potum ſoluit ægritudinem.

Solœcophanes uiſa eſt quibuſdam rationabili
ter figura ſermonis, atque ideo nonnulli caſu ac
cuſatiuo ſcripſere: Anxitudinem, horrorem uinũ
æquale æquali ſoluit. Nihil autem refert ad præ
ſens utrauis ſcriptura aphoriſmus exponatur. Pri
mum enim illud ſcire oportet, quòd halycen no
minauit,quam multi Græci halen appellant: dein
de & quæ ſit faciens hunc caſum diſpoſitio. Di
cuntigitur ἀλυ'ειν, id eſt anxitudinem habere,il
los ſanos,qui ſemper præſentibus moleſtantur,&
ab uno negotio,atque actione ad aliam tranſeunt.
Eodem modo & ægros illos anxios eſſe aiunt,
qui accubitum non perferentes,figuras euariant,
quia ſemper præſens aggrauat eos. Hoc uero præ
cipue illis euenire conſueuit,quibus in ore uentri
culi,quod nos abutentes uocabulo ſæpe ſolemus

ſtomachum nominare, humoris aliqua propria qualitas continetur uentriculo moleſta, quæ neq; plurima eſt, neque in uentriculi fluitat cauitate, ſed eam ipſæ imbibere tunicæ. Sed & oſcitare ſi cuti & pandiculari, contenta aliqua in muſculis p quos † tales fiunt motus quos pandiculationes, & oſcitationes nominamus, uel humiditate flatuoſa, uel ſpiritu uaporoſo fieri eſt à nobis demonſtra tum. Horror autem prauis humoribus per cutem currentibus accidit. Liquet autem quòd nunc à no bis habetur ſermo de horrore, qui ex corpore pro uenit inſalubri, & non de illo qui cauſam extrinſe cus habet. Singula igitur hæc quæ dicta ſunt, po tus uini meracioris ſanat. Moderatam autem tem peraturam ipſe monitrauit inquiens: Vinum æqua le æquali potum. Vult etenim uinum æqua por tione aquæ temperari, ut hæc quidem pellat, & euacuet ex materia infeſtante quicquid ceſſerit uini motui cum impetu lati, reliquum temperet. Calefacit enim uinum, ut nouimus, corpus totum, & cito mouetur ad omnes partes, cum hoc quod omnes humores optimos reddit.

κατὰ προαίρεσιν in impreſ. habetur. i. motus q ex electione fiunt.

LVII.

QVIBVS IN urinario meatu tubercula fiunt, his ſuppuratione facta & eruptione, ſoluitur dolor.

Et hunc aphoriſmum in præcedentibus Hippocrates ſcripſit: nos autem expoſuimus per hæc uerba ſcriptum, Quibus in urinario meatu tubercula fiunt, his ſuppuratione facta & eruptione, ſolutio.

LVIII.

QVIBVS cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri.

Etiam in hoc aphoriſmo, in quibuſdam exemplaribus poſſumus inuenire uerbũ, Mutos, ſcriptum in numero plurali, caſu accuſatiuo: in quibuſdam uero, Mutum, in numero ſingulari, per modum figuræ ſoloecophanis. Nihil autem hoc loco ad præſentia refert, modo nouerimus quòd conſuetudo Hippocratis ab uno accidente notiſſimo ſæpius, ſcilicet à uocis amiſsione, nominare & oſtendere illos qui nullum alium motum ſeruant ſecundum electionem, uel nihil omnino ſentiunt. Iacent autem eodem modo quo apoplectici ſine ſenſu, pariter & motu. Fit autem hoc & propter alias cauſas. Nunc uero concuſsionis cerebri Hippocrates meminit, & hanc ipſam talem fore ait totius corporis diſpoſitionem. Concuti autem hoc modo cerebrum contingit, propter aliquem caſum totius corporis uiolentum ex locis altioribus factum. Tales enim caſus ſolent & in ſpinæ uertebris facere concuſsionem, quando ipſarum harmoniæ fuerint commotæ, & ſpinalis medulla quæ in earum cauitate continetur, laborauerit: ualdeq; concuſſa periculum adduxerit, ne aliquis neruus eorum qui ab ipſo naſcuntur, abrumpatur. id quod non minus & in ipſo fit cerebro, & tanto magis quanto plus uacui loca habent, quæ ipſum circunſtant, quod etiam uacuum magis eſt in ſenibus, quemadmodum in tractationibus de ſectionibus diximus. Contrahitur autem uis animalis in ſeipſam in talibus diſpoſitionibus à motu periculoſo moleſtata, atque ideo quieſcit: orta uero nonnulla quidem ſufficienter tenduntur: quædam uero ex parte diſtrahuntur. & interea, donec ſe rurſus uis animalis collegerit, mutum atque immobile totum iacet, quod ita afficitur animal. Si uero cerebrum auelli cõtigerit, i aut ſecundum aliquam eius partem conuelli: qu

Concuſsio cerebri.

ita patiuntur, non referuntur.

LIX.

CORPORIBVS carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit, fames enim corpora siccat.

Quòd quidem omnia quę exiccant auxilia sint passionum humidarum remedia, manifestum est: siquidem contraria contrariorum remedia sunt. Quod autem & fames ex accidenti corpora exiccat, est minime dubium. Si quid enim defluit à corpore, sicuti & antea, nec id amplius ab alimento suppleatur quod fuerit euacuatum, necessarium est corpus effici siccius. Liquet enim ꝙ in cuiusq; animalis corpore prius illæ partes absumuntur q̃ sunt humidiores, quando & ipse defluxus idcirco fiat, quia quæ sunt in corpore extenuantur, atq; in uapores resoluuntur. Idq; ex duplici causa, extrinsecus quidem ab aere ambiente: intus uero à calore natiuo. Quæ autem in latibulis iacent animalia, ut quæ neque extrinsecus calefiant, neque intrinsecus, uel nihil, uel parum dissoluuntur: atq; ideo nonnulla eorum, neque egent alimento, nõnulla uero paucissimo omnino. Post præscriptos aphorismos alii duo ferè in omnibus exemplaribus inueniuntur, cum hoc quod & huius libri expositores ferè omnes eorum meminere, & quidã etiam ipsos exposuere, sed secus ac prius, neque hoc ipsum adiecerũt, ꝙ iidem aphorismi superius sint scripti. Nos uero in quarto commẽtario illos exposuimus, parum uerbis differẽtes. Alter enim eorum qui nunc scripti sunt superfluo adiectum habet, Vt deuorare nõ possit, nisi uix. Alter uero contra, uacat uerbo uix, ut prior quidem sit talis: Si à febre habito, tumore nõ existente, in faucibus strangulatio repente superueniat, & nõ possit deuorare, nisi uix, letale. Secundus uero sic: Si à febre habito collum conuertatur, & deuorare nõ possit, tumore non existente in collo, letale. Priores uero quos dixi in quarto horum commentarios fuisse expositos, ita se habebant. Si à febre habito tumore non existente, in faucibus strangulatio repente superueniat, letale. Deinde qui deinceps sequitur, Si à febre habito collum cõuertatur, & uix possit deuorare, tumore non existente in collo, letale. Quod igitur in priore aphorismo dictum est superfluere nunc considerabimus. Etenim id fieri uidimus, ubi ægri omnino exitialiter à morbo haberentur. Quare siue nullo modo possint deuorare, siue uix, non existente tumore in faucibus (nã hoc licet perspicuo cognoscere, si plurimum os aperiatur, & lingua uersus mandibulam inferiorem prematur) in tali cõstitutione, quod difficulter deuoretur, causam esse suspicandum communionem tunicæ quæ subnata est ex partibus gulæ, & gutturis interioribus. nam ostensum est hanc cibo os permeante, ipsam quidem trahi ad inferius, guttur uero totum retrahi superius. Tumescẽte igitur in gutture inflammatione, nonnunquam quidem nullo modo, quandoq; uero uix, uentriculum sequitur attrahentem: atque ob hanc causam, uel nullo modo deuorat, uel uix.

LX.

VBI IN TOTO corpore mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.

Et hunc aphorismum in quarto commentario exposuimus, iisdem ferè uerbis scriptum, quibus & hic. Est enim scriptura talis: Et ubi in toto corpore mutationes, & si corpus frigescat, uel rursus

calescat,& si alius ex alio color fiat,morbi longitudo significatur.

LXI.

SVDOR MVLTVS calidus,uel frigidus,semper fluens,humorem abduci, robusto quidem supra,debili uero infra significat.

Antea alium aphorismum in quarto horum commentariorum exposuimus hoc modo scriptum: Sudor multus calidus, uel frigidus, semper fluens,frigidus maiorem,calidus minorem morbum significat.&talium sudorum diximus esse dispositionem, multitudinem humiditatis quæ in ægri corpore continetur.Propterea igitur qui nũc proponitur aphorismus,abduci præcipit superfluum humorem,robustis quidem supra,hoc est per uomitus,debilibus aũt infra.quod & ipsum significat per alui inferioris subductionem.Quòd quidem igitur semper sit necessarium superfluas corporis humiditates euacuare,manifestũ.Si uero robustis supra tantum,debilibus uero infra,mihi dignum uidetur animaduersione:nam forte sit melius,nõ hac ratione distinguere remediorũ usum, sed ueluti in tractione curatiua de talibus omnibus fuit à nobis distinctum.Quare & hunc Aphorismum arbitror fuisse adscriptum.Post supra scriptos aphorismos, alii tres inueniuntur in pluribus exemplaribus,qui pariter,& ab expositoribus scripti sunt,& parum uerbis euariant ab illis qui quarto horum commentariorum habentur. Scribunt autem eos hoc modo:

FEBRES quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiũt periculosæ:quocunq; aũt modo intermiserint,significant quòd nõ sint periculosæ.

QVIBVSCVNQVE febres longę,his uel tubercula,uel ad articulos dolores decumbunt.

QVIBVSCVNQVE tubercula diutina, aut in articulos dolores ex febre decũbunt, hi cibo pleniore utuntur.

Liquet aũt, qã & hi interiecti fuerunt,à prioribus nihil,aut paꝝ admodũ uerbis differẽtes:nos uero ipsos exposuimus in quarto horꝝ cõmentariorꝝ.

LXII.

SIQVIS cibum febricitanti dederit, ut sano robur,sic laboranti morbus.

Scribitur autem & sic aphorismus: Siquis febricitanti cibum dederit, sano quidem cibus est, laboranti uero morbus.Vtraque uero locutio ab ea quæ secundum naturam,ad hoc quod cacozelum nominatur,interpretatione recessit:nescio qd sibi uolentibus illis qui ita libri finem tam uariis modis disposuerunt,nõnulla quidem per eadem uerba scribentes,quibus ipse antea usus erat,nonnulla uero paululum commutantes, aliqua uero tota interponentes, ueluti hunc propositũ aphorismum,qui neque prope accedit ad Hippocratis interpretationem.Ipse siquidem prius dixit: Non pura corpora quanto magis nutries,magis lędes: Et si ex morbo cibum assumens aliquis non corroboratur,significat corpus pluri uti alimento.Si uero cibũ non assumente hoc fiat,significat,quòd euacuatione indiget.& quædam alia huiusce modi quæ secundum naturam habent interpretationem.Qui uero propositum apposuit aphorismũ male æmulando,in cibo dixit: Qui sano robur,hic laborãti morbus. Vult.n.dicere cibũ robur qdẽ in sanis efficere,nocere aũt ęgris:uel(ꝑ Ioué)sanis qdẽ augere robur,morbũ uero laborãtibus. Absurde autem interpretatus est inquiens,Cibum ipsum robur esse sanis, morbum uero laborantibus, qui neque robur est,sed roboris effectiuus,

neque morbus,ſed morbi effectiuus,uel quod rectius ſit dicere,auctificus.

LXIII.

QVÆ PER ueſicam excernuntur, inſpicere oportet,ſi talia qualia ſanis excernuntur. Quæ igitur minime ſimilia ſunt his, hæc morboſiora. Quæ uero ſunt ſanis ſimilia,hæc minime morboſa.

Omnia quæ ſunt ſanis ſimilia in toto corpore, dictum eſt ab Hippocrate & in Prognoſticis,& in omnibus aliis libris, bonum aliquod ſignificare: quæ uero diſſimilia contrarium. Hoc igitur nũc conatur dicere,qui hunc compoſuit aphoriſmũ. Suſpicor enim neque hunc eſſe Hippocratis, ex ipſa elocutione coniiciens,quæ non habet eandẽ cum Hippocratica formam,& ex dictis ipſis, quæ non æque ſunt,ut ipſius authoris alia, exquiſita. Cu igitur ingt: Quę minime ſimilia his,hęc morboſiora: quis non reprehenderet ipſum dicentem illa Morboſiora,pro eo quod Morboſiſſima? Nã uerbum,Minime,cum quadam exuperantia dicitur,& multam ſignificat ad id quod præter naturam eſt, euerſionem. Vnumquodq; enim quod præter naturam eſt,quantum receſſit ab eo quod ſecundum naturam,tantum habet prauitatis: quæ igitur minime his quæ ſecundum naturam ſimilia ſunt,his quæ ſecundum naturam,contraria maxime,& ideo morboſiſſima.

LXIIII.

ET QVIBVS deiectiones, ſi ſtare permiſeris, & non moueris,ueluti ſtrigmenta ſubſiſtunt:& ſi pauca,paucus eſt morbus:& ſi multa,multus: his confert alui purgatio. quòd ſi aluo non purgata dederis ſorbitiones,quanto plures dederis,tãto magis nocebis.

Per aluum

Per aluum exeuntia ſolet Hippocrates deiectiones,ac ſubductiones nominare,& propterea quidam hoc loco acceperunt eius ſermonem eſſe de his quæ per aluum euacuantur. Verum his aduerſantur uerba illa quæ in ſermone proponuntur, ſi ſtare promiſeris,& non moueris. Hoc enim proprie conuenit humidis,atque ideo alii rurſus in urinis eundem accepere ſermonem. Vtriq; uero rurſus diuiſi,nonnulli ſcribunt ſubſiſtunt,nonnulli uero inſiſtunt. Neutrum uero horum uerborum urinis repugnat,quia & per ea quæ ſubſiſtunt, & etiã ipſis inſiſtunt,conſueuimus, & præſentiũ aliquid, & etiam futurorum cognoſcere. In alui autem excrementis uerbum,inſiſtere,competit magis quoquo modo: neque enim ſicuti in urinis prompta eſt,atque expedita ſubſiſtentium cognitio,ita & in alui excrementis. In urinis etenim & ipſum uas ex uitro factum oſtendit eorum quæ ſubſiſtunt naturam,& ſi in alio uaſe etiam continerentur, poſſumus id quod ſuperfluitat abiicientes,ſola ſubſiſtentia relinquere. In alui autem excrementis neutrum probabile. Rurſus id quod deinceps dicitur,ueluti ſtrigmenta,his quæ per aluum excernuntur congruit: illis uero quæ quouis modo urinæ inferuntur,ſiue ſuperius,ſiue inferius,non congruit. Nam quædam ſtrigmentis ſimilia per aluũ ſæpius excernuntur, & ita ea nõ modo Hippocrates ſed etiam alii medici nominare conſueuerunt, non tamen in urinis. Hic igitur tam nominum,quàm etiam uerborum uſus improprius oſtenditur fuiſſe interiectus in præſenti aphoriſmo. Adhuc autem magis cum dicit his conferre alui purgationem: neque enim ſimpliciter, neque quouis modo illi cuius ſtrigmentis ſimilia alui excrementa ſunt,confert aluum purgare, ſicuti neque hi qui ita affecti ſunt, neceſſario lęduntur in aliquo,ſi cibum acceperint.

Videmus si quidem cum alui inferioris excremẽ-
ta biliosa fiunt, quædam similia strigmentis per al-
uum excerni, in quibus neque omnes læduntur
sorbitiones accipientes, neque prius eos purgare
est necessarium, si iam quidquid bilis inest fuerit
euacuatum. Adhuc autem magis, neque si urinis
aliquid inferatur, quod sit ueluti strigmenta, purga
re conuenit. Accedit ad hoc quod difficile est for-
mam agnoscere, qualem esse uelit eorum quæ ue-
luti strigmenta inferuntur urinis. Verum qui hos
aphorismos interposuerunt, mihi uidentur ad hũc
finem fecisse, ut sermonem cõfunderent, tanquam
ænigma quoddam, & ut multa indigeret inquisi-
tione, in qua se ipsos eorum quæ dicuntur exposi-
tores constituentes, apud adolescentes laudẽ asse-
querentur. Quod autem omnes obscuri sermo-
nes dant sophistis garrulitatis occasionem, fiet ti-
bi in hoc ipso aphorismo manifestum. Quidam
enim eorum qui eum exposuere, aiunt non uetare
Hippocrates quin dentur sorbitiones hoc modo
affectis, sed plures sorbitiones, cum dicat: quanto
plura dederis, magis lædes: quasi & non alii quicũ
que indigent sorbitionibus, non lædantur à pluri-
bus, uel quasi non consequatur ad illum qui dicit.
Quanto plura dederis, magis nocebis, putare ex
paucioribus minorem fore læsionem. Verum ta-
men propter malum interpretationis modum so-
phistis datur facultas inueniendi solutiones, & ma
gis quando licuerit addere aliquid, uel adimere, &
scribendo transponere, quod in obscuris sermoni-
bus facere consueuerunt. Statim enim in hoc apho
rismo quidam ipsum exponentes, coniunctionem,
Et, abiicientes, quod alii sequẽtis aphorismi fecere
principiũ, id huius fecere finem, ut sermo ita se ha-
beat. Si uero aluo nõ purgata dederis sorbitionẽ,
magis nocebis, & qbus infra cruda deiiciũtur, q̃to

uidelicet plura dederis, magis lædes: deinde aliud
initium faciẽtes scribũt, Vbi atra bilis inest, si plus,
maior est morbus, si minus, minor. Plures uero
expositores scribunt eo modo, quo subscriptum
est. Quibuscunque cruda infra deiiciantur, atra bi-
lis inest, si plura, maior, si pauciora, minor est mor
bus. Dictum autem est antea, quòd & alii qui-
dam sunt, licitum est enim in obscuris unicuique
pro arbitrio scribere, cum nulla lex sit transcri-
bentibus posita. Sæpius autem non propter ob-
scuritatem, sed propter sermonis falsitatem cogun
tur aliquid addere prius inuentis, aut adimere,
aut scripturam transponere: ueluti exempli gratia
in hoc aphorismo, cuius uerba primi exposito-
res aphorismorum, sicuti Herophilus Bacchi-
us, & Heraclides, ac Zeuxis empirici, in hunc
modum scripsere: Quibuscunque inferius cruda
deiiciuntur, atræ bilis sunt, si plura, pluris, si pau
ciora, paucioris. Quia uero hic sermo particu-
lare quoddam interpretatur, dictus autem est tan-
quam ex uniuersali, ideo præbuit dubitandi occa-
sionem, quia id quod dicitur, quantum ad uerba
attinet nullam habet quæstionem: cum eorũ scrip-
tor uelit ostendere quibus cruda deiiciuntur, in eo
rum instrumentis quæ concoquendi uim habent,
esse atrã bilem, ex qua refrigerata deterius cõco-
quũt: & modũ incoctionis agunt secũdum crudita
tem, cui flaua bilis cõtrariũ agit. nam quæ propter
eã incocta remanent, fumosa sunt. Quidam uero,
& hunc sermonẽ etiã, de urinis dictũ arbitrantur.

LXV.

EXCREATIONES in febribus nõ intermittẽti
bus, liuidæ, sanguineæ, biliosæ, & fetidæ, omnes
malæ. Cum uero bene excernũtur, bonum est, &
per uentrem, & per ueficam, & ubi aliquid sece-
dens steterit non purgatum, malum.

Et hic aphorismus supra scriptus est hoc modo, Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, sanguineæ, fetidæ, omnes malę. Sed si bene excernitur, bonum est, & per aluum inferiorem, & per urinas. Si uero aliquid per hæc loca excernitur quod non conducat, malum. Nos uero ipsum exposuimus in quarto horum commentariorum.

LXVI.

CORPORA oportet, ubi quis purgare uoluerit, fluida facere: & si supra, sistere aluum: si uero infra, humectare.

Et huius sermonis pars prior fuit in præcedentibus scripta, non adiecto uerbo, supra, & sequentibus: quæ quispiam uolens adiicere hoc in loco, rursus scripsit aphorismum, cum expositione per quam uerus esset. Quod autem sit altera expositio uerior, quam nos multa experientia inuestigauimus, dictum est superius † in quarto commentariorum.

Vide ne sit legendum in secundo.

LXVII.

SOMNVS, uigiliæ, utraq; modum excedentia, morbus.

Et hic aphorismus in quibusdam exemplaribus fuit interiectus, qui prius dictus est totus eisdē uerbis, præterquam in fine. hic enim morbus, illic autem malum scribitur, quæ est scriptura longe melior.

LXVIII.

IN FEBRIBVS non intermittentibus, si exteriora frigent, interiora uruntur, & febris habeat, letale.

Et hic aphorismus incassum scriptus est, cū melius supra dicatur, sine uerbis illis, & febris habeat.

Nam cum in principio dixerit, in febribus non intermittentibus, uana rursus in fine sermonis adiectio, & febris habeat.

LXIX.

IN FEBRE non intermittente si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si nō uideat, si non audiat, & iam debilis sit, quicquid horum fuerit, mors prope est.

Et hic aphorismus antea dictus est, his uerbis: In febre non intermittente, si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si non uideat, si non audiat, & iam debilis sit, quicquid horum fuerit, mors prope est.

LXX.

A PITVITA alba, aqua inter cutē superuenit.

Quod dicitur tale est. Quibus in uasis, & in totius corporis habitu pituita alba fuerit aceruata, his aqua inter cutem, quæ leucophlegmatias ab alba pituita nomen habet apud græcos, superuenit.

LXXI.

AB ALVI profluuio, difficultas intestinorum.

A communi uidelicet subaudire oportet, superuenit, abrasis paulatim intestinis, deinde in profundum malo subeunte, atque ita ulceratis. Prius uero in aphorismo legitimo melior scriptura est, hoc modo. A sincera deiectione, difficultas intestinorum, & nos hunc aphorismum exposuimus † in quarto horum commentariorum.

In septimo potius.

LXXII.

A DIFFICVLTATE intestinorum, leuitas intestinorum superuenit.

Et hic aphorismus est pars prius dicti, per hæc

uerba. Qui lienosi à difficultate inteſtinorum cor-
ripiuntur, his ſuperueniente longa difficultate inte-
ſtinorum, aqua inter cutem ſuperuenit, aut læuitas
inteſtinorum, & pereunt. Nos uero ipſum expo-
ſuimus in ſexto horum commentariorum.

LXXIII.

A CORRVPTIONE abſceſſus oſſis.

A communi hic quoque ſubaudiendum eſt, ſu-
peruenit. Vtrum uero ad oſſis corruptionem, ipſi-
us oſſis ſequatur abſceſſus, uel carnis circunſtan-
tis, nõ manifeſtauit. Vtrunque autẽ poteſt eſſe uer-

LXXIIII.

A SANGVINIS uomitu, tabes, & puris purga-
tio ſupra.

In tabe fluctio ex capite, in fluxione alui profu
uium, in alui profluuio adſtrictio purgationis ſu-
perioris, in aſtrictione mors. In pluribus exempla-
ribus, & apud plures expoſitores ſcriptum eſt. In
ſanguinis uomitu corruptio. In quibuſdam tamen
exemplaribus hæc habetur ſcriptura, In uomitu
ſanguinis, tabes. Videntur autẽ & hæc ex pluribus
Hippocraticis enuntiationibus fuiſſe collecta, &
corrupte cõpoſita, ab illis præcipue aphorismis:
In ſputo ſanguinis, puris ſputum, & fluxus, cum
uero ſputum retinetur, moriuntur.

LXXV.

QVALIA fuerint ueſicæ, aut alui excrementa,
& ex carnibus, & ſicubi alibi à natura corpus exie
rit, ſi parum, paucus eſt morbus: ſi multum, mul-
tus: ſi ualde multum, letale eſt.

Hic ultimus aphoriſmus in multis exemplari-
bus ſcriptus eſt: in quibuſdam uero, & alii adiecti
ſunt, apparati eodẽ modo quo & illi omnes quos
decurrimus ex legitimis ita concinnatos, ut nõnul-

li eiſdem uerbis ſcribantur, nõnulli parum uarient,
nonnulli parua facta adiectione, ſimiles ſunt his
quos ſcripſit Hippocrates. Quare nos neq; ipſos
duximus adiiciẽdos, nam neq; hic ſtatim propoſi-
tus aliquid plus nobis oſtendit his quæ ſæpius
Hippocrates manifeſtauit. Sed & modus interpre
tandi haudquaquam Hippocrati conuenit. Nam
qualia ueſicæ fuerint, aut alui excrementa, redditio
ne indigẽt. Sũma tamẽ ut dixi uera eſt, nã ſi paruus
ſit à natura exitus in quauis parte, minorẽ morbũ,
ſi uero plus, maiorẽ, ſi uero admodũ multus ſit à
natura receſſus, mortalẽ debemus morbũ iudicare

GALENI CONTRA LYCVM LI-
bellus q̃ omnino nõ errauerit Hippocrates
in eo aphoriſmo, Quæ creſcunt pluri-
mum habent innati caloris. Victo
re Trincauelio interprete.

NOn eſt ſanè aut Lycus, aut qui-
uis alius, qui idipſum facere
uoluerit, q̃ contra Hippocra-
tẽ ſcripſerit, accuſandus: atque
adeo longe etiã minus illi ac-
cuſandi ſunt, qui quum ea quę
Hippocrati perperam crimini
dant diſſoluere poſſint, his qui
utriuſque libros lecturi ſunt tanquam iudicibus cõ
ſtitutis, defenſionem ſuſcipiant: idq; in primis quũ
ii qui criminantur adeo anteaq̃ ea quæ ab eo di-
cũtur nouerint, ſint inſolentes: qui uero defendit ap
prime ſit decretis antiqui iſtius authoris eruditus.
Lycus itaq; cõmẽtarios edidit, q̃bus Hippocratis
aphoriſmos expoſuit, ubi iſtius uiri decreta utrinq;
deprauat, tũ qua parte accuſat, tũ ẽt qua nonnulla
eorum q̃ ab ipſo dicta ſunt, laudanda cẽſet: atq; ẽt

nihilominus in his, in quibus illi contradicere aggreditur. Nam quæ Lycus laudat, sua sunt potius commenta, quàm Hippocratis decreta: ex his uero quibus illi cõtradicit, iam ipse se prodit uel prima etiam elementa Hippocraticæ artis ignorare. Siquis uero fuerit scientiæ elementorum ignarus, is nequaquam præterea illius artis, aut eorum quę ab ipsa prodeunt, syllabas nouisse poterit. Iam itaque si primus ego, aut solus dixissem Hippocratẽ censere animantium corpora ex calido, frigido, humido, & sicco esse constituta, uererer equidem Lycum accusare, ꝙ antequam artis Hippocratis elemẽta perdisceret, librorum ipsius expositiones conscribere esset aggressus: nam neque eos qui decretis contrariis addicti sunt, neque qui ne prima quidem quæ utilia sint artis præcepta norunt, consentaneum est ut aphorismos exponant. Profectò in quem modum illi ab ineunte ætate didicerunt, ita ipsius decreta aut laudant aut damnant. Lycus autem adeo est Hippocraticæ artis imperitus, ut ego uel primis lectis suorũ in aphorismos commentariorum expositionibus, non potuerim (deos omnes testor) ferre ut reliquum libri illius legerem, tantum mihi uisus est ab antiqui magistri sententia aberrasse. At uero quum quidam ex nostris amicis me rogaret, ut saltem ea uellem audire quæ in eum aphorismum scripsit, qui ait, Quæ augentur plurimum habent innati caloris: moxq́; alii quàm plures efflagitarent, ut illius responderẽ obiectionibus, hac tandem necessitate coactus, in hunc me sermonem dedi. Quò autem facilius illi qui nobis iudices futuri sint, ea quæ ab ipso dicuntur, atque etiam illa quæ à me contra ea ipsa dicẽda sunt, percipere possint, necesse est me nonnulla præfari. Quòd in nobis calor habeatur, id omnes aperte sentiunt: An autem is suum ex cordis ac ar-

teriarum motu ortum habeat, uel potius sicut insitum cordi est ut moueatur, ita etiam & calor, dissentiunt inter se medici. Si quis autem sit qui scientifice cupiat perdiscere, initia generationis omniũ animantium esse calidum, frigidum, siccum & humidum, is librum à me scriptum habet, in quo quid de hoc senserit Hippocrates exponimus pariter atque demonstramus: cui libro titulus est de elementis ex sententia Hippocratis. hũc alii sequũtur de temperamentis, in quibus aperuimus quænam corpora maiorem calidi elementi portionẽ consequuta sint, & quæ minorem: quodq́; ob id eorum nonnulla calidiora natura, nõnulla frigidiora facta sunt. Nobis siquidem uniuersis insitum est elementum calidum ex primo statim quem à semine ac menstruo sanguine habuimus ortu: hac tamen ratione mutuo differimus, ꝙ alii aliis magis minusve calidi sunt: huiusce tamen latitudinis sunt fines quidam, ultra quos si temperamentum prouehatur, sit nobis opus aut ægrotare, aut interire. nam si ulterius refrigeremur, in frigidos illabimur morbos: si extra sanitatis ambitum incaluerimus, in febrem incidimus. Iam & febrium aliquæ exquisite siccæ sunt, quem ad modum †hecticæ: aliæ in summo humidæ, ut quæ typhodes uel helodes appellantur. Quod si cuipiam illas ita nominari displiceat, aut huiuscemodi nuncupationes soliti sint alteri cuipiam rei accommodare, ego nunc hoc ipso sermone explicabo quas febres humidas dicam. Porrò statim à prima die ægrotantes sudant, neque tamen in his sudoribus aut mediocriter, aut ullo pacto leuantur, has febres humidas appello. Siccas uero contra, eas febres nomino, ubi sitis ualida adsit, lingua arida, cutis uero iuxta ac corium dura, & squalor in uniuerso corpore plurimus. Sunt præterea & aliæ quædã febres, quæ uniuersi

A libi legitur κοω'σοι .i. ardores.

FEBRES { humida / sicca

corporis transpirationem molestam reddunt tangentibus,ut pungi ac morderi uideantur:id quod fit bifariam,nam quandoque aereum quid siccum nobis occurrere uidetur, nonnunquam uero humidum ac ueluti uapor quidam. Sed & sanorum temperaturæ huiusce modi inter se differentiis distinctę sunt,illæ inq̃ quas esse intemperatas dicimus,quarumq; naturalem intemperaturam,quoad fieri potest,emendamus. Nam & id est non exigua artis tuendæ ualetudinis pars. At uero quæ suapte natura bene tẽperata sunt corpora,in his nihil eiusce modi se offert:ea etenim adeo exacta temperie cõstãt, ut nullum habeant,quem ad modum senes refrigeratiq;,caloris defectum:nullumq; habent excessum,ut illi qui uel plus æquo laborarunt,uel diutius sub sole æstiuo uersati sunt:atque etiam longe minus horum calor mordacis aut molestæ cuiuspiam qualitatis particeps est. Et sanè,ut ea quæ dicũtur,clarius percipi possint, non ab re erit,si balnearum meminerimus:in quibus unica reperitur mediocris temperamenti formula,intemperierum uero q̃plures. una nanq; est balnearum intemperatiũra,ubi frigidiores sunt q̃ sit ex usu:altera uero, quũ eò incaluerint, ut iam molestiam afferant:tertia autem,quando neque calorem neque etiam frigus accusamus,uerũ ob id eas culpamus,q; plenæ uapore sint. Quis enim est,modo homo sit,qui nõ nouerit,non modo aquã aliquando bene temperatã, sed & aerem perinde ac illa, & uaporem, necnon & in ipsis balneis eodem modo lapides reperiri,in quibus facile uolutari possumus,nullo nec calore insigni,nec frigore culpato,neque ariditate,neque etiam nimia humoris copia. Vt igitur in aqua,& lapide,atque aere,moderatus nonnunquam reperitur calor,ita & in uapore quoque,quo sic temperato si balneæ repleantur,egre huiusce modi balneas

ferunt qui in eis lauantur,ac conqueruntur, neque tamen eas aut calidiores,aut frigidiores appellant. Quòd si eis præterea huiusmodi quippiam accesserit,duplices de balneis habentur querelæ: nam eas & frigidas aiunt & uapore refertas, sicuti & calidas immoderate, & non sine multo uapore. Hæc itaque semper meminerimus,neque à superuacanea quadam sapientia, quam nonnulli ostentant,decepti,ea deprauemus,quæ ab omnibus in uniuersum hominib⁹ pspecta sunt: Immo si aliquã do quempiam dicentem audierimus huiusce animalis temperatum esse calorem,illius uero intemperatũ,balneas memoria repetentes,non ad aliud quippiam cogitationem conuertamus,præterq̃ ad id quod omnes mortales quotidie respiciunt, qui integras tum in aliis multis,tum uero in balneis, quarum nuper meminimus,cõmunes notiones custodiunt. Nempe ii calidas esse balneas dicunt,itẽ & frigidas, rursusq; & uapore plenas,uel etiam siccas & aridas,singulis his nominibus rem aliquam peculiarem indicantes. Sunt præterea & aliæ balneæ quæ fumo plenæ sunt,& eo quidem, qui mehercle multarum sit specierum:nam alius ex lignis quercinis ortum habet,alius ex ficulneis, alius ex oleagineis,& pro unaquaque arbore alius atque alius. nihil tamen in præsentiarum particulatim omnes persequi differentias operæpretium est,cũ mihi possit esse satis uniuersum hoc unum genus una comprehendere tum appellatione, tum intellectione, ut dicamus fumidum esse balnearum aerem, nec alioqui in eis aut calorem, aut frigus damnemus: aut, quem ad modum fieri etiam potest, ut utrunque simul accusemus, nempe quòd & calidæ, uerbi gratia, atque fumidæ sint balneæ. Sed missas iam balneas faciamus,

& ea quæ quotidie noſtris in ædibus nobis eueniũt ad memoriam reuocemus. Ædium in quibus degimus humiditatem accuſamus quãdoq; : aliàs autem nimium frigus, aut nimium calorem. An ne igitur eodem culpamus modo ædiũ aerem, quũ æſtus uehementiſsimi ſunt canicularibus diebus, atq; dum fumo repletæ ſunt? An hic quoque perinde ac in balneis quandoq; nulla eſt earum in calore differentia, quarum aer hoc tantum nonnunquã habet q calidus eſt, nonnunquam uero q prætea rea fumidus etiam ſit. & ſanè qui tantum calidus eſt aer lachrymas nunquam excitat: qui autem fumo refertus, quanuis moderate fuerit calidus, id ſemper efficiet. Vnde hoc liquido cõſtat, calidum quod mordax ſit, non eo differre q magis calefaciat, ſed re quadam alia. Sic quandoq; dum flãmæ cuipiam, quæ fumo careat, proximi ſtamus, ſæpe ita incaleſcimus, ut paulo minus uramur: nullus tamen ullam ſentit mordacitatem, nec alicuius oculi illachrymantur, quod tamen ſolet ex fumo fieri. Porrò mirum eſt, ſi differentia qua flamma à fumo diſtat, ſic alicui conſpicua ſit, in noſtris autem corporibus, omnino ſenſus effugiat: quum tamen in nobis calor aliquando ita uehemens ſit, ut flammæ ſit ſimilis, aliquãdo uero acris & mordax, qualis eſt fumi. Nec minus etiam mirabor, ſi nolit qſpiam concedere intemperaturas caloris in animãtibus è proportione illis reſpondere, quæ in balneis aut ædibus reperiuntur. Quare ſicuti in ædibus alius eſt aer fumidarum ædium, alius earum quæ tantummodo calidę ſunt: ita etiã ab his quoque euidenter ille diuerſus eſt, in quo plurimæ lucernę accenſę aut faces ardent, unde fuligo manat. & proinde ut priorem fumoſum aerem uocamus, ſic & hunc fuliginoſum, qui ex materia plenè exuſta fit. fumus etenim fuligoq; , etſi utrunq; flammæ ſit excrementum, hac tamen ratione differunt, q fuligo exhalatio eſt materiæ terreæ plene exuſtæ: fumus uero neq; plene exuſtæ neque terreæ, ſed eius quæ ſemiuſta ſit, & ex mixtura humidæ ac terreæ ſubſtantiæ conſtet. Itaque ſi legitime qs Hippocraticorum decretorum fuerit eruditus, is etiam didicit, eam quæ iam à medicis ferè omnibus tranſpiratio ſenſibus inconſpicua ſolita eſt appellari, qua diffiantur corpora, tum uapori ſimilẽ eſſe, tum ſicciori aeri, tum etiam quæ cum talibus excidit humiditatibus, quæ ſenſu percipi poſſunt.

Deſiderantur aliqua.

Hæc quidem dictio ex his eſt quæ à Lyco literis tradita ſunt ad aſtruendum, q alius calor ab alio calore nihil differat, quæ ita ſe ipſam deſtruit, ut nullam externam deſiderare uideatur reprehẽſionem. Nam quid, quæſo, id eſt quod ipſe ait, calidũ qua calidum intelligitur, nullam habet cum alio calido diuerſitatem. Nempe ſi id quod ille dicit, qua calidum intelligitur, nihil habet quod alio qui in ea oratione ſignificet, omnino erit auferendum. At ſi prẽterea aliquid ſignificat, hoc aperte inſinuabit, hac quidem ratione nihil calidum a calido differre, ſecundum autem aliquid aliud differre. quia ſi nulla unquam ratione differt, ſuperuacanea ea eſt adiectio, qua calidum. Quod ſi in aliis quidem non differt, in hoc uero differt, in ea qua differt ratione differentias intelligamus. Quoniam ſi quælibet res eo tantum modo erit conſideranda, quo ſic appellatur, ſtatim rerum omnium differentiæ erunt auferendæ. nam animal, qua animal dicitur, ab alio animali minime differt: neque planta, qua planta apprehenditur, ab alia planta in nullo differt: aut arbor qua arbor, intelligitur, quicquam ab alia arbore diſtat. Nunquid ergo non ſunt anima-

lis differentiæ uolatile, pedestre, & natatile, & præterea aquatile, terrestre & aereum, aut mortale & immortale, aut rationale & irrationale, aut domesticum & siluestre, aut timidum & audax, aut aliarum quæcunque nobis notæ sunt: nam cur nimis sermonem in his protrahere oportet? Sic & plantarum alia quidem arbor est, alia frutex, alia spina, alia herba, alia subfrutex. Vel potius omnia quidem, etsi quatenus animalia esse cogitamus, nullã habeant differentiam: potest tamen aliquis uerissime affirmare & has omnes, quas nuper recensui, esse animalis differentias, & alias insuper multas. Nec secus in plantis se res habet. nam neque planta eo differt à planta, ꝙ hæc rationalis sit, illa uero irrationalis, uel ꝙ uolatilis sit, aut pedestris, neque tandẽ alia quapiã ex illis quas diximus differẽtia. Sic ẽt animal ab animali non ideo distat, ꝙ hoc q̃dem frutex sit, illud uero spina, aliud arbor, aliud herba, aut subfrutex, aut cedrus: ad genus siquidẽ plantarũ huiuscemodi partitio pertinet. Atqui uel ipse Lycus literis plures morborum tradidit differentias: & tamen morbus à morbo, qua morbus est, nihilo differt, quem ad modum neq; symptoma à symptomate, quatenus symptoma est: quorũ tamen ipse differentias multas describere tentauit, sic & pleuritidis, nec minus etiam singulatim morborum aliorum omnium. At uero pleuritis, quatenus pleuritis est, in nullo à pleuritide differt: uerum nihil hoc obstat quin hæc quidem dolorem habeat ad iugulum usque permeantem, illa uero ad præcordia: ita etiam inter pleuritides, aliquæ sunt in quibus sputum coloratũ inspicitur, nõnullæ autẽ iis cõtrariæ sunt, quas aliqui ἀπὸ στόμου hoc est citra sputum nominãt. Sed & aliæ plures earũ sunt differentiæ, unde euenit sæpe ut & curationis ratio uarietur. At ut & has dimittamus, non ne ipse

met Lycus conatus est ipsarum febriũ differentias nos docere? quæ siue ortum ex caloris habeant excessu, siue ex eiusdem mordacitate, nulla sanè inter febrem & febrem, qua febres sunt, potest intercedere differentia. Quapropter eò rudis est hæc ratio, quam Lycus interrogat, ut ipse non animaduertat, quòd uniuersas artes euertit, quum artis cuiuslibet constitutio à cognitione differentiarum rei cuiuscunque prodeat. Id quod Plato in Philebo statim in libri initio copiose pertractauit, quem Aristoteles & Theophrastus Mnesitheusq; sequuti sunt: nec quisquam est qui de arte quicquam scripserit, qui huic rationi non consenserit. Sunt autem uerba quæ prima protulit Plato de artium cõstitutione, hæc. SOC. Est profectò nobis uox una quæ ore profertur, quæ item dum omnium ac uniuscuiusque est, infinita multitudine est. PRO. Quid ni. SOC. Neutrum tamen horum nos reddit sapientes, neque si quod in ipsa infinitum est sciamus, neque si quod unum: sed si qualia & quot ipsa sint, nouerimus, id nos grammaticos perficiet. PRO. Verissima sunt hæc. SOC. Iam & hoc ipsum etiam est quod musicum efficit. Pro. Quonam pacto? SOC. Nempe quantum ad eam artem spectat, uox in ea una est. Pro. Cur non? SOC. At duo ponimus, graue siquidem & acutum, ac tertium deinde quod æquali constat tono: aut quo alio modo? Pro. Hoc sanè modo. SOC. Nec dum tamen sis in musica sapiens, si sola hæc teneas. quòd si neque hæc etiam scias: ut ita dicam nihili profectò sis. Pro. Minime quidem. SOC. Sed simul atque, o amice, interualla quæ ad acumen & grauitatem uocis attinent, quot ea numero sint & qualia apprehenderis, necnon interual-

lorum terminos,& quæcunq; insuper ex his coag »
mentationes constitutæ sunt. Hæc prisci illi quum »
perspecta haberent,nobis,qui eos sequuti sumus, »
tradiderũt,ut harmonias appellaremus. Rursusq; »
in corporis motionibus eiusmodi etiam reperi »
untur affectiones,quas numeris metimur, & pro »
inde rhythmos ac metra nominari instituere. Id »
præterea cogitandum reliquerunt, quòd in hunc »
modum de quacunq; re quæ una sit atque plures, »
instituenda est consideratio. Nam quotiescunq; 10
hæc ipsa hoc modo tenueris,iã sis sapiens. Quòd »
si rem quampiam aliam hac ratione,quæcunq; illa »
sit,tibi disquirendam proposueris,tũc in ea re pru »
dens sis effectus. Hæc uel sola Platonis uerba au »
ditoribus qui mente sunt bene affecti,poterant esse
satis ad ostendendam cuiuscunq; artis constitutio
nem: quum nullo modo possit quisquam cuiuspiã
rei artifex euadere,nisi eius differẽtias prius callue
rit. Sed non erit ab re,ut imitati Platonem,qui non 20
satis esse putauit summatim hoc negotium & per
capita tradidisse,nisi claritatis maioris gratia,exem
pla grammaticæ,ac musices addidisset: & nos exẽ
plum ex pictoria arte depromptum afferamus:
cui materia subiecta colores sunt. Porrò & hic
quoque possumus dicere,q̃ color à colore nihil,
qua color est,differt: quo fieret ut uniuersæ in ip
sis tollerentur differentiæ,id quod etiam ipse Pla
to in Philebo inter initia insinuauit. Socrati enim
qui uoluptates partiebatur, is qui cum disputabat
nequaquam concedere uolebat, uoluptates om 30
nes inter se,qua ratione uoluptates sunt, differre:
quippe quòd simillimæ ipsæ sint. At illi Socrates
se his uerbis opposuit. Profectò,o uir beate,color »
omnis hac ipsa ratione nihil à colore differt, qua »
unusquisq; color est: id tamen omnes nouimus à »
nigro colore album,non modo esse differentem, »

uerum

» uerum etiam maxime contrarium. Sed iam & figu
» ra cum omni figura,quantum ad id pertinet, uno
» & eodem genere continetur, quum tamen partes
» eius à partibus, aut q̃maxime differentes, aut etiã
» maxime cõtrariæ sint: atque plurima inuenias quæ
» sic se habeant,ut tandem huic rationi nulla sit fi
» des adhibenda,quæ omnia uel etiam maxime cõ
» traria unum efficit. His uerbis ea prosequutus est
» quæ ad colores & figuras pertinent,istis uero quæ
ad uoluptates. Voluptate quidem & eum affici di
10 cimus,qui incontinens est,& præterea qui est teme
» perans ipse quoque uoluptate,hoc ipso q̃ tempe
» rans sit,tenetur: uoluptatem etiam,qui insipiens &
» uana quadam spe plenus est,ex suis illis insipienti
» bus opinionibus percipit: & sapiens quoque affici
» tur uoluptate ob idipsum quod sapit. Quis uero
» est,qui non merito sit insipiens habendus, si uelit
has inuicẽ qualitates esse similes affirmare? Porrò
sicuti paucis Plato in hac oratione uoluptatũ diffe
rentias exposuit,latius uero illas in uniuerso eo li
20 bro prosequutus: ita in duabus libris, Sophiste &
Politico alias quæ scientiarum sunt. Num igitur
scientiarum,uoluptatumq; differentiæ multæ repe
riuntur, pariterq; & colorum,atque etiam figura
rum,& tonorum qui in uoce sunt,præterea & æta
tum, temporum anni, necnon & regionum,&
morborum,atque reliquarum rerum omnium,so
lis uero calidis aut deerunt omnino, aut siquæ
sint,illæ nequaquam possunt ab hominibus perci
pi: At ratio Lyci (ut ipse quidem,putat) solius cali
30 di,sed re uera rerum pariter omnium differentias
tollit,si ipsius rationis uis undequaque potest simi
liter protendi. Nam idipsum ego & de humidis
dicam,nempe nec ista, quatenus humida sunt,in
ter se differre asserens. Hoc uero maximũ est eius
erratum,q̃ artes omnes aufert,quippe quæ consti

tutionem ſuam in ſpecierũ differẽtiis habeant. Et ſanè Plato cum ſummatim quædam de artium cõſtitutione præfatus eſſet, ea exemplo explanauit, oſtendens q̃ grammatica in cognitione differentiarum quæ ſunt in uocibus, conſiſtit. Lycus uero & hanc artem deſtruit, & pariter etiam Muſicam, & cæteras tandem omnes, dum pronunciat, quatenus ut hoc ipſum eſt conſideratur, nullam habet in ſe differentiam. Iam igitur attendere operæpretium eſt, quo pacto Lyci ratio Grãmaticam primũ, mox & reliquas artes omnes euertat. Vt mihi quidem uidetur neque fieri neque etiam comminiſci quiſquam poterit, ut uox ipſa, dum conſideratur ut ſic, uidelicet intelligitur, iuxta inquam pronuntiationem ipſam, aliquam habeat diuerſitatem cum alia uoce, uel ſecundum proprietatem aliquam, uel ſecundum illam qualitatem quæ in prolatione conſiſtat. Et hæc quidem ratio eadem penitus eſt cum ea quam inter initia uerborum Lyci deſcripta eſt, & ex illis eiſdem Lyci uerbis conficitur, hoc ſolo mutato, q̃ calidi nomen in uocis uocabulum translatum eſt. Et proinde ſi illa recta eſt, recta eſt & iſta. hæc uero nequaquam recta eſt: quare nec illa. Niſi forte illi qui cum Lyco ſentiunt, arbitrentur, ε, non eſſe uocem aliam ab, ο, neq; ο, ab, ω, differre. q̃ ſi has inter ſe differre conceſſerint, & præterea α & υ reliquas q̃; inſuper literas omnes: iam illæ erunt uigintiquatuor, & harum differentias cognoſcere ad Grammaticam attinebit, ſicuti ad Muſicam artem acutum & graue quæ ſunt in uocibus, & hæc tamen nihilo ſecius Lyci ratio aufert, nam nihil à uoce uox, qua uox eſt, differt. quum tamen mediæ chordæ tonus ſit acutior q̃ eius q̃ lichanos græce appellatur: grauior uero q̃ illius quæ parameſe dicatur. Iſtarum uero rurſus lichani tonus acutior tono eſt quam ſit parypate meſon: parameſes autẽ tonus ſemitonio grauior, q̃ ſit illius q̃ trite diazeumenon eſt, & his etiam alii tum acutiores tum grauiores ſunt, & his item alii, donec ſit ad grauiſſimum & acutiſſimum omnium deuentum. Admirabilis autem Lycus nequaquam animaduertit ſe hæc omnia de medio tollere dum ait: Mihi uidetur neque fieri, neque excogitari poſſe, ut calidum, dum ea ratione conſideratur, qua ſic intelligitur, ſecundum inquam ſuam calefactionem, aliquã habeat cum alio calido diuerſitatem. Profectò pulcrum hoc eſt q̃ dicat aliquis colorem, qua color eſt, nihil differre, nec ille mox deſtruat pictoriam artem: quæ rubrum colorem, albumq̃; & nigrum, & præterea flauum & alia id genus ob oculos ponit. Atqui hæc illius ratio, ſi ad colores referatur, probabilior futura eſt, quàm ſi, ut nunc factum eſt, calido accommodetur, quippe quod calidum à calido differre quidem affirmamus, non tamen eo ut ſint omnino cõtraria. A colore autem colorem nedum diſtare, uerum & natura inter ſe album & nigrum maxime contrarium eſſe autumamus. At forte dicet hic Lycus: quo uero fieri modo poteſt ut color, qua ratione intelligitur, ſit colori contrarius, color exiſtens? Deos teſtor quod & id ueriſſimum eſt, colorem à colore, quantum ad coloris rationem attinet, nihil diſcrepare: Verũ ſicuti hoc ipſum, ita illud etiam haud minus ueritatis continebit, album nimirum non modo diſtare à nigro, ſed etiam eo uſque, ut illi ſit maxime contrarium. Dicent forſitan ii qui Lyco addicti ſunt: ecqui hoc fiat, ut hæc ſimul & eadem atque etiam aduerſiſſima ſint? album inquam nigro. At nos illis ſic reſpondebimus: Si fieri nequit ut album pariter idẽ ſit atque etiam contrarium nigro, ipſi ex his duobus quod magis illis arrideat eligant. Nam Plato quidem perinde ac Ariſtoteles & Theophraſtus

putat posse aliquid quod genere alteri idem sit, eã specie habere distantiã, ut illi maxime cõtrariũ euadat. Quòd si isti hęc uera esse minime existimẽt, eligãt ergo eã partẽ illius orationis q̃ magis euidens sit: euidentior uero (quò quidem spectat ad id q̃d ab omnibus hominibus conceditur) est, ut albũ sit nigro contrarium. Quod si uerum sit, & ipsi non putant utrosque eos sermones ueros esse posse, uidelicet ut & nigro album contrarium sit, & idem: non ergo recte sentiunt, cum aiunt nihil album, quacolor est, à nigro differre. Porrò erat is forsitã uenia dignus qui cum Socrate in libris Platonis disputat, si Socratem non permittebat ut differentiis uoluptatem à uoluptate discerneret. Nam nullus adhuc liber habebatur, qui hoc doceret, fieri uidelicet posse ut multa cum aliis & genere eadẽ sint, & mox tamen eadem eatenus inter se distent, ut formam atque etiam naturam habeant aduersissimam. At quum iam fuerit à Platone Philebus æditus, si illum ne legerit quidem Lycus, admiror profectò hominis eruditionem: Si uero legit, ut tamẽ non perceperit, mira est ipsius perspicacitas ingenii: Sed si intellexit quidẽ, illi tamen non assensit, o beatum iudiciũ. O Iuppiter, reperitur qui rationes interrogare audeat, necdum tamen dialectices uel prima attigerit rudimenta? Quis quæso is uir est, modo græcus sit, grammaticus, rhetor philosophus, medicus, aut quiuis alius, qui literarum studiis operam nauet, qui Platonis Philebum non legerit? Sed quid dico Philebum? quippe quum non in eo tantummodo libro huiusce propositæ rationis Plato meminerit, uerum & in quampluribus aliis libris: quorum Lycus (si ei mens erat pertracta re rationes demonstratiuas) uel unum debuerat saltem legisse. Turpe est profectò, ut is qui Hippocratem reprehendere uelit, & eas afferre rationes,

quæ (ut ipse putat) negotium conficiant, uideatur ne illa quidem unquam didicisse, quæ prima inter philosophos tractantur. Sed Hercle admirãdũ est ipsius exẽplũ q̃d de humidis proposuit. Nã & ipsum id uult, nihil quippe ea inter se differre, quaosa humida sunt, ut tamen hæc q̃dẽ acida, illa austera, alia salsa, alia dulcia sunt, hac ratione distare. ubi ipse seipsum sanè obaudit. Dũ enim qua ratione differant humida profert, putat se nullam in eis differentiam reperiri comprobasse, ut & frustra Hippocrates eorum differẽtiam attulerit, frustraq; Theophrastus integrum de succis librũ ediderit. Porrò & hoc ipsum nomen, humor inquam, humidi quandam insinuat differentiam, quæ quãtum libet una quædã sit ex humidi differentiis, ipsa tamen ea constat natura, ut rursus in alias possit secari differentias. Non ne quæso hoc mirum est, ut Lycus qui eò ignorantiæ peruenerit, ut crediderit in aceto uim esse astringentem, ausus deinde sit Hippocrati in scriptis contradicere? Hæc sanè ita manifesta ne Anazarbeum quidẽ Dioscoridem, nec alios prẽterea qui de medica materia scripsere, latuerunt. Sæpe enim illi aliqua salsa appellant, alia salsuginosa, alia amara, alia dulcia, alia austera, alia acerba, alia astringentia, alia acria, alia acida. Admirabilis autem is Lycus aut nullam agnoscit inter acidam & astringentem qualitatem differentiam: aut ita gustandi facultate orbus est, ut nullam in succis qualitatem sentiat. Nam uidetur non aliam ex aceto, q̃ ex piro, mespilo, pomo, cydonio sensum habere: quum tamen cæteri mortales omnes aliqua poma acida appellent, aliqua astringentia, alia dulcia, quem ad modum (ut ego arbitror) & mala punica quædam acida sunt, quædam astringentia, quædam dulcia. Sic & in uinis acidus sapor & astringens, ea sunt quibus eorum uirtus à praui-

tate discernitur. q̃.n. generosa sunt, astringentis qualitatis participant: suapte tamen natura acidũ nullũ est. immo si quippiam illis acidi accesserit, ea statim suspecta habemus ne in acetum uertantur. Fortasse igitur neq; oxylapathũ neq; oxalida Lycus à lapatho & lactuca nouit discernere: q̃bus nulla sanè astringens qualitas inest, quũ tamen acidæ ambo insigniter sint participes. Mirum esset profectò ἀπὸ τῆς ὀξείας hoc est ab acida qualitate, hæc suum nomen esse sortita, cuius tamen ὀξὸς. i. acetum omnino sit expers. Iam itaque Lycus, qui ne communes quidem sensus integros seruat, Hippocratem accusare audet. Pręterea nouit ipse eam quęstionẽ quam naturales philosophi de numero saporum disquisiuere. Nam si ipsum sequamur, nihil (ut quidem uidetur) sapor à sapore, quatenus est sapor, distabit. Ego uero ab eo libenter audire cuperem, cuiusnam tandem rei hæ sint differentiæ: nempe dulce, acidum, acre, amarum, salsum, acerbum, austerũ, astringens, pingue: nisi fortassis uelit dicere, uocũ eas esse, aut colorum, aut odorum, aut etiam ex his sint, in quarũ notitiam ope tactus deuenimus. neque enim citra hos alium quempiam sensum habemus: qui sunt quinque gustus, auditus, uisus, olfactus. & quem ad modum sensiliũ alia aliis percipimus sensibus, ita sapores gustu. At uero ut in humidis multæ sunt differentiæ, sic & in sensibus quoque, qui tamen quatenus sensus sunt, in nullo differunt. Sic ergo in dialecticis q̃maxime eruditus Lycus nunquam nos dicere permittet prædictas esse in saporibus differentias, nec eas etiam in sensibus, quas tamen omnes norunt: sed neque in coloribus album, nigrum, flauum, fuscum, fuluum, rubrũ puniceum, cæruleũ: utpote ꝙ neque color etiam à colore, qua color est, differt. Insaniunt ergo medici pariter ac philosophi uniuersi, qui dictas nup̃ differentias colorũ esse putant: saporum uero aci-

dũ, amarũ, ac acre, & reliquos præterea quos pauloante explicaui, sed & sensuũ insup̃ ipsorũ, quãdo color à colore, qua color, minime differt, ut nec sẽsus, à sensu, nec sapor à sapore, et pariter neq; febris à febre, si ne calidum q̃dẽ à calido. Qui ergo medici scripsere multas esse febrium differentias, planè insaniunt: ardentem uidelicet, lypiriam, hepialã, typhodem, pestilentem, semitertianam, quotidianam, tertianam, quartanam. Lycus tamen alibi ipsemet febrium differentias literis mandauit, sicuti & aliarum ferè rerum omnium. Quid ergo ipse cogitaret nescio, quem adeo in præsentiarum latuit cæteras res uniuersas per suas secari differentias: ut ignẽ ex accẽsis paleis, quo solẽt in primis uti q̃ aurum elaborant, ab illo qui ex aliis materiis excitatur nullo modo diuersum esse existimauerit. nã & si ignis, ut ignis est, minime differat: differt tamen ꝓ maioris & minoris ratione. nihil. n. uetat quin aliq̃s ualidior ignis sit, aliquis uero imbecillior. Porrò in paleis succẽsum ignẽ infirmissimũ esse existimo, quem tamen ad aurum elaborandum esse maxime idoneum ait, funditur enim & diffluit si ualidior flamma administretur. Sed, o præstantissime Lyce (nam sic mea sententia aliquis illum interpellare potest) si naturales philosophos quo modo flammæ gignantur disserẽtes unquam audiuisses, puto ꝙ quæ in eis sint differentię percepisses. Quare ego rem hanc non utique paruam, breuioribus quantum fieri poterit sermonibus resecando, tibi exponam. Credo uideris ꝙ dum uritur materia, euaporatio in partibus inter se discretis & separatis excitatur, inter quas medius intercipitur aer, quem necesse sanè est calefieri, ut tamen plurima ibi pro maioris minoris ue ratione sit differentia: Sed & corporum quæ efferuntur, non æquales existunt intercapedines in cunctis flammis, quem

ad modum neque ipsius euaporationis natura, qp
pe ꝙ particulæ ex accensa materia sublatæ densi
tate & raritate euariant, & præterea ꝙ aliæ semiu
stæ sint, aliæ uero ustæ omnino, aut tandem ꝙ
magis minus ue ignem conceperint. Quando igi
tur tantam uidentur differentiam obtinere, & præ
terea aer qui eas cõtinet, ab illis nunc quidem ma
gis nunc uero minus concalescit: equidem putaue
rim fore necesse ut multa sit flammę diuersitas, nec
exigua etiam differentia. mixturæ siquidem inę qua
litas differẽtiarũ multitudinẽ parit. Verũ ut insci
adeo hæc Lycus de igne protulit: in eundẽ quoq
modum, postquam trifariam dixit posse intelligi
plurimum esse calorem, unumquodque significa
tum prosequitur. Ait enim multum calorem ali
quando pro ratione substantiæ posse intelligi, nõ
nunquam pro qualitatis intensione, quandoq etiã
pro actionis robore: nõ esse autem his qui crescũt
plurimum calorem, quantum ad eius substantiam
attinet, utpote quum paruam admodum corporis
molem habeant, sed nec qualitatis incremento,
quum neque uigentibus calidiores uideantur. Fie
ri attamen potest, ut functionum robore calor in
his qui augentur excedat, ut tamen id improprie
dictum sit. Sermo autem illius, quo hæc explicat,
amplissimus est. Cęterum ut in his quæ superius
retulimus, feci, sic & nũc faciundum duco. Quum
enim longissima esset illius oratio, nõ uniuersam
descripsi, sed eam tantum illius partem elegi, quæ
opportunissima esset: nec secus itaque in hac aga
mus, & transcribamus in primis eam illius partem
quæ ad nostrum institutum possit maxime esse ex
usu. Primus quidem sermo ad finem nobis perdu
ctus est, ad illum uero qui reliquus est, transeamus.
Meministis siquidem duas statim ab initio à me
fuisse quæstiones propositas, alteram, num recte

innatum apposuerit Hippocrates: Alteram, an re
cte dixerit, plurimum inesse calorem his qui cre
scunt. Iam ergo prima quæstione absoluta, reliquũ
est ut ad alteram diuertamus, atque contemplari
aggrediamur recte ne dictum sit, Plurimũ esse his
qui crescunt caloris. Porrò dum alterum calidum
cum altero comparatur, tria emergunt, quæ inquisi
tione digna sunt, atque plurimum inter se distant.
primum est, quidnam sit, calidum unum plus alte
ro esse: Alterum, quid tandem sit, aliud alio esse ca
lidius: Tertium, quid sit calidum alterum esse alte
ro ualidius. Itaque si forte quis nos interroget qua
lenam istud sit, calidum hoc plus esse illo: eadem
ratione à nobis erit respondendum, ac si cuipiam
alii respondeamus interroganti, quo modo hu
midum hoc plus sit illo. Quum igitur præsens in
terrogatio ad id quod dictum est attineat, nil aliud
est quod recte possimus respondere, præterquam
hoc unum, nempe amplius ipsa substãtia exupera
re. Profecto enim humorem ampliorem uini am
phora habet ꝙ ea dimidia. Nec alia etiã erit de ca
lido ratio, siquis hanc eandem proponat interroga
tionem, qualenam sit calidum quod altero est am
plius: non utique recte aliud quicquam responde
bimus, nisi ꝙ substãtia amplius sit. propterea enim
ꝙ plus adsit substantiæ, locum etiam ampliorem
obtinet. Atque etiam nihil obstat, ut idem & plus
calidum sit, & minus tamen sit extensum calidum:
sicuti humidum quod substantia plus est, minus
potest esse fusum. Quare sic utique recte quis huic
quęstioni respondebit. At uero alteri rursus, ubi
quæritur, qualenam sit quod alterum altero est cali
dius: commode responderi potest, quod tametsi
minus habeat substantiæ, intensiori tamen caliditа
te constat. Iuxta igitur hanc sententiã, illi qui petat
qualenam sit hoc ut altero alterũ sit cãdidius: recte

reſpõderimus,ꝙ ad albã qualitatẽ intenſiorẽ pro
uectum ſit:& proinde niuem,quæ minori ſit mole,
poterit eam quis candidiorem pronuntiare quo
cunque alio albo.Quem ad modum ſi ſciſcitetur
quis,quale nam ſit,ꝙ alterum ſit altero humidius,
recte reſponderi poterit, quod fuſum magis eſt,
uerbi gratia, aqua tum melle tum pice: quanquam
aqua in admodum modica conſpiciatur ſubſtãtia,
mel uero in redundanti.pari quoque modo inter
roganti de calido,qualenã ſit qđ alterũ ſit altero ca
lidius,recte reſponderimus, qđ in caliditate inten
tum magis eſt,ueluti ſe habet ignis,in quo parum
ſubſtantiæ inſpicitur,illiq; aliud quippiam calidũ
opponitur quod tepidum ſit,ſed ampliori ſubſtan
tia præditum. Ergo hæ ſunt reſponſiones, quæ
ad huiuſmodi interrogationes ſpectant. Quod ſi
quis quæſierit,qualenam ſit calidum alterum alte
ro ualidius,non amplius ſimilis prioribus erit affe
renda reſponſio. Nam nec quod intentiori calidi
tate præditum eſt, reſpondendum erit,neque cu
ius plus ſubſtantiæ conſpicitur: ſed quod in ope
re perficiendo excedit. Porrò id quod dixi hoc ſe
habet modo.Sunt ſanè caloris opera complura
funduntur ꝙppe ex eo nonnulla, nõnulla ẽt cogun
tur, plurima quoq; ille tranſmutat,atq; ut particu
latim dicã,in noſtris corpibus alimentũ tũ in uẽtri
culo, tũ in inteſtinis cõcoquit,qđ cõfectũ,& in cor
pus deductũ alterat,atq; corpi affigit dũ ipſum alit
adaugetq;.calor ergo altero ualidior eſt, q munia
hæc magis præſtare ualet.Is uero ſemper aut intẽ
tiori conſtat qualitate,aut pluri ſubſtantia. ſæpe.n.
qui minori eſt qualitate,minoriq; ſubſtantia,in ope
re perficiendo ualebit quammaxime. Nam ut an
tea à nobis relatum eſt, non ille qui magis inten
tus eſt,ad propria præſtanda munera,eſt etiam ua
lentior,ſed qui maxime moderatus fuerit,adeo ut

qui nimis intentus caliditate ſit, functiones nonnũ
quam lædat. Hæc ſunt quæ quammaxime fide di
gna uidentur,uobis ſuperius de caloris proprieta
te à me expoſita.Quæ cum ſic ſe habeant, & tres
ſint quæſtiones(ut antea dixi) quæ poſſunt occur
rere in diligenti alicuius calidi ad alterum compa
ratione,Vnde mox neceſſe ſit Hippocratem quo
loco dixit,Quæ creſcunt plurimum habent calo
ris innati, ex his unum commiſiſſe: nam aut ea uo
ce proprie uſus falſi aliquid protulit aut pariter uo
ce abutitur & falſum quippiã dixit:uel ut aliquid
ueri attuliſſe uideatur, oportet fateri ipſum uoca
bulo fuiſſe abuſum.Etenim ſi plurimum his qui au
gẽtur ait eſſe calorem, ratiõe uidelicet ſubſtantiæ:
ueluti ſiquis plus humidi in amphora eſſe dicat, q̃
in eo uaſe quod ad illam ſit duplum: ipſe quidẽ
recte uti ea uoce uidebitur, uerum mox neceſſe
omnino eſt illum falſum aliquid pronunciaſſe:quũ
minime in his qui creſcunt plus ſit caloris quantũ
ad ſubſtantiam attinet,nam neque in his maior eſt
corporis moles,q̃ in his qui ætate uigent,& prętes
rea in ſenibus.at innatus quippe calor per uniuer
ſum protenditur corpus.Quod ſi rurſus dicat in
adoleſcentibus plus eſſe huius intenſi caloris, qđ
altero uidelicet ſit calidius:perinde erit ac ſi quiſ
piam uelit quidem dicere niuem alio quodam è
candidorum numero, nec tamen illam dicat eſſe
alio candidiorem, neque etiam magis candidam
ſed potius plus in hoc candidi eſſe q̃ in illo. Iam
in utroque lapſus uidebitur Hippocrates,& ꝙ nõ
ſit probe uſus hoc uocabulo,& quod alioquin ẽt
mentitus ſit.Ratione quidem abuſionis uocabuli
uidetur aberraſſe,ꝙ uocabulo illo,plus,quod fuit
inſtitutum ad ſubſtantiam ſignificandam, ipſe ac
commodare uoluit ad ſignificandam qualitatem
intenſioris caloris. Videbitur uero præterea mẽ

titus,quũ in his qui creſcunt minime ſit calor qua/
litate intenſior:neque in hac ætate calidum calidi/
us ſit q̃ in quapiam alia.at ille dixit in his qui cre/
ſcunt maxime eſſe intẽſum, quod quàm falſum ſit,
nempe intenſiorem eſſe caloré in illis qui creſcũt,
facile poteſt unuſquiſque nouiſſe . neque enim
ullum reperitur indicium in corpore eorum qui
creſcunt intenſionis maioris ſecundum qualitatem
ipſius caloris . Nam quod ab eo in libro de na
tura humana allatum eſt ad probandum q̃ pluri/
mus ſit calor in his qui creſcunt , fatuum omnino
eſt,uelle nimirum hominem calidiorem priori fuiſ
ſe tempore ſumpto argumento ab augmento qđ
plurimum eo tempore fiat.ait quippe is:Nõ enim
ui & præter naturam ferretur alimentum,& con/
tra propenſionem ſui ponderis dum augetur cor/
pus, niſi res quæpiam ualida illud cogeret.Porrò
id, minime indicium eſt caloré eſſe intenſiorẽ,cæ/
terum eſſe ualentiorem . At ualentior,ut pauloan/
te expoſui,non is eſt qui ſua ipſius qualitate inten/
ſior,ſed qui maxime ſit moderatus ratione perfici/
undi operis . Quando igitur hæc ita habent,ſi in
hunc modum loquitur Hippocrates dum ait,Qui
creſcunt plurimum habent calorem innatum , ex
utraque parte ceſpitat,& q̃ male uocabulis utatur
& quòd præterea falſum dixiſſe conuincatur. At ſi,
ut tertio loco dicebam,plurimum eſſe his qui cre/
ſcunt calorem ait perinde ac ſi dixiſſet ualidiſſimũ
ad opus ſuum obeundum, quod illi euenit non ex
ſubſtantiæ multitudine,neque ex intenſione calidi
tatis,ſed ex èp q̃ maxime moderatus ſit: perperã
quidem eo uocabulo uſus uidetur , dum plurimũ
dixit eſſe calorem,quem dixiſſe debuerat ualentiſ/
ſimum,recte tamen id uidetur ab eo eſſe dictum.
Nam ut à calore innato augmẽtum perficitur:ſic
ratio dictat fieri minime poſſe,quin is in adoleſcé/

tibus ualidiſſimus ſit. Atque ita mihi id recte pro/
nunciatum uidebitur,quod in libro de natura hu/
mana literis traditum eſt . Neceſſe eſt ut corpus
quod creſcit,atque ui progreditur,calorem habeat
ualidiſſimum. Qualiſcunque fuerit Lyci ſermo,&
ſi in longum admodum protenſus ſit,nihil tamen
ultra ea quæ à nobis prius expoſita ſunt,attulit:nẽ/
pe q̃ ſi Hippocrates dixit plurimum eſſe creſcen/
tibus innatum calorem,id metitus mole ſubſtantiæ
arbitratur illum aberraſſe,quũ infantibus perſpicue
minus corpus ſit. At ſi ratione intenſioris calidita/
tis, adhuc ea quæ apparent id oppugnare uiden/
tur. Quòd ſi ob id quod in opere ſit ualidior,uerã
quidem hanc ſententiam eſſe concedit,illum tamẽ
aſſerit perperam ea uoce fuiſſe uſum, qui non plus
caloris , ſed ad opus peragendum ualidiorem in
augeſcentibus calorem eſſe,dixiſſe debuerat.Sed,
o præſtantiſſime Lyce , dicere (ut ego arbitror)
poterit quiſpiam qui illis reſpondere,quæ Lycus
Hippocrati uitio dat,inſtituerit:nõ hæc quæ ab eo
dicuntur praua ſunt. Nam primum calor amplior
ſecundum ſubſtantiam , non eſt omnino uniuerſi
corporis mole diiudicandus:immo,ut Lycus ipſe
alibi ubi protulit cerebrum homini eſſe maximũ,
haudquaquam ſic abſolute magnitudinem reſpi/
ciens ita locutus eſt,uerum ex comparatione ani/
mantis cum animante. Quem ad modum igitur
adeo puſillum puerulũ ille maximo elephante ce
rebrum maius habere pronuntiauit,ut tamen cor/
poris moli minime animum intenderit , uerum &
illi addidit,eſſe ẽt proportionẽ aſpiciendã:ita erat
in corpis calore faciendũ, ut uidelicet cõſideraret
qualenã ex corporibus quæ in nobis ſunt,illud ſit
quod innatum eſt, hoc eſt primogeneũ (ἀρχέγονον
græce dixit ipſe)nam & ipſe etiam ſcit ,nomẽ hoc
in libris Hippocratis ſcriptũ haberi,atque id,cor/

pus significare, quod statim ab exordiis, hoc est ex eo tempore quo primum ortum habuere, his qui gignuntur præsto est. Num ergo quippiam aliud est q̃ menstruus sanguis ipsumq̃; semẽ? Nam ego præter hæc nihil sanè tertiũ noui. Porrò ut corpis substantia eorum quæ gignuntur, ex his initiis cõstat: ea quæ exquisite eorum prima est constitutio, profectò ex pluribus haud erit corporibus, q̃ ea sint quæ modo relata sunt, uerum ex illis solis. Sed quid dico exquisite prima? Si enim ad memoriã reuocare uoluerimus qualemnam esse sex dierum genituram Hippocrates exposuit, aperte perci piemus, adhuc in ea seruari innatum corpus, prius siquidem q̃ aliqua ossis natura, uel uenæ, uel arte riæ, uel chartilaginis, uel ligamenti in fœtu appare at, solum illi calidum atque innatum corpus inest. informis quippe atque mollis caro similis ferè san guinis grumo primam excipit fœtus formam, quæ nonnullas in se (ut ait Hippocrates) αἱ μαλωπας ac si uirus dicas, ex seminis substantia seruant, per manente adhuc in ea candore: mox uero multa iu giter in ea intercedente alteratione, ossis quædam delineatio, chartilaginis, ligamenti, nerui & arte riæ, atque uenæ absoluitur: quo sanè tempore ca lore præterea permanente, corpore iam prædi ti sunt fœtus, quod tamen semper dum crescũt fœ tus, amplius ac maius fit: cæterum innatum in illis calidum, quod sanguis fuerat & semen, minus sem per euadit. Atqui uaria quoque aduentitia accedũt corpora, vt horum tamen nullum sit animantibus innatum, uerum aduentitia omnia. Et sanè si fieri posset ut uniuersum animal ossẽum fieret, aut ner ueum: innatus utique calor hac ratione interiret. Sed id nequit fieri, potest ueruntamen esse ut ossiũ, chartilaginum, ligamentorum, neruorum, arteria rumq̃; substantia exuperet, unde animantia quæ ad

ultimum prouecta sunt seniũ, ut minimum habẽt sanguineæ naturæ, sic ex solis propemodum ossi bus, neruis, membranis, ligamentis, arteriis, uenisq̃; & chartilaginibus constant. Ex omnibus enim ani mantium membris, caro sola sanguinea est, qua ta men minima, quæ iam senuere, prædita sunt, & ea quidem dura, & cui non multus insit sanguis: cæ tera uero membra nuper exposita, sanguinis exper tia sunt. Quare non est ita absolute substantiæ mo le quantitas innati in nobis corporis æstimanda, quòd ab efficacissima suarum qualitatum, innatus calor uocitatus est: uerum ex comparatione ad ea quæ minime sunt innata, proportio est perpenden da. Sicut enim in balneis uaporẽ, aut fumum, uel ta le quippiam alterum multum dicemus, non ita om nino ad ædium amplitudinem id referẽtes, sed ad peculiarem balnearum aerem: ita & in homine di cemus plurimam esse substantiam innati caloris, aut etiam paucam, ad ea corpora instituta compa ratione, quæ innata non sunt. Omnia etenim infans quammaxime habet sanguinea, adeo ut in ossibus quippiã huiusmodi uideatur repræsentari. Contra uero senes adeo omnia exanguia habent, ut uel ẽt carnes: nam & hæ minimum sanguinis obtinent. Quod si calidum corpus nobis innatum sanguis est, confici ex his poterit, illis qui crescunt pluri mum inesse calidi corporis nobis innati, senescenti bus uero minimum. Nec secus etiam semen quod ex seroso humore & spiritu qui in eo contine tur, constitutum est, quàm maxime paucum in senibus est, plurimum uero in his quæ crescunt cor poribus, & inter hæc quammaxime in his quæ nu perrime ortum habuere: ut in commentariis de se mine monstrauimus. At forsitan dubitas, num cor pus eorum qui augentur, facile absummatur & dif fluat: Porrò id ipsum in aliis te minime latet, aqua

siquidem quæ incaluit,uel oleum,aut aliquod aliud pariter humidum,breuissimo tempore in halitus prorsus digeritur: qđ tamen nec in terra,nec in lapide,neque in quoquam alio quod frigidum & siccum natura sit,ita fieri deprehendas. Sunt quippe in rerum uniuersitate qualitates duæ,quæ promptissime se habent ut per halitus digerantur, caliditas & humiditas: ita contra aliæ duæ,ut perdurent & maneant,siccitas atque frigiditas. Quapropter mirandum non est,si puerorum corpora,ut q̃ calida pariter & humida sint,in halitus digerãtur facillime: senũ uero q̃b⁹ præ frigore & siccitate substantia induruit,nõ ita facile. Itaq; q̃ tibi, Lyce optime,uitio dari poterãt,de his aliũ criminaris: & proinde uideris apte præceptum id ignorare,quod neminem latet, qui legitime disciplinis institutus sit: Nimirum multam substantiam mole corporis iudicari si simplex sit,quæ uero ex pluribus sit commista,ex relatione ad ea quę unà commista sunt: sicuti cerebrum,uel quodcunque aliud membrum. Iam & qui uinum,ut bibant,aqua intermiscent, secundum hunc modum aiũt,plus esse uini,uel plus aquæ,uel etiam neutrius: nempe quum in misturæ symmetriam deuenerint. Nec quisquam adeo stupidus est, ut iniecta aquæ hemina in uini dolium, dicat plus esse aquæ in eo dolio, quã in exiguo sit poculo,quod receperit,uerbi gratia,tres quidem cyathos, quorum duo uini sint,unus uero aquæ. Equidem arbitror Lycum id etiam medicamentũ tetrapharmacum appellatum,quod ex cera,seuo pice resina,æqua simul portione temperatis confiatur,si quis illi duplam pro ratione aliorum picem indat,nunquam confessurum id plus continere picis,nisi prius animaduerterit num doliũ uniuersum sit tetrapharmaci medicamenti plenum, uel potius paruum aliquod uasculum. nam sic tandem

dolium

dolium plus obtinere picis affirmabit q̃ uasculum: quanuis medicamentum in dolio ex illis quatuor æqualiter pensis constet,in uasculo autem picis duplum iniectum fuerit. Itaq; si hæc ipsa omnia errata sunt et aliorũ quoque medicamẽtorum: põt multum id quod per comparationem & mixturam sic dicitur,ab eo discerni, qđ ita absolute & ex cõmuni mensura multũ appellatur: nõ ne eadem ratio in illis erit quæ Lycus Hippocrati uitio uertit, Caloris siquidem innati substantia illis qui crescũt plurima est, aliorum uidelicet comparatione: atque etiam eodem modo unà cũ ipsa sua qualitas. propriæ enim qualitates à substantiis seiungi nequeũt, quem ad modum nec facultates. Sic itaque si tetrapharmaco picis aliorum comparatione plus iniecris,non picis modo substantiã,sed & qualitatem atque etiã uim illius amplioré indidisse diceris,& proinde humorem quoque picis, quicunque ille fuerit,increuisse. Iam ergo perspicuum est q̃ tam picis in tetrapharmaco,q̃ innati caloris in animantibus plus esse dici possit secundum omnes illos tres modos,pluris,à Lyco descriptos. Quinimmo & in illis in quibus ea quæ miscentur,non omnino per tota temperantur compertum est,alterum altero secundum eos tres modos à Lyco relatos plus dici: uti in hoc medicamento quod maxime in usu est,constat autẽ ex iride, Aristolochia, erui farina, & thure,æquali omnium pondere. poterit enim quis horum unum duplici aliorum pondere intermiscere,uerbi gratia, Aristolochiam: ut deinde in ea mixtura uere possit affirmari, q̃ Aristolochię plus sit substantia,qualitate ac uiribus, q̃ q̃; illa superet cętera omnia. Potest præterea quispiam hoc idem & in balneis asserere,dummodo illæ contemperatum aerem non solum contineant,sed fumum uaporemq; admiserint, facile enim fieri potest,ut

aliquando plus fumi,quàm aliorum duorum ha-
beat,aliquando uero plus uaporis, ſicut & natura-
lis etiam nonnunquam aeris balnearum. Quod ue
ro abſolute dicitur, non multitudine exuperantis
ſubſtantiæ metimur, cui unà adaugeri tum qua-
litatem,tum etiam efficaciam,quæ inde prodit,ne-
ceſſe eſt. Itaque ponamus fumi ſubſtãtiam amplio
rem reliquis eſſe duobus:iam recte quidem dicas
& fumi qualitatem copioſiorem adeſſe q̃ aliorum,
atque etiam operandi efficaciam. Pro cõfeſſo autẽ
habetur,qualitatem qualitate non poſſe maiorem,
eſſe,ſed ualidiorem:ſicuti & languidiorem,non mi
norem: huiuſcemodi tamen uocabulorum uſus in
uniuerſa uita & in oĩbus artib⁹ eſt frequẽtiſſimus.
Sed quid opus eſt, ut aliorũ mẽtionem faciamus,
quum teſtimonium huiuſce rei in ipſis febribus ex
peditum habeamus? quas quotidie omnes quan-
doq; maiores quandoq; minores fieri aiunt,ſed &
aliquẽ hodie aut heri tũ plus tũ minus quandoque
febricitare dicimus. Sic igitur ſuppoſito, plus,ſecũ
dum etiam qualitatem dici,nihil mirum ſit ſi in bal
neis,ubi plus eſt ſubſtantiæ fumi,eſſe etiam plus
qualitatis dicatur,& præterea actionem,ſi proprie
loqui uelimus,ualidiorem & uehementiorem ap-
pellabimus,ſed per abuſum dicemus maiorem &
ampliorẽ. Porrò fumus quo magis ipſius augebi-
tur ſubſtantia,oculos uellicabit & mordebit. Vnde
quum ſemper unà cum ipſa ſubſtantia propriæ au
geantur qualitates, atque etiam actiones: uere po-
terit quis affirmare in huiuſcemodi balneo pluri-
mum eſſe fumum. Sed rurſum ſupponamus in bal
neo,ut dicebamus,fumum ac uaporem pares eſſe,
aeris uero ſubſtantiam plurimam eſſe,quæ ſecun-
dum innati animãtibus caloris propo rtionem ſit,
fiatque: non ne nunc etiam dicetur q̃ proprius bal
nei calor plurimus eſt? Num itaque ab hoc aliqua

ex parte id abſimile eſt,quod in humoribus in ani-
mantiũ corpibus euenit? ab illis.n. in uaporẽ dige-
ſtis is eſt calor q̃ tangẽtibus exterius occurrit. Nã
alius calor in ſanguine accenditur,alius in pituita,
alius in bile tum flaua tum atra. In infantibus qui-
dem plurima eſt ſanguinis ſubſtantia, pro ra-
tione tamen proportionis mixturæ. hoc enim
eos ad memoriam reuocare oportet,qui quaſi le-
thargo detenti talia nugantur,qualia Lycus literis
tradidit. atque qualitas quæ ſimul increſcit optima
eſt amicaq̃;, nec tangentibus moleſta & mordax,
itemq̃; actio,qua coctiões neq; nidoroſæ, neq; ét
acidæ efficiũtur,qđ in pituita fit. Sic ergo,o præſtã
tiſſime Lyce,oĩbus illis modis plus eſt in his q̃ cre
ſcũt innati caloris: & proinde in nullo Hippocrates
deliquit, ſed potius tu deprehẽderis calumniari.
Quippe ex his ipſis quæ monumentis literarũ tra
didiſti, aperte utiq; demonſtraſti te nullam unquã
ab Hippocraticis præceptoribus inſtitutionem ha
buiſſe,ut illius decretum aliquod diſcere potueris,
ea etiam criminari,quorum omnino ſis ignarus,
præterea uero deprehenſus es eam attuliſſe contra
dictionẽ,q̃ nullã ſapiat diſciplinã,qua cuiusq; artis
cõſtitutionẽ euertere aggreſſus ſis. neque noueris
quid de his ſæpius Plato literis prodiderit, & tibi
ipſi pugnantia ſæpe profers,iuuenes corrumpens,
quicunque perinde ac tu non fuerint in logica con
templatione exercitati, unde neſciunt ueros ſermo
nes à falſis diſcernere. Videris pręterea tum auda-
ciſſimus,tum nugaciſſimus,qui dicta Hippocratis
exponere ſis aggreſſus antea quàm ea p̃diditeris.

GALENI LIBELLVS CONtra ea quæ in Hippocratis aphorismos obiecerat Iulianus, Victore Trincauelio interprete.



OPeræpretiũ sanè esset, ut quẽ ad modum legislatores eadẽ pœna eos qui falso accusant afficiunt, qua illi quos accusarunt essent plectendi, si damnati essent: ita quoque & illi qui falso his contradicunt quæ nũquam didicerunt, meritã pro eorum ratione quæ ipsi commiserunt pœnam pẽderent. At quum nescio quo pacto liceat quidem de iniuria uocare in ius, nullaq; de his qui falso criminantur sit lata lex: iure, mea quidem sententia, audent sordidissimi quiq; contra præstantissimos uiros dicere. Porrò opus esset, ut, sicuti in Ægypto antiqtus quęcunq; artium inuenta a publico peritorũ hominũ collegio iudicata columnis quibusdam in locis sacris repositis inscribebantur: Sic & apud nos esset eruditorum pariter ac iustorum uirorum aliquis institutus publicus consessus, cuius esset noua authorum opera perpendere, atque ea quæ bona essent, in publicis locis reponere, quæ uero secus internitioni tradere. Sed & id præstaret, ut ne nomina quidem authorum referrent, quod etiam priscis illis temporibus in Ægypto fuit obseruatũ, hac enim ratione eorum qui glorię quam maxime cupidi sunt, studium retunderetur. Verum nũc, postea quam omnibus scribere licet, ac quibuscunque etiam ineptis datur iudicãdi facultas, audacissimi quiq; à multitudine habentur in honore. quod Thessalo in his euenit, quibus Hippocratem criminatus est. Iam enim librum composuit, in quo

(ut ipse putat) aphorismos Hippocratis redarguit, perspicue tamen seipsum ostendit ne uel tantillum quidem artis Hippocraticæ unquam percepisse. Atqui æquum sanè erat, illum prius eã addiscere, ac sic deinde ad cõtradicendum accedere. fortasse ueró neque sic recte dictum est: quia si probe illam didicisset, minime auderet ueris aduersari nisi impudentissimus esset, qualis nuper in Alexandria repertus est Iulianus, cuius cõtra Hippocratis aphorismos fama est octo & quadraginta libros extare, è quorum numero secundum modo legendum assumpsi, ubi putat ipse aphorismum illum esse falsum. In uentris turbationibus, ac uomitibus spontaneis si qualia purgari oporteat purgẽtur, confert, & bene tolerant, si secus, contrarium. sic exinanitio uasorum, si qualis fieri expedit, fiat, confert, & bene tolerant, si secus, contrarium. Profectò plurima fortunæ gratia est habenda, quæ nobis librũ hunc primo legendum obtulit, ne longius forte tempus à nobis frustra esset cõterendum in his legẽdis, quæ ipse primo aphorismo, qui cæterorum subinde proemium est, opposuit. Nam contra ea scribere coactus, nihil inde fortassis magni fecisse uiderer, qppe ꝙ nõdum sermo ille medicã contẽplationem attingat. Verum aphorismus propositus de re disserit quæ minima non est artis portio: nam medico consulit, ut euacuationum quæ sua sponte per uentrem tam superiorem q̃ inferiorem fiunt, eas maxime quæ prosunt imitetur, atque etiã quænam illæ sint docet, & quo illæ modo à nobis sint dignoscendæ. Quòd si Iulianus artem ab Hippocraticis didicisset præceptoribus, non utique ueritati se opponere esset ausus. At quum nec ipse, nec præterea qui istiusce stoliditatis ipsi author extitit, Thessalus, Asclepiadarum artem nouerint: nihil profectò mirum est, si ea ignorent, quæ ne eos

quidem latent, qui se absque ratione mederi profi-
tentur. Licet siquidem eos audire dicentes, artem
quammaxime ex imitatrice experiētia augeri, quę
cunque enim ex periptosi (quasi incidētiā dicas) fi
unt, prosuntq; ægrotantibus, ea nos imitantes sæ-
pe artem constituimus. Sed ipsi deinde hæc partiū
tur, & naturalia appellant illa, quorum causa ab ip-
so corpore prodit: quæ uero ex causis externis, à
fortuna fieri aiunt. quo fit ut medicus non modo
naturæ, sed fortunæ quoque sit imitator. Vnde tū
multa alia afferuntur ab his hominibus eorum exē
pla quæ ex fortuna iuuerunt, tum ēt uenæ in fron
te, q̄ alicui q̄ ceciderit secta est. fuere etenim mox
q̄ homini pariter affecto, aiūt, eādē secare uenā au
si sint, spe adducti q̄ pari modo hoc eēt collatur.
Sed & aluus copiose fluēs oculis inflāmatis ut ma
ximum attulit præsidium: sic nos ad istius operis
imitationem adduxit. Pari etiam modo uomitus
biliosorum excrementorum repentinus & copio-
sus his qui regio tenentur morbo, superueniens ui
sus est sæpissime opem tulisse: quem ad modum
& aquosorum, eis qui aqua inter cutem laborant,
nigrorumq; humorum euacuatio eis profuit, qui
morbo elephante appellato afflictarentur: & pro-
inde ex his perspicuum est, ad medicum pertinere
hæc ipsa imitari. Sed quid tandem in spontinis ex-
ponendis euacuationibus laboramus, postea q̄
nos medendi artem opera præceptorū imitantes
addiscimus? nisi forte dicere uelimus, oportere
quidem discipulos Thessali, quum uiderint illum
iniecto clysteri quopiam, cui insit uis aluum ciēdi,
aliquem à morbo liberasse, hūc deinde imitari de-
bere, fugere uero si sponte aluus fluat: & præterea
si suppressis mulieri mensibus sanguinis uomitus
suboriatur, Thessalusq; purgatione instituta, uel
uena secta eam ab eo affectu uēdicauerit, ipsum in

hac re si discipuli sequantur, non aberrent: si uero
mensibus sponte erumpentibus illa melius habeat
hoc ipsum illi imitari non debent. at qui nulla sanè
in re hac potest esse differentia, quantum ad imitan
di rationem spectat, si ab obstetrice quapiam aut
à Thessalo menses cientur, aut si sine istis sponte il-
li excernantur, mulieriq; inde res melius cedat. in
causa siquidem cur illa melius habuerit, euacuatio
extitit, non id quod hoc promouit. Et Hippocra-
tes hoc docens illum scripsit aphorismum: Si mu-
lieri sanguinem euomenti mēstrua erumpant, solu
tio. quomodocunque illa eruperint, ait ipse, sequi-
tur illius affectus solutio, siue id ex natura fiat, siue
id nobis efficiētibus, qa nō ipsa causa huius rei effe
ctrix, sed quod effectum est, laboranti præsidio est:
modo menstruis hoc adsit, ut confertim excernan
tur, quod uerbo, erumpant, Hippocrates insinua-
uit: cuius mos fuit, ut euacuationes repentinas
& copiosas eo appellaret modo, perinde ac si hoc
pacto locutus esset, Mulieri sanguinem uomenti,
confertim mensibus erumpentibus, solutio. Mihi
sanè dies deficiat, si uelim omnia quæ sponte fa-
cta homines imitantur, recensere. nec præterea ali-
us quisquam hac de re dubitat, immo omnes hoc
ipsum tanquam notionem communem recipiunt,
sordidis simis his sophistis exceptis, qui in artis q̄-
dem operibus etiam ipsis uulgaribus sunt deterio
res: hoc uero uno præstare uidentur, q̄ nugas quas
dam, & eas prolixas admodum contra optimos
quosque medicos sine ullo pudore confingere au
dent: in qbus nup extitit Iulianus iste, quē oēs no-
runt nūq̄ artis opera pertractauisse, & tamen reie
cta omni uerecundia antiquos medicos contume
lia insequi adductus est. Porrò quæ ipse cōtra præ
dictum aphorismum ausus est literis mandare, quā
ostendant ignorantiam, uel impudentiam, uel au-

daciam,aut,ſi rectius loqui uelim,hæc omnia, imo his quoque longe plura,ne effari quidem unquam poſſem: et præſtitiſſet forſitan ut illa tanquã indigna quibus ſcribendo eſſet contradicendum, præteriiſſemus, neque alioquin tempus conterere mus. Attamen quũ nõ pauci ex amicis meis me ſedulo rogaſſent,ut ea q̃,libro allato in quo Iulianus propoſitũ aphoriſmũ rephrehẽdere conatur,diſſerui, commentariis deſcriberem,in hunc nõ exiguũ ſanè certamen deſcendi:immo maius etiam ſi uerum fatendum ſit, quàm dum ſex dies aut etiam plures ita ex tempore, oſtendens quot nugas ſuo illo ſermone quem eo libro habuit, eſt complexus, uerba feci . Et profectò, id quod in ore omnium eſt, quàm aptiſſime in hunc adaptari poterat,nihil hoc homine reperiri poſſe magis abſque ulla penitus concluſione. Vnus ſanè Therſites olim præter modum loquax fuiſſe dictus eſt: id tamen iſti longe magis quàm Therſitæ conuenire uidetur,q̃ garulitate omnes quicunq; unquam fuerint ſuperauerit:& proinde omnes qui aderant ſermoni qui tunc habebatur, dum uidelicet liber legeretur,duas has appellationes homini contulere,loquendi nempe immoderationem,& cuiuſcunque concluſionis uacuitatem. Vnde & Vlyſſe quopiam potius illi opus eſſet quàm me,qui ſceptro aſſidens ipſum reſipiſcere faceret.nam neque muſarum chorus hominem adeo ſtupidum,poſſit prudentem reddere. Itaque quum inuitus me ad hæc ſcribenda contulerim,ne forte ab his qui illa lecturi ſunt,accuſarer,hæc ipſas præfari libuit. Sed quando hominem ſtupidum, rudem,inani gloria refertum,ſolitum etiam in uniuerſa eius uita inter ineruditos adoleſcentes ſubinde nugari , apud quos ob ea quibus antiquos authores incesſit,per ſuaſum habet ſe in aliqua haberi poſſe exiſtima-

tione,ego ſum reprehenſurus:ſit mihi hoc conceſſum,ut uel præter meam conſuetudinem,illũ aſperioribus uerbis redarguam . Iniquum enim alioquin eſſet,iſti antiquorum præſtantiſſimos criminari licuiſſe:nobis uero illius ignorantiam apertiſſimis demonſtrationibus refellere non licere,quæ adeo excreuit,ut unde quis exordiatur ne inuenire quidem facile ſit. Profectò in ipſo libri initio contra Sabinum,non contra Hippocratem inſurgit. quod etiam(ut euidens eſt)illi in uniuerſo hoc opere peculiare eſt,quanuis librum contra Hippocratis aphoriſmos inſcripſerit, non autem contra Sabini expoſitiones. Mox uero,ut illi mos eſt,plurima nugatur,congeſto in unum nugarum obſcurarum aceruo, è quibus ſi quis uel unas refellere aggrediatur,is prius librum etiam maximum impleuerit,quàm eam rem uel attigiſſe uideatur,ut deinde fateatur nequaquam omnia dicta fuiſſe:unde nec facile ſit ſcribẽti hęc ipſa digerere,immo dixerim maximopere arduũ. In noſtris aũt extẽporaneis ſermonibus,quos inter eruditos uiros ſæpe habuimus,explicaui quãnam facultatẽ facilitatẽq; ad antiquos authores exponendos inuenerim ex ſimilitudine uidelicet. Nam ut propoſitum eorum librum in publicis diſputationibus explicauimus.

Deſunt nonnulla. *

Quòd ſi methodicus dicat latẽter naturalia pſcrutamur.neque enim arrogans, neque magnifica loquẽs,antiquiorem abditi decreti radicem in medium affero, duos nimirum eſſe corporis affectus. nam unicuique qui ſe ſecundum naturam habeat, duæ ſibi inuicem contrariæ mutationes conuerſiones q̃ imminent, dum aut nimis aſtrictus eſt, aut nimis fluidus,uideri quidẽ ipſe poterit ea afferre

quæ cogitatione percipi possint, non hercle philo
sophis, qui res naturales scrutantur, quiq; de uni
uersorum materia differunt, sed naturalibus medi
cis. Porrò hæc tibi sit dictio una ex admirabili
bus Iuliani sermonibus, quibus ab his quæ Ascle
piades Themisoq;, & præterea Thessalus elemen
ta statuere, dissentiens, ad eos se philosophos cō
fert, qui penitus uacuum è mundo auferunt. Huic
deinceps & alteram hanc subnectit, sed neque ab
illa amplius linguam contineam quin dicam. quid
enim mihi hoc? An q̄ istius modi cōuersiones quē
ad modum elementorum generatio, ita & calidi
natura frigidiq;, humidi & sicci consequuta est, ab
illis enim ueluti parentibus primis opera hæc exo
riuntur. Vide quo modo methodus in altissimis
thronis sublimibusq; sedens latuit, quam ego uo
lentem præ modestia & moderatione in cœlo la
tere, ostendi, primusq; atque etiam solus aperui,
ab ea nebulam obtenebrantem abducens & libe
rans. Hæc Iulianus, & ab his subinde ait. Sed q̄
nunc cum Epicuro non consentio, illius elementa
non recipiens, quippe qui substantiam non uniat.
Hæc itaque & alia præterea multa a Iuliano scrip
ta sunt, in libro de methodo quem uniuersum Phi
lon inscripsit. Rursus uero in alio, in quo illi de ani
mæ corporisq; affectibus sermo est, hæc protulit.
Iam moderatum statum astrictionis efluxionisq;
medium in humanis coagmentis constituentes sa
nitatis nomine donauimus. quum autem huic me
diocritati insidiantur morbi, corpora necessario pa
tiuntur, dum aut contrahūtur, & indurantur, ac sic
ciora redduntur, uel etiam funduntur, molliuntur,
& humectantur. Hæ igitur sunt huius sophistæ ce
leberrimi sententiæ, qui autumat methodicos me
dicos Zenonē, Aristotelē, Platonēq; seq. Nos ue
ro ipsos contra moneamus, unumquemq; horum

philosophorum, aliosq; plurimos, qui his fuere
posteriores, sensisse sanitatē esse calidi, humidi, fri
di & sicci tēperiē: morbos uero, qui maxime ex ui
ctu prodeunt, quū hor̄ aliquod aut excedat, aut
deficiat, ortum habere. Humores uero qui in cor
pore continentur, quorum alii quidem sua facul
tate humidi uel sicci sunt, alii calidi uel frigidi, mor
bis ex proportione respondent. Hoc Plato sensit,
unà cum omnibus suis sectatoribus, hoc Aristote
les, & cū eo peripatetici omnes, id ipsum Zeno, &
Chrysippus, cęteriq; stoici. Iulianus sanè nec ullū
unquam horum quos recensui uirorum librum le
git, nec etiam quid consequens, quidue pugnans sit
omnino nouit. alioquin enim intellexisset illa qui
dem eam sectam consequi, quæ uacuum omnino
tollit: quæ uero id existere affirmat, sanitatem quā
dam meatuum symmetriam esse ponit. in astrictio
ne uero ac fluxu eorum q̄ per hoc feruntur, mor
bos ex uictu cōsistere. Num igitur tum Aristotelis
& Chrysippi, tū cæterorū tam peripateticorum q̄
stoicorum subinde uerba subscribam, quibus in pi
tuitā bilēq;, uti in causas morbos referunt, aiuntq;
primos morbos quatuor esse, sicuti & ipsa elemē
ta, calidum, frigidum, humidum & siccum? An po
tius hoc præterire satius fuerit, quippe qđ nō unū
modo aut alterum librum, uerum tres & quatuor
plures ue replere possit, solisq; his esse contentos
q̄ à Platone referūtur? Quòd si ita facere præstat,
nec unà cum garrulo sophista usquequaque nu
gari, hoc solū de peripateticis stoicisq; præfatus,
statim ab his me continebo. Nempe nullum Ari
stotelis librum aut Theophrasti unquam inuenias,
in quo si aliquid de morbis dicere cogantur, cali
dum, frigidum, humidum, & siccum prætereūtes,
suum absoluant sermonem: immo non horum mo
do semper meminere, sed & cū his non raro utri

usque bilis tam atræ quàm flauæ, immo sæpe etiã pituitæ, ut pote qui ipsius differentias recensẽant, hanc quidem acidam, illam uero salsam aut salsuginosam, aliam dulcem nuncupantes. Sed nec aliter scripsit Chrysippus, immo in hunc semper modum tam de morbis quàm de humoribus differit. Iam si quis horum tantummodo trium uirorum uelit referre sermones, non paucos sit libros impleturus, prẽcipue uero si tantum illi otii sit, quantum Alexandriæ erat Iuliano. At si aliorum etiam tum Peripateticorum tum Stoicorum colligere uelit sentẽtias, uniuersam etiã bibliothecã repleat. Sed missis his omnibus, ut dixi, nobis satis fuerit solius Platonis loca referre, qui ubiq; Hippocratis decreta sectatus est, ut tamen ea non undiq; & ex omnibus ipsius libris, qui non pauci sunt, recensẽamus, sed unus mihi sufficiat, nempe Timæus, unde hæc deprompta ascribam. Porrò morbi unde cõsistãt, omnibus sanè manifestum est. Nam quum quatuor sint genera, unde nostrum coagmentatum est corpus, terra, aqua, ignis, atq; aer: horum prẽter naturam excessus, ac defectus, & ex propria in alienã sedẽ trãsmutatio, ac rursus ignis & reliquorũ (quũ uno plura genera sint) unumquodque, ubi id quod sibi non conuenit, fuerit assequutum, huiuscemodi omnia tensiões, morbosq; inferunt. Vbi enim horum quodlibet prẽter naturam mutetur, calfiunt quæcũq; prius frigescebãt: q̃ uero sicca erãt, mox humescunt, leuiaq; pari modo & grauia, omnesq; tandem transmutationes suscipiunt. In hac itaque oratione, quantum ad prima elementa ac eorum qualitates spectat, Hippocratem aperte imitatur. at in sequentibus humores quoque in causa morborum statuens, sic ait: Alba autem pituita ob ampullarum spiritum intro detenta difficilis, quæ si extra procumbat facilior quidem, uarie tamen

corpus inficit, albas nigrasq; uitiligines, ac huiusce generis morbos parit: quod si cum atra bile temperetur, inq; diuinissimos, qui in capite sunt, orbes illabatur, eos dissoluit ac perturbat: quod si per somnum contingat mitius est, si uigilantes inuadat, difficilius. at is morbus quum sacræ naturæ sit, sacer etiam merito dicitur. Huic uero sententiæ aliã subinferens ait. Acida uero & salsa pituita omniũ morborum, qui defluxorii sint, fons est, quæ à locis in quæ influit, hi autem uarii sunt, uaria quoq; nomina sortitur. In hũc igitur modũ de pituita & atra bile Plato pronunciauit: nunc quæ de flaua dicat, audi. Quæcunque uero in corpore ob id q̃ uri & ardere uideantur, inflammatione teneri dicuntur, ea omnia ex bile id habẽt: q̃ si in exteriores partes exhalet, ibi feruens uarios efficit tumores: inferius autem detenta, multos urentes morbos ædit, maxime uero ubi puro sanguini commista fibrarum genus ex proprio deduxerit ordine, quæ propterea in sanguine dispertitæ sunt, ut is mediocritatem in tenuitate & crassitie seruaret, nec ob caliditatẽ, ut qui humidus sit, ex raro corpore defluat, neque rursum densior redditus ad motionem euadat ineptior, ut uix deinde in uenis fluat & refluat. Hanc itaque commoditatem fibræ generationi naturæ præstant: quas si quis tum mortuo sanguine tum refrigerato inuicem simul colligat, q̃ reliquum est sanguinis uniuersum fluidum redditur: ubi uero dimissæ fuerint, celeriter simul cum circunstante frigore coagulatur. Quum ergo fibræ hanc uim obtineant, bilis quæ natura uetus sanguis est, itemq; ex carnibus in hunc ipsum est eliquata, calida atque humida, paulatim primum in illum incidens ab hac fibrarum ui coit, coagulata uero uiolenterq; in ea calore extincto tempestatem interius tremoremq; excitat. Quod si copio

sior influat,ac suo calore fibras superet, eas a suo
disturbans ordine ęstuans seruat quidem. at si ad
extremum usque uictoriæ par sit,ad medullas pe-
netrans ac exurens,ibi animæ uincula, perinde ac
nauis cuiuspiam,soluit, & liberam dimittit,ꝙ si in
ferior sit,& corpus dum liquefit,illi reluctetur,aut
prorsus è corpore excidit,aut per uenas propulsa
in inferiorem aut superiorẽ uentrem è corpore eii
citur tanq̃ exul è seditiosa ciuitate,cientur fluxus,et
tormina,ac omnes alii istiusce generis morbi. Hęc
sanè Plato in solo Timæo, Hippocratem sectatus
protulit. Si quis uero uellet omnia,quę in aliis quo
que eius libris habentur,colligere,is uideretur ora
tionis prolixitate Iulianum imitatum fuisse: sed lõ
ge etiam magis,si quæcunq; à Theophrasto, Ari-
stotele, Chrysippo cæterisq; tam peripateticis q̃
stoicis,de calido,frigido,humido & sicco, de bile
pituita,deq; sanitate & morbo prodita sunt, descri
beret. Ac quidem iam non deesse aliquos arbitror
qui me longitudinis sermonum in huius insensati
sophistæ redargutionem compositorũ accusent.
Nam qui minime(o Iuppiter deiq; cæteri)ueritus
est Platonem,& Aristotelem,& Zenonem, cæte-
rosq; horum ipsorum philosophorum sequaces
laudare,quæ uero ab Hippocrate de corporis ele
mentis dicta sunt,reprehendere: Quid tandem prę
terea quæso est,quod ipse uerecundetur affirmare?
Sed hæc missa faciamus, illa uero perpendamus
quæ ille deinceps ait(ubi ut uidetur)ne nomen q-
dem naturæ considerandũ esse permittit,suæ uero
dictionis initium hoc est. Nunquam illi nobis, aut
etiam sibiipsis re uera persuaserint,ꝙ ipsi norint qd
ipsa natura sit: quam tamen susq; deq; prædicant,
ac ubiq; magnifica uerba proferentes, calorẽ sim-
plicem nuncupant,aut temperatura commistũ,aut
frigidi spiritus q; substantiam. Moxq; his subinde

multa infert,naturę cognosci substantiam † minime
concedens, tanquam Hippocrates huic proposi-
to aphorismo naturæ nomen ascripserit, neque
de spontaneis potius euacuationibus uerba fece-
rit. Vnde quæso illi nomen naturæ in mentem ue-
nit? num aliunde q̃ ex solita Iuliani garrulitate,ut ui
delicet,sibi longioris sermonis occasio præsta re-
tur? quem si quis explicauerit,eius nugacitatem fa-
cile deprehendet. Iam quum medici omnes di-
cãt,euacuationes,alias quidem à natura fieri, alias
à casu,insinuantes earum causam nonnunq̃ ex ipso
met ægrotantium corpore ortum habere, interdũ
uero extrinsecus: ille sibi hanc inde ansam eas de
naturæ nomine nugas effutiendi arripuit. Est ue-
ro quod ipse proferre uult(ut summatim dicam)
huiusmodi, Incongruum sanè est ut uel etiam no-
minent naturales euacuationes, qui ignorant quid-
nam natura sit. At,ò omnium sophistarum præcla
rissisime,eadem hæc tua ratio efficiet nos neq; si
animam teneamus,aut sensum,aut mentem,aut ra-
tionem,aut memoriam,cognoscere, quippe quũ
omnium horum substantia cognitu difficilis sit.
Sed qui mirum sit? quando & ipsum solem euidẽ-
tissime intuemur,quem tamen nondum exacte no
uimus quanam substantia præditus sit. Vel quæso
quando de natura,uel de anima,uel de quopiam
alio istiuscemodi unquam aliquid pronunciabi-
mus? Verum enimuero, sicut de istis hæc recte à
nobis dicta sunt: ita ẽt quãdocũq; uniuscuiusq; eo
rũ notionẽ habuerimus,eorumq̃; existentiæ aper-
tã dignotionem, sermonẽ de ipsis instituere ope-
ræpretiũ erit. Nã plantæ quidẽ oẽs à natura regũ
tur,animantia uero à natura pariter atque ab aĩa.
Porrò si nutritionis,augmenti, ac cæterorũ huiu-
scemodi operũ causam oẽs homines naturam ap
pellamus, quem ad modum sensus eius q̃; habitus

Addenda mihi uisa est negatio q̃m ea in græcis cod impresis desideretur.

ac præterea motionis, animam: nemo, noſtrum de naturæ operibus mentitur. neque etiam qui hæc norit, ſtatim etiam eius ſubſtantiam facile cognoſcere poterit, ſicuti neque etiam ſolis: ſed orientem quidem aperte intuemur, atque etiam occidẽtem, & interim locum intermedium uniuerſum ordine ac tempore præſcripto permeãtẽ, mox uero quę nã ipſius ſit ſubſtantia, maiori ocio ꝓquirimus. Ita que ſi naturales excretiones, quum fiunt, minime abſque notitia naturæ illas edentis, nequirent cognoſci, iure merito, ubi ille monſtraſſet hanc eſſe imperceptibilem, ſtatim illarum etiam cognitionẽ unà abſtuliſſet. At uero quum ipſe concedat has cognoſci, illa nequaquam cognita, profectò hæc omnia admirabilis Iulianus citra ullam neceſsitatem nugatur. Verum quotieſcũq; alicui frequens, nullo purgante aſſumpto pharmaco, uomitus, aut ẽt alia ꝓ partes infernas euacuatio ſupuenerit, ſiue id per inteſtina fiat ſiue per uterum, iſtiuſmodi omnia nos natura, aut ex natura, aut naturaliter fieri affirmamus. nihil ſiquidem refert, modo ea imitemur quæ laboranti opem tulere. Iulianus ſanè neque id etiam nouiſſe uidetur quod quotidie in omnium hominum ore uerſatur, quodq; omnes nouerunt, nempe eos qui bene ualent ſecũdum naturã habere, qui uero morbis ſunt impliciti, præter naturã. Nam ſi minime liceat his uti nominibus prius, quàm naturæ ſubſtantiam nouerimus: neque etiam profitebimur bene ualentes ſecundum naturam ſe habere, morboſos uero præter naturam. Sed agedum illi hoc etiam, ſi libeat, condonemus ex ſupabundanti & concedamus nos nimirum nõ poſſe naturæ uel fortunæ recta opera imitari, niſi prius teneamus ex calido, frigido, humido, & ſicco noſtrum conſtare corpus. At qd deinde obſtat, quin id cognoſcere exquiſite non ualeamus, ubi

& huius

& huius decreti demonſtrationem, quam proferamus, habemus, præſtantiſsimiq; philoſophi, quos tu ipſe admiraris inter ſe & cum Hippocrate conſentiunt? quod ſi dicat diſcrepantiam eſſe idoneũ teſtem decreti alicuius ignorationis, profectò à ſtoicis ſtatim ad aporeticos philoſophos trãſibit. Nam ſi huic aſſenſeris rationi, nihil quod apud omnes philoſophos ſit in controuerſia poſſe in humanam deuenire cognitionem, cur non etiam longe prius tuis illis pulchris communitatibus fidem abrogas, quas illa in cœlo habitans methodus, genuit? At eas nullus aliorum uel ſubobſcure etiam conſpicatus eſt: aperte uero (ut ipſe putat) Theſſalus. Sed & id maius eſt, quòd quanuis illas Theſſalus & uiderit clariſsimoq; eorum medicorum choro, qui illum ſequuti ſunt, oſtenderit: nullus tamen ex ipſis eſt qui cum altero quopiam conueniat, immo inter ſe maius ad hanc uſq; diem bellum exercent, quam dum Theſſalus cum ſuis pugnabat diſcipulis. Si igitur diſcordia argumentum eſt, rerum ignorantiæ: primum omnium nulla Theſſali communitatibus erit fides adhibenda, quo etiam plus in ipſis diſſidii reperitur. Profectò de corporis noſtri natura, ea num ex aere, & igne, aqua & terra cõſtet, aut potius ex humido & ſicco, calidoq; & frigido moderate ſimul cõtemperatis ambigitur: uerum non adeo, ut de Theſſali communitatibus. Plato etenim Zenoq;, præterea Ariſtoteles, & Theophraſtus, Eudemus, Cleantheſq;, & Chryſippus, & philoſophi quamplurimi, quorum alii peripateticos, alii ſtoicos, alii platonicos ſeipſos appellauere, unà in his ipſis conſentiunt. Quas uero appellat Theſſalus communitates, non modo cæteris medicis non probantur: uerum neque hi ipſi qui re uera à methodi quidem ſunt, graui tamen methodi nomine tanquam prætextu quodã utun-

tur,eadem de illis sentiunt. Nam neq; Hippocrati, neq; Diocli,neque Plistonico,neque Praxagoræ, neq; Mnesitheo,neq; Philotimo,neq; Erasistrato, neq; Erophilo, nec tandem ulli unquam rationalium,empiricorum ue medicorũ hæ Thessali placuere cõmunitates. Quod si discensiones inter se comparare uelis,eam inuenies,quæ ad Thessali cõmunitates attinet,nõ parum alias superare. Quum enim in arte medica(ut ipsi aiunt)tres secũdum genus sectæ reperiãtur,quumq; tam Empirici q̃ Dogmatici has Thessali cõmunitates destruant: existimandum hanc nõ exiguam esse discordiam: sedet in immensum postea illa excrescit,quando neque harum cõmunitatum parens Themison,nec quisquam ex suis sectatoribus,imo nec istorum à methodorum Thessaliorum ullus eas seruat. nullus enim est qui non illis aliquid aut addat,aut detrahat,aut aliquo modo immutet. Atqui si etiam inter se ipsi conuenirent, eis cum reliquis sic etiam non parua esset discordia. Vbi uero in omnibus illis ipsorum etiam inter se non est consensus:solus relinquitur Thessalus,nullum aliũ secum habens præter hunc Iulianum,& is quidem uerbo tantummodo,re enim ipsa(ut iam à nobis monstratum est) aduersissima illi & ipse protulit,& siquis cupiat de his fidem aliquam accipere,ad nostros cõmentarios de secta methodica se conferat. Verũ enimuero si Thessalus,dum solus cum aliis de ueritate contendit,dicat eorum quæ aliis uidẽtur iudicium demonstrationemq; ipsum esse consensum, illum profectò nemo despiciat:postmodum uero nõne Thessalum ipsum damnabimus à cunctis aliis,dissentientem atq; ab Hippocrate? cui tamen præter optimos medicos,philosophorum quoq; præstantissimi attestantur: non'ne uel ex solo dissidio illi oẽm fidẽ abrogabimus? Quis hunc amplius ferre

possit? Quis hãc nugacitatẽ tolleret? Quis nõ potius doleat tẽpus in refellẽdo hoc hoie fuisse absumptum,qui neq; eorũ quæ scripserit memor sit, neq; ea quæ scribitur, intelligat? sed quod in prouerbio est,quicquid in buccam uenit,garrit? Iã & hæc etiam dimittamus,quæq; deinceps ait audiamus,in primis uero locum illum,ubi inquit ꝓpositum aphorismũ eam habere tum radicẽ tum originem,q uidelicet humorum multitudo sit causa morborum continens. Sed satius fortasse fuerit,ut hic quoq; uniuersam eius dictionem illis eisdẽ uerbis adscribamus. In hunc igitur ferè modum subinde ab eo scriptum est. Iam enim tempus expetit ut directe ad contradictionem accedamus. In uentris perturbationibus,quod huius aphorismi reliquũ est,uniuersum eam habet radicem eumq; fontem, q̃ humorum plenitudo secundũ rationem continentis causæ morbos corporibus affert. quo fit,ut ostenso affectuũ causas nõ esse in humoribus sitas, (falsa etenim est hęc opinio)unà ẽt aphorismi praui tas erit demõstrata,ab obscuro.n.semine falsa solẽt ꝓdire. Hæc sunt illius uerba. Operępretiũ sanè foret,si id quidẽ fieri daretur,ut in aliquo theatro, at nõ quale Thessalus instituens ipse in nugatoriis illis suis libris seipsum coronauit,sed eruditis uiris referto Iulian⁹ interrogaretur,à quanã demõstratiua methodo ꝓmotus,arbitretur uerũ esse sermonẽ,quẽ ipse attulit qui erit,si eũ quispiã,ut cõuenit, interpretetur,talis: Necesse est qui existimãt uacuationes ægrotantibus opẽ ferre,itidẽ etiam suppo nant morbo⁹ cõtinẽtem causam plenitudinẽ esse. At si uerus sit is sermo,libenter in medio eruditorũ uiro⁹ theatro illũ interrogarẽ,ut ex ea saltẽ illo⁹ multitudine garrulus Iulianus suam agnosceret stupiditatem,nam ex his ipsis quæ dicuntur neq; quaq̃ ille,quum talis sit,resipiscat.

Desunt nonnulla. *

seipsum in his quæ scribit, prodit. tamen in theatro recte illa agerẽtur, iã itaq; ea explicabo. Febricitantibus q̃plurimis grex iste Thessaliorũ asinoꝝ sanguinem detrahit: qui si putant eos ex uacuatione lædi perperam faciunt quum uenam secant: sin iuuari, supponunt ergo causam continentem esse plenitudinem, quod tamen illi nolunt. Poterit forte eorum quispiam dicere, ec quę necessitas cogit, ut si euacuatio prosit, plenitudo sit continens causa? mihi quidem ad hoc facilis est responsio: nempe q̃ necessitas quidem nulla est: sed in grege uestro is est, statimq; Iulianum monstrabo, qué æquũ est obnoxiũ esse, his quæ ipse nugatus est. In hunc modum quis in theatro cum illo egerit. Nunc uero posteaquam nullum est theatrum & huiusmodi occasiones paucis ad modũ offeruntur: omnes indiscrete quæcunque libuerint siue ea uera sint, siue falsa promulgant. nam & Iulianus semper, nulla ueritatis cura habita, quicquid illi obiter occurrit, literis tradit. Ego uero per totam uitam meam nulli unquam rei magis insudaui, quàm ut demonstrandi scientiam primum addiscerem, mox uero hanc omni studio exercerẽ, incassum laborasse uideor. Nã qui demonstrationes sequũtur cognoscuntq;, ii nugis Iuliani nunquam animum intendent. Qui tamen ex illius grege sunt, neq; etiã quæ dicuntur ne percipiũt quidem, & proinde, quod antea quoque à me dictum est, non leue mihi certamen amici iniunxere, quorum gratia scientificos prosequar sermones. Porrò oportebat Iulianum non modo congrua explicare differentiæ causarum nomina, sed illorum quoq; significata seruare: nunc uero, quod tamen & unum ex his est quæ communia sunt stoliditati methodicorum omniũ, ad appel-

lationes usq; peruenit continentium causarum, ut tamen quatenus ab antecedentibus differant, minime intelligat. alioqui enim nouisset, quòd ab antecedentibus causis prodit morborum augmentum. quæ enim morbis ortum præstitere, necesse est ut ea itidem eos adaugeant quoad simile aliquid egerint. Exempli gratia, medicamentum eò acre ut exulcerare possit cuti per horam adhibitum, poterit extimam cuticulam, quam græci epidermida appellant, ulcerare: quòd si diutius deinde perstiterit, iam opus maius perficiet, cutem quidem primum, mox uero & suppositam carnem arripiens. quin & ea quæ putrefactoria nominantur, usque ad subiecta ossa interdum penetrant, uniuersa carne qua illa tegantur exusta. Itaque quum huiuscemodi naturæ sint antecedentes causæ, nequit omnino fieri, ut factus iam morbus, dum illæ remanent, curetur. ubi enim uideatur subinde maior fieri, nisi prius illud quod efficit auferatur, perfecte nunquam poterit pristina sanitas reuocari. Vnde antecedentes causas, in quibus est ipsa plenitudo. (Hanc enim in hoc nostro sermone antecedẽtẽ ponamus) nisi qs prius remouerit, morbus iã factus sanari minime poterit, & pinde Asclepiades arbitratus est plenitudinẽ morbos quidẽ præcurrere, illius uero euacuationem laborãtibus esse utilem, non quòd illa quos iam fecerat affectus soluat, sed potius quia eos augeri non permittit, ob id à medicis expetit ut hac curatio absoluatur, sed ponamus quoque plenitudinem esse nonnunquam morborum causam continentem, necesse mox erit huius uacuatione morbum tolli. At nunquam, ut Asclepiades ait, ea est causa continens. Melius etenim hoc loco fecerimus si nugatore Iuliano dimisso, cum Asclepiade disputationem instituerimus: qui si non aliud, hoc

saltem habet, & sophista legitimus est, is enim uir rationes quammaxime ꝓbabiles interrogat, uafre tamen elaboratas, quod sophistæ mea quidē sentētia, munus est. Porrò huiusce modi ea ratio est, quā deinceps literis cōmisit Iulianus, quæ tamen minime illius facultatem sapere uidetur, nam & cætera in hunc modum scripsisset, sed eorū meminit quæ ab Asclepiade literis prodita sunt, quia si ex ꝓpriis hæc esset Iuliani rationibus, ea proinde ac aliæ nugis esset referta. Ait itaq; Asclepiades. Si plenitudo esset causa morborū continens, factis inter morborū initia copiosis euacuationibus, statim ab omnibus incōmodis ægrotus uindicaretur. At uidemus sæpenumero morbos potius, expurgata plenitudine, fieri maiores. Ratio hæc probabilis non parū est, & proinde ꝓpria eget solutione: nō tamē ea attingit quæ in aphorismo Hippocratis habentur, nam nullam ex eo decreto fidē adepta est, sed ex cōmuni potius oīum hominum ratione, qua & Empirici (ut diximus) utuntur. Quare hanc ipsam soluemus Asclepiadis rationē, non q illa ad ea attineat quæ sunt ꝓ aphorismū dicta, sed quoniā (ut uidetur) prēstiterit, ut qui hucusq; nugas Iuliani ꝓtulerimus, exerceamur tādē ex dialecticis institutis, cum homine congredientes qui uere sophista est. Sic itaq;, quum plenitudinē nominat Asclepiades, mox erit interrogādus de quanam sermonem habeat, num de ea quæ uires, aut de illa quæ uasorū capacitatem spectat, quā & κατ' τὸ ἔγχυμα, quasi ex infusione dicas, solent appellare. præterea num de ea quæ corpus uniuersum occupat, uel potius de illa quæ in una quapiam ipsius parte residet. Non potest sanè de ea dicere quæ uires respicit, quippe qui omnes quibus animal regitur, uires prorsus abstulerit: quod si de ea quę ad capacitatē uasorum spectat: hæc item duplex est, quia aut ea

mensura æstimatur, quæ naturæ debetur, aut hoc nudo soloq;, quòd uidelicet iam cōtineri nequeat. Atq; horum utrunque potest aut per uniuersum corpus esse dispersum, aut per unicam partem, aut etiam plures. Nos autem in commentariis illis quibus causas symptomatum explicauimus, & in libro præterea de tumoribus præter naturam, monstrauimus conuulsionem nōnunquam & tremorē, inflammationem uero perpetuo & erisipelas, & id quoque quod à recentioribus medicis œdema nominatur, & alios præterea affectus, pro fundamento habere plenitudinem: quam siquis euacuet, mēbrum statim in naturalem suum statum redeat. Sed & de continentibus causis alibi à nobis pertractatum est, ubi ostendimus quòd & nomen, & itidem ipsa res, cui id nomen est inditum, à secta stoicorū fuit desumpta, quodq; iuniores medici uniuersum hoc genus neque recte suscipiunt neque etiam nominant, & quòd plerunque nos etiam, ne de nominibus uideamur cōtendere, eos in hoc sequentes, causarum nonnullas sic appellari permittimus, nō tamen mehercle earum rerum causas, quæ entia, (ut ita dicam) absoluta esse dicuntur, sed earum quæ eatenus sunt, quatenus fiunt. In his posita est huius sophismatis dissolutio. Cęterum non est nostri officii omnia in hunc locū uelle transferre, quæ Iulianus nugatur. Sed ad aliquod alterū eorū quæ obiecta fuere transeamus, quod communi ratione ad omnia pertinet. Duplex est earum causarum genus, quæ in humoribus esse habent, alterum quidem in multitudine consistens, alterum uero in corruptione. Porrò curandi utrunque expeditam uiā fore aiunt, quum minimo tempore nos possimus redūdantē humorē effundere, uitiatūq; uniuersum euacuare, ut sic morbus neutiq; sit ꝓduraturus. Rationem hanc dilucidam pariter & breuem Iulia-

nus obſcure prolixeq; his uerbis deſcripſit. In hoc
ſtatim aphoriſmo id aſſumitur, quod nõdum pro-
batum eſt. nimirum quòd humorum multitudo,
uel eorundem ex propria qualitate ad alienam
permutatio morbos efficiat, cui uniuerſæ ſpeciei
corruptionis nomen medici impoſuere. Vnde
etiam opinantur non parum præſidii allaturum, ſi
id quod morbum facit, excernatur. Quod enim
antea uideant criſim, hoc eſt iudicium in corpore
apparentem, & ſine ulla deinde controuerſia opi-
nari uelint humoris alicuius plenitudinem morbi
cauſam eſſe, uel ſi non plenitudinem illius ſaltem
mutationem, uix ſanè id percipi poteſt, ueritatiq;
haud conſonum eſt. putarem etenim ego alioqui
omnes affectus ſolui facile poſſe, adeo ut nullus
ſit unquam diuturnior futurus, quodq; curandi ra-
tio unius tantum modi foret, nihil negotii conti-
nens: ſimplex ſiquidem & in promptu eſſet id eua
cuare quod morbum infert, ac ſtatim inter initia,
in ipſoq; primo morbi ſtatu illum ita tollere, ut ſo
lo opus ſit euacuatorio remedio, & quocunque
tempore ſe occaſio obtulerit. Siq; ſolus ſanguis
exuberet, ſola poterit eſſe ſatis uenæ ſectio: ſin pi-
tuita, quæ pituitam ſoluunt: ſi bilis, pari modo quæ
bilem. Hæc ſunt Iuliani uerba, quæ hanc, ut dixi,
rationem continent. Si morborum cauſa in humo
ribus conſiſteret, in nobis eſſet, illis euacuatis, non
permittere ullum morbum fieri diuturniorem. at
morbi plurimum protenduntur, quantumuis in
ipſorũ principio abunde corpus euacuemus: qua-
re nequaquam cauſæ in humoribus ſitæ ſunt. Ra-
tio quidem hæc, ſi plenitudini accõmodetur, quæ
uaſorum capacitate æſtimatur, dum illa uniuerſum
obtinet corpus, uera eſt: ubi enim ſtatim circa mor
bi exordia quod exuberat euacuare inſtituerimus,
uniuerſum pariter plethoricum auferemus affe-
ctum.

ctum. falſa autẽ erit, ſi plenitudo maior aliquã tan-
tum ſibi partem uendicet: quia iam oſtẽdimus eiuſ
modi plenitudinẽ nõ ſemper ita cito uacuari poſ-
ſe. Eodẽ quoq; modo, ſi rationem de humorũ cor
ruptione interrogaueris, expeditam, facilemq; ha-
beat diſſolutionẽ: nã neq; ita facilis ac ueluti è quo-
piam utre aut ex dolio erit inanitio. quin ex his
quoq; ſi quicquid praui humoris continebatur, ua
cuauerimus, nõ ſtatim tamen bonum infundimus,
niſi prius probe deterſo ac eloto uaſe. Sic ergo ut
facile ſit uitiatũ ſanguinem ex humano cõrpore de
trahere, pro hoc tamen alium qui probus ſit eius
mẽbris ſtatim poſſe affundere, hęc eſſet utiq; res di
gna. Præterea quo pacto aiunt iſti celerrime poſſe
uitiatos humores detrahi, eodẽ & alia omnia faci-
le proferunt, nulli rei attendentes, nulla diligẽti ha
bita conſideratione uniuerſum colligunt negotiũ.
Atqui ſi bilis copioſa corpore cõtineatur, nullaq;
adſit febris, ſæpenumero eius erit facilis euacuatio:
ſed ſi hominem prius acuta inuadat febris, erit ſanè
per q̃ ardua, quũ non poſſit purgans pharmacum
citra periculum eſſe uſui. eademq; ratio fuerit de
pituita, ſeroſisq; excremẽtis. Nos uero abunde de
his in aliis libris ſermonẽ habuimus, ut qui uolue-
rit rem hãc exquiſititius perdiſcere, id inde illi pe-
tẽdũ ſit. Iã igitur q̃ phlegmone affectus ſit pletho
ricus, qui nõ modo uaſis continetur, uerum & ua-
cua in muſculis ſpatia apprehenderit, ex eo diſcas
libro, ubi de tumoribus præter naturã ſermonem
inſtituimus. q̃ uero nõ ita cito uniuerſa phlegmo-
ne curari poſſit, in libro de medendi methodo ex-
poſuimus, qua maxime illius libri parte methodũ
curandi tumores præter naturam explicauimus.
Viſcidi enim & craſſi humores ita quandoq; tali-
de ac tenaciter carnibus infarcti hærent, ut periculũ
imineat, ne ſi illi diutius ibi mãſerint, ſcirrhus ſub-

sequatur. Verũ si hos omniũ ignari, dũ ea quæ ma
xime in arte necessaria sunt, ignorant, Hippocratẽ
damnant. Atqui è cõtrario rem hanc cõuertens qs
potius dicat, si solidũ aliquod corpus refrigescat,
aut excalfiat, facilem illi fore reditum in naturalẽ
habitum: nec secus etiã si aut densius aut rarius red
datur: qppe quòd id refrigerari quod incaluerit,
quodq; refriguerit calfacere: itemq; densatum rare
facere, & rarefactũ densare nullius ferè sit negotii:
uerum humorem lentũ crassumq; carnosis particu
lis infarctum uacuare, per quã arduum est. Nam si
sordem ab istis uel patẽtibus uasis nõ facile est de
tergere, quo unq pacto in his carnosis res hæc ita
erit in promptu? quo fit ut deterior sit sermo qui
autumat causas quæ in humoribus ortum habent,
illis, quæ in solidis, magis esse cõtrarias. Nam ple
nitudo si per uniuersum prorsus corporis habitũ
distributa sit, uasis adhuc comprehẽsa, quod & pro
prie plethos, hoc est plenitudinem nominãt, expo
situm omnibus erit statim inanire: quo facto, qui la
borat ab omnibus incõmodis liber euadet. Sed si
humorum deprauatos copia sit, aut eorundẽ cor
ruptio, fieri nequit, ut copiosa ac repente facta eua
cuatione, homo curetur. Atqui hæc in hunc modũ
fieri uidemus. quum enim quamplures graue cor
pus haberent, & præterea tensionem sentirent, mis
so sanguine repente ab his symptomatibus liberi
sunt redditi. Alii uero qui à corruptione uexaban
tur, per mensem integrum morbo afflictati sunt,
non ualẽtibus nobis prauũ sanguinem simul ac co
piose uacuare, neq; in illius locum aliũ bonum in
fundere. Quoniam ex cibis probe in animãtis cor
pore confectis bonus ex natura sanguis gignitur:
non parum autẽ periculi adest dum alimentũ ido
neum corpori offertur, nec a corrupto is qui bonus
est uitietur. proindeq; non omnem putant corru

ptelam esse curationis capacem, sed eam tantũmo
do quæ in corpore est, qd ualidum adhuc est, & in
quo uires robur suum habeant: illam uero in qua
totus sanguis æruginosus effectus sit, aut in qua iã
illatum alimentum corrũpitur, nequaq; sed potius
ubi ab hoc ille contemperari possit. Præterea nec
etiã ubi ea habeatur plenitudo, quæ ad uires refer
tur, curari quamprimum æger poterit, quum inter
dum uires unà cum euacuatione dissoluantur. at
de hoc affectu à nobis in libris de curãdi metho
do sermo habitus est. Raro itaq; quis ex uacuatio
ne uirum statim sanum factum ostendat. Interdum
tamen & id ipsum fit, sicuti manifestum est, huius q;
rationis ueritatem apertissime experientia demon
strat: quippe quòd quidã habeantur qui ab euacua
tione continuo ab omnibus uendicantur incõmo
dis. attamen non norunt medici omnes istiusmodi
affectiones, uel si cognoscant, non illico etiam illas
discernere sciũt, in primis uero ii nugatores, quos,
ut uera fateamur, princeps est Iulianus: qui nunq
in artis operibus uersatus, his uero quæ ipse tenere
uidetur, audax efficitur. At uero nos ipsis sæpe ar
tis operibus ostendimus, ex utriusq; plenitudinis
inanitione illico homines sanitati restitutos. utrãq;
autem dicimus, & eam nimirũ quæ ad capacitatẽ
uasorum attinet, quam & plethoram nominant, ac
etiam quæ uiribus æstimatur, ubi uidelicet hæ nõ
dissoluãtur ex euacuatione. Hæc ubi quis incipiat
unà cum peritis in ipsis ęgrotis animaduertere, me
deri sanè perdiscet. Sed inspiciamus quæ mox di
cãtur, ubi eã adeo uulgatã Asclepiadis rationẽ p
tractat, nẽpe q nullũ ex purgãtibus medicamẽtis,
sibi familiarẽ humorem attrahat, sed illũ potius gi
gnat. Nos hac de re pauca quædã circa finem libri
de elemẽtis ex Hippocratis sentẽtia literis obsigna
uimus, itidemq; in primo de naturalibus facultati

bus,postremo uero integro uno libello,sic ab amicis rogatus edito,cui titulus est de purgãtium medicamentorum facultatibus,unde qui integrum de his sermonem percipere uoluerit, eò se conferat. Nã in præsentiarũ Thessali dicta refellere instituí, ea illis ipsis suis uerbis ascribens. Athletam accipiamus bono habitu prẽditũ,quẽcunq; uoluerint, qui secundum naturam se habeat:huic,cuius in corpore supponimus bonam adesse materiã,& ab omni culpa immunẽ,medicamentum purgatorium exhibeamus,ostendamusq; ea quæ excernũtur esse ad modũ corrupta,mox uero colligamus ita,ut nullus sit,qui his aduersari possit,ea quæ nunc acerrima pariter ac corrupta excernuntur ante pharmacum purgans in athleta minime talia erãt,bono sic quidem erat habitu. Vnde reliquũ est,ut nihil præterea affirmare possimus,nisi ꝙ hæc utraq; à medicaméto fiant,primũ ꝙ materiam in corruptionem cõuertat,deinde ꝙ etiã illam excernat, siue modo id uomitu,siue secessu fiat. Hæc sunt Thessali uerba. Vos autem à me particulatim audiuistis, ꝙ si ille qui bono constat habitu,omnes excernat humores,id non magis esse argumento quòd illi nũc gignantur,q̃ quòd prius etiam continerentur: quare frustra ille hæc protulit, quæ neutram sectam aut euertat, aut constituat. Si autem aliquid deerit quod aluum cieat,non erit sanè id illis medicamentosum. Hic uero impudens Therſites, exhibeamus,inquit,& ostendamus,cum ipse nunquam uel dederit,uel ostenderit, neque etiam alium quempiam dantem aut ostendentem inspexerit. At nos ii non simus, qui audeamus dicere, aut literis quæ nunquam egerimus prodere,immo ipsis operibus ubi primum uerum ostenderimus, tum demum artem circa hæc ipsa exponimus,de quibus est audire subindẽ hos de grege

Thessali

Thessali sermonem habẽtes.quot enim ex his qui aqua inter cutem tenentur ostendi medicamento aquam educente expurgatos quibus illico uenter detumuit? quot etiam morbo regio oppressos exhibito pharmaco quod bilem expurget, illico ab eo affectu liberos reddidi? Sed Iulianus nihil horum neq; huiusmodi aliud unquam inspexit,& ait deinde athletæ medicamen exhibeo quod purgat,ostendoq;. Quippe consequens est ut qui tanta stoliditate plenus est,athletas quibus probi sunt humores,purget:eos uero qui aut aquæ inter cutem obnoxii sunt, aut atra bile uexantur, aut eo morbo quem elephãtem uocant,minime purget, neque præterea illos quibus cancer molestus est, aut quem phagedæna teneat,aut erysipelate laboret,nec alium quempiam qui morbo à prauis humoribus orto affectus sit. Sed de his huius hominis nugis hęc etiam sint satis.nam si quis ea omnia quæ Iulianus audire mereretur,explicare uelit,non unus modo uel alter liber sit necessarius,sed quam plures. Verum aliquid etiam ex his quæ mox; ait audiamus,ubi in hunc modum scribit. Iam aliud afferam & id quidem ualidissimum, quod inspicientes par erat ut resipiscerent,neque omnino ab atra bile agi, quia dato medicamento illi cui bilis credebatur subesse,quod pituitam uacuet,iam bilis,non pituita excernitur:ubi etiam suspicatur pituitam exuperare,exhibito medicamento pituitæ purgandæ idoneo,non pituita,sed ex utroque bilis deiicitur.administramus etiam medicamentum quod aquam purgat, neque tamen id esse aquam quod effertur, apparet: id quod supra omnia uidetur præter omnium esse opinionem, cõspicue siquidem si his aqua subesse,qui inter cutem aqua laborant,illius etiam fieret excretio:itidé & bilis à medicamento bilis,pituitaq; à pituitæ eductorio.

Is est ipsius sermo. Verum id primum admiratione dignum est, quod in initio ab eo est dictũ, oportere non prorsus ab atra bile agi: atra enim bile nos uexari ait qui uidelicet Hippocratẽ cõmendamus. At sales isti aliis magis cõueniebant, qui insanientes ab atra bile uexari statuunt. Nimirum Iulianus simillimus est asino in ea Æsopi fabula descripto, qui ubi uidit catellum quẽdam melitensem cubanti Aristosito domino saltantem, lasciuientemq; & caudã cõmouẽtem, ac etiã uocem quandam iocundam emittentem, quibus conuiuæ non parum oblectabantur, qui & ipsum omnes osculabantur: nulla interposita mora, statim & ipse in lectum ꝓsiluit, & circa illum rudere, ac subinde mota cauda saltare cœpit. Huic non absimilis est Iulianus qui insaniæ nos iocosæ insimulat, quam ipse ait ab atra bile fieri. Sine igitur nos tibi atram bilẽ exprobare. qui quũ neq; medicor̃ pueris præstes, Hippocratis artem accusas. Quæ quæso unq̃ hac maior potest esse insania? quæ ruditas apertior? quæ tandẽ importunior audacia? Hæc Iuliane per iocum in nos cõtorques, quæ ita deinde rudibus concinnas rationibus, ut eor̃ absurditas ne puerum quidem possit latere. Hippocrates siquidem pronuntiauit, nullã posse ætatẽ reperiri, nullamq; anni horã, nullumq; omnino tempus, quos quisq̃ ex his humoribus, qui nostri corporis sunt, omnino sit abolitus, quos semper ait ꝓmanere, sanguinẽ uidelicet, pituitã & biles duas. quippe ꝙ omnes usq; quaq; reperiãtur, ut tamẽ alius in alia tẽperatura ac natura corporis, in aliaq; ætate, & tẽpore, & regione, & morbo magis accrescat. Tu putas iã eius sententiã fregisse, si ꝓpinato medicamẽto quod pituitæ ducendæ sit uiro bilioso, hæc uideatur uacuari, bilis uero minime. Sed age hoc ita fieri ẽt nobis uideatur, nẽpe medicamẽ nõ semper sibi familiarẽ humorẽ

euacuare: nũ igitur iã aperte falsum uidebitur Hippocratis decretũ? At si singula quæ purgãt pharmaca oẽs pari passu humores attrahũt, atq; in unã permutãt formã, nil referet uenam potius secare q̃ expurgare. At si hoc ita habeat, iam in prõptu erit experiẽtia ipsa id decretũ diiudicare. nempe duobus hoibus ꝓpositis, qui aquã inter cutẽ habeant, magnitudine æqualẽ: sintq; corporis habitu & ẽtate similes, res hæc in usum deducatur, ut alteri uidelicet medicamentũ aquã ciens exhibeatur, alteri uero secta uena sanguis mittatur, & ita deinde aiaduertendũ, eorum quis inde adiutus sit, quis'ue læsus. Æquũ sanè etiã erat, utriq; ẽqualẽ prẽscribi euacuationis mensurã, ut uidelicet tot sanguinis effunderentur heminæ, quot aquæ, ut isti putant, euacuatæ fuerint à purgatorio medicamẽto. At nos uel hoc etiã illis cõdonemus, ut in altero q̃ expurgatur qn decim (uerbi gratia) aquæ heminas detrahamus: in altero cui uena cẽditur sanguinis tantũ duas: ac deinde inspiciamus q nã eor̃ fuerit iugulatus (quẽ so, enim quid de hydropico, cui sit sanguis missus, quis alioquin dicat:) cui'ue maximopere ꝓfuerit. Eus tu, quid tandẽ dicis? is ne tibi elẽchus qui nũc allatus est, aut ex pari certare, aut saltẽ, illi similis uidetur, quẽ tu nuper tractabas? Medicamẽtũ, inquit ille, eductoriũ bilis illi exhibeatur q̃ aqua inter cutẽ laborat. At & hoc bone uir bilẽ detrahet, eã tamẽ modicã, neq; erit alicui bono. A quẽ ẽt purgatoriũ bilioso traditũ, aquosi aliq̃d ciebit, sed parũ, & nõ sine noxa. Sed rursus pharmacũ aquæ ciẽdæ accõmodatũ ei q̃ ascite hydrope laborat ꝓpinetur, auriginoso autẽ id qd̃ bilẽ purgat: euacuabitur copiose uterq; hor̃, idq; illis ẽt plurimũ ꝓfuerit. Porrõ si hæc apud aliquẽ medicinę authorẽ literis explicata nũq̃ legit Iulianus, hoĩs diligẽtiã admiror: si uero legit, & deinde hæc q̃ scripsit literis mãdare

ausus est,dignus profectò est ut eius ingenii acumen admiratione prosequamur.Nam ego nũc aures eorum offendi puto,qui hæc quæ dicuntur audiunt.At Iulianus in his quę de ipsis scribit nos insanire putat. Sed ipse eos philosophos, quos ita laudat,in memoriam reuocans nobis respondeat, à quonam ipsorum eam demõstrationis legem didicerit,qua ipse uidetur uti si nanq; (ait ipse) medicamentum bilis eductorium eam haberet naturam ut in animante bilem expurgaret,minime uero illã gigneret,à pituitosis neutiq; bilẽ detraheret. Mira sanè est hæc consequentis scientia.O eximiã huius sophistæ dialecticam.Protulit ne unquam Chrysippus,uel Aristoteles,uel Plato aliquid cum tãta ingenii solertia? Si illis quidem hæc esset disquisitio instituta,nempe nullam prorsus bilem in corpore contineri,omnes utiq; dicerent,inde hoc sequi,neutiq; à medicamento illam ciente bilem euacuari.at si illius etiam parum attrahi,quem ad modum etiã multam fore quæ attrahatur,ubi etiam multa contineatur.Sed Iulianus nouæ dialecticæ sophista cẽset quum modica in animalis corpore bilis extiterit,à medicamentis bilem ducentibus illius nihil esse trahendum : mox nos qui pharmacum aquæ eductoriũ hydropicis damus insanire ait, seipsum uero sapere,cuius decretis cõsequens fit,ut sanguis sit detrahendus.Simillimum autem est istis eius sermonibus quod ipse sequẽtibus subinde uerbis ait, Quod etiam plurimum uicissim intensio & remissio fiat, sanitatem quidem assimilas illi quod nostrum comparatione,in omni continuitate non sæpe,sed raro apparet.Hoc loco Iulianus eorũ opinionem refellit,qui existimant omnem affectuum constitutionem corpoream esse,hęc scribentes tanquam intensionibus ac remissionibus morborum attestãtia, ipse uero hæc putat methodicorum sententiæ applaudere, senis uero aduersari,quam tamen rem maxime cõtra se habere facile possis inuenire.Affectiones etenim quæ in solidis animantis partibus cõsistunt,illæ & firmæ stabilesq; sunt. humores uero præter id quod illi in alias animalis partes fluant,consentaneum etiam est,ut sæpe attenuati in halitum digerantur, ac per sensiles meatus excernantur:nonnunquam etiam ab ea facultate,quæ animal gubernat,concocti in melius mutẽtur,aliquando uero & in deterius à febrili calore,à quo sæpe & diffiantur,& sæpe ab optimis alimentis temperata meliores redduntur:aliquando à uitiosis secum fluẽtibus unà corrumpuntur,ut tamẽ non raro ipsa etiam praua sint statim anteq; ingerãtur,uel etiã dum probe à uentriculo nõ coquũtur.

Deest aliquid *

Eas uero quæ ex putridis accenduntur humoribus,non sanè mirabile fuerit quòd quum illi in uacuis spaciis collecti putrescunt & euacuãtur, quòd & ortus habeant & declinationes.Posset tamẽ forte eos in istis quispiam tolerare:sed quod Iulianus deinceps scribit,nec amplius illi est cum omnibus aliis commune, sed ipsi priuatim peculiare, hoc statim narrabo.At pręstare mihi uidetur,totam suã dictionem hoc loco describere, etsi quoquo modo illa longior sit,quæ hoc pacto se habet. Quoniam hoc imperceptibile est,ut aut plenitudo aut corruptio quodcunq; horum quis ponat quantum ad præsens spectat,referatur tanquam morbi causa effectrix,qui enim aliquis id percipiat? nam quum morbus per totum permeet corpus, fateri quoque necesse est omnia in omnibus non modo partibus, uerum & particulis exuberare. continentem siquidem causam unà cum effectu protendi

opus est.at affectus per totum transeunt, febres ui„
delicet,aliiq; eiusmodi innumeri,unde & plenitu„
dinem in toto esse oportet,& aliis quidem copio„
sior,quum morbus etiam maior fuerit,ut sic etiam „
liceat dicere. Quod si * contradicens hu „
morum plenitudo. At qui nequaquam hoc Iulia„
no placet ut morborum qui uniuersum corpus oc „
cupat, causa continens in unico loco contineatur.
Sed siquis ponat fluxionem in bubone continen„
tem esse febris causam,sermo is in eam difficulta„
tem adducetur:ut deinde fieri nequeat quòd bu„
bone dissoluto illa uel dissoluatur, uel maneat.
quia si illa permaneat, necesse est ut soluatur fe„
bris:si uero soluatur,necesse est ut sui ipsius bubo
nem continentem habeat causam. Ex hoc potest
mirabilis huius defensoris ratio subuerti,qui ait fie
ri non posse ut morbi,qui sit per corpus uniuer„
sum diffusus, causa in uno consistit loco: utpote
qui nullam aliam habet continentis causæ notio„
nem,quam proferat,nisi quòd simul cum illa ali„
quid gignatur,simulq; intereat, nisi item hoc lo„
co uelit statim se esse stoicum profiteri, quod &
aliàs fecit. Verum si hoc fecerit,non modo mor„
bi,sed & sanitatis aliquam pronuntiabit esse cau„
sam:atque etiam cogetur fateri (quod tamen neu„
tiquam ipse uult) morbum aliquem calidum esse
& frigidum siccumq; & humidum. Ne igitur ua„
na hæc garriat,neque more stupidorum alia aliàs
excogitet,quandoque eos laudans, nonnunquam
uero eorum decreta subuertens.

FINIS.

REGISTRVM.

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u
x y z aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll
mm nn oo pp qq rr ſſ tt uu xx yy zz
aaa bbb ccc ddd eee fff ggg hhh iii kkk
lll mmm nnn ooo ppp qqq rrr ſſſ ttt uuu
xxx yyy zzz aaaa bbbb cccc dddd eeee ffff

Quaterniones omnes, præter
ffff ſexternionem.

Venetiis apud Ioannem Farreum &
fratres. Anno à partu uirginis.
M D XLIII.

Labor omnia uincit improbus.



πόνος πάντα νικᾷ πρᾶτα φιλόπονος.

II d
1077